
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, PATAVII, FORI-JVLII, ET ISTRIAE.

TOMI SEXTI PARS TERTIA.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

PATAVII, FORI-JVLII, ISTRIAE,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J.U.D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI SEXTI PARS TERTIA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

PETRI PAULI VERGERII,

Justinopolitani, Jurisconsulti, Philosophi, & Oratoris Celeberrimi,

DE

CARRARIENSIUM FAMILIA,

ET DE ILLUSTRIUM EJUS

PRINCIPUM

REBUS MAGNIFICE GESTIS

HISTORIA,

Ex optimis MSS. Codicibus desumpta, emendata, atque ad sui puritatem & integritatem redacta,

Nunc primum edita.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

REVERENDISSIMO, DOCTISSIMO, INCLYTISSIMO
PATRI,

D. JOSEPHO MARIÆ SANDI,

MONACHO S. JUSTINÆ DE PADUA,
ORDINIS S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS CASSINENSIS,
JUSTINIANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO,
MAGNO
STUDIORUM, ET REI LITERARIÆ
PATRONO, MÆCENATI, ET PROMOTORI,
HANC

PETRI PAULI VERGERII

DE CARRARIENSIUM FAMILIA, ET DE ILLUSTRIUM EJUS PRINCIPUM REBUS
MAGNIFICE GESTIS

HISTORIAM,

PRO INSIGNIBUS
IN ORBIS ERUDITI COMMODUM
IPSI ADJUMENTIS PRÆSTITIS
IN DEVOTI ET GRATI ANIMI MONUMENTUM
MULTIS NOMINIBUS DEBITUM
D. D. D.
REVERENDISSIMÆ EJUS DIGNITATIS
OBSERVANTISSIMUS CULTOR,
PETRUS VANDER Aa.

PRÆFATIO
HUJUS PRIMÆ EDITIONIS.

Nullam etſi apud Te, *Benevole Lector*, omnis noſtra in Hiſtoriæ Cultores officioſitas unquam iniiſſet gratiam (cujus vero in contrarium nobis exſtant argumenta quam plurima, omni exceptione majora) hac tamen vice, quod apud nos prodit, opus Tibi fore acceptiſſimum, novimus certiſſimi. Non eſt, cur longam fundamentorum, quibus noſtra hæc nititur fiducia, enumeremus ſeriem; unica nobis ſufficit Libri inſcriptio: *Petri Pauli Vergerii, Juſtinopolitani, de Carrarienſium Familia, & de Illuſtrium ejus Principum Rebus magnifice geſtis Hiſtoria.* Hæc enim ſingulare hucuſque ornamentum fuit, quo manuſcripto gloriati ſunt Illuſtriſſimorum *Italiæ* Magnatum Bibliothecæ. Nec indiget encomiis noſtris Auctor, quippe qui Juriſconſultus prudentiſſimus, Philoſophus celeberrimus, Orator diſertiſſimus, in orbe literario æque clarus ac notus, id quod vel ex paucis, quæ, omiſſis reliquis, hic addita voluimus, Doctorum Virorum Teſtimoniis patebit quam maxime. Multo minus in ſtyli elegantia celebranda nobis laborandum erit, dum eam ſingulæ loquuntur paginæ & lineæ. Id ſaltem unicum non poſſumus non innuere, jucundiſſimam nobis fuiſſe Operis a magno quodam ſtudiorum, & Rei literariæ Columine ex *Italia* factam copiam: propterea que nos ſtatuiſſe illud quam primum nitidiſſime impreſſum luci exhibere publicæ. Id vero aggreſſi omnem adhibuimus induſtriam, ne quid qua typos, qua chartam, qua reliqua, negligatur, quod deſiderare poſſet Lector. In hujus & gratiam Nomina propria, dictiones emphaticas, ac ea, quæ

quæ ſtylo recenſentur recitativo, ut eo facilius pateant, diverſis a contextu exhibemus literis. Indicem tandem Operi ſubjunximus locupletiſſimum & in optimum redactum ordinem Alphabeticum. Hos noſtros conatus, *Lector Benevole*, æqui bonique conſule, & Vale.

ELOGIA AUCTORIS.

EX

JACOBI PHILIPPI BERGOMATIS

Chronic. Supplement.

PETRUS PAULUS VERGERIUS, *Juſtinopolitanus*, *Jureconſultiſſimus*, *Philoſophus ac Orator diſertiſſimus*, *nec non* & Græcis Latiniſque *litteris apprime eruditiſſimus*, Chryſoloræ Byzantini *Philoſophi auditor*, *Ducumque* Carrarienſium *Principum admodum cariſſimus*, *per hoc tempus* (anno Chriſti 1428.) *prædictis virtutibus egregie illuſtratus: magno habitus ab omnibus fuit in pretio. Qui cum eſſet eloquentiſſimus, nonnulla edidit opuſcula, ab eruditis Viris approbata:* & *inter alia* Hiſtoriam *ſatis elegantem* de Geſtis Carrarienſium, *Dominorum ſuorum:* & de Ingenuis Moribus erudiendorum Puerorum: *Arrianumque*, *Hiſtoricum*, *qui* de Alexandri Magni Geſtis *continet Sermone* Græco *conſcriptum*, Latinum *fecit:* Græcas & Barbaras *amicitias comparavit: cultiſſimaſque orationes in Divi* Hieronymi *laudem plures compoſuit. Adverſus* Sigiſmundum Malateſtam, *qui* Maronis *ſtatuam e foro* Mantuano *dejici fecit*, *nobilem edidit* Invectivam & *alia multa. Obiit tandem tantus vir tempore Concilii* Baſilicæ, *in* Ungaria, *ut teſtatur* Pius *Papa*.

EX

PAULI JOVII

Elogiis Virorum Doctorum.

IS (PETRUS PAULUS VERGERIUS) *Juſtinopoli* in *Hiſtria* natus, *Chryſoloræque* diſcipulus, *Græcas* literas ex puriſſimo fonte hauſtas, illuſtribus diſcipulis humaniſſimè refudit, ut inductis paſſim ejus linguæ rivulis, *Italiam* planè ſitientem irrigaret. Latinè autem ſcribendi ſingularis eo ſeculo facultas enituit, uti apparet ex eo libello, qui *de educandis Liberis* ad exactam diſciplinam, peramœnè atque prudenter ſcriptus me puero in ſcholis legebatur.

ELOGIA AUCTORIS.

LATOMI.

Hîc ſunt Vergerii ſepulta docti
Non fama, & pietas nec eruditi
Fœtus ingenii: ſed oſſa tantum,
Et quicquid tumulo ſolet recondi,
Terrenum, breve, lubricum, caducum.
Vivunt illa, manentque, & uſque, & uſque:
Et vel Elyſiis recepta campis,
Viri manibus, ut piæ miniſtræ,
Adſunt: & meritum aſtruunt honorem:
Vel per ora hominum volant, caventque.
Ne mortis rabidum tuliſſe dentem,
Vel totus tumulo periſſe, ſeclis
Ullis Vergerius queat videri.

EX

GERARDO JOANNE VOSSIO,

De Hiſtoricis Latinis.

PETRUS PAULUS VERGERIUS, Juſtinopolitanus, *vir non* Latinè *modo doctus, ſed &* Græcè; *qua in lingua auditor fuerat* Emanuelis Chryſoloræ; *atque item Philoſophus, Juriſconſultus, & Orator, claruit ann.* CIↃ CCCC XXX. *Magna in gratia vixit* Patavii *apud Principes* Carrarienſes: *ut de eo* Volaterranus *teſtatur, cui & Juriſconſultorum ſuo tempore eloquentiſſimus, & eloquentium Juriſconſultiſſimus vocatur. De eodem ſic* Andreas Divus, *Juſtinopolitanus, præfatione in* Iliada Homeri *a ſe* Latinè *translatam, quam Juniori* Petro Paulo Vergerio *dicavit:* Imitaris videlicet majores tuos, imprimiſque doctiſſimum, ac eloquentiſſimum Virum, Petrum Paulum Vergerium, cujus tu & nomen, & virtutem refers. Fuit autem ille vir clariſſimum ætatis ſuæ lumen, & ornamentum minime vulgare. Claruit in Concilio Conſtantienſi centeſimum abhinc annum, liberalium omnium diſciplinarum bene peritus, ut ejus ſcripta, quæ permulta edidit, teſtantur. Pontificibus ejus ætatis gratiſſimus fuit, itemque Sigiſmundo Imp. apud quem etiam deceſſit, ut à doctiſſimis viris proditum video. *Hic Hiſtoriam condidit Principum* Carrarienſium: *Item aliam Principum* Mantuanorum. *Prius opus exſtat apud Illuſtrem & Reverendum* Albertinum Papafabam, *Epiſcopum* Hadrianenſem: *a quo & copiam ejus ſibi crebro eſſe humaniſſimè factam, literis ad me ſuis* Patavio *perſcripſit Clariſſimus* Laurentius Pignorius. *Primus quoque* Arrianum *tranſtulit* de Geſtis Alexandri: *quod poſtea non paullo felicius præſtitit V. Cl.* Bonaventura Vulcanus, *præceptor quondam meus in* Græcis. *Alia quoque reliquit, interque ea &* Invectivam adverſus Malateſtam, *quod* Virgilii *ſtatuam in foro* Mantuano *poſitam dejici juſſerat. Item librum* de Ingenuis Moribus *ad* Ubertinum Carrarienſem: *qui cum Commentariis* Joannis Bonardi Veronenſis *& aliis aliorum de Puerorum Educatione Opuſculis* Venetiis *anno prodiit* CIↃ IↃ II. *ac in* Germania *poſtea recuſus fuit. Vide & de eo Jac. Philippum Bergomatem,* Chron. Suppl. Lib. XV.



PETRI



PETRI PAULI VERGERII, *Juſtinopolitani*, DE CARRARIENSIUM FAMILIA, ET DE ILLUSTRIUM EJUS PRINCIPUM REBUS MAGNIFICE GESTIS, HISTORIA.



Carrarienſium Familia, unde *Paduanorum* Principum origo profecta eſt, clara ne olim, ac potens uſpiam gentium ſimul cum amplitudine ſua in hæc loca derivata ſit, an vero ſub incerto Gentis Auctore, ex parvis, ut fit, initiis, ſenſim in tantam magnitudinem hic excreverit, non ſatis ullis vetuſtioribus literis conſtat. Nam poſt avulſum quidem ex *Italia* Imperium, afflictamque a Barbaris *Romam* nemo fuit per multa tempora, quantum ego ex lectione meminiſſe valeo, qui ſui temporis res geſtas illuſtri aliquo genere orationis deſcriberet. Nec id vero, quo non & multa, & magna, ac memoratu digna temporibus illis evenerint; ſed quod non erat hominibus ſtudium res, quæ gererentur, mandare memoriæ, nec ferme erat ullum literarum genus in pretio. Itaque multa hinc vetuſtatis cognitio, cum de rebus, tum etiam hominibus aut penitus latet, aut in incerto eſt. Quod vero ad *Patavium* Urbem antiquiſſimam attinet, præter pauca, quæ in libris veterum extant tradita, nihil ſane, aut quod dicere auſim, aut parum admodum de his conſtat, quæ ante *Eccelini* Tyrannidem geſta ſunt. Iſta vero tempora tam inſigni crudelitate, tantiſque miſeriis notata ſunt, ut oblivioni tradi non potuerint; itaque ſcriptis extant; quo tempore familia hæc, etſi nonnullis aliis regionum iſtarum divitiis, potentiaque minor erat, vetuſtate tamen Originis, ac generis nobilitate inter primas habebatur. Poſt illa vero *Albertinus Muſſatus*, Patavinus, qui & doctrinæ gloria, & honoribus in Republica claruit, de ſuis temporibus accurate ſcripſit Hiſtoriam, in qua multa ſunt de *Carrarienſibus* Viris, & geſtis eorum; ſed is poſtremo injuria laceſſitus pleraque liberius ſtylo permiſit. Inde vero *Guilelmus de Cortuſiis*, contemporaneus ejus, & concivis, & ipſe quidem Hiſtoriam conſcribere adortus eſt, multaque poſt illum vita ei ſuperſtes, cum de domeſticis, tum etiam externis rebus in unam ſeriem collegit; verum dum res ſcriberet venuſtate Orationis, quam præſtare non poterat, facile neglexit: & apud iſtos quidem, tametſi multa de Viris, de Familiæ tamen hujus Origine nihil agitur.

Joannes vero *de Baſiliis*, qui communem vulgi
A ſententiam ſecutus, e *Germania* veniſſe eos, commemorat, & recentior eſt, quam ut multa illi notitia vetuſtatis eſſe poſſit, præſertim cum nulla adſunt monimenta ſcribentium, & pleraque de multis adeo fabuloſa rebus interſerit, ut his etiam, quæ plane veriſimilia ſunt, fidem abroget. Itaque quoniam illi quidem ab origine nihil attingunt; hic vero, ſi quid etiam, non ſatis tamen, certe aut apud ſe opinionis, aut apud alios fidei, auctor eſſet: geminum rumorem, qui de hac re, exequar. Primum enim, quæ vulgo fides eſt, ex *Germania* ortum traxerunt. Verum quibus ex cauſis ſedem mutaverint, quove duce, aut tempore
B in has terras advenerint, incertum eſt. Ego ſi quid huic ſententiæ adhibere fidei inducar, juxta ſum, ut ex *Longobardorum* genere defluxiſſe eos arbitrer. Moveor primum hac veteri, vulgataque fama, qua ex *Germania* adveniſſe dicti ſunt; unde Gens illa *Ubor*, & *Ayone* ducibus primum profecta eſt, quæ multos per annos magnam *Italiæ* partem, quam armis occupavit, regio titulo, & propriis legibus tenuit; deinde quod hi in vetuſtis quibuſdam Annotationibus contractuum profeſſos ſe dicunt ex Natione ſua legibus vivere *Longobardorum*. Qui ita exiſtimant, e *Germania* deſcendiſſe eos, primum ab his poſſeſſum locum in *Vi-*
C *centino* Agro, *Jauſanum*, memorant, diuque inde appellatos, dictoſque loci illius Comites, quod & apud quoſdam carminibus traditum ſcio. Auctos deinde & numero cognatorum, & Amicorum potentia, & opum, rerumque omnium copia penetraſſe quoſdam in *Paduanum* Agrum, atque in Urbem ipſam; ubi & *Carrariam* primum, & plurima deinde oppida, ac poſtremo Urbis Principatum obtinuerunt. Alii vero contra, ex *Tranſalpina Gallia* ortum traxiſſe eos, opinati ſunt, ex illis de *Ruſciono*, qui temporibus *Magni Caroli*, & vetuſtate Generis, & probitate geſtorum illuſtres habebantur: quod & apud veteres hujus familiæ
D prius etiam, quam Principatus Urbis eſſet ad ſe delatus, celebre in opinione fuit, & rei quidem ſeriem enarrant, ut eſt a majoribus per manus tradita. Quæ quidem vera ne ſit; uti narratio, ita & veritatis fides, aliunde, quam hinc, petatur. Nam ea quidem *Joannes de Ravenna*, & multa diligentia, & eleganti ſtylo perſcripſit: ab veriſimili recte, quod conſtat, res nihil abhorret. At-

que ita Majores existimasse, argumento est vetus hospitii consuetudo, & amicitiæ hujus semper in hanc diem utrinque servata: quod ex conjunctione originis opinione profectum est. Huic igitur postremæ sententiæ propior sum, ut assentiam nulla re magis adductus, quam quod verisimillimum est, eos antiquitatis suæ tenaciores, & originis propriæ memores præ cæteris fuisse. Nam quod se legibus professi sunt vivere *Longobardorum*, fortasse non stirpis originem declarat, sed favore susceptarum partium; & contrahendi morem. Quidquid enim temporibus illis in communitate civili gerebatur, aut *Longobardorum* lege, aut *Gallica* constabat. Verum etsi nihil horum fuerit; nec est hujus Familiæ Nobilitas de foris petenda, quæ utique in *Italia* & clara, & pervetusta est. Potuit tamen his opinionibus tam variis causam dedisse, quod illi diverso tempore, ut plerique memorant, bellis, ac seditionibus pulsi sedibus patriis alii in *Transalpinam Galliam*, alii in *Germaniam* profugi, abierunt. Indeque redeuntes contractis auxiliis, simul & Amicorum, quos domi habebant, freti potentia, & clientum favoribus, loca, quibus ejecti erant, receperunt. Quid enim attinet, & tanto circuitu gentis primordia investigare, quando retro trans omnem memoriam multa subsunt claritatis indicia? Nam ea quidem prima generis nobilitas est, nobilitatis originem ex vetustate ignorari. At quid splendorem apud exteros quærimus, quando satis superque hæc sit domi splendoris? Nam multos quidem ex nostris ea veritas habet, ut nullam esse in *Italia* nobilitatem arbitremur, nisi quæ de foris allata sit: cum contra suam hinc illi nobilitatem aucupentur. Plerique enim alienigenæ Principes Auctores sui generis *Italos* sibi vindicant, inter quos & Duces *Austriæ*, & Comites *Vigilienses*, ex Patriis *Romanorum* Familiis originem suam defluxisse, gloriantur. Itaque & nonnulli quoque nostrorum longius ausi spectare *Carrariensium* Genus ab *Milone Romano* derivare conati sunt, qui *Clodium* nobilem, potentemque, & ipsum *Romanum* Civem interemit, cujus cum cædis reus haberetur, a *Cicerone* quidem verbis, a *Pompejo* vero *Magno* auctoritate, & potentia defensus est. Hique nullo alio argumento freti mihi videntur, quam quod *Milonis* nomen dudum familiare *Carrariensi* Prosapiæ fuit, & ab antiqua inter eos appellatione multorum crebro repetitum; sed inter hæc tam incerta, ac varia libera est cuique conjectura; quod vero constat longis retro temporibus, *Carrariensis* Familia, & viris potens, & divitiis opulenta, & armorum gloria illustris fuit, quod declarant insignia privilegia, quæ his a veteribus Imperatoribus indulta sunt, & magnificæ largitiones ab iis aliquando profectæ; maxime celebris cujusdam donationis annotatio, quæ per *Litolphum* Guberti filium, supra circiter quadringentesimum annum temporibus Imperatoris *Conradi Primi* in Monasterium *S. Stephani de Carraria* collata est, ac deinde duorum ejus *Litolphi* Filiorum, aliorumque ex eo genere similis largitas. Quod Monasterium ab eis fundatum, eorumque liberalitatibus auctum, perpetuos jure legitimo Patronos habet. *Carraria* vero vicus est haud ignobilis *Patavini* Agri septimo ab Urbe Milliario, ubere solo positus, aquis irriguus, & præter id, quod hominum studiis colitur, amœnis pascuis, saltibus, ac nemoribus vallatus. Itaque piscationi, aucupio, venationique permaxime commodus. Ubi est, quod & agrestes homines in usum vitæ exerceant, & operosam nobilititatem amœno studio possint oblectare. Nomen autem loco inditum opinor, quod ibi esset construendis curribus artificium celebre, nam antea *Villa Nemoris* appellabatur. In ejus medio loci colle quantisper edito, ac non manu quidem congesto, sed qui sit ex ipsa terra natus, Arx inerat, cujus adhuc extant ruinæ murorum ingentes. *Eccelini* namque temporibus a fundamentis diruta est. Eam nemo superiorum Principum, cum plerasque inter *Paduanos* fines, & ingenti sumptu a solo, & multa arte exædificassent, reficere curavit. Credo, ut esset diruta potius monumentum suæ vetustatis, quam restituta adauctæ potentiæ signum. Hic igitur illi habitabant, cum angustiores res erant, aut etiam posteaquam crevere opes, si quando rure agere libuisset. Hinc est Familiæ sumptum cognomen, flammeusque ex illo Currus: Militare is signum est, multis jam bellis late cognitum, ac plerisque victoriis Protelum illustre. Ab *Henrico IV.* Romanorum Imperatore primum, quod scriptis extet, data est his Auctoritas dicendi Juris, & Vitæ, Necisque in subditos potestas; a quo jus etiam Aquarum *Carrariæ* finibus adjacentium acceperunt, ipsique cum oppido, & monasterio rebusque suis omnibus jussi sunt ad proximam Imperii *Romani* curam, rationemque pertinere, ut alio nusquam possint in jus trahi, aut ad munera functionesque obeundas cogi. A *Federico* quoque *Primo* eisdem prærogativis donati sunt in Personam *Marsilii de Carraria* cum omnibus legitime descendentibus. Hic est communis stipes, a quo *Carrariensium* Principum origo perpetua successione derivata est. Nam etsi aliorum multorum ante id tempus nomina reperiantur, ex illis tamen interrupta originis series constat. Ejus Pater, quo nomine appellaretur, incertum est: clarum tamen fuisse virum, argumento est: quod Imperator, cum *Marsilium* amplissimo exornat decreto, *& propriis ejus meritis, & memoria Patris ad id se motum asseverat, qui in servitiis prædecessoris sui*, scilicet Conradi II. *constanter fideliterque persistens*, *obiit.* Hæc ipsa verba decreto inserta sunt; aliud vero de illo compertum habeo. Nam nominum quidem horum memoria ex Annotationibus privilegiorum, contractuum, testamentorumque collecta est. Post ea vero tempora a singulis ferme *Romanis* Imperatoribus, & veterum jurium confirmationem, & alia insuper novi juris privilegia facile suis meritis obtinuerunt. Fieri autem potest, ut & ante id tempus ab vetustioribus *Romanis* Principibus eam potestatem, amplioremve consecuti sint, nec testimonia ulla subesse scripturarum; quippe quæ aliquando periissent. Illud enim constat, plurima suarum antiquitatum, nobilitatisque monumenta, opes quoque, & omnem pretiosam supellectilem lugubri quodam casu interiisse, cujus initium rei, quæ utique digna est memoratu, paulo altius est repetendum.

Jacobus de Carraria Marsilii, cujus nuper meminimus, pronepos fuit. Nam *Marsilius* quidem *Jacobinum* genuit: is autem quinque filios, ex quorum postremo, cui æque *Jacobino* nomen erat, duo *Patavini* Principes, quod ad ulteriorem narrationem attinet nosce. Ex primo vero, qui *Marsilius* est appellatus, reliqui Principum prodiere. Ex hoc *Marsilio* duo sunt filii nati. Unus is *Jacobinus*, de quo allata est nunc mentio; alter *Albertinus*, a quo series illorum de *Papafava* deducta, tametsi non ipse quidem, sed ejus filius, *Jacobinus*, primus hoc cognomen adeptus sit. Hinc itaque duæ Domus ex una Familia prodierunt, quæ nunc superant, nam ex reliquis *Marsilii* fratribus stirpes extinctæ sunt. Extant autem hinc Comitum *Anguillariæ*, inde *Papafavarum* ex uno stipite derivatæ propagines, quæ ut distinctum cognomen habent, ita propriis quoque signis utuntur, ut tamen in ea varietate similitudo communis agnationis appareat. Nam hi quidem duas altrin-

trinsecus Anguillas ad Currum, qui est totius Familiæ commune signum, adjecerunt, tametsi curru solo plurimum in præsens utuntur. *Papafavæ* vero Leone usi sunt cœlesti colore, in postremos pedes erecto, cui pendet ex collo breve scutum rubro curru insignitum. Sed ad *Jacobum* redeo, qui animo vere magno, uti consilio probus, ita in armis egregius erat. Hic cum sub *Federico*, Romanorum Imperatore, in castris ageret, apud *Gudi* oppidum *Mantuani* Agri orta gravis discordia inter eum, & *Eccelinum de Romano*, qui vice Imperatoris his urbibus *Paduæ*, *Veronæ*, *Vicentiæque* præerat, eousque progressa est, ut post verborum altercationem *Jacobus* magis adversarii contumelia accensus, quam Imperatoris præsentia deterritus eximeret gladium, ut illum ex præsenti confoderet, quod forte evenisset, nisi Princeps interveniens, & vi, & auctoritate sua prohibuisset. Ex eo tempore neque benevolentia, neque certa fides illis unquam ad alterutrum fuit. Quamobrem, ut in sequenti anno *Azo*, Estensis Marchio, a plerisque *Paduanis* Nobilibus, qui in idem consenserant, obnixe vocaretur, ut ad liberandam Patriam veniret, quæ sub *Eccelini* Tyrannide gravi jugo premebatur. *Jacobus* cum eo simul affuit, promittentibus illis aditum in Urbem per *Turresclarum* portam se daturos, aut si id implere ullo casu, aut vi majore prohiberentur, in ejus partes, castraque transituros, cujus rei fuisse & conscium, & participem *Altrevandinum Cazacontem* Tuscum, qui tunc Prætor Urbis erat, nonnulli crediderunt. Coacto itaque exercitu, amicisque convocatis *Azo* ad Urbem venit, quo cum *Jacobus* & charitate Patriæ, & injusto Tyranni odio socia arma conjunxit, magnum secum, aut præclarum suorum comitatum adducens. Exercitu igitur in Prato Vallis ad Urbem posito, *Jacobus*, ut constitutum erat, cum Armatorum electa manu ad portam *Turresclarum* properat: nam eam, quæ ad Pratum erat, facile aperuit repugnante nemine: hanc vero clausam reperit, & armis, virisque egregie munitam, sive casu, sive, quod verosimilius est, rumore, qui non satis certis auctoribus vulgatus erat, conspirasse ex civibus quosdam, deque novandis rebus consilia in Urbe teneri.

Tunc vero, qui *Azonem* acciverant, cum jam nequirent, pro qua parte voluissent, promissi fidem implere, ne inimicorum vi subita opprimerentur, secretis itineribus Urbe erumpentes in ejus exercitum penetrarunt. *Eccelinus* interea, & novitate rei, & hominum vocibus exterritus, quæ passim in similitudinem captæ Urbis exaudiebantur, cum aliquamdiu incertus, quidnam potissimum ageret, substitisset, tamen signo dato populum ad arma concitat. Illi periculi metuentes, atque ignari rerum, armati ad signa conveniunt. Inde *Eccelinus* cum *Theutonicis*, qui apud eum stipendia merebant, suisque de *Pedemonte*, & populo, quos sequi se voluit, ad eam portam, quæ oppugnabatur, primum venit, quam cum & clausam, ac defensam reperissent, statuit a tergo hostes adoriri. Igitur flexo itinere ad portam *S. Stephani* contendit; unde egressus cum per ante faciem Templi *S. Antonii* processisset, amne ibi transmisso, ad locum, ubi *Azo* cum exercitu erat, pervenit. Quo ipso in tempore *Jacobus* ingressus, cum diu, fortiterque ad muros pugnans, nihil profecisset, in castra venerat, amissis quibusdam ex suis, omnibus autem confectis labore, plerisque etiam vulnere debilitatis. Itaque cum *Eccelinum* vidissent, inopinata re perterriti, omnes in fugam vertuntur. *Azo* versus *Montem Scilicis* fugiens, equo adjutus evasit. *Jacobus*, dum & pudet fugere, & resistendi spem nullam videt, in incerto quantisper moratus, tandem versus *Agnam* oppidum suum fugam instituit, sed paulum progressus ab insequentibus *Theutonis* capitur, atque in Urbem captivus revocatur. Hic creditum est, instare *Jacobo* vitæ ultimum finem, quando non minus in crudelis hominis, quam acerrimi hostis manus venisset. Verum tamen amicorum interventu, quos & plurimos, & potentes apud *Eccelinum* habebat, simul ne *Carraria* locus tam vicinus, si rebellasset, gravibus damnis Urbem afficeret: conventum est, ut *Jacobus*, sepositis inimicitiis, quas cum illo gerebat, *Carrariam* in manus Prætoris Urbani libere resignaret, ipseque tunc demum captivitate solveretur: cui conditioni, quando nulla erat spes reliqua, parere necesse habuit; ne aut præsentem mortem, aut perpetuum carcerem subire cogeretur; sed nihilominus bis postea relegatus est ab *Eccelino*. Primum cum essent in obsidione *Montagnanæ*, orta suspicionis causa, jussus est ad *Montem Bellunæ* quam primum ire, & ei, qui Vicarius ibi præerat, se cum literis, quas accepisset, præsentare, in quo cum intelligeret Vir prudens, ad certam se mortem destinari, parere noluit, itinereque instituto declinavit. Iterum vero a *Federico* per *Eccelini* suggestionem, nam cum ab eo sub simulatione gratiæ in Urbem esset revocatus, haud multo post *Mantuam* relegatus est. Causæ erat, quoniam is contrariorum partium haberetur, itemque rumor certus divulgabatur, esse *Federicum* summi Pontificis sententia excommunicatum: quamobrem metuens ne *Padua* ab se deficeret, eos, qui habebantur contrariæ factionis, in diversa loca transferre visus est; præcipue vero de hoc viro tanta *Eccelini* animum suspicio incesserat, ut plerosque morti ob id solum damnaverit: quod incertum, qua de re contulisse cum *Jacobo* sermonem, dicebantur. Ob eas igitur injurias tam graves, & tam crebras, cum stare mandatis noluisset, essetque præterea hostis judicatus, atque ipse se præterea hostem exhiberet a *Thebaldo Francisco Apulo*, qui prætor Urbis erat, vim, & insidias passus est; Nam *Eccelinus* Veronæ tunc forte aberat. His enim cum comperisset, esse *Jacobum* apud *Agnam*, grandem equitum manum coëgit, & insuper legionem mille peditum exquisite armatorum adhibuit, cum quibus sub nocte iter ingressus est, multis varie suspicantibus, sed sciente certo nemine, quonam ire destinasset. Itaque cum in diversam partem longum iter profectus esset, flexit tandem, & ad eumdem locum, quo *Jacobus* se receperat, declinavit, quo ante lucem pervenit. Erat is locus vallo, atque aggere leviter munitus, fossaque foris cinctus, quem quidem incolæ per se antea tuebantur. Tunc vero etiam manus accesserat exulum, qui in hunc locum, velut in asylum confugerant. Hi igitur, etsi animo, viribus, atque etiam numero valerent, tamen sive ex repentino insultu, quæ res plurimum solet exterrere animos, sive ex multitudine hostium, quæ longe superabat, & quod locus multis ex partibus expugnabilis erat, eventu impares reperti sunt. Cum primum itaque perventum est, per equites, qui præiverant, fit subitus incursus, excitantur vigiles, arma capiunt; *Jacobus* ad primum tumultum experrectus, ut in re subita prosiliit, & scuto solo contectus impetum hostium cum paucis sustinet. Inde vero concurrentibus, qui incolebant, armatis, seque pugnæ offerentibus, equum insilit armatus, & assidue circumiens nunc hortando alios, nunc ipse pugnando, & animabat suos, & ulciscebatur, si qui ex hostibus audaciores præsumpserant vallum incurrere, atque ita, etsi non facile, tamen prorsus ab his tutari locum posse, videbatur. Verum superveniente peditum multitudine acrior ex omni

parte fieri oppugnatio cœpit. Et illis quidem primum omnibus integris, deinde etiam per vices sibi in pugna succedentibus, iis autem magna ex parte sagittarum ictibus jam vitiatis, cunctis vero ex mora longa pugnandi defessis, res in summum discrimen venerat.

Interea matronæ nobiles *Carrariensium*, quæ ibi tunc erant, incertæ, quid facto opus esset, in tam certo periculo, habita cum quibusdam ex suis subitaria deliberatione, consilium ineunt evadendi ea via, quæ sola patebat. Erat ab latere munitionis stagnum, amplum quidem non admodum, sed ingentis profunditatis, & in eo navicula, quæ ad piscationum opus deserviebat. In eam igitur quidquid pretiosum haberent, aurum, argentum, vestes, & conscriptiones antiquorum jurium, ac denique quidquid earum haberi ad manum potuit, conferunt, sperantes interea cum his rebus inter palustres arundines latitare, dum hostes abierint, & ab suis demum, si qui elapsi manus hostium evasissent, auxilium, salutemque recipere. At vero dum naviculam ineunt, sive ex trepidatione, quæ ancipiti metu, hinc atque inde eam ferri, timebat, oborta, quæque non muliebrem modo, sed virilem quoque animum perturbare poterat, sive ex onere, quod pro mensura scaphæ, grave erat, navis cum omnibus, quæ in ea congesta erant, submersa est. Nec est ultra quidquam visum neque hominum, neque rerum ex iis, quæ lacus, tunc absorbuit. Unde est etiam inditum stagno nomen, quod in hanc diem *Lacus Dominarum* appellatur. Miserabilis plane casus, qui & vitam, & opes, & jura, monumentaque familiæ uno momento sustulit. Quorum nisi fuissent quædam apud alios salva, cuncta, quod in se erat, eo facto, tunc periissent. Verum hactenus fortuna sæviens contenta non fuit; post longam namque oppugnationem, cum illi spe potiundi, hi studio se tuendi, acriter pugnæ inhiant, tandem capitur locus, fitque in ipsa irruptione hominum cædes acerrima, quod neque victis veniæ spes esset, nec cuiquam parceret victor iratus.

Jacobus vero cum multos mortalium cecidisset, mori & ipse inter pugnam cupiens, præstitissetque de se omnia, quæ strenuum, fortemque militem æquum est præstare, multitudine circumventus ad infelicitatis augmentum vi ab hostibus capitur, injectoque desuper arma pullo vestimento in Urbem ducendus destinatur. Qui mos erat, ut cum vir quispiam clarus Imperatori rebellasset, bello captus, non quidem infami supplicio traderetur, sed vestem indueretur nigram, atque ita ad locum, quo capite minuendus erat, deduceretur. Cæsis igitur incolis, direptis opibus, ædificiisque incendio consumptis in Urbem redeunt. Veniens exercitus jussu Prætoris per Portam *S. Joannis* a Navibus introibat, uti quemadmodum diverso itinere exierat, ita diverso regrederetur. Eo loci admonitus est Prætor, non posse eum, neque tuto, neque facile *Jacobum* in Urbem ducere; quod Populus eum amaret, multosque haberet in Urbe ea Familia fautores. Itaque deterritus, ne vi sibi forsitan eriperetur, in ipso ponte decollari ipsum jussit, cujus etiam nunc Ossa intra proximum Templum condita humili sepulchro jacent. Isque fuit, probi, atque excellentis Viri exitus, dolendus quidem, sed non inultus tamen. Tres namque ejus Filii, *Marsilius*, *Albertinus*, *Ugutioque*, & vindictæ desiderio, & quærendæ gloriæ studio in exercitu perpetui fuerunt. Liberata est Urbs a manibus *Eccelini*. Fuereque & virtute propria, & subsidiis amicorum non minima pars, ut Urbs a crudeli ejus dominatione eximeretur. Hæc fuerunt, quæ ante Principatum Urbis in *Carrariensi* Familia collocatum de rebus, ac gestis eorum annotatione digna comperi, nam quod ad domesticas attinet opes, emptiones ædium, & villarum, divisiones hæreditatum, donationes, cum in feudum, tum etiam libere factæ, testamenta quoque, aliaque hujuscemodi, quorum extant adhuc scripturæ, modum facultatum eorum designant, privatæque opulentiæ argumenta sunt, quæ jam non civium modo communem mensuram excesserat, sed Regum quoque opes æquabat.

Deinceps vero sequuntur Viri, qui ex hac Familia aut Principes Urbis, aut magna potentia fuerunt, quorum res, qua certiore fide potui, conscripsi. Vix enim, quæ nostris temporibus geruntur, scire certo possumus, quanto minus, quæ memoriam hominum jam evaserunt, tametsi extant quidem ex magna parte earum rerum Annales conscripti, qui tamen non usquequaque consentiunt, sed inter diversas scripturas, ac nonnunquam contrarias, quod verisimillimum visum est, sum secutus, pleraque etiam, ut sunt per manus tradita, atque uti recenti hominum sermone feruntur, annotavi, quibus ipse narrationis studium, non veritatis fidem præstare possum. Ac de vetustioribus quidem, cum sit a nostra memoria magis remota, angustior erit Historia; de novis vero, & quæ præsentia sunt, plenior. Qua quidem in re Illustri Principi *Francisco* Juniori, qui nunc Octavus ex ea Familia *Paduæ* Urbis habenas regit, habendæ sunt cum a suis gratiæ ingentes, tum etiam a cæteris, qui notitiæ student rerum gestarum, non exiguæ, quod multo studio, multaque diligentia, colligi hæc in unum Corpus curavit. Cæteri namque præsentium tantum notitia contenti rerum, nec superiorum noscere res student, nec suas ad posteros mandare, qui nihil esse reliquum putant, ni, quod aut præsens vident, aut novum fieri audiunt. Magni autem animi est, & bene sibi conscii, ut res suas nosci velle, ita & alienas, quæ quidem dignæ sunt, noscere curare. Itaque ab *Jacobo Grandi de Carraria* initium erit sequentis narrationis.



PETRI PAULI VERGERII,

Justinopolitani,

DE

JACOBO GRANDI DE CARRARIA,

QUI PRIMUS PADUÆ PRINCEPS FUIT,

HISTORIA.

Jacobus Grandis primus ex *Carrariensi* Familia Principatum Urbis *Paduæ* Universi Populi consensu nactus est, quod post hominum memoriam privato in ea Urbe Civi nemini contigerat. Huic ex *Jacobo Minore*, *Grandis* cognomen est inditum, uti ea appellatione discretio nominum haberi posset, quamquam quid de illo dici verius poterat, quam ut *Grandis* appellaretur, qui virtute, & auctoritate longe maximus erat in Populo? De quo *Albertinus Mussatus*, qui ejus temporis res scripsit, in hanc ferme sententiam loquitur: Erat hoc tempore *Jacobi de Carraria* amplissima in Urbe Auctoritas, quam illi pepererant summa virtus, & fides domi, militiæque perspecta, & labores ab eo suscepti communis utilitatis causa, cognitaque semper in Rempublicam constans Viri benevolentia; eo namque bello, quod primum cum *Cane Grande della Scalla* gestum est, cum is privatus adhuc ageret, unus pene totius Reipublicæ molem suis humeris ferebat, omnia graviora munera pene solus obibat. Itaque tanta de illo cunctis opinio increverat, ut prospere eventura omnia crederent, quæ ille facere instituisset, ea consilia sola fore salubria, quæ suo ille sensu limasset; eratque veluti firma Urbis columna, & certum unionis, concordiæque civium vinculum, quo tempore nemini dubium erat, quin hæc Familia, & privatis opibus, & Civili amplitudine primum in Urbe locum obtineret. Sed in ea duo erant summi Viri, de quibus dubitabatur nonnunquam, uter esset, vel virtute sua, vel favoribus populi major. Unus is *Jacobus*; alter antiquus *Ubertinus*, pater *Nicolai*, cujus de rebus proximo loco dicetur. Nisi quod *Ubertino* magis privatæ Clientelæ, *Jacobo* vero publica Auctoritas potentiam dabat; utque hoc dubitabatur, ita certum id erat ratum semper fore, quod ambo communiter de Republica sensissent, & ille quidem virtute sola nitebatur, hic vero, & cura, & studio; nam & in publicis consiliis, & in privatis rebus magis factiosus, magisque solicitus habebatur, atque ideo timebatur magis, quamquam esset minime injuriarum ultor, officio malens ad benevolentiam sibi homines conciliare, quam metu subjicere, cujus rei hinc colligi argumentum potest: nam cum aliquando patrocinium amico laturus ad Prætoris venisset tribunal, causamque judicibus commendasset, diversæ partis patronus homo plebejus, & potentiæ nobilitatis infensus, quo magis clientulum suum promereretur, omissa causa, cujus de meritis lis erat, liberiore lingua in eum invectus est; ille vero per summam moderationem ei respondit; cum uterque discederet, *Jacobus* propior illi factus auri os admovit, & voce suppressa, ut nemo alius exaudire posset: *Linguam tibi*, inquit, *præcidam*. Quo ille audito, ut erat immodicæ temeritatis per summam licentiam multum, diuque in eum verbis execratus est, & abeuntem gravissimis maledictis

A insectatus. *Jacobus* vero cum primum se domum contulit, jubet frumenti quantum capere currus potest, & insuper domesticum suem ligatum ad illum deferri, suoque ei nomine donari, qui nihil reveritus pro contumelia beneficium accipere, multis gratiis munus prosecutus est, & prorsus inquit: *Linguam ille meus Dominus mihi præcidit; vere me in perpetuum contra se mutum reddidit*; atque ita in reliquum fuit & virtutum prædicator, & quantum in se erat, omnium ejus voluntatum minister. In hunc modum vir sapiens, cum nec amicum sibi virtutis merito facere posset, & ini-

B micum tollere nollet, aut damno afficere, munere servum paravit: erat enim, quod ad multitudinis favorem conciliandum est maxime efficax, liberalitate in omnes ingenti. Quamobrem, cum aliquando in ejus usum, & sua non suppeterent, & insuper æs alienum grande contraxisset, ruri per tempus habitare constituit, dum posset creditoribus satisfacere, quod brevi per tantas opes, quæ illi suberant, est assecutus. Itaque tantundem & temporis subsistere ibidem decrevit, dum super id pecuniæ summam parem corrogaret; inde vero in Urbem cum Fa-

C milia regressus habitare. Vocatis amicis, a quibus mutuatus antea fuerat, debita singulis persolvit, ac subinde tantumdem mutuo a se recipere unumquemque coëgit. Qua ratione & illis officium gessit, & sibi providit, ne eam pecuniam mature posset exhaurire; delati vero sibi Principatus, totiusque in unum conferendæ potestatis causæ fuere, ut e longinquo ordiar, bellum externum, intestinæque seditiones, tum vero maxime ingentia illius in Rempublicam merita, & amplitudo, splendorque Gentis *Carrariensis*. Cum enim inter *Paduanum* Populum, & *Veronensem*

D *Canem* Vincentiæ Urbis causa bellum gereretur, quam ille *Paduanorum* existentem occupaverat, non tantum erat ferme illinc studium Urbem illam tuendi, quantum hinc, ut ad pristinum Jus potestatemque revocaretur. Et fama quidem ita ferebat: Velle *Canem* Vincentiæ Præsidium suum deducere, quo cum *Paduanis* habere pacem posset, quam ipsi nihilominus vi se consecuturos sperantes, neglecta pacis mentione, ab improviso invadere Urbem statuunt. Itaque facto grandi ac subito apparatu omnis generis militum, noctu profecti mane ad auroram eo pervenerunt. His

E Duces erant *Ponzinus de Ponzonibus*, Cremonensis id temporis Prætor Urbanus, & *Vannes Scornezanus de Pisis* mercenariorum militum Præfectus. Inter *Paduanos* vero Proceres, quorum consiliis, auctoritateque res gerebantur, *Jacobus* erat omnium primus, quo cum pervenisset, facto insultu suburbium *S. Petri* primo impetu captum est. Ea autem ipsa die *Canis* re sibi, ut erat, nuntiata, per summam celeritatem *Vincentiam* solus venit, multis tamen longo intervallo, ut quisque maturius, seriusve rem noverat, prosequentibus.

Quo cum perveniſſet, miſit, qui res hoſtium ſpecularetur, edoctusque neglecta militari diſciplina temere eos verſari, & prædæ intentos nullam ordinum, aut cuſtodiæ curam habere: nihil moratus eſt, ſed cum ea manu, quam ibi parvam præſidii cauſa habuerat, in eos impetum facit, nihilque minus, quam hoſtes tunc metuentes, ſternit, fugatque. Capti ſunt mille, & quingenti *Paduanorum* civium, multi cæſi, inter quos *Barnabas de Macharuffis*, qui ſignifer fuerat, cecidit. *Jacobus* vero, & boni Ducis, & fortis militis officiis ubique functus, ac variis in locis, nunc hoſtium impetum ſolus ſuſtinens, nunc aciem dirigere, pugnamque inſtaurare fruſtra conatus, tandem fortiter pugnans capitur, cum emiſſi teli vulnus grave accepiſſet. Qui deductus *Vincentiam* captivus, quo non liberi modo, ſed etiam maximi animi argumentum dedit. Cum enim vulneris accepti dolore gravaretur, juſſit eum, qui ſe ceperat, ferreas ocreas tibiæ detrahere, quod ille cum non ſatis commode implere pergeret, *Jacobus* acerbitate doloris inſtinctus, gravem faciei ejus alapam incuſſit, non ſecus ac, ſi ipſe dominus, ille vero captivus eſſet, qui & auctoritate Viri deterritus, & grande inſuper redimendi ejus pretium ſibi ſperans, contumeliam tacitus tulit. Eum tamen poſt dies paucos ad *Canem* adducit, qui deductum multo in honore habuit. At victoria elatus in ſpem venerat Urbis obtinendæ, jamque animo conceperat *Paduanum* Agrum protinus invadere, & ad muros exercitum ducere. Cæterum ab Amicis deterritus eſt *Paſſavino de Bonacoſſis*, *Giberto de Corrigia*, & *Gulielmo de Caſtro Barco*, quorum Prudentiæ, fideique plurimum, ut quæque res eſſet ardua, innitebatur, aſſerentibus ita demum victoriam illi certam conſtare poſſe, ſi pacem haberet. Cœptum itaque cum *Jacobo* de pace tractari, quam ille in præſens utilem Urbi ratus, Conſilium pacis admiſit. Datis igitur quinque dierum indiciis, & obſidibus ab eo receptis, *Paduam* venit, æquas pacis conditiones afferens, quas in concione propoſuit, & hortabatur cives ad pacem, ſe quidem nihil recuſare, ſi modo bellum Patriæ aut utilius ſit, aut honeſtius in vincula redire: ita pacem amare, ut longe cariorem habeat utilitatem publicam, quam ſuam ſalutem, ſed pacem, quæ merito vel victoribus accipienda non foret, eſſe victis recuſandam. In adverſum vero *Macharuffus de Macharuffis*, & ipſe quidem *Patavinus* civis, & in Urbe potens diſſuadere pacem inſtitit, ſive quod ita judicaret non conducere publicæ cauſæ pacem iniri, ſive quod poſtea conſtitit, diverſam hinc factionem ordiri conatus; erat namque divitiis locuples, & liberorum, agnatorumque frequentia ſpectatus, maxime vero nobili nuper affinitate clarus, quod *Raynaldus*, Eſtenſis Marchio, quamdam ejus neptem matrimonio ſibi junxiſſet: cujus rei gratia plurimum accepiſſe ſibi ſplendoris arbitrabatur. Hic igitur pacem ita damnabat, ut in omni tamen Oratione Pacis Auctorem *Jacobum* ſummis laudibus efferret, ſciebat enim alterius cujusque finis gratia futurum, ut pacem populus juberet, quam, ut ille redimeretur. Ad ejus itaque liberationem omni ſtudio intendendum hortabatur; non debere neque publicis, neque privatis opibus temperari, quo minus ille, qui eſſet Patriæ ſingulare refugium, rerumque omnium gerendarum Auctor, & Dux, poteſtate hoſtium avocaretur, paratum ſe nepotes, & cum his quatuor, quos haberet, filios pro uno illo commutare; pacem vero, ut honeſtum eſſet, victores dare, ita turpe ſit victis accipere; proinde non eſſe victos, quibus ſtet adhuc animus non accipiendi. Verum pace nihil aliud agi, quam ut vi-

A ctoria, quæ hoſti incerta ſit, certa reddatur. Ex adverſo iterum *Jacobus*, quæ pro ſuadenda pace expedire arbitrabatur, gravi ac modeſta Oratione diſſeruit. Itaque in ejus ſententiam decreta pax eſt. Conditiones vero præcipuæ: *Ut relaxarentur utrinque captivi*, *& qui ad alterutram partem transfugerent*, *exularent.* Juſſa per populum pace, *Jacobus*, ut pollicitus erat, *Veronam* rediit ad eam cum *Cane* feriendam; riteque omnia tranſacta ſunt, in quibus id unum maxime *Canis* ſtuduiſſe viſus eſt, ut *Jacobum* multo honore, multaque familiaritate benevolum ſibi redderet; aſſecutum ſe non parum arbitratus, ſi hunc inter

B *Paduanos* facile omnium primum in amicitiam ſuam traxiſſet. Sunt quoque, qui tradant non modo, ac genere officiorum, illum ſibi conciliaſſe, verum etiam deſiderium ingenuiſſe Principatus, dediſſeque obtinendi ſpem, per *Gibellinos Patavos*, quorum partibus ubique *Canis* ſtudebat. Id quoniam non ſatis conſtat, aſſeverare temere non licet. Quod vero conſtat, *Jacobus* ſemper non tam ambire, quam mereri viſus eſt Principatum. Cæterum, ut ea pax fuerat pleriſque *Paduanorum* ingrata, ita tertio ſubinde anno ipſorum opera ſoluta eſt. Cujus denuo *Jacobus* auctor reconciliandæ fuit: ſolvendæ vero hinc cauſa or-

C ta eſt. Dum *Canis* Caſtellum quoddam in Agro *Brixienſi* obſidens ad exercitum moraretur, nonnulli, quibus invitis ſuperior pax convenerat, clam egerunt cum quibusdam *Vicentinis*, ut Urbem eam proderent: multa, uti mos eſt, magnaque pollicentes. Illi longe diverſo conſilio, omnia facturos ſe, ſpondent, quoque magis fidem quærerent, obſides dederunt, verum ea nihilominus *Cani* omnia revelabant; ad cujus arbitrium rebus conſtitutis *Paduani* juſſerunt *Vinciguerram*, Comitem *S. Bonifacii*, loci, atque ordinis probe edoctum cum forenſi militia noctu *Vincentiam* ire, Urbisque proditionem operiri. Sed illo *Ca-*

D *nis* quoque cum valida equitum manu ſe clam contulerat; itaque patefactis portis, dum illi ſibi aditum in Urbem ſperant, hoſtis irruens citatus incautos opprimit, fuſi omnes, atque in primis *Vinciguerra* mortifere vulneratus intra paucos dies occubuit, alii multi capti, cæſique ſunt. Hoc ſucceſſu *Canis* erectus, & ſimul fractæ pacis injuriam cauſatus, per eos *Paduanorum*, qui apud ſe exulabant, clam egit cum oppidanis *Montem Scilicis* ſuæ ditioni vindicare. Itaque re tranſacta noctu veniens per conſcios conjurationis intromiſſus eſt, ac paucis ſubinde diebus Oppidi Arcem per deditionem obtinuit. *Eſtenſem* Villam, mu-

E nitam quidem, vi cepit, eamque prorſus delevit. *Montagnana* metu dedita eſt. Inde vero in Plebatum exercitum duxit, Agroque vaſtato ad Pontem *S. Nicolai* caſtra poſuit. Eo loci ſub mediatoribus *Venetis* actum eſt de pace, hæque conditiones offerebantur: *Ut quæ oppida*, *municipiave Canis hoc bello ceperat*, *& vivens teneret*, *utque exules Paduani privatim quisque in propria jura*, *quæ poſſederant*, *& item ad honorum civilium*, *& Reipublicæ participationem admitterentur.* Quæ cum eſſent *Paduæ* in Concione relatæ, *Jacobus* accipiendas ſuaſit. *Macharuffus* negabat, plurimam ex hoc *Carrarienſibus* invidiam parare ſtudens, quod *Gibelli-*

F *nos* hoſtes Reipublicæ inducere curarent, & conſtitutam rite civilitatem evertere; ſed nihilominus *Jacobi* ſententia ab Univerſo ferme Concilio eſt comprobata. Itaque *Macharuffus* per ſuos complices excivit in Urbe tumultum, quo *Henrici de Serovegniis*, & *Beltarii*, qui de pace retulerant domus diruptæ ſunt; *Jacobo* quoque vim attuliſſent, niſi, quod erat multo, magnoque comitatu latera ſtipatus. Sedato demum tumultu *Jacobus* nocte proxima ad *Canem* profectus eſt, pacemque

cemque cum eo publico nomine, uti mandatum, acceperat, firmavit. Itaque non multo poſt recepti ſunt in Urbem exules, & in eos officia, honoreſque publici pro modo reliquorum civium collati, quorum adventum metuens *Macharuſſus* ſponte ſe *Ferrariam* contulit. Qui vero recepti erant, exilii multarum injuriarum memores ad vindictam ſe comparant, reque inter ſe conſtituta ſeditionem in Urbe movent, in qua diverſæ partis pleriquc cæſi ſunt, domuſque nonnullæ diruptæ. De *Macharuſis* omnes, quicunque intercepti non ſunt, Urbe profugerunt: ex aliis quoque Familiis non ſane multi, ſed qui maxime his, qui exulaverant, infenſi erant. Itaque cum diverſæ jam partes in Urbe eſſent pari pene potentia, nec ſatis alteri altera fidem haberet, viſum eſt oportere Rempublicam uni committi, qui communi ſaluti per ſe conſuleret, nec poſſe apud quemquam collocari dignius Urbis Imperium, quam apud *Jacobum de Carraria*, qui longe omnibus & virtute, & meritis in Rempublicam ſtudiis antecelleret, tum vero etiam utraque partium facile ſe illi credere auſa eſt: *Guelfi*, quia ſuæ partis haberetur, *Gibellini* vero, quia per eum fuerant in Urbem revocati: etſi enim *Guelforum* Dux, caputque crederetur, ejus tamen ſemper ſtudium fuit unire invicem benevolentia cives; utque & domi, & foris pax haberetur cunctis viribus adniti. Menſe igitur Julio ad ſeptimam deſituro advocata Populi Concione de communi omnium ſententia, & voluntate *Jacobo* delatus eſt Principatus, omniſque & poteſtas, & auctoritas publica in eum unum collata eſt. Atque ex ea die Urbem, & cunctum populum, agrumque univerſum ſub ſua cura, & protectione ſuſcepit. Cujus rei gratia die prima Auguſti Menſis proximi ingens in Urbe celebritas acta eſt. Paucis ſubinde menſibus convenere ſimul *Jacobus*, & *Canis* in Villa *Montis Galdæ* de communibus rebus, diverſo tamen conſilio locuturi, quæ profectio ex veteribus odiis ingrata populo fuit. Cæterum vir prudens, non quid vulgo placeret, ſed quod utilitati publicæ conduceret, advertebat. Summa igitur vi, atque omni ſtudio curabat, ut quæ inita pax fuerat, ſervaretur. Ille vero id unum intuebatur, quibus artibus, quibuſque modis *Patavii* ditione potiri ſibi daretur, non parvum gradum ad id jam factum arbitratus, quod quæ erat prius communis Reſpublica, nunc in unius arbitrium, poteſtatemque deveniſſet. Quamobrem inter cætera ab *Jacobo* inſtitit petere, ut, qui aut ſponte profugiſſent, aut proxima ſeditione pulſi ex Urbe fugerant, hoſtes judicarentur, publicarenturque eorum bona. Hoc ſane conſilio, uti per eos ad ſe vocatos facilius dominium Urbis conſequeretur, reſtituendiſque in Urbem exulibus, honeſtiori titulo bellum inferret. Cujus propoſiti mens cum *Jacobum* non latuiſſet, impetrare, quod petebat, minime valuit. Interveniſſe eo loci impetrare tale quidam primo congreſſu memorant, cum enim invicem ſalutatis introëundum anguſto quodam aditu foret, qui non ſimul ambos caperet, neuter prægredi volebat, cumque jactatis utrinque multis in hoc ſermonibus non videretur facile honeſta contentio finem habitura, Hiſtrio, qui aderat, ſublata voce: *prægrediatur*, inquit, *qui ſtultior eſt*, tunc ſubito uterque præire tetendit. Verum prævenit *Jacobus*, & qui præ modeſtia ire recuſabat, præ modeſtia primus inſiluit. Cæterum, ut *Venetorum* favorem ſibi conciliaret, Prætorem ex *Venetiis* advocavit *Marcum Gradonico*, ex quo genere uxorem antea jam duxerat, filiam olim *Peratii*, Venetorum Ducis, quæ ſe poſt mortem Patris negaverat, cujuſque nuptias paſſuram, niſi apud quem eo honore haberi

A poſſet, quo apud defunctum Patrem habita fuerat. Ex hac principatus ſui tempore filium ſuſcepit, quem *Milonem Henricum* appellavit, ſed is ſemeſtri tantum vixit. *Canis* vero conſilia cum plane intelligeret, tamen diſſimulabat, eique per plurimam indulgentiam obſequebatur. Itaque cum & illi cauſæ nullæ ſubeſſent honeſtæ, quibus pacem ſolveret, & hic ſedulo ſemper quæreret, unde ſtare pax poſſet, ut quem officio fovebat, interventu quoque majoris neceſſitudinis peramplius ſibi aſtringeret, natam ſuam *Tadeam*, nondum tamen viro maturam *Maſtino*, Canis Nepoti, ex *Alboyno* Fratre deſpondit. Sub hæc *Macharuſſus*

B invidia traditi *Jacobo* Principatus *Cani* adhæſit, cui ſemper odio acerrimo infenſus fuerat, & quotquot ex *Guelfis* potuit, in ejus partes adduxit. Ex *Gibellinis* vero, qui dudum in initio fuerant ob amiſſionem *Vincentiæ* relegati, multi ſponte ab Urbe diſceſſerunt, conſpicati magnarum motionum initia; & cum quidam ex eis adverſus Principem conſpiraſſent, omnes ferme alii metu, alii per *Canem* evocati ad eum profugerunt. Itaque omnia rite ſibi conſtare *Canis* arbitratus ad Urbem occupandam, quippe hinc *Raynaldum*, *Opizonemque*, Marchiones *Eſtenſes*, interventu *Macharuſſi* ſocios atque fautores habebat; inde *Tarviſinos*, a quibus extorſerat, ne auxiliares *Jaco-*

C *bo* fierent; ſecum vero *Paduanos* profugos: pacem infringere quærens, ſcripſit ad *Jacobum* Epiſtolam, qua petebat ex eo, uti amicos ſuos, quos Urbe expulerat, aut qui ipſi metu profugiſſent, in Urbem reſtitueret, quod ſi minus præſtitiſſet, non neglecturum ſe amicorum conſulere calamitatibus. *Jacobus* etſi plane intelligeret, quid hæc ſibi vellent poſtulata, diſſimulavit tamen, & per legatos reſpondit, ſibi quidem id admodum placere, cum is maxime peteret, cui nihil negatum vellet, redeant igitur bona gratia. *Canis* cum Ironiam ſuam deprehendi ſatis intelligeret, amiſ-

D ſa ſimulatione, palam agere inſtituit. Itaque indicto bello protinus in *Montem Scilicis* exercitum collegit, inde vero quinta poſt die ad Urbem duxit, juxtaque portas ad ſuburbium *S. Crucis* caſtrametatus eſt, edita prius fama, quod Urbem vellet ad popularem ſtatum, priſtinamque libertatem redigere, & amicos ſuos injuria pulſos reſtituere. Ibi ligneum Caſtellum in loco, qui dicitur *Baſſanellus*, validiſſimum exſtruxit, & aquam, quæ in Urbem decurrebat, ex ea parte divertit, unde ſolito molendi uſu carere Urbs cœpit, & ad piſtrinorum ſubſidium recurrere coacta eſt. Interea *Eſtenſes* Marchiones, ut antea

E conſtituerant, *Pollicinium Rhodigii*, quod ſub ditione *Paduanorum* erat, armati invaſerunt, idque quod facile factu fuit, indefenſum celeriter ſuæ ditioni adjudicarunt. *Jacobus* undique auxilia ab amicis requirit, *Florentinorum* imprimis, qui *Guelfum* nomen tuebantur, quique earum partium acerrimi fautores erant, per ſolemnem legationem fidem implorat; cum *Henrico* vero *Goritiæ* Comite, qui *Tarviſii* dominabatur, clam tentavit *Baſſanum*, *Cittadellamque* ei dare, & ſuper hæc grandem pecuniæ ſummam, ut inita ſecum ſocietate, Urbem & in præſens obſidione liberaret, & in futurum auxiliis tueretur, nam antea

F *Tarviſini* bello cum a *Cane* premerentur, huic Urbem ſubdiderant. Ille vero ſagax *Cani* hæc, quæ *Jacobus* offerret, peteretque, indicavit, quod ne faceret, Caſtra quædam *Tarviſini* agri a ſe recipere juſſus eſt, quæ is antea bello occupaverat, pactoque convenit, ut etiam ipſe bellum adverſus *Paduam* gereret, quo metu *Jacobus*, cum inde bellum eſſet ei denunciatum villas omnes, quæ ad illam regionem ſpectabant, igne conſumpſit, ne commorandi in his locis hoſtibus facultas eſſet.

Inter

Inter hæc *Venetorum* Legati, qui pacis interponendæ gratia *Canem* adierant, hæc ab eo retulerunt: *Posse Paduanos pacem habere, si Jacobus cedat Principatu, mercenarii milites Urbe emittantur, restituanturque in integrum, qui foris sunt Paduanorum.* His conditionibus, etsi plane constaret, nihil aliud expeti, quam ut Urbs sibi traderetur, quippe amoto Duce, exactisque defensoribus, inductis vero, qui pro illo depugnarent, quid aliud supererat, nisi ut jugum admitteretur? *Jacobus* tamen, ne sua causa bellum geri, vel dominationem tueri potius, quam publicam salutem videretur, liberum de ea re judicium populo permisit, cujus cum rogatio promulgata esset, a toto Concilio rejecta est; nihilominus tamen apud eosdem Legatos institit, ut ad *Canem* reverterentur, si quo forsitan pacto in æquas pacis conditiones dare animum vellet. At illi multo iniquiores, quam primæ ab eo retulerunt. Igitur cum *Henrico*, Goritiæ Comite, clam convenit, quando non erat spes jam reliqua, Urbem ei dare, quam ille *Friderici de Austria* nomine, qui sibi *Romani* Imperatoris titulos, juraque recipere vindicabat, occuparet, eamque obsidione liberaret, utque castra, ac municipia, quæ *Canis* occupaverat ex agro *Paduano*, in pristinam ditionem redigeret. Hæc ille omnia facile promisit, quæ ut exsequi facilius posset, quemdam ex suis, quem cum centum galeatis equitibus in auxilium obsidionis ad *Canem* miserat, de re commonuit, ac jussit, ut cum rubrum vexillum in muris Urbis vidisset, egredientemque ad pugnam *Paduanum* Populum, nihil vereretur, & ipse cum suis in aciem ex adverso prodiret, ac si tum forte *Canis*, qui mox ei erat, in hostes primus incurrisset, captum eum in Urbem duceret, hæc enim illi omnia cum *Jacobo* convenerant, & verisimilia factu videbantur. Namque erat *Canis* audax, intrepidus, manu promptus, negligens periculorum, patiens laboris, & qui semper ineundi certaminis primam sibi laudem expeteret. Ut igitur constitutum erat, *Jacobus* die definita armari Populum jussit, signoque de mœnibus prolato, acies in Urbe compositas eduxit. *Canis*, ut ea vidit, sive suspicatus subesse aliquid fraudis, sive, quod verisimillimum est, edoctus ad *Uguzionem de Fagiola*, qui juxta aderat; *Id signum*, inquit, *quod in muris video, cavere me proditionem admonet*, itaque suos a pugna continuit, Comitis vero milites, qui secum erant, equis, armisque spoliatos excedere castris jussit, quosdam vero ex eis in compedibus asservari mandavit, eaque ipsa die *Cittadellam*, quam exercitus sui pars obsederat, ab incolis sibi deditam habuit. *Jacobus*, cum id, quod speraverat, minime successisset, acies in Urbem reduxit. Inde omnes *Paduanos*, qui ad *Canem* confugissent, cum filiis, ac descendentibus in tertium gradum, hostes judicari, eorumque bona publicari curavit. Postea vero, & domus quoque eorum deletæ sunt, nec id tam acerbitate damnationis, quam quod illi majorum quorumdam, qui Urbem tuebantur, domos, turresque ruri constructas diruerant. Ausus est ad hæc ferme tempora *Canis* plurimos exulum per noctem Urbi immittere, qui suæ temeritatis pœnas ipsa nocte luere coacti sunt. Ea res late explicabitur, cum *Nicolai de Carraria*, cujus id fuit pulcherrimum facinus, historiam texemus; sub hæc *Ulricus de Valze*, Capitaneus *Stiriæ*, a *Federico* destinatus, ut Urbi consuleret, de pace egit cum *Cane*, conveneruntque in certum tempus induciæ his conditionibus: *ut Ulricus dominium Urbis Imperatorio nomine susciperet*, quod Jacobus resignare paratus erat, *utque mitterentur utriusque partis Legati, & quod Federicus cum Henrico fratre, qui Dux erat Carinthiæ, & Rex Bohemiæ appella-*

A *batur, decrevissent de Urbe Paduæ, civibus, exulibusve, ratum id esset.* Pro quo indictus est *Bolzani* conventus in medium proximæ quadragesimæ. Placuit etiam, ut pro danda *Paduanis Cittadella Bassanum Canis* acciperet. Itaque uti conventum erat, *Jacobus* in plena concione die quinta Januarii Principatu se abdicavit, *Ulricoque* eo nomine, quo convenerant, claves Urbis in signum conferendæ in eum publicæ potestatis tradidit, quas ille tamen, cum post paucos dies Urbe decederet, ei remisit. Anno uno, & mensibus tribus, vel secundum alios, quinque, Principatum tenuit, ac nihilominus post eum depositum tanta B erat auctoritate, ut solum Principis nomen in eo desideraretur: qui quidem, non ut homo honorem hunc, ita & onus quoque deposuit, sed in omnibus rebus gerendis, in quibus versaretur utilitas publica, primus erat, & consulendi studio, & exequendi sedulitate. Itaque nunquam Urbem protectione sua destituit, verum quo magis necessitas tulerat, eo magis advigilabat: cum enim conventus, qui apud *Bolzanum* fieri decretus erat, in ulteriorem diem gravioribus intervenientibus, quæ summam Imperii contingebant, esset prorogatus, quo tempore inter *Ludovicum Bavarum*, & *Federicum de Austria* certabatur de C titulo, jureque *Romani* Principatus, *Canis* stare longioribus induciis noluit, ac denuo Urbem cœpit oppugnare; itaque duabus prope continuis victoriis, una debilitatus, altera fractus est. A Castello namque, quod ad *Bassanellum* exstruxerat, longissimo tractu ad *Græcorum* Pontem foveam duxit, ne qua ex parte exitus Urbi foret in Plebatum, neu alimenta inferri ex agro possent. Hanc *Patavini* cives, cum ante Portam *Pontis Curvi* æquare vellent, hostes incurrentes prohibebant: erat enim in ejus exercitu vis magna *Gallorum* equitum, qui Urbem obsidebant magis, quam oppugnarent: itaque inita utrinque acriter D pugna, *Paduani* superiores evaserunt, multi ex hostibus cæsi, captique sunt, inter quos *Simon Philippus*, qui in Castris pro Prætore erat, captivus in Urbem ductus est. Post quoque non multo adveniente *Ulrico*, & *Henrico*, Goritiæ Comite cum auxiliis octingentorum equitum galeatorum, *Jacobus* cum Populo militiaque *Paduana* in aciem prodierunt, commissaque pugna exercitus hostium fusus est, multique capti, *Canis* ipse solus fugiens, cum equum pugna, cursuque fatigatum calcaribus impellere non posset, agrestis cujusdam, qui frumenta ad molendum detulerat jumento elapsus est, ne ab insequentibus se hosti- E bus comprehenderetur. Castellum, quod illic pene inexpugnabile exstruxerat, sine vi captum est; aqua, quam diverterat disjectis molibus, quæ iter obstruxerant per pristinum alveum labi in Urbem cœpit. *Macharuffus* in ea pugna comprehensus est. Hunc *Jacobus*, cujus acerrimus hostis extiterat, sibi oblatum indignum duxit, cui manus injiceret, sed *Marsilius de Carraria*, qui aderat, & juvenis, & offensus temperare sibi non potuit, quin illum in Patrui ultionem gladio feriret. Inde subsecuti sunt *Tartarus de Zendenaria*, & cæteri amicorum, qui tunc forte aderant, multis illum vulneribus confoderunt; plurimi quoque aliorum F *Paduanorum* exulum, qui *Cani* quamvis ratione adhæserant cum in pugna, tum maxime in fuga cæsi sunt. Erat enim promiscuum genus hoc belli, nec satis certis partium nominibus cognitum. Nam neque inter *Guelfos*, *Gibellinosque* gerebatur, ut antea, neque quod aliquando inter nobilitatem, & plebem. Erant enim utrinque earumdem factionum, partiumque studiosi, & ex utraque acie plebeji, nobilesque steterunt. Immo vero ex eadem gente, atque ex una domo, ut

erat

erat odium ex variis causis aut inter se, aut ad alios natum. Hic quidem Urbem tuebatur, ille vero oppugnabat: & cum Civitas gravi, diuturnoque bello jamdudum pene desolata videretur; tamen hæ Familiæ steterant, & Urbem adversus *Canem*, exulesque defendebant. Imprimis *Jacobus*, & qui erat ex *Carrariensi* Familia, *Philippus* cum omnibus *de Peraga*, *de Capitibus Vaccæ*, *de Zachis*, *de Cortusiis*, *de Sanguinaciis*, *de Vico Ageris*, *de Pola Frisana*, *de Mursis*, *de Mussatis*, *de Pedeligno*, *Tartarus de Sendenaria*, *& Guilelmus Dente de Linzetis*. Ex adverso vero plerique ex claris, nobilibusque Familiis constiterant, & plebeji insuper plurimi. Primo loco *Nicolaus de Lozo*, illi *de Castronovo* dicti *de Maltraversis*, *Martius*, & *Jordanes de Forzate*, *Gaboardus de Serovignis*: nam *Raynaldus* cum ad *Jacobi* mandata venisset, a *Nicolao de Carraria* occisus est: *Macharuffus* cum omnibus ex eadem Familia; omnes *de Lesmanis*, *Conradus de Vigontia*, nonnullique alii ex eodem genere *de Terra Dura*, *de Tempo*, *de Vitalianis*, *de Calligine*, *de Capitibus Listæ*, *de Carturo*, *de Villa Comitis*, *de Sancto Vito*, *de Rubeis*, *de Flabianis*, *de Ronchis*, *de Altichinis*, *de Henselminis*, *de Capite Nigro*, *de Burdigine*, *de Parthenopeo*, *de Hungarellis*, *de Terra Arsa*, *de Malfattis*, *de Montagnone*, unus quoque ex *Alvarottis Gregorius*, *Odoricus*, & *Bonifacius de Pajana*, quibus postremis tribus, *Canis* perplurimum fidei habebat. Hanc victoriam proxime secuta est pax. Postea vero, & multi exules vario tempore ex consensu partium in Urbem sunt restituti: *Jacobus* autem quadriennio postquam defunctus erat Principatum, jam senex moritur gravioris vi morbi pressus. Æger palam omnibus adeundum se præbuit, ac si quis, quæri de se vellet, omnes admitti jussit, & rerum quascunque in Principatu gesserat, quæ minus forsitan rectæ A visæ fuissent fieri, rationem reddidit, sciens solere plerumque vita defunctos nullo suo merito apud superstites maledictis lacerari. Cumque cæteri summe omnia probarent, optimisque rationibus facta dicerent, quæcunque ille gessisset: unus tamen eorum, qui tunc forte aderant, non est veritus restitutionem petere, a quo ob remissam capitis damnationem fuerat accepta pecunia. Ad quem Jacobus: *Prorsus*, inquit, *est a me peccatum, si enim fuisset in te justitia reddita, non jam quod injuste facis, queri de me posses, nec ullus esset querelæ nunc locus; ex maleficio namque capitalis pœnæ* B *reus agebaris, convictoque jam, & confesso damnatio capitis imminebat, ea est in pecuniariam commutata, non tua, sed Reipublicæ gratia: sed abi, & incipe jam bonus civis esse, qui malus vir fueris. Ego enim nihil mihi sum de te conscius, nisi quod mitius quam demeritum tuum erat, punitus es.* Suos vero *Carrarienses*, qui ad eum crebro per tempus morbi venerant, ut antea sæpe multa monuerat, quæ vel sequerentur, vel fugerent, tum vero maxime concordiam inter se ut servarent, supremo spiritu monuit. *Marsilio* natus est Patre, ille vero ex *Jacobo*, *Jacobus* vero ex *Jacobino*, quem po- C stremum quinque filiorum *Jacobini* Patris, initio operis dictum est; statura fuit mediocri, benignoque erat aspectu, ut humano more murum Civitati, cum principatum gereret, ab Templo *S. Antonii* ad Portam *Prati Vallis* ducere inchoavit. Suburbia vero, uti tunc erant, vallo munita in plerisque locis renovavit: testamento suo hæredem instituit *Marsilium de Carraria*, fratris filium, eique legitimas filias, & naturales filios commendavit. Obiit autem vigesima secunda Novembris, anno millesimo tercentesimo vigesimo quarto, & bello, & pace Urbi utilis cum Prin- D ceps, tum privatus.

PETRI PAULI VERGERII,
Justinopolitani,
DE
NICOLAO DE CARRARIA,
QUI NON URBEM, SED OMNE SUBURBANUM IN SUA POTESTATE TENUIT,
HISTORIA.

Nicolaus de Carraria, ejus *Ubertini* filius, qui *Jacobum Grandem* & virtute, & potentia, ut diximus, facile æquabat, magno Vir animo fuit, & acerrimo ingenio, ut qui contumelias minime pati, & pro potentia, atque amplitudine quidvis audere posset. Hic inter Principes secundus annumeratur, non quod Principatum Urbis unquam obtinuerit, ad quod tamen multum, diuque visus est aspirare; sed quod in dissensione civili *Paduanum* agrum universum pene possedit, omnesque vici suburbani, & quæcunque foris muros erant, illi ut Domino parebant. Cujus res, ut ordine historia constet, paulo altius repetendæ sunt. Sub initium ferme belli, quod primum cum *Cane della Scalla* gestum est, duo erant in Urbe viri plebeji magnis opibus, magnaque potentia: *Petrus de Altichinis* E Jurisperitus, Oratorque causarum, & *Ronchus de Algolantibus*, qui nothus quidem filius, sed unicus hæres Patri, amplissimas opes haberet fœnore quæsitas. Callidi ambo, & factiosi homines, & in idem sentientes, qui se factionis *Guelfæ* Patres, defensoresque dictitabant, eoque nomine usurpaverant universam Rempublicam, ut nemini jam liceret Magistratum quempiam, aut ullum honorem, nisi per eos, consequi. Ipsi sibi primas dignitates demandabant, cæteros, ut quisque aut supplex erat, aut pretium dederat, minora officia habere patiebantur: hisque muneribus officiorum F alliciebant sibi plebeculam; magnates, atque omnem nobilitatem contemnebant, clam & inter plebejos calumniabantur, interdum non posse, neque debere liberam civitatem horum, qui progenitoribus gloriarentur, insolentias pati, one-

ri eos esse communibus commodis, atque etiam imminere periculosos publicæ libertati. Quas res, cum cætera quidem nobilitas, etsi moleste ferret, præterea tamen nihil attentaverat; *Jacobus* vero, & *Ubertinus de Carraria*, qui primi erant, & potentia inter Nobiles, & auctoritate in Populo, hæc dissimulabant, ne cui forsitan Urbem per externum bellum discrimini subjicerent: *Nicolaus*, de quo hic agimus, & *Opizo Papafava* nequaquam id sibi negligendum æstimaverunt. Accitis itaque plerisque sodalium ex primis familiis juvenum, consilium ineunt tollendi hos de Republica, atque etiam de vita, si possint; idque inter se constituunt, si qua rei gerendæ offeratur occasio, non abnuere, non oblatam vero sedulo quærere, quamquam in illos crebro per suorum scelera patere occasio posset. Erant enim utrique eorum filii omnis impietatis, ac scelerum genere contaminati. *Petro* quidem tres, quorum qui major erat natu, ob Ecclesiasticam prælaturam, quam fuerat primis annis per Patris simoniam assecutus, & tunc Prior appellabatur, alter *Fraxa*, tertius *Pace*, qui, ut erat minimus omnium, ita flagitiis cæteros superabat: fama enim hunc ferebat, super cætera, quæ & multa gravia commiserat, id quoque, non modo dictu, sed & cogitatu horrendum, atque abominabile fecisse, uxorem propriam, de qua ne suspicio quidem ulla sinistra erat, necasse, aperuisse ejus ventrem, & ex se conceptum fœtum abjecisse, ut meretriculæ complaceret, cujus amore tenebatur, eique cor, nasum, ac genitale membrum infelicis uxoris in cratere dono misisse. Cæteri autem ita erant probe instituti, ut nullum admitti posset tam atrox, aut grande facinus, quod non illi exiguum, ac facile sibi factu judicarent. Ex consuetudine namque erat jam illis peccare summa voluptas, & ex impunitate scelerum crescebat magis in dies audacia. *Roncho* vero duo erant filii; *Guercius* primus confidens animi & corporis viribus robustus: quibus rebus, opibusque paternis fretus, nobilitatem quidem aspernabatur, cæteros vero sibi metu subjiciebat. Hic crebro cum scelera suorum complicum manu, aut falsis criminationibus calumniabatur agrestes, quo pecuniam ab his extorqueret, aut eos exagitabat minis, verberibusque cæsos fugabat, si nihil obtinere potuisset. Alter *Vivianus* æque facinorosus, ac nemini quidem sceleстissimorum hominum aut audendi temeritate, aut exequendi promptitudine inferior, qui ab homicidio sacerdotis bonis auspiciis sua maleficia exorsus, nihil sibi sceleris intactum, aut inexpertum reliquerat, furta, fraudes, adulteria, stupra, quæ apud alios gravia videri solent, nihil apud eos æstimabantur, cædes, nonnisi per summam crudelitatem placebant, rapinæ nonnisi per gravissima extortæ tormenta. Igitur ut iis voluptas erat summa peccandi, ita parentum studium omne in id versabatur, ut eorum peccata & aperta tegerent, & operta dissimularent; quæ tamen necesse fuit, cum ad summam ventum est, tandem expiari. Hinc orta occasione, studio, atque opera *Guercii*, & quorumdam ejus factionis *Dinus de Rubeis*, Ariminensis civis, tunc forte Prætor *Paduanus*, adhibitis in Consilium ex unoquoque Urbis quadrante quinque Viris dici sententiam rogavit, quidnam faciendum videretur, salvando statu civitatis, qui & bello suscepto, & intestinis seditionibus maxime tunc nutare videbatur. *Petrus de Altichinis* unus ex eo numero sententiam dixit, eaque ab *Antianis* decreta est, ut duodecim cives *Gibellinæ* factionis Urbe pellerentur, edixitque eos nominatim; ita fore, ut tuta, tranquillaque omnia essent. Inter eos autem, qui cedere videbantur, erant nonnulli *Nicolai*,

A *Opizonisque* cognati, & quorumdam eorum sodalium, qui decretum hoc ægre ferebant, non secus ac si in eos ipsos latum esset; sed neque ex eo parum movebantur, quod illi, quibuscum totis animis diffidebant, fuissent odiosæ hujus causæ repertores. Cum enim pensamus injuriam, plerumque magis auctore rei, quam re ipsa offendimur. Et sane moverat ea res bonos omnes, quod in tam ancipiti rerum statu de industria acuerentur ab iis partium studia, & de amplitudine cives contenderent, quoniam de libertate Civitatis pene periclitaretur. Itaque *Jacobus Grandis*, & *Ubertinus* senior cupientes, quod ab iis temere innovatum erat, prudenter emendare, instituerunt
B precibus apud Prætorem, atque *Antianos*, ut id decretum, quod & iniquum, & periculosum esset, revocaretur: sed apud rigidos, pertinacesque Magistratus parum valuerunt, aut justæ preces, aut precantium insignis auctoritas, quominus velle perseverarent, exequi. *Nicolaus* vero, & *Opizo*, quibus erat animus, & ex ætate fervens, & ex contumelia incensus, alia via agere instituerunt, itaque rem aggrediuntur, ut ausu quidem non facilem, ita ancipitis, ac periculosi exitus. Multam enim agrestium manum rure evocant, eosque per amicorum domos opportune dis-
C ponunt, ut si necessitas desideret, celeriter ferre auxilium possint. Inde vero ipsi mane *Petrum* cum Filiis in Prætorium venientem ferro aggrediuntur aperto loco, atque in publica platea, quo loci vulgo frumenta venduntur, ictumque gravem capiti ejus *Opizo* primus inflixit, quem ille, ut excepit, equum prævertens, cui insederat, domum contendit currere; insequentibus nihilominus his, qui non tam vulnerare, quam occidere illum conceperant, sed equi velocis auxilio in præsentia mortem effugit. Illi vero, ut is evasit, protinus magnis vocibus clamare cœperunt: *Vivat Populus*, quod frequenti clamore cum itera-
D rent, intra brevis horæ spatium Urbs tota commota est; atque ex omni parte ad arma decurritur. *Dinus* Prætor cum armata sua Familia, Pacisque vexillis in Plateam se primus contulit, quæ protinus equitum, ac peditum concursu undique irrumpentium completa est, nec quicquam præterea exaudiebatur, nisi ea vox, quæ prima erat edita: *Vivat Populus*. Demum vero cum nihil jam videretur aut adesse cladis, aut imminere periculi, sed is tumultus, quasi temere, nulloque auctore excitus; edicit Prætor, ut cedat unusquisque publicis locis, atque in domos suas pacati redeant. Initio trepidatum est ad exitus via-
E rum, cum supervenientibus assidue novis civibus, nemo sibi tutum putaret, aut honori cedere, ut primus exiret. Tandem Quarterium Pontis Molendinorum sub suis signis, suisque ducibus primi abierunt; post eos Quarterium Domi. Reliqui vero duo Quadrantes simulato discessu, cum parumper progressi essent, protinus redeunt, plateamque soli occupant. His adhæsere *Carrarienses*, qui tumultum moverant, nam & inter eos portione Urbis annumerabantur. Quo factum est, ut petentibus his vexillum Populi in manibus *Opizonis* sisteretur. Ille vero ut id apprehendit, sublata voce clamare cœpit: *Vivat Populus*, ac de-
F inde protinus subjecit: *& moriantur proditores*, nullaque mora facta infestus ad domum *Petri* multitudine prosequente contendit. Ingressa Plebs, ut est semper prædæ, novarumque rerum avida, omnem protinus substantiam diripuit, & quæ multis ille annis multorum damnis congesserat, brevis sustulit horæ momentum. Aperiuntur cellæ, recluduntur horrea, penetralia quæque panduntur. Hic vero patuerunt miseræ, atque abominabiles cædes, quas in eam diem nefandi parietes

rietes occuluerant: eratque ibi videre nova, atque inaudita tormentorum genera, & in modum sepulchrorum confectos carceres, ubi virorum pariter, ac fœminarum corpora inhumata jacebant, alia quidem vetustate jam consumpta, alia vero recenti tabe putrescentia, tetro odore omnia, specieque miseranda, nam nonnulli fame, plerique per vulnera, duraque tormenta extincti videbantur. Ex his quidem nondum detracti erant compedes; alii vero immisso faucibus ligno, ne quid loqui possent, & tunc aperto ore cernebantur hiantes. Quæ ut vulgi oculis subjecta, primum in hos pietas; inde vero in Auctores justa indignatio exorta est, unumque illum ad supplicium cum scelerata familia deposcebant; qui tamen nusquam per eum diem repertus est, isque totus inter tumultum, & eas solitas voces exactus est. Adjectum est & illud famæ, publiceque ferebatur, locasse eum vicinam domum truculentissimo hospiti, qui trucidatis noctu advenis, infandam hanc familiam cæsorum spoliis locupletaret; accedentibus vero tenebris, metus, & qui ab hoste imminebat, & qui ex seditione suberat, omnis continuit, estque per noctem & vi, & vocibus temperatum, at ne quid detrimenti Respublica forte caperet, magna Populi pars in publico pernoctavit. Mane vero *Nicolaus*, & *Opizo* cum his, qui se plurimi sequebantur, cum ex Urbana, ac Rustica Plebe, tum ex omni Nobilitate homines plateas egrediuntur, solitasque voces iterantes ad domum *Ronchi* decurrunt, ille vero superiore die audito tumultu, ejusque tumultus auctoribus, quos se offendisse meminerat, vitæ timens in vicinam domum se clam contulerat, rerum hinc exitum opperiri volens. Is autem, penes quem latebat, cum audisset a Populo illum exposci, metuens, ne forsitan aliunde emanaret indicium, index per se fuit, eumque Populo tradidit, qui protinus multis vulneribus confossus, uncoque pertractus in conspectu Populi vitam miserabiliter finivit, subindeque ejus domus universa dirupta est. Tum vulgus in prædam totum vertitur, nulloque discrimine, quo se ferret voluntas, eo decurrebat. Itum est primum in quorumdam domos, qui *Petri*, *Ronchique* amici fama ferebantur: inde vero, ut temere forte alium alius nominasset, ejus fortunæ aut prædæ, aut certe periculo suberant. Nam agrestis quidem multitudo, quæ plurima in Urbem hujus rei gratia aut evocata erat, aut sponte confluxerat, plebsque inops civium, qui cum pauca possent amittere, rapere multa cupiebant, contineri non poterat, ne passim ad prædam Urbe tota vagaretur. Itaque tametsi Prætor, & edictis, & militari manu prohibere ea vellet, frustra tamen nitebatur in tanta multitudine armatorum, quæ pene superabat decem millium numerum. Opportune igitur diversis in locis intervenere *Nicolaus*, & *Opizo*, qui multis verbis, ac minis instantes pronum in prædam vulgus abstinuerunt. Inter hæc *Guercius*, Ronchi filius, veste rusticana contectus, ut ea occultus populum falleret, ab Episcopatu, quo declinaverat, fugam parabat. Cumque cursu equo prætervectus ab Amicis *Carrariensium* cognitus est: fugientem illum insecuti *Franciscus de Capitibus Vaccæ*, & *Joannes Franciscus de Galmarellis* eum interemere, atque in plateam pertractum patris cadaveri junxere. Ita & hic quoque dies totus per tumultum exactus est: timentibus magnopere viris bonis, ne aut inter hæc hostis admoveret Urbi exercitum, aut per noctem vulgus rapinæ avidum sine discretione divitum domos diripiat; interimatque resistentes, aut aliquo de casu, dolove incendium excitetur. Quæ quidem ad intestinum periculum attinebant,

A forsitan evenissent, si non sano consilio ex communi omnium consensu ejus noctis custodia *Carrariensibus* esset demandata. Quorum ut erat auctoritas semper magna, ita etiam maxime ubique per Urbem exaudiebantur jussa, & invocabatur eorum nomen. Edixerunt igitur ante omnia, ut in platea furca erigeretur, in qua uno suspenso, & quibusdam aliis parte membrorum mutilatis, multitudo deterrita est. Postera vero die Populus, ut per vicinias, aut agnationes, clientelasve coierant, ita catervatim in plateas armati conveniunt, nec ferebatur res alia, quam quæ vivere populum, proditores vero mori jubebat. Prima autem tumultus die, quum *Petrus* cum filiis
B vivus, saucius tamen, evasisset, domum quamdam ingressus, per juncta ædificia in Episcopatum clam confugerat. Id cognitum, causam præbuit ejus inimicis, ut assidui Episcopatum observarent, ne qua ille elabi posset: nitebatur enim Episcopus *Paganus de Turre*, qui tunc præerat, pietate magis motus, quam eorum meritis, in tutum illos reponere. Quamobrem fit illuc Populi concursus obnixe petentis, ut aut illos tradat, aut arripi ad supplicium sinat. Repugnabat pro viribus Episcopus, seque sponte passurum negabat, ut fides, domusve sua violaretur. Tan-
C dem convenit, ut *Opizo* cum paucis *Petrum* adiret, quod consensu ejus fiat, ratum se habiturum, cæterum vis ne esset. Ingressus *Opizo*, quanam ratione incertum est: post multa, illis persuasit, ut sese ei permitterent, constituitque sub crepusculum eos educere, inde vero ad multitudinem, quæ præstolabatur, aliis simulatis causis abscessit; cum vero tempus visum est adesse, rediit *Opizo*, *Petrumque* cum filiis Episcopatu clam exemit, non quidem invitos, aut repugnantes, sed tamen omnia extrema sibi metuentes, qui ut venerunt ad Portam *Turricellarum*, (inde enim emittere eos constituerat) obserratam eam inve-
D nerunt. Unde illis super metum desperatio jam pene accessit, inter trepidationem tamen consultantibus supervenit *Nicolaus* grandi armatorum manu stipatus, sciscitatusque quinam esset? Ut cognovit, quod esset *Opizo*, & cum eo *Petrus*, quem vellet in tutum abducere, graviter eum increpuit, ac nec quicquam resistenti, multaque lamentanti, erant enim cum illo pauci, eum cum filiis abstulit. Vinctos custodibus tradidit, qui eos in lucem proximam servarent. Credo ego *Opizonem* pietate miseri parentis adductum, salvare illos voluisse. Verum apud alios, aut incertæ fidei, aut acceptæ ab eo pecuniæ suspicione
E non caruit. Nam & captus, jamque saluti suæ desperans decem millia ducatos *Nicolao* daturum se obtulit, si vel Pace unus, idemque minimus e filiis, salvaretur, quam ille summam magnis etiam Regibus non spernendam alto animo despexit, professus nullo auro, quod orbe toto contineretur, permissurum se, ut illi, etsi non satis dignas, debitas tamen pœnas effugerent: copiam tamen per noctem eis fieri permisit, ut animabus suis juxta sacræ religionis instituta consulerent. Itaque die postera, cum jam populus convenisset, in publicum eos produxit, qui protinus ut conspecti sunt, horribilis species earum rerum, quas pridie viderant, in animos hominum revocata est; unde ma-
F gnopere in se Populi furorem concitavere. Nec profuerunt eis supplicationes, aut miseræ preces, quominus mille gladiis peterentur, servato tamen ad ultimum infelici parente, ut toties moreretur, quot filios suos morientes vidisset. Isque fuit horum exitus, qui pridie Urbem suis arbitriis temperabant, nutuque regebant; quibus extinctis universi arma posuere, nec est quicquam amplius in plateis, ullove publico loco hujus rei causa tu-

multuatum. Hæc autem ipsa curiosius sum prosequutus, ut *Nicolai* res gestæ lucidentur, & temporis illius, qui esset rerum status, pateret. Ea autem magnitudo animi, quam in rebus exhibuit, & audacia præclara super nobilitatem sanguinis, & Patris Auctoritas magnum ei locum apud Populum fecit. Quapropter maximarum rerum gratia apud *Federicum de Austria*, Romanorum Imperatorem sese ferentem, legationis munere ter functus est. Primo namque, cum *Jacobus de Carraria* Principatum gereret, pro impetrandis auxiliis adversus *Canem*, qui bello Urbem premebat; iterum vero, cum apud eumdem *Federicum*, & *Henricum* Fratrem agi de pace convenisset *Bolzani*, inter *Canem* & Populum *Paduanum*, nam Principatu se *Jacobus* abdicaverat, eique tunc *Rollandus de Placiola*, & *Aleardus de Baxiliis* sunt comites dati, qui tamen re infecta, ac ne tentata quidem rediere, nam actionibus quibusdam intervenientibus, is de Pace conventus omissus est. *Nicolaus* tamen, quoniam & Imperii partem semper in Urbe fovisset, de veteribus feudis, ac insuper nominatim de *Monte Stuppe*, quod *Sanctæ Helenæ* balneum appellatur, suo suorumque gentilium nomine investitus est, & militiæ auctoritate a *Federico* donatus. Tertio autem, cum est *Henrico* civitas adjudicata, quam ille in sua tutela esse deinceps voluit; misitque *Conradum de Westein*, qui certo tempore Urbi præfuit. Ex prima priusquam rediret, ab amicis, qui in Urbe erant, edoctus est, *Raynaldum de Schroviniis* se clam accusasse apud *Ulricum de Valsa*, quod esset pacatus exulibus, quique una convenissent hosti Urbem prodere; quamobrem reversus, cum primum equo descendit, gladio incinctus, ut erat, *Raynaldum* ipsum in conspectu ædium illius super Platea Cathedralis Ecclesiæ ferro aggressus occidit: interrogatusque cum proficisceretur, quonam iret? *Ad occidendam vulpem respondit*, quod id animal *Gallico* vocabulo *Raynaldus* appellaretur. At ne ulla quidem ex hoc, (tanta erat potentia *Nicolai*,) aut privatim, aut publice pœna ultiove secuta est, tametsi esset homo nobilis, magnaque ejus in Urbe amplitudo. Verum falso mentitum illum, declaravit paulo post *Nicolaus*, cum ingenti virtute, ac felicitate exules repulit, & Urbi, in qua jam erant introgressi, ne caperetur, succurrit, cum eam *Canis* obsideret, suasque copias contineret ad *Bassanellum*. Unde brevi postea pugna superatus, fugere coactus est. Obequitando, ut crebro solebat, ac speculando singula, contemplatus est locum, unde facile posset Urbs invadi; seorsum igitur eos advocat, jubetque bono animo esse, advenisse diem, si suum judicium sequi velint, qua civitatem, domos, liberos, familiasque recipiant, tollantque inimicos, qui se per injuriam Urbe pepulissent: illi omnia spondent, nec se sibi defuturos, quoniam res geratur eorum, aut illius judicium, qui de iis judicare possit, neutiquam neglecturos. Proinde jubeat, seque ad cuncta paratis utatur. Sub noctem itaque, accensis sermone animis, jubet eos locum, qui post viridarium Templi *S. Justinæ* erat, occupare. Erat ibi in fovea civitatis ex palis, & cratibus per transversum paries confectus ad continendam aquam, ne deflueret per hunc locum; facto clam subitario ponte transire eos jubet, nam ea pars, ut ne nunc quidem, minime muro cingebatur; illi occisis custodibus, quos dormientes invenerunt, libere loco potiuntur. Hunc tumultum vigilum quidam cum sensisset, qui non procul aberat, occurrit, verum visa in summo aggere multitudine hostium armatorum, protinus aufugit; fugienti opportune incidit obviam *Nicolaus* cum plerisque comitibus, quos in custo-

A diam noctis secum adhibuerat. His ille igitur: *Succurrite*, inquit, *succurrite*, *ne hostes introgressi Urbe potiantur*. Emotus celeriter de loco *Nicolaus*, quem illi tenebant, in eos protinus impetum facit, magnaque vi superat, atque ejicit; plerique in fovea submersi periere, nonnulli ferro interfecti, alii etiam vivi capti, qui per tumultum supervenientis populi confossi, nudi per plateas, vicosque civitatis pertracti sunt, ac die, quæ secuta est, insepulti manserunt. Ob rem itaque tam prospere gestam, die postera Populus in *S. Justinæ* Templum convenit, ubi solemnia sacra sunt habita, & gratiæ superis redditæ. Isque B dies fuit & Urbi celebris, & *Nicolao* gloriosus. Quo nomine institutum est, ut quotannis semper ea die currentium equorum certamen haberetur; quoque auctor innotesceret, *Nicolaus* in memoriam rei a populo *Paduano* donatus est uno *Castellari*, ita enim appellabant, cum Turri lapidea in Villa *Cervaresii*, ea conditione adjecta, ut is singulis annis accipitris precium daret, statueretque inter cætera præmia equitum cursu decertantium. Ut autem in ea pugna, quæ dicta est, servavit ab hoste Patriam, ita post tempore adversus inimicos in civili dissensione Familiam tutatus est. In dimicatione namque, quæ cum *Paulo* C *Dente* conserta est, quæ late explicabitur, cum *Ubertini* res seorsum attingam, *Nicolaus*, gravi vulnere saucius, pugna excesserat, actumque tunc erat de rebus *Carrariensium*, nisi periculi suorum admonitus, protinus rediisset, magnaque vi cadentibus jam suis pugnæ locum restituisset. In eo vero, quod sequitur, non minus pium se, quam fortem declaravit: nam cum *Conradus* miles *de Vigontia* ob eam seditionem, quæ per *Paulum* est concita exilii damnatus, hostem se publicum professus est, qui ante multa pro Republica domi, militiæque probe gesserat, Turrim *del Curame* sitam in confinibus *Venetorum* parva manu occupavit, D sperans agrestes, qui eam plagam incolebant ad se conventuros, indeque Urbem bello, & inferendis damnis, & prohibendis commeatibus urgeri vehementius posse: sed spe sua, ut evenit, delusus est. Rurales enim, sive quod nollent rebellare civitati, sive quod parvitatem copiarum ejus reveriti sunt, in fide se continuerunt. Profectus vero eo *Nicolaus* cum exercitu, perniciosa hæc hostium consilia conatus est celeriter subvertere. Omnibus namque viribus Turrem aggressus expugnat, capitque: multisque, qui fugere speraverant, intra foveas demersis, aquaque consumptis, cum per armorum pondus emergere non E possent; reliquis vero cæsis, aut captis, *Paduamque* ad supplicium missis; sive quia erant exules, atque ideo antea hostes judicati; sive quia non indicto prius a se bello agrum invaserant. E quibus *Conradus* intra Prætorium *Paduæ* capite minutus est, & in militari habitu elatus; reliqui laqueo finiere vitam. *Conradi* vero funus magna frequentia per *Carrarienses* celebratum est: super cæteros autem *Nicolaus* impensius doluisse, & dedisse etiam lachrymas dicitur, sive humanarum rerum conditionem miseratus, sive quod mens ejus futuram sibi calamitatem præsagiret. Eodem enim anno indecens in eum rumor exortus est, gravique F vir clarus fama laboravit, sive ex priori calumnia *Raynaldi de Schrovignis* ea res nata est, sive quod ita fortuna Urbis tunc ferret, quod certe malum *Paduanorum* res evertit, nam *Martius* miles, & *Jordanus*, ambo *de Forzate*, *Franciscus de Vigontia*, *Prosdocimus Caligine*, & *Rogerius de Fabianis*, quibus præcipuis *Nicolaus* amicis, comitibusque utebatur, accusati, quod conjurassent Urbem *Cani* prodere, & quosdam ex primatibus civitatis interimere, tamquam pro comperto

to satis id haberetur, *Venetias* relegati sunt, jussi prius sistere filios obsides futuros, ut præscriptum eis locum, terminosque servarent. Eam rem *Nicolaus* ægerrime tulit, in contumeliam suam factum id reputans. Magnis autem animis nulla injuria gravior quam despectus; neque enim dubium erat, quin, si quid esset id, erat *Nicolaus* omnium conscius, & particeps. Nam etsi, quid forsitan suberat, id magis eo pertinebat, quod *Nicolaus* ad Principatum quærendum sibi, quam prodendam alii civitatem aspirabat. Erat enim magno, atque inexplebili animo, cui nihil mediocre satis videretur. Nam etsi *Carrariensis* Familia prima, summaque esset in civitate, essetque ipse in Familia omnium primus, & ætate, & honore militiæ, indignabatur tamen, quod *Carrarienses* cæteri *Marsilio* magis adhærerent, eique uni faverent in primis, unde opinione sua amplitudinem precario tenere se arbitrabatur; maxime vero subtractis sibi amicis, fidisque comitibus, quibus consilia omnia credere audebat, dignitatem suam imminutam esse judicabat. Hæc stimulabant eum, tum vero etiam, quæ semper fere magnis animis insita est, dominandi libido. Molestissime igitur hanc contumeliam in præsens tulit, diuque conceptum dolorem, quantum poterat, dissimulavit. Tandem vero cum intelligeret, si in Urbe manere vellet, ulciscendum sibi in quosdam e suis fore, Urbe cedere maluit, *Venetiasque* se contulit. Hic vero magnum adhibitum est utrinque in eum studium: a *Marsilio* quidem cum cæteris *Carrariensibus*, ut eum revocarent, aut saltem, ne quid ultra innovaret; a *Cane* vero, & cæteris exulibus, aut relegatis, ut eum in societatem adducerent belli, Patriæque oppugnandæ. Qui ut erat vir ingenium quiescere nescius, belli gerendi consilium cepit, & cum *Macharuffis*, ac *Paulo Dente*, cæterisque, quibuscum inimicitias ante gerebat, non modo pacem fecit, verum etiam societatem bellorum iniit. Inde ut *Paduæ* cognitum est, cum jam palam hostem gereret, ædes ejus a vulgo direptæ sunt, & in fundamenta diruptæ. Quo in solo *Fina de Buzaccarinis*, Francisci senioris uxor, multis post annis Templum *S. Mariæ Servorum* exstrui fecit. *Jacobus* vero, ac *Jacobinus*, Nicolai filii, quos ille abiens, liquerat, non per imprudentiam quidem, sed uti cum amicis, qui sua causa relegati obsides filios dederant, familiare incommodum æquaret, carcerati primum, ac non multo post in *Allamanniam* captivi missi sunt. Quorum ille nullum respectum habens ex forti Patriæ defensore acerrimus oppugnator est factus. Itaque per eos dies cum *Rizzardus de Camino*, & *Hector de Savorgnano* ducentos equites galeatos e *Foro-Julio* secum ducerent, hique per *Bassanum* transitu facto, inde per *Galzignanum Parnumiam* venissent, ubi se *Nicolaus* cum cæteris junxerat: omnes Duce *Nicolao* contractis undecunque potuere copiis in Plebatum *Sacci* exercitum contulerunt, dataque agrestibus fide, pacati inter eos versabantur. Quo tempore adorti sunt Castrum in *Bovolenta* ædificare, ubi flumina duo conveniunt, verum id propositum spe celeriter obtinendæ Urbis omiserunt. Interea vero noctu pertentabant, si quis aditus ab intrinsecis monstraretur, aut si quis ex mœnibus spem colloquio daret. Cumque hac via nihil ageretur, instructis aciebus ad Portam S. Crucis *Paduam* infesti venerunt, sperantes adventu suo fore, ut civitas ad arma commoveretur; dissentientibusque inter se civibus, ut erant variæ factiones, patere sibi in Urbem aditum posse. Contra quos *Marsilius de Carraria*, & qui cum eo Urbem defendebant, in aciem prodiissent, nisi *Canis* veriti essent insidias, qui id temporis cum grandi exercitu in

A *Montis Scilicis* oppido sese continebat. Itaque egredi ad pugnam neminem passus est. Illi autem, cum apud Urbem parum profecissent, abeuntes retro in *Estensem* Villam exercitum duxerunt quintodecimo milliario ab Urbe distantem, quam celeriter vallo, fossaque munierunt, ut esset is locus castris adversus repentinam incursionem tutus. Inde vero universum *Paduanum* agrum assiduis populationibus infestabant. Quapropter agrestes parere coacti ad mandata præsto aderant, & imperata tributa pensitabant. Itaque omnes vici, qui cis *Brentam* essent, *Nicolao* obsequebantur, eumque Dominum recognoscebant. Contigit autem hic, ut in re non prævisa, *Nicolaum* pene ab hostibus capi. Cum enim iis, qui in Urbe erant, diu multumque desiderata auxilia ab Rege suo venissent, Duce *Conrado de Westein*, decreverunt, priusquam exules vel aliunde opem reciperent, vel locum ipsum validius munirent, ex improviso illos summa vi aggredi, qua vel repugnantes comprehenderent, vel cedentes fugarent. Itaque præsidio, quod satis esset in Urbe relicto, *Marsilioque* Urbi præfecto, populus omnis cum auxiliari equitatu versus *Este* contendit. Forte tunc *Nicolaus* extra munitionem inermis spatiabatur harum omnium rerum securus, non ignarus tamen. Sed hi adventum ita maturaverunt, ut nondum exploratores, quos in Urbem miserat, ad renunciandum venire potuissent. Itaque ab militibus levis armaturæ, quos *Conradus* præcurrere jusserat, pene est interceptus, ac nisi celeri cursu intra vallum se recepisset, traxissetque ad se pontem, futurum erat, ut ipse una cum castris caperetur, sicque ad arma socios conclamante, illo protinus affuere, qui eum, locumque tuerentur. Interea exercitus, qui ab Urbe veniebat, ante vallum constitit, utque erant in armis venientes, pugnam missilibus conserunt. *Nicolaus* cum suis impigre se defendit, tandem cum diu frustra irrumpere tentassent, inclinata jam die oppugnare desierunt, locumque castris metati corpora curabant. Inter hæc rumor oboritur totis castris, incerto tamen auctore, subsistere in insidiis *Paulum Dentem* cum grandi equitatu apud monasterium *S. Mariæ de Carceribus*, quod duobus millibus passuum aberat, & jam jam sparsis atque inermibus signa illaturum, quæ res non prius dicta, quam credita est. Itaque raptim quisque pro se, quo celerius poterat, non expectatis signis, nec servatis ordinibus, fugienti magis, quam redeunti exercitui similis in Urbem reversi sunt. Rebus autem in hunc modum euntibus, cum, diu non posse Urbem tantum ferre bellum, videretur, *Canis*, qui ad confirmandos sibi arctius suorum animos semper excubaret, statuit *Nicolaum* necessitudine aliqua majori sibi jungere, metuebat enim, ne, quod de *Ubertino* evenerat, precibus, aut charitate suorum revocaretur, simulque & id sciebat, perseverante illo, facile se accito Dominio Urbis potiri. Itaque sponsalia ineunt, uti *Mastinus de la Scalla*, Canis Nepos ex fratre, *Iselgardam*, Nicolai filiam, uxorem ducat: dos sit, Urbs *Paduæ*, quam ut assequi *Canis* possit, enixurum se *Nicolaus* omni studio spopondit. Id vero cum est *Marsilio* nunciatum, præterquam quod ægre jam tuebatur civitatem, dissentientibus inter se *Carrariensibus*, qui in Urbe erant, causam dedit, ut maturius rebus consuleret suis, curavit igitur ab his contracta sponsalia dissolvere, & *Tadeam*, Jacobi Grandis natam, quam *Mastino* Pater ejus desponderat, nuptum ei dare; *Canem* vero, quando ita necessitas foret, dominium Urbis accipere. Per secretos itaque nuncios, ignaro prorsus *Nicolao* res confecta est. Qui ubi se delusum agnovit, frustra indigna-

 tus,

tus, post paucis subinde diebus, *Cane* nihil adversante, *Venetias* secessit, ubi diu habitavit, partemque eo loci, partem *Clugiæ* reliqui temporis spatiis, patriis exul sedibus, exegit. Quod vero habebat prædiorum, posteaquam est *Cani* potestas Urbis tradita, non illi, quemadmodum cæteris exulibus, ademptum est; sed possedit is semper. *Clugiæ* obiit jam admodum grandis natu; corpus *Venetias* translatum; subindeque cura, ac studio *Ubertini* Principis in patriam delatum est: quod apud prædicatores situm requiescit. Duos ex se filios liquit, *Jacobum*, & *Jacobinum*, quorum uterque tempore post principatum Urbis obtinuit. Prædictum namque Juveni per divinatorem erat, futurum ei quandoque filium *Jacobum* nomine, qui *Paduæ* Urbis Principatu potiretur. Quamobrem, ut eventum industria quoque adjuvaret, ex duobus filiis, alterum *Jacobum*, alterum *Jacobinum* appellavit; ejus vero *Jacobi*, qui temporibus *Eccelini* capite minutus est, cujusque initio operis meminimus, Pronepos hic fuit: ex *Bonifacio* namque, qui inter quatuor *Jacobi* liberos tertius erat ætate, genitus est *Ubertinus*, Nicolai Pater, hicque tempore Principatus *Jacobi Grandis* ætate simul, ac valetudine gravis obiit. Juvenis autem *Nicolaus* ordinariam præturam *Bononiæ* gessit multo splendore sumptuque magnifico, cui assedit *Rolandus de Placiola* temporis ejus insignis Jurisconsultus. Primus hic curvo temone pingi currum inter arma jussit, quæ species in plerisque locis, ac signis observata est a posteris, qui ex eo descendentes Principatum tenuerunt. Tunc vero potissimum instituit, cum civili bello, quod *Canis* excitaverat, a suis maxime gentilibus diffidens infesta Patriæ arma inferebat, unde signa discerni *Carrariensium* possent. Fuit autem grandis statura, magnisque viribus corporis, elato animo, & dominandi avido, audax, callidus, contentiosus, cui acre erat, ac violentum ingenium, multæ solertiæ, minimæ vero facundiæ, austero vultu, colore fusco, aquilino naso, ac prominente tantisper inferiori labio, facie, simulque toto corpore subpinguis. Toga plurimum utebatur incincta, eaque inter longam, & brevem, & capite in Coronam obligato. Hic erat *Nicolao* solitus exterior cultus, cognatusque corporis habitus.

Patavii in Ecclesia *D. Augustini* prope chorum in Pariete sub Arca Marmorea deaurata legitur hoc Epitaphium:

STRENUUS HIC MILES MORES INDUCTUS HERILES.
ARMIS MILITIAM DECORANS, VIRTUTE SOPHIAM.
CUI DAT COGNOMEN CARRARIA NOBILE NOMEN;
COMPULSUS PARCA NICOLAUS IN HAC JACET ARCA
MILLE TERCENTENIS QUATUOR, QUATER QUOQUE DENIS,
AD HUNC MORS VENIT OCTOBRIS UNDEVIGENIS.

PETRI PAULI VERGERII, *Justinopolitani*, DE MARSILIO MAJORE DE CARRARIA HISTORIA.

Marsilius Major de Carraria Patre *Pensano* natus, qui fuit *Jacobi Grandis* minor natu Germanus unicus, patri patruoque hæres successit, ex quibus hæreditatibus amplissimas opes possedit, cum in hunc omnium eorum, qui ex *Jacobino*, Marsilii primi nepote, descenderant, aliorumque complurium ex *Carrigera* Gente patrimonia derivata essent; quæ in hunc unum omnia confluxerunt, quo etiam sine liberis moriente, omnis ejus lateris stirps intercidit; sed opes cum essent illi maximæ, atque amplissimæ, minimum tamen erant, quod videretur æstimandum in eo. Ita proprias, atque excellentes in se opes collegerat, egregii scilicet animi virtutes, prudentiam, liberalitatem, & cum magnanimitate placabilitatem ingentem. Fuisseque eum ferunt in rebus seriis gravem, ac maturum. Ita plane in omni conversatione jucundum, ac pleraque jocis & dixisse in alios, & in se dicta refellisse: ex quibus unum, quod vulgo in primis fertur hic inseram.

Albertinus Mussatus, cujus est initio hujus operis mentio habita, e regione forte præteriens imprudens in eum offendit. Cumque suum errorem urbane vellet excusare: *Non esse miraculum*, inquit, *quoniam Asinus nemini cedere soleat.* Erat enim id animal signum, quo ipse, suique uterentur, unde etiam Familia sumptum cognomen habet. *Immo vero*, inquit Marsilius, *Temonem currus declinare consuevit*, se notans, ac suos, quorum currus esset insigne. Ita virtutibus suis, atque artibus, occasione rerum, ac temporum usus magnum sibi, & amorem civium conciliavit, & præclaram autoritatem acquisivit in populo. Sub patrui namque disciplina formatus multa cum modestia inter cives agebat, bonisque illum artibus, quoad licebat imitari nitebatur, & habebat parentis loco. Nam & pro eo obsidem se *Cani* dedit, dum ille apud *Vincentiam* captus est, & ut antea, ita deinceps per omne tempus obsequentissimus ei fuit; quamobrem defuncto illo, ut opum, ita & morum ejus, ac famæ exstitit hæres; amicos quoque, quos ille fidos habuerat, sibi peculiares fecit: inimicos autem magnopere est insectatus, cæteris æquum, atque affabilem sese exhibens, iisdemque omnino vestigiis, quibus ille incesserat, nitebatur, cum in privatis rebus, tum in judiciis de Republica, magnamque in consulendo laudem prudentiæ, facundiæque sibi assequebatur. Erat enim in utrumque natura pronus, atque industria, & exercitatione in idem probe compositus; nec vero lingua tantum,

A tantum, aut vi rationis valebat, sed manu quo-
que fortis, ac strenuus erat, utque virtute ani-
mi, ita & viribus corporis præstabat; nam quem-
admodum in cæde *Guilelmi Dente*, quem *Uber-
tinus* interemit, & pias lachrimas dedit, & sum-
mum indicavit mœrorem, nec repugnavit un-
quam, quo minus justitia in sontem redderetur,
ita non multo post cum *Paulus Dente* in ultionem
fratris universum *Carrariense* genus tollere vellet,
fortem, constantemque virum se præbuit, ma-
gnaque vi cum paucis multitudini inimicorum re-
stitit, quæ victoria, neutiquam parvo illi sanguine
empta est. Nam duobus equis successive, quibus
B insederat, confossis, multis ipse, gravibusque
vulneribus affectus est: ut diebus plurimis sub du-
bia spe salutis jaceret. Post hanc victoriam, cum
gens *Carrariensis* summam in Urbe amplitudinem
obtineret; eaque una publice, privatimque quod-
cunque vellet, posse videretur, nec parvus qui-
dem fuit *Marsilio* in suis agnatis, gentilibusque
continendis labor: quippe alii cupiditate tene-
bantur, alii vitiis adolescentiæ, omnes amplitu-
dinis studio; itaque nitebantur nonnunquam in
contentione abuti potentia, ne quis forsitan mi-
nus alio posse videretur. Ante omnes *Nicolaus*
semper studuit, & virtute Patris, & suo merito
C quæsitam amplitudinem tueri, nec loco, gradu-
ve facile cuiquam cedere. Cumque esset, & ma-
jor cæteris natu, & militiæ honore solus insi-
gnitus, primas sibi partes cum in Familia, tum
etiam in Republica deposcebat, eratque ejus in-
genium ita excellentiæ cupidum, ut id demum
gratum haberet, quod per contentionem obti-
nuisset; contra vero *Marsilius* magnitudinem suam
celare nitebatur, & simulare, & dissimulare faci-
le doctus, adversari nemini, comitem omnibus,
placidumque se præstare, atque ita secunde, quid-
quid optasset, assequebatur. Quamobrem, &
a plerisque credebatur, & jactabatur ab æmu-
D lis hujuscemodi cum artibus Regnum affectare.
Ubertinus & præ ætate, & per impunitam licen-
tiam multa sibi ipsi permittebat, & quæ usque
cupierat, eadem volebat sibi licere. *Marsilietus
Papafava* erat ad rem avidior, intentus quavis
ratione patrimonium augere, unde splendorem
domesticum tueri, & publicam posset auctorita-
tem assequi. *Opizo* timeri cupiebat, nihil absti-
nens agere, per quod formidolosior in vulgus ha-
beretur. Ac cæteri quidem sub vario cultu, &
longis ordinibus famulorum incedebant, impen-
sisque largissimis celebrabant quotidiana convivia.
Marsilius vero & domi, & foris civiliter vivebat,
hujusque unius erant abstinentes, & innoxiæ ma-
E nus. Si quid ex illis peccati timebatur, aut im-
minebat cuiquam ab iis injuria, curabat, ne fie-
ret. Si vero peccatum jam erat, corrigebat, si-
quidem poterat, sin minus, condolebat injuriam
passis. Videlicet erant plerique ex aliis Familiis,
atque etiam ex plebe nonnulli, qui hac freti oc-
casione cum in Urbe, tum per agros multa pas-
sim flagitia admitterent, aut per diem ministros
se *Carrariensium* asserentes, aut per tenebras, no-
mina eorum, habitumque simulantes, per vim,
atque injuriam grassabantur; ac per ea quidem
tempora inolevit saccullariorum mos, quo pleri-
F que aliorum utebantur, ut juventus otiosa, at-
que abundans solet, nonnulli vero etiam ad ex-
torquendas pecunias. Erant enim illi sacci ex co-
rio longi ad hominis mensuram, lati vero, ut in
caput conjecti facile in pedes fluerent. Cum igi-
tur jocari in quempiam vellent, crepusculo illum
observabant, aut etiam diluculo, si matutinus do-
mo egredi consuevisset, & sacco comprehensum,
quem continuo medium stringebant, & longis,
ac variis itineribus circumductabant, ne forte is
conjicere existimatione posset, per quas vias, aut
in quam potissimum domum illatus esset. Mini-
me vero licebat præ metu vociferari, quod etsi
fieret, nequaquam tamen exaudiri vox poterat.
Secundum hunc igitur modum captus est aliquan-
do *Lappus Tuscus*, qui *Paduæ* facultates ingentes
fœnore paraverat. Huic enim multum, diuque
insidiati erant nonnulli aucupii talis artifices, ut
eleemosynam facturum se piam crederet quisquis,
si ab eo quidquam auferre potuisset; ex moreque
circumductus, in ignotam demittitur domum, ubi
nihil liceret, nisi tenebras cernere, & fractas vo-
ces, dissimulatosque loquentium sermones audi-
re. Depositus, ubinam esset, interrogavit? Est-
que ei responsum, quod esset in *Trapezunto*, sive,
ut corrupto vocabulo vulgo dicitur, *Trabison-
da*, quæ Regio in *Ponto* est: tunc ille, ut est
Tuscorum ingenium ad sales, & Ironias promptum:
Deo, inquit, *voveo*, *quod prospero*, *validoque unius
noctis navigatione vento huc missus sum.* Illi & au-
dacia hominis, & joco delectati hanc ei noxam
remiserunt, & demum eadem nocte circumdu-
ctum ante fores, unde eum sustulerant diluculo
collocavere: quem igitur nonnisi gravi ære mul-
ctatum eximere vix quisquam valuisset, hunc di-
cti urbanitas, & animi ejus præstantia indemnem
emisit; verum non ita omnia, sed pleraque, &
avare, & crudeliter sub incertis auctoribus acta
sunt. Quidquid tamen Urbe tota peccabatur, in
Carrarienses referebatur, soli omniumque simu-
labantur auctores; nec audere quempiam talia,
nisi jussu eorum, aut consensu, nec nisi eorum
ope, ac tutela efficere posse. Ita semper culpæ
minorum, quamdiu veri auctores criminum la-
tent, in primates rejici consueverunt: quibus re-
bus, ut occurreretur summa erat *Marsilii* cura.
Cum vero *Nicolao* magnus fuit illi labor, non qui-
dem ex hoc genere rerum, quæ proxime dictæ
sunt; sed ut ambitionem ejus moderaretur: vul-
go namque ferebatur conspirasse cum *Gibellinis*,
qui in Urbe erant, & habere cum *Cane* secreta
colloquia, cujus favore Principatum Urbis con-
sequi speraret. Ejus rei fides non multum verisi-
mili abhorrebat, si qui vel ingenium *Nicolai*, vel
Canis studia spectaret; maxime vero cum & an-
tea ejuscemodi consilii indicium per *Raynaldum
de Schroviniis* emanasset. Quam in rem efficien-
dam, cum obstare potissimum *Marsilii* pruden-
tia, amplitudoque videretur, illud quoque famæ
erat adjectum: decretam esse a conjuratis *Marsi-
lio* mortem, insidiasque ei dispositas esse, & oc-
casionem tantum observari. *Marsilius* igitur im-
pedire illius propositum volens, si verum esset,
quod diceretur, aut certe suspicionem, quæ gra-
vissima inerat, tollere, nihil gravius innovandum
arbitratus est, quam ut, qui fidissimi *Nicolao* co-
mites erant, amoverentur, certus nihil illum per
se tentaturum consciis, atque complicibus remo-
tis. Inde vero, ne quid ille ob hanc contume-
liam ex præcipiti moliretur, & ipse eum impen-
sius colere, verbis, rebusque studebat, & subji-
ciebat cæteros *Carrarienses*, quum singuli eum
comitarentur, crebriusque quam antea solitum
erat, salutarent. Verum nihil his artibus profe-
cit. *Nicolaus* enim sive per consilia sua deprehen-
sa cerneret, sive hanc ignominiam ferre æquo
animo non posset, captato tempore *Venetias* abiit,
exulibusque cæteris se conjunxit, qui ope, atque
consilio *Canis* inferre patriæ bellum parabant,
nam & eo profectum illum revocare, aut certe
retinere frustra *Marsilius* conatus est. Quæ cum
ita gererentur, magna *Marsilium* solicitudo in-
cessit: is enim Reipublicæ curas pene solus ani-
mo omnes ferebat: videbat namque adversas in
Urbe factiones esse; foris exules multos conspi-
rasse,

rasse, eosque potentes, ac magnos viros, qui multos intra Urbem, & agnatos haberent, & amicos; super hæc vero *Canem* imminere tam potentem hostem, & quod est maxime ad nocendum efficax, tam vicinum. Itaque cum intelligeret sine externis auxiliis Urbem servari non posse, decerni, mittique legationem monet ad *Henricum*, Carinthiæ Ducem, qui jam antea tutelam Urbis sibi præcipuam expetierat, uti eum edocerent, quo in statu res essent, quantumque periculi, nisi propere succurratur, immineret. Princeps legationis *Marsilius* ipse lectus est, hicque cum eo *Opizo*, & *Marsilietus* ex eadem Gente, tum vero *Philippus de Peraga*, *Ricardinus de Capitibus Vaccæ*, *Duxius*, & *Pantaleo*, ambo de *Buzzavarinis*, *Schinella de Doctis*, *Petrus de Campagnola*, & *Aleardus de Basiliis*, hisque libera Urbis potestas permissa est, ut renuente Rege rebus succurrere, aut a se jurisdictionem abdicante, liceat eis in quemcunque alium, qui vellet, possetque Urbem tueri, jus omne civitatis transferre. Iisdem ferme diebus, quibus hi Regem audierant, advenere, & *Canis*, & exulum *Paduanorum* legationes, quæque pro suis excusationes futuræ; auditique sunt discrete omnes. Quibus post dierum aliquot consultationem, responsum est, velle Regem *Paduam*, quæ sua esset, adversus omnes tueri, habitusque pro hoste, quisquis Urbem, aut agrum, cives, bonave eorum læserit; seorsum vero *Marsilio*, comitibusque, uti alacres redeant, & parent, quæ bello usui sunt; affuturam propediem copiosam manum ad auxilia ferenda, quibus nullæ hostium copiæ pares sint. Hæc *Canis* cum accepisset, magis sibi accelerandum ratus, ut, quæ conceperat, exequeretur, immisit protinus exules cum exercitu, duce *Nicolao*, qui *Paduanum* agrum invaderent. Hi primum pacati agrestibus venerunt, nihilque in eos hostile gerebant. Postea vero, cum spes præmatura, ineundæque primum Urbis successu destituta esset, rapere, atque urere cœperunt pleraque. Interea *Marsilius*, & qui cum eo tuendæ Urbi intendebant, reparari vallum, mundari foveas, frequentari noctu excubias, curabant. Insuper quoniam longissimo tractu suburbia protenderentur, minori ambitu vallum facere adorti sunt, qua nunc secundi muri sunt civitatis, ut si minus omne spatium tueri possent, saltem quod intra hoc vallum esset, defenderetur, eique operi celeriter perficiendo die, noctuque summis studiis invigilabant, ex qua re nonnihil sibi odii *Marsilius* peperit ab his, quorum tecta foris relinquerentur: subinde vero cum adveniente *Conrado*, qui grandis equitatus auxilia a Rege tulerat, placuisset ad populum ire ad expugnandos exules, qui in *Estensi* terra se continerent: *Marsilius* Urbis præsidio relictus est, cumque pars maxima sine ordine fugientibus similes reverterentur, clausas haberi portas jussit, atque intromitti neminem, donec sub ducibus signa inferrentur: metus enim erat, ne quid tumultuaretur Civitas, si temere fugientes admitterentur. *Conradus* etsi puderet eum gestæ rei, nec satis ruborem celare suum posset, tamen ne desperatam linquere Civitatem videretur, *Hengelmarium de Vilandres* cum equitum *Germanorum* cohorte in præsidium Urbi constituit, jubetque, uti in cunctis consilium, judiciumque *Marsilii* sequatur: se vero cum ingenti exercitu sponte proxime venturum ad exterminandos hostes, delendosque. Ea, etsi vana plerisque videretur, ut erat, tamen, ne ipse inanis rediret, ingentem pecuniæ summam in præsens collectam abiens tulit, & in futurum, uti quoque plurima cogeretur, imperavit. Quamobrem sequenti anno, cum crebris exactionibus vexaretur subinde

A Civitas, essetque caritas summa alimentorum, & spes postremo in reliquum tempus præcisa, cum auxilii, tum legendarum quoque minorum frugum, nam major quidem messis jam perierat, cum esset ager omnis in hostium potestate: necessarium *Marsilio* visum est consilium capere de summa rerum. Nam quod ultra in amicis Regibus, aut Principibus speraret, non erat. *Federicum* videbat proprio implicitum bello subvenire alienis incommodis non posse. *Enricum* vero fratrem id sentire, quod suggereret sibi *Conradus*: *Conradum* autem ipsum, qui a populo *Paduano* jam ante multis, magnisque honoribus auctus es- B set, & muneribus donatus, audiebat, auxilio nolle venire, nisi proprio nomine *Marsilius* stipendii præstandi fidem ei faciat, privatum nomen publicæ fidei præferentem. *Joanni* quoque summo Pontifici apud *Avenionem*, & ejus legato *Bononiæ* oppressæ Civitatis statum literis crebro detexerat. Nemo erat ex vicinis dominis, aut populis, quem non requisiisset, omnisque hactenus inanis spes fuerat. Accedebant ad hæc, quæ inter *Marsilietum*, *Ubertinumque* exortæ simultates, novandarum rerum initia minabantur. Quippe *Ubertinus* Tartaro comite *Marsilii*, mercenariorumque militum spe fretus, ad contentionem se compara- C bant. *Marsilietus* vero populi favore confidebat, & *Opizone* consorte; quam contentionem *Marsilius*, sibi, Urbique, ac toti *Carrariensium* generi periculosam instare arbitratus, omni nisu placare singulos, & conciliare universos studebat; ut & sibi sua dignitas, & Familiæ solita amplitudo, & Urbi communis libertas staret. Tandem vero cum jam res ad arma spectaret, amoveri *Marsilietum* ex urbe, curavit, egit namque cum *Hengelmario*, ut domus ejus a *Theutonis* diriperetur, quod ille, tunc forte absens, cum intellexisset, *Venetias* se transtulit, nec de eo dubium erat, quin, & ipse quoque hostibus sese conjuncturus videre- D tur; ea igitur omnia apud se *Marsilius* reputans, novam iniit consilii rationem; & quoniam ab amicis opem sperare non liceret, ab hoste salutem sibi, urbique petere constituit, & ei sese, urbemque simul dedere. Videbat enim, quo illa spectarent: despondisse *Nicolaum de Carraria* natam suam *Mastino de la Scalla*; parari copias ab exulibus, quantas ipsi per se nullo pacto possent; agitari consilia, assiduasque conjurationes in urbe tentari, ut tandem vi, vel insidiis, aut quoquo pacto confici posset, dominium urbis *Cani* deferretur; aut si id nequeat, uti potius eversa esset, quam libera. *Marsilio* vero mens erat, E quandoquidem libertatem urbis salvare jam non posset, ut urbem saltem ipsam, seque in ea salvaret. Jamque ad unum eum res redierat, & qui antea primus erat, nunc solus habebatur. Itaque frequentabatur ejus domus, ut Principis, nec quicquam ei deerat ad Principatum, nisi nomen, qui multo etiam inferiore gradu contentus erat, si stare res potuisset. Igitur ut, quod postremum sibi remediorum servaverat, exequeretur, mittit ad *Canem* clam cæteris *Guertium* quemdam *Lottitusci* astutum sane hominem, jamque grandævum, qui *Jacobi* Patrui secretarius fuerat: jubetque eum pure, ac libere nullis expetitis conditio- F nibus ditionem illi urbis *Paduæ* offerre, arbitratus meliores daturum conditiones, si nullæ ab eo peterentur: tantum id in gratiam orare, uti matrimonium, quod inter *Mastinum*, & *Thadeam* initum olim per sponsalia fuerat, nunc effectu consummaretur, futurum id, utrinque & dilectionis pignus, & fidei; utque injuriarum oblivisci meminisset, quas publice, privatimve per belli tempus accepisset; *Theutonis* vero, qui pro custodia urbis stipendia meruerant, ut liceret illæsis abire,

abire, recepta prius mercede, quæ pro tempore illis deberetur. Hæc ut accepit *Canis*, diuturni voti jam finem volens, admittere sese libenter & dona, & preces *Marsilii*, ait. Quoniam & oblata magnificentissima essent, & petita prorsus æquissima, ac *Paduam* quidem jam sibi pro Patria futuram, *Marsilium* vero in Germani fratris locum esse sibi velle, omnesque ejus, & amicos pro amicis, & inimicos pro inimicis sibi habiturum. Demum vero de modo, ordineque inter eos convenit, quo *Cani* potestas urbis daretur, ne quis posset civium, aut exterorum interpellare. Visumque est oportere prius, ut summam ipse potestatem iniret: nam & in Urbe increbuerat jam sermo, qui variis in locis jactabatur per populum, publiceque ferebatur, unum eum præesse rebus oportere; salubrius Urbi futurum, si ex unius Imperio Respublica gubernaretur; quod in plebe vulgatum per *Marsilii* tandem amicos ad eum ipsum perlatum est, atque identidem inculcatum, ut hanc omnium voluntatem sequeretur, futurum, si continere se perseveret, ut populi concursu in prætorium deferatur. *Marsilius* vero intelligens hunc rumorem sibi periculosum imminere, nisi aut sequeretur, aut restingueret, consilium ab amicis exquirit, omnes consulunt, ut principatum, qui tanto consensu civium sibi deferretur, admittat. Ille igitur & pro magnificentia, & pro tutela jussit agrestes, qui trans *Brentham* colerent, induci. Hi enim exulibus parere recusabant, tum vero, & ex reliquo agro, qui coloni esset amicorum, & fideles Urbi haberentur, advocari. Omnibus autem rite compositis, die constituta convenit in concionem populus magna frequentia, factaque dicendi potestate, ei, cui commissa res erat, orationeque vix dum finita, conclamatum est undique, & ab omnibus vultu, manuque assensus indicatus; *Marsilius* pauca profatus, vexillum populi oblatum sibi acceptat, constituitque Prætorem *Marsilium de Rubeis* per mensem, qui sibi necessitudine cognationis jungebatur. Nam is quidem proxime cum ducentis equitibus in auxilium consanguineo venerat, eoque intra prætorium dimisso, *Marsilius* agmine suorum stipatus comitante populo in ædem se propriam contulit. *Griffus* vero *Hengelmarii* frater jussus claves Urbis reddere, *Marsilio* eas consignat. Triduo post dimissi agrestes, quotidieque ex *Parma* viri adveniunt officii spem, tanquam novis rebus auxiliaturi: inter quos haud dubie multi internoscebantur *Canis* amici, familiaresque. Post paucos vero dies divulgatum est, contractum esse matrimonium inter *Mastinum*, & *Thadeam*, venturumque eum propediem *Paduam* ad eam palam desponsandam. Nam *Venetiis* quidem, ubi eam per tempus belli *Marsilius* esse voluerat, matrimonium clam contraxerant, auctoribus inde Marchione *Spineta de Malaspinis*, hinc *Philippo de Peraga*, per quos transacta res erat. *Theutones* mercede accepta stipendii liberum abeundi commeatum obtinuerunt. *Marsilius* vero complures ex primoribus civibus, quos parum consensuros arbitrabatur, per munus legationis *Vincentiam* mittit, specie pacis componendæ. Quamobrem fuit per eos dies cum *Vincentiæ*, tum *Veronæ* pax proclamata. Granaque seriora, & fructus vindemiæ per *Patavinum* agrum tuto ab his, quorum esset, collecti sunt. Postremo cum tempus instaret, quo recipi *Canem* convenerat, agnatis quidem, amicisque seorsim rem aperit, quorum nonnulli, si contraire licuisset, deditionem hanc ægerrime ferebant. Populo vero, ob id advocato, in pulpitum conscendens ipse denunciat, edicitque causas, unde huc decursum sit, consuluisse se Urbi ea via, quæ sola, postremaque restabat, nec tergiversationi locum jam esse, teneri quippe præsidiis *Canis* urbem, ipsumque proxime cum ingenti exercitu adventurum. Itaque populus, quod *Marsilius* suaderet, ratum habuit, consensuque laudavit, nonnullis tamen indignantibus, quia, cum tot annis pro libertate bellum gessissent, ejus nunc in potestatem sine bello Urbs traderetur. Vulgo vero nihil erat pensi, qui imperitaret, dum afflictos tandem pax, quiesque sequeretur. Ad eam rem perficiendam delectus est syndicus *Jacobus de Cornigliana* cum amplissimis mandatis dedendæ Urbis. Inde vero *Marsilius* cum ingenti *Paduanorum* Nobilium comitatu *Vincentiam* ad *Canem* perrexit, a quo per summum honorem exceptus est, & ad arctissimam familiaritatem admissus. *Canis* biduo post idem decima Septembris die cum splendidissima pompa, ingentique applausu per *Savonarolam* primum in suburbium, deinde per Molendinorum portam Urbem ingressus est, uno adequitante lateri ejus *Marsilio*; continentique itinere in prætorium conscendit. Ubi ab *Antianorum* judice vexillum populi est ei oblatum. Quod ille læta & mente, & facie acceptum *Marsilio* in manus tradidit, eumque sibi Vicarium Urbis *Paduæ* constituit. Unde Civitatem, atque universum populum ingens lætitia complevit, quandoquidem adhuc species quædam Principatus apud suos remaneret; nec dubitasset *Marsilius* supremam potestatem jam ante omnium consensu sibi delatam retinere, nisi vererentur, ne per contentionem exulum, & *Canis* potentiam, quod *Jacobo* patruo evenerat, abdicare se per ignorantiam cogeretur. Itaque quod necessitas postremum suadebat, secutus est. Hicque fuit exitus diuturnæ contentionis inter *Canem*, & populum *Paduanum*, quæ per varia bella, & incertas semper paces exacta est; unde in proverbium venit, ut quæ simulata, ac parum stabilis videretur: ea *Canina Pax* sit appellata. Proxime vero horum *Thadeam Mastinus* publice desponsavit; eaque die cætera *Veronam* traducenda decernitur. Interea per magnam frequentiam, multumque splendorem celebrantur quotidiana convivia, & *Marsilius* semper apud *Canem* primus aderat, quum opulentiæ suæ, & ipse spectaculum faceret *Cani*, universæque ejus Curiæ epulum dedit. Inde vero ad Urbanas res conversi de exulibus decreverunt, quorum nonnulli sunt revocati, quorumdam vero bona denuo publicata, ipsique pro rebellibus habiti, utpote *Macharuffi*, *Lemizi*, qui *de Dente*, cognominati sunt, *Terradurenses*, *Bugli*, aliqui de *Malitiis*, & complures alii, quorum omnium bona in publicum redacta *Marsilio Canis* donavit. Unde super ingens patrimonium tantum excrevit additamenti, ut is pene unus præ cæteris simul omnibus *Paduæ* civibus ditior haberetur. At vero *Canis* tam insignis amplæque Urbis ditione ex insperato potitus, potentiam & magnificentiam suam in conspectu Nobilium totius *Italiæ*, qui vocati adesse voluissent, ostentare studuit, diemque certum Kalendis Decembris edixit celebritati, locum vero *Veronam*: ipse se sub tempus illuc contulit, *Marsiliusque* in eo, quo convenere, *Opizo*, Estensis Marchio, cum *Ferrariensium* plurimo, atque honorifico comitatu, *Ludovicus de Gonzaga* Mantuæ Dominus, *Rizzardus de Camino*, multique oppidorum Domini, atque ex omnibus ferme liberis civitatibus numerosa Nobilium hominum copia, quo in tempore traducta est *Veronam Thadea* cum egregia *Paduanorum* comitiva. Prodiitque illi obviam *Canis* cum universa Pompa frequentis, ac jam plenæ curiæ. In qua post magnificentissimas multorum dierum epulas, variaque armatorum exercitia, & Hastatorum inermium, (ut assolet) discursus, ex diversis urbibus. Unde quadraginta Nobiles viros milites *Canis* constituit, eosque singu-

los præclaris muneribus donavit. Præcipue vero ex *Carrarienſi* Familia quinque, inter quos *Marſilius*, & duo alii, qui ſequuntur *Patavini* Principes *Ubertinus*, ac *Marſilietus* honore militiæ ab eo ſunt inſigniti, iiſque magnifica præ cæteris dona collata: tanta autem in omnes, qui affuerunt liberalitate uſus eſt, ut cum conveniſſet ad eam celebritatem multitudo innumera hominum, plurimi quidem donis onuſti, omnes certe ſumptu publico procurati rediere; nec licuit pro rebus, quæ ad victum hominum, jumentorumque pertinerent, undecunque ſumerentur, aut vendentibus accipere pretium, aut ementibus dare. Sed omne poſtmodum, quibus debebatur, ex fiſco perſolutum eſt, quamobrem cum in ſupplementum expenſarum *Paduani*, auctore *Marſilio*, munus ei pecuniarum ingentis ſummæ obtuliſſent, renuit ille, indignum exiſtimans, pro qua Urbe tantam liberalitatem exercuiſſet, in eam ut videretur illiberalis. *Marſilius* autem, cum aſſiduus *Veronæ* moraretur, eſſetque apud *Canem* ſummus, evenit ut periculum foris adiret, quo pene ex inſidiis captus eſt. Obſidebat namque *Parmam* Urbem exercitus Eccleſiæ, in quo *Bononienſes* aderant, nobileſque hi *Parmæ* finitini, qui dicuntur *de Corigia*. *Marſilius* igitur *Cane*, ut nec mandante, ita nec repugnante quidem, *Parmam* proficiſci deſtinavit, uti conſanguineis ſuis *Rolando*, atque *Marſilio de Rubeis*, qui eam Urbem tunc obtinebant, conſuleret, quidnam in hoc rerum anfractu faciendum iis eſſet; pergens autem *Simonem de Corigia* ægre effugit, ne ab eo caperetur, præviſas enim inſidias concito curſu vix declinans, ad oppidum, quod *Caſale Majus* dicitur, *Cremonenſis* agri, pervenit. Unde poſtea incognitus veſte mutata ſub duobus tantum, uno duce, altero Comite inſolitis itineribus *Parmam* venit, auctorque illis fuit dedendæ Urbis, paciſque per æquas conditiones accipiendæ. Inde *Veronam* reverſus, haud multo poſt obtenta a *Cane* licentia, ut natale ſolum viſeret, *Paduam* venit. Sub hæc vero, cum inexplebilis augendi Imperii ſitis, lateque dominandi cupiditas *Canem* ſtimularet, eſſetque illi in votis quæſitæ nuper Paduæ *Tarviſium* quoque adjicere, ſignificavit id *Marſilio*, prope diem affuturum ſeſe pollicitus, uti ejus conſilio rem hanc aggrederetur; admonuitque, ut ex *Paduanis* militiam, quantam poſſet, quantaque pro expeditione neceſſaria videretur, pararet. *Marſilius* hoc nuncio lætus, quia & res magnas gerere cupiebat, & *Guecellum Avogarum Tarviſii*, qui eam Urbem regebat, impenſe oderat, quum belli tempore auxilium ferre recuſaſſet; ſedulo contendit milites deligere, arma, itemque annonam corrogare, & demum omnia parare, quæ uſui pro exercitu futura aſſent. Affuit autem ad diem *Canis*, *Paduæque* exercitum collegit, in quo erat virorum multitudo copioſa ex *Verona*, *Padua*, *Vincentia*, *Feltro*, *Bellunoque*, nam & ea loca ditioni illius ſuberant. Aderant quoque Nobiles *de Caſtro Barco*, *Rizzardus de Camino*, & exules *Brixienſes*, quos ille patria pulſos ſuis opibus ſuſtentabat: inſuper autem ex locis variis multitudo ingens, quæ ſtipendia merebat. Omnibus igitur his copiis, univerſoque exercitui *Marſilium* præfecit Magiſtrum, ut & ejus opera uteretur, quem ſciebat & bello, & pace virum egregium eſſe, & ut honorem ſibi magis promereretur. Admoto exercitu, brevi Urbs dedita eſt. Verum, ut ſemper lætis ſucceſſibus adverſa ſolet intervenire fortuna, *Canis* in hoc tanto procurſu rerum, tantaque gloria, ſive labore militiæ, & acerrimis ſolibus æſtu contracto, ſive uſu aquarum, quas ea Urbs frigidiſſimas habet, eſtque tota fontibus irrigua, vehementiſſima ſubito febre correptus eſt, quamobrem protinus ſaluti ab initio deſperans, *Marſilium de Carraria* & *Ballardinum de Nogarolis*, qui Principes erant Amicorum, vocari ad ſe jubet, interque conſulendum de ſuprema voluntate teſtatus eſt. Summa rerum hæc fuit, *Albertum*, *Maſtinumque*, *Aboyni* fratris præmortui filios, hæredes ſibi fore, & in omni juriſdictione ſuccedere. Inde vero palam *Marſilio* de fide, & probitate plurimum commendato, vexillum, quo præcipue in bellis utebatur, ſtatui ei in manibus fecit: jubens illum pleno arbitrio hæredum ſuorum nomine *Paduæ* Urbi *Vicarium* præeſſe. Quod ille, cum diu recuſaſſet ægre tandem, ne ægrum eum amplius conturbaret, admiſit, compoſitiſque rite omnibus, tertia die poſtquam lectulo decubuerat, vita *Canis* exceſſit. Defuncto juſta ſunt perſoluta. Poſt cujus exceſſum hæredes quidem more patrio principatum *Veronæ* Urbis inierunt; *Marſilius* vero *Patavium* venit, primumque in concione de illius obitu fide facta novorum Vicedominorum ſupremum magiſtratum inceſſit, eoque nomine fidelitatis exegit ſacramenta; ſubinde *Veronam* adiit, ubi cum de componendis rebus ageretur, noviſque adhibendis ærario modis, extat illud ſapienter ab eo dictum; cujus haud abs re eſt in præſenti meminiſſe. Nam cum imminuendas erogationes in vulgus plerique decernerent, quibus domus *de la Scalla* eſt ſemper profuſiſſimis uſa, *Marſilii* fuit ſententia: iiſdem artibus tenendum imperium, quibus initio partum fuerat; majores ſuos dominium *Veronæ* liberalitate ſibi quæſiiſſe, liberalitate igitur ſervandum eſſe. Poſt hæc vero per eos dominos eſt *Vincentiæ* prætor conſtitutus, cum eſſet ejus auctoritas tanta, ut ſecundus a dominis voce conſenſuque omnium ferretur. Anno vero proximo ſub finem æſtatis cum *Maſtinus*, & deſiderio rerum gerendarum, & æmulatione patrui accenſus, qui tantam belli gloriam tulerat, maxime vero impulſu *Brixienſium* exulum, qui cum illo erant, & aſſidui ſtimulabant, ad Urbem *Brixiam* exercitum duxit, & *Marſilium* illi ſummum præfecit, cujus providentia, ac ſtudio omnia ferme oppida, omniaque caſtella *Brixienſis* agri brevi tempore, aut vi capta ſunt, aut ſe ſponte dediderunt. Urbem vero cum ſuperare vi non poſſet, biennio poſt aſtu invaſit. Cum pleriſque etenim Nobilium, quos & præſentibus donis, & magnis inſuper promiſſionibus allexerat, ſecreto conſilium iniit Urbis capiendæ, itaque cum ſciret Legatum Apoſtolicum, qui id temporis in *Lombardia* verſabatur, in ea Urbe per plurimum dilectum eſſe, tametſi ſub *Joannis*, Bohemiæ Regis, titulo regeretur, conſtituta die cum ſignis Legati, & *Rolandi de Rubeis* amicos ſociosque adventare ſimulans, Urbe potitus eſt: eamque dominio eorum *de la Scalla*, quorum auſpiciis res gerebatur, adjecit. Quamobrem freti, ut in cunctis ſolebant, *Marſilii* fido conſilio, amicis, finitimiſque dominis indixere conſilium, convenereque apud *Urceorum* oppidum ipſi primum. Inde *Azo de Vicecomitibus*, Marchiones quoque *Eſtenſes*, qui *Ferrariam* obtinebant, & *Ludovicus de Gonzaga* de communibus rebus acturi coiverunt in eo loco ſocietatem mutuæ defenſionis adverſus *Joannem* ipſum *Bohemiæ* Regem, ſi quid in eorum quempiam attentare auderet; eodemque anno ſuas quiſque copias conferentes menſe Septembri *Bergomenſem* Agrum invaſerunt, urbemque adorti ſunt obſidere, in quo exercitu, cum plerique *Theutones* adverſus edictum rapinas exercuiſſent; *Marſilius*, qui Magiſter erat militum, pendere eos ex arbore fractis cervicibus juſſit. Quamobrem ingens ſibi odium ab eo genere hominum comparavit; quamquam & amicitiam eorum, & odium in æquo poneret; expertus namque olim quam fallax eſſet inde

inde auxiliorum ſpes, in proverbium uſurpaverat, ut *malle ſe*, diceret, *unam Cerbeleriam habere ſubſidiariam in Platea:* quo genere galeæ pedites uterentur, *quam centum Elmos in Allemannia*: id enim erat equeſtris galeæ nomen: quo ſermone non ſolum numerum militum, ſed militaris quoque ordinis differentiam denotabat. Eodem quoque anno, quum *Marſilius* invitus dominorum *Brixiam* regeret, metu Regis, qui celeriter affuturus cum ingentibus copiis ferebatur, Urbem ipſam valido, atque alto muro diviſit: eam partem, quæ in collem erigitur, ab ea, quæ in plano ſedet, abſcindens, ut, ſi qua vis ullæve inſidiæ viam hoſtibus in Urbem dediſſent, recurſus eſſet ad altiora mœnia, utque ex loco altiore & tuendi ſeipſos, & invadendi hoſtes latior pateret facultas. Per idem etiam tempus plurima caſtella *Brixienſis* agri dirui juſſit, ne, ſi quid eorum fides defeciſſet, hoſtibus id aſylum foret, neu ſi cuſtodire omnia præſidiis militum curaret, copiæ, roburque civitatis minuerentur. Urbem vero ipſam egregie viris, armiſque, & omni alimentorum copia munivit. Quæ etſi multa viri prudentia, magnaque diligentia, & experientia rei militaris peracta ſunt, minime tamen neceſſariam fuiſſe eam curam eventus docuit, nam ſub idem ferme tempus, cum hæc agerentur, *Joannes* Rex filium ſuum *Carolum*, qui poſtea *Romanis* imperavit, *Veronam* pacatum miſit, quem *Albertus*, *Maſtinusque* magno honore accepere venientem, comiterque cultum, ac magnifice quidem donatum remiſere *Tridentum.* Quærebat enim inter hos, patremque Regem amicitiam conciliare. Igitur vix dum interjecto bimeſtri temporis ſpatio Rex ipſe eodem ſe contulit: in quem quidquid excogitari potuit honoris, quidquid conquiri magnificorum munerum impenſum eſt. Ille tam familiariter placideque cum dominis agere viſus eſt, quaſi hi Urbem aliquam ei donaſſent, ita recentem injuriam aut diſſimulabat, aut certe remiſerat. Abeunti *Marſilius* uſque ad clauſtrum *Corvariæ*, qua *Tridentum* itur, ſe illi comitem præbuit. Non multo poſt hæc Rector, ut erat *Brixiæ* privati negotii cauſa, *Veronam* cum veniſſet, uxoris *Bartholomeæ de Schrovignis*, quæ ignota vi morbi, ſubito vita defecerat, grave nuncium accepit. Ubi etſi rei gerendæ cauſa præſentiam ejus magnopere deſideraret: utilitati tamen, quam honeſto officio deeſſe maluit. Quapropter *Brixiam* propere reverſus eſt, ut ſepulturæ, pompæque funeris intereſſet. Creditum eſt a nonnullis ob repentinam mortem, eam veneno necatam eſſe; idque ex *Marſilii* conſcientia, quod & amor priſtinus, & pietas in funus exhibita credere nos vetat. Ejus oſſa poſt tempus referri in patriam curavit, honorificeque monumento recondi. Interea vero cum *Marſilius* cælebs ageret, eſſetque illi hoc genus ſolutum vitæ minime moleſtum, ſubiit tamen eum cogitatio quædam, obortaque eſt ſuſpicio ab veriſimili nihil aliena. Videbat enim ſe pene ſolum, quoniam liberis, uxoreque careret, ob id vero magis ſubjicere periculo, quia *Guido*, *Azzoque de Corigia*, cum eſſent avunculi dominorum *de la Scalla*, ab illis *de Rubeis*, Marſilii conſanguineis, patria prohibiti, foris *Parma* detinebantur, quibus *Marſilium* æquum erat favere ex neceſſitudine, quam cum illis haberet, aut certe, ſi minus id faceret, tamen ſuſpicio ejus rei certa ſubeſſe videretur. Quamobrem timendum, providendumque ſibi arbitrabatur, ne quid hi per occaſionem apud dominos adverſus ſe molirentur. Hæc illi cogitanti protinus via oblata eſt, qua fiduciam generare, ſuſpicionesque omnes tollere poſſet. Decrevit enim, ſi per dominos liceat, ſitque parentibus placitum, *Beatricem*, Guidonis filiam, matrimonio ducere,

A eosque hujuſcemodi vinculo ſibi obſtringere, quod uti providerat, ita effectui mandatum eſt: habitaque eſt *Veronæ* celebritas nuptiarum magno vicinarum urbium concurſu, atque ludi ſolemnes, cum apparatu magnifico, multoque ſplendore conviviorum; ei vero curiæ, ut erat mos temporum, quadringentæ veſtes donatæ ſunt, quas ille omnes juſſit in tubicines, joculatoresque diſtribui. Per ſe autem viris, matroniſque, qui honoris cauſa advenerant, ſingulis pro dignitate munera dedit; ſolutaque nuptiarum pompa conventus dimiſit. Bimeſtri vero poſt hæc præſidatu *Brixiæ* ſe abdicavit; eique ſuffectus eſt *Manfredus* ex marchio-

B nibus *Malaſpinis.* Anno vero ſequenti denuo ſocietatem coëgerunt Domini *de la Scalla* cum vicinis Dominis, quorum eſt mentio ante habita adverſus Dominos *de Rubeis*, qui *Parmam* in *Lombardia*, & *Luccam* in *Etruria* obtinebant, in quam ſocietatem *Florentia* quoque convenit ea ſpe, atque conditione, ut *Lucca*, poſtquam victoriam adepti eſſent, in eorum ſortem cederet. Hanc enim decedens *Italia* Rex *Joannes* de Rubeis tradidit, a quibus fuerat multa fide cultus, magniſque impendiis rerum adjutus. Uno itaque tempore, & hi *Parmam*, & *Florentini* Luccam obſidebant. Quatuor erant *Germani* fratres de gente

C *Rubeorum*, *Rolandus*, *Marſilius*, *Petrus*, & *Ugolinus*; e quibus *Petrus* ſolus *Luccam*, reliqui vero *Parmam* tuebantur: ſed hi inter vim hoſtium, & inteſtinarum metum inſidiarum nullius externi auxilii ope, aut ſpe ſubnixi, cum jam viribus, opibusque ſuis deſperaſſent, conſilio, tractatuque *Marſilii de Carraria* Scalenſibus Urbem dederunt. Verum, ut eſt inſatiabilis humana cupiditas, hi non contenti Urbis tam nobilis acquiſitione; *Luccam* quoque contra jus fœderum vendicare ſibi conſtituunt, a *Marſilioque* contendunt, ut quoniam illi Urbem tueri adverſus *Florentinorum* vim nequeant, ſuadeat eis, uti ad ſe potiſſimum ſpem

D inclinent; urbiſque ſibi poteſtatem faciant. *Marſilius*, cum ſæpe eos de ſervanda ſociis fide admonens, nec quicquam proficeret, metuens tandem ne dum hos ſtudet fideles reddere, ipſe forſitan apud eos parum fidelis haberetur, literis cum *Petro de Rubeis* egit, qui *Luccam* per ſummas difficultates tunc tenebat, ut tandem cum ſuis fortunam ſequeretur, urbemque is dederet: quod ille precibus, conſilioque *Marſilii*, ſuprema jam neceſſitate fecit, mallens unius, duorumve benevolentiam tanto munere ſibi parare, aut humanitatem experiri, quam multitudinis fidem implorare, aut populi ſtare judicio. *Florentini* vehementer irati, clam inire tentarunt cum *Venetis* belli

E ſocietatem adverſus Dominos *de la Scalla.* Suberat enim apud *Venetos* odii, atque inimicitiarum cauſa, cum hi haud ſane procul a *Clodia*, caſtellum, quod dicitur *Salinarum* exædificaſſent, quaſi imminentem *Venetorum* finibus ſpeculam. Igitur ſocietas hæc belli contracta, protinus, ut vulgata eſt, ſolicitos magnopere hos dominos habuit. Quamobrem *Marſilium* ire *Venetias* decreverunt acturum de pace cum *Venetis*, quos facilius, quam *Florentinos* arbitrabantur placari poſſe; quo in loco, cum eſſet aliquamdiu moratus, magnoque cum ſplendore ſe exhibuiſſet: negata tandem a *Venetis*

F pace rediit. Sub hæc protinus *Gerardus de Camino* rebus nondum ſatis ad bellum paratis, *Opitergium*, quod *Scalenſibus* ſuberat, noctu invaſit, quamobrem *Albertus de la Scalla* adhibitis ſecum *Marſilio*, atque *Ubertino de Carraria* cum manu militum feſtinus eo perrexit, oppidumque, quod ille intempeſtive occupaverat, celeriter in ſuam ditionem redigit. Eodem ipſo anno per menſem Augusti, nondum inchoato bello, *Marſilius* iterum *Venetias* profectus eſt. Venere illi obviam privatæ ami-

amicitiæ gratia plerique ex nobilibus ejus Urbis usque *Oriagum.* Verum in ingressu civitatis fuere voces nonnullæ temere per populum editæ: *Moriatur*, *Moriatur*, quæ res, ut non prævisa magnopere eum exterruit, ne forte per tumultum incurrentis plebis necaretur. Sed hæ voces auctoritate optimatum, quos super *Marsilii* privatam benevolentiam, publicæ quoque honestatis, ac fidei studium agebat, castigatæ sunt: estque illi ademptus metus. Ipse vero habitis per dies secretis cum Duce colloquiis, quæ non sunt in vulgus prodita, cum de pace non convenisset, *Paduam* rediit, multo magis, ac publico comitatu, & ab amicis seorsum, cum tutelæ, tum etiam honoris gratia in longum sociatus. Continenter ad hæc exercitus hostium *Patavinum* agrum invadit. Hic est enim potissimum gerendo bellum delectus locus, quoniam commodissimus est, & ad lacessendum undique *Scalensium* Urbes, & ad suggerendos exercitui commeatus. Maxime vero spes verisimilis suberat rebellaturos celeriter *Paduanos*, cum primum per occasionem liceret, quoniam non videretur duratura fides, quæ vi, vel clam esset extorta. Cum interea non minora, aut pauciora damna a stipendiariis militibus, qui in Urbe erant, quam ab hostibus paterentur. Erant namque ad duo millia *Germanorum* equitum, qui stipendia in Urbe merebant; hi multitudine sui generis freti per omnem licentiam in cives grassabantur. Una namque die orta ex levibus, ut fit, causis seditione, super ducentos ex civibus *Paduanis* interemerunt. Quas res ægre ferens *Marsilius* *Mastino* palam contestatus est, imminere periculum de summa rerum; ac nisi hujusscemodi excessibus consilio provideatur, ipsam per se necessitatem remedium inventuram. Quapropter ex hominibus mille & quingenti ad *Este* oppidum legati sunt. Verum ne hoc quidem satis ad eorum castigationem valuit, qui in Urbe manserunt. Cum enim ab solitis insolentiis minime temperarent, & una dierum in suburbio *Sanctæ Crucis* quorumdam civium bona vi raperent, reclamantibus illis, opemque implorantibus *Ubertinus* accurrit, ut suis concivibus opem ferret; contra quem armavere se protinus quingenti *Germanorum*, ac pari impetu insultum in eum fecerunt, quos nisi celeri cursu elapsus declinasset, lux ea fortasse futura illi erat extrema. Hujus itaque rei nuncio *Mastinus* excitatus ad locum turbæ propere venit, in quem & populus armatus accurrebat; undique *Ubertino*, civibusque auxilium dare cupientes, ac nisi celeriter is tumultus sedatus extitisset, res erat in summum discrimen itura. Itaque cum jam esset *Ubertinus* ex hoc actu *Mastino* suspectus, & extaret potentia *Carrariensium* omni quaque formidolosa, decrevit revocare in Urbem milites, quos *Este* ablegaverat, effecissetque, nisi *Marsilius* sagacissimus, ut erat, exasperatum eum mitibus verbis delinisset: *Ubertinum* affirmans, *Carrarienses*que cæteros sinceræ ad illos fidei esse, eorumque statum, atque omnem amplitudinem primos tueri semper, & augeri velle. Proxime vero in initio anni *Guilelmus de Campo S. Petri* primus ex *Paduanis* exhibuit se rebellem Dominis *de la Scalla*, qui non modo præsidia hostium in suum oppidum *Trivillarum* admisit; verum noctu quoque castrum *S. Petri* clam invasit: quod *Marsilius de Carraria* possidebat testamento legatum per *Tisonem Novellum*, ex sorore sibi nepotem. Ea res ingentes motus excivit. Creditum est enim ab hoc initio protinus res dominorum declive concessuras. Quamobrem omnes vicini domini, qui cum his prius belli societatem habuerant, defecerunt, & *Florentinis*, *Venetis*que se junxerunt. Cumque jam undique bellum his immineret, Provincias ita par-

A titi sunt, uti *Mastinus Veronam* tueretur, *Albertus* vero cum quingentis militibus *Paduæ* præsideret. Cum *Marsilio* vero, quoniam summum in eo erat momentum, ad Urbem obtinendam novam rationem commenti sunt. Triginta namque millia aureorum ab eo mutuo petere instituerunt, quam summam posse eum præstare, nemo dubitabat. Verum ne recusaret, testati sunt, velle se ei Urbis custodiam, populoque *Paduano* permittere, ipse eligat, quos tali ministerio nosset idoneos, quo magis crescebat suspicio, eo majorem confidentiam simulantes; arbitrati enim sunt, hac prætensa specie libertatis *Paduanorum* animos allicere;
B in primis autem *Marsilium* pignore acceptæ pecuniæ ad fidem certam obligare timentem, ne forte, mutatis rebus, crediti summam amitteret, & per honorem creditæ sibi Urbis custodiæ omnia facturum, ne sit rebus novandis locus. A populo autem jam nihil petere tributi, vel mutui audebant: nam per multa, quæ gesserant alibi, bella, *Paduam*, quæ pacem habere videbatur, pecunia jam fere omni exhauserant. *Marsilius* vero nihil recusare, hac secum usus ratione, quod si res quidem illorum staret, certos haberet eos auri debitores; sin' aliter, habiturum se Urbem, pignus idoneum, quam protinus ad portarum stationes
C *Paduanis* civibus, quorum antea fidem expertus erat, munivit. Sub hæc autem *Marsilio* per indices quosdam defertur, imminere sibi exitium, destinatamque ei, ac cæteris *Carrariensibus* ab *Alberto* mortem, ipsius tempus aptum expectari, quod ille haud facile credidit: tametsi indicia suberant certa, & causa non sane ab verisimili procul aberat. Decrescente namque potentia, augeri suspicia solent. Sciebat *Albertus*, tantisper esse se Dominum *Paduæ*, si *Marsilius* patiatur, atque in ea ipsa Urbe tam tutum, quantum *Marsilio*, suisque collibuisset. Hac autem una via posse, & suspicione, & alieni æris obligatione se solve-
D re, nec suberat cum eo affinitas, quæ fidem utrinque faceret, & suspicionem levaret. Igitur postquam indiciis *Marsilius* fidem habuit, rei indignitas eum vehementer commovit, super id, quod civitatem videbat & intus, & foris graviter premi; tædio namque tot bellorum, tantarumque miseriarum pueri sive a parentibus edocti, sive magis instinctu suo, nudatis humeris per vias, & loca publica civitatis bini prælata cruce prodibant, se quisque loris pulsantes, magnisque vocibus a Deo pacem, veniamque precantes. Qui mos protinus, ne quid inde ad majores serperet, *Alberti* jussu sublatus est. Accedebat ad hæc, quod & ab
E hostibus clam crebro solicitabatur *Marsilius*, monebaturque, ne patriam externæ servituti subjicere tamdiu pateretur, neu debitum sibi, suisque Principatum negligeret, raperet occasionem, cum liceret, ne id forsitan aliquando frustra desideraret.

Videbat insuper, si aut temere, aut alieno ductu civitas jugum excussisset, quod propediem futurum apparebat, excedendum sibi patria fore, seque inter hostes ejus annumerandum. His igitur adductus *Marsilius* animum in diversam partem inclinavit, auremque hostibus dedit. Cumque clam omnia convenissent, quid facto opus esset, u-
F trinque partibus admonitis, omnibusque compositis, quæ ad defectionem expedire videbantur, *Petrus de Rubeis*, Dux exercitus propius Urbem accedere constituit; itaque primo in Villa *Noventæ* castra posuit parvi jam existimans *Theutones*, aut ullos, qui in Urbe essent custodiæ causa. Inde vero per Villam *Turris* iter faciens in *Burgeuganea* exercitum locavit, quo in hoco habitasse *Euganeos* ferunt, cum *Antenor* post *Trojæ* excidium ad *Esperiam* navigavit, quos ille in hanc oram

oram delatus propriis sedibus expulit, indeque haud procul cum suis consedit, ubi *Patavium* Urbem exiguam primum, quæ nunc est latissima, condidit. Inde vero flumine vadato adortus est exercitus Portam *S. Crucis* oppugnare. Idque eo consilio, ut omne robur militum, quod in Urbe esset, eo diverteretur, quo ipso tempore *Petrus* cum expedita manu armatorum ad Portam *Pontis Curvi* flexo itinere contendit, eamque uti constitutum per *Marsilium* erat, patentem invenit, sequente nihilominus concito gradu magna exercitus parte; similiter autem & Portam *S. Stephani* æque patentem, atque in his locis repugnantem neminem. Igitur coacto in unum exercitu ad plateas libere, nulloque uspiam impediente pervenit, ubi *Carrarienses*, omnemque Urbis nobilitatem in idipsum congregatam reperit. Hujus rei fama per Urbem celeriter divulgata, lætitia ingenti populum affecit; fitque undique protinus læto cum clamore concursus agentium superis gratias, quod Urbem servitute liberassent. Ea die captus est *Albertus de la Scalla*, ac sine mora consentiente, atque acclamante universo populo Principatus Urbis est *Marsilio* delatus. Jussit igitur *Guidonem de Fojano*, & *Veronenses*, qui penes *Albertum* præcipui erant, ne quid per eos innovaretur, capi, eosque comiter asservari. Capti sunt etiam quingenti milites *Germani*, qui in præsidio Urbis erant. Sed his *Marsilius*, commeatum liberum dedit, restitutis sibi prius armis, equisque, si cui ablata in eo tumultu fuerant. Ac mirum quidem, quod per tantas in præteritum illatas civibus injurias, & multorum inter se civium inimicitias capitales, in hac rerum mutatione, vix quinque fere perierunt. Inter quos unus inventus est *Dominicus de Agrapatis* causarum Patronus, de quo ferebatur, quod auctor extitisset generandæ suspicionis in *Alberti* animum adversus *Marsilium*, & cæteros *de Carraria*, destinatæque in eos cædis conscius; sed & postea quidem per tempora alii, qui convicti sunt ejus facinoris fuisse participes, gravibus pœnis affecti sunt. Hæc autem facta sunt die tertia mensis Augusti anno tercentesimo, ac trigesimo septimo super millesimum. Ea vero *Venetiis*, *Florentiæque* nunciata variis primum auctoribus, inde vero per *Marsilii* certos nuncios ingentem populis alacritatem peperere. Quorum causa dies solemnes habiti sunt, ludique celebrati; qui vero *Florentinorum* legati *Venetiis* erant belli administrandi causa, simul magnificentissima *Venetorum* legatio ad hoc ipsum delecta contulere se quam celerrime *Paduam*, & *Marsilio* congratulati sunt, Urbique liberatæ spondentes pro salute, atque amplitudine ejus pro bono publico, tutelaque civitatis prompte omnia facturos; quos ille ad confirmandos sibi civium animos in concione populi audire voluit. Prodiensque responsurus retulit primum iis gratias, deinde longa oratione sua studia, omniumque *Carrariensium* in Rempublicam *Paduanam*; tum etiam perpetuam benevolentiam summaque in eos populi beneficia commemoravit: primumque quod *Jacobo Grandi* Principatum Urbis detulissent, qua de re ante concivi nullo gloriari licuerat, inde vero, & sibi quoque, tametsi pessimo tempore, Principatum à populo delatum, quoniam nec tenere facile, nec deponere tuto posset: secutum tamen eam viam, quam violenter temporum necessitas ostendisset. Sub hæc de perfidia eorum questus est, quibus se, suos, Urbemque credidisset, qui cum antea æterno odio certassent, postremo etiam insidiis se petere parabant: nunc vero denuo frustratis illorum munitionibus, Urbemque auxilio Dei, & *Venetorum*, *Florentinorumque* cura, ac studio liberatam: denuo se Principem electum, tanquam non videretur Urbi quæsita vera libertas, nisi & ipse Princeps esset libertatis. Pro his polliceri fidem, ac studia sua, & sperare per illorum curam, amicorumque opem cætera municipia *Paduani* agri, quæ nunc hostes obtinerent propediem recepturum, curaturumque, ut pro diuturnis bellis, quæ multa, & gravia pertulissent, longa salute, veraque pace populus abundaret: Deum testatus, non propriæ, sed communis utilitatis gratia admisisse se Principatum, nec aliam ob causam, quam ut pace foris quæsita, æquo cives sub jure viverent, & diutius jactati, placido tandem velut portu conquiescerent. Sub ejus orationis finem cunctus populus salvare, vivereque acclamavit: Patrem Patriæ, salutem Urbis, spemque ipsam omnium consalutantes, ac demissa concione, extemplo signa omnia *Scallarum* sunt a parietibus, undecunque conspicerentur, abolita, & in eorum locum Currus inscripti. Continenter ad hæc *Marsilius* institit, uti protinus copiæ ad *Montem Scilicis* ducerentur, sperans inter trepidationem hostium subita vi municipium capi posse; in quo quidem oppugnando, tametsi expugnari non valuit, nihil segnitiæ admissum est. Inter cæteros vero *Petrus de Rubeis* ductor exercitus sub muris acerrime dimicans ictu lanceæ ex agrestis cujusdam manu confossus est, dieque postera mortem obiit. Inter hæc *Antonius de Logoturre* Estensis Passus *Marsilii* nomine ab hostibus recepit. Ipse vero nona die, postquam Principatum inierat, *Venetias* accessit ad salutandum summum ejus Urbis Magistratum, reddendamque vicissim de re bene gesta gratulationem. Itaque *Albertus*, qui captivus habebatur eodem ductus est, carcerque illi constitutus sub Ducali Palatio, ubi uno tantum servo comite, qui una elegit carcerari, conclusus est is, qui paulo ante tot civitatum Dominus erat, & nunc nec sui quidem potestatem habet. Reversus *Marsilius*, quo liberius oppugnationi *Montis Scilicis* intendere posset, Prætorem Urbis dixit *Andream Maurocenum*, quod munus, cum ille ex justa causa recusasset, alium insignem virum æque *Venetum* in honorem ejus Urbis *Marcum Cornarium* subrogavit, qui rogationem admisit, & ex tempore Magistratum iniit. Diffidens vero municipium vi capi posse, obsidione vincere statuit; factaque in longum tractum grandi fovea omnem ejus ambitum, qui in plano erat, inclusit, ne quis ad eos commeatus immittere, aut mandata ulla perferre, neu ex eis egredi quispiam posset. Hanc autem quatuor ligneis Castellis munivit, in quibus equitum, peditumque, quod expedire videbatur, auxilia locavit. Actum sub hæc de pace *Venetiis* mense Decembri, quo convenere Domini omnes finitimi, populorumque legationes, ad quos res ea pertinebat. *Marsilius* inter illos aderat, & auctoritate, & consilio, neutiquam postremus. Sed eam pacem *Mastinus* renuit ob graves conditiones, quas admittere jubebatur. Post paucos vero menses *Marsilius* ægritudinem dyarrhœam incidit, quæ brevi vires ejus exhausit. Itaque prospicere Urbi volens, quæ parum tuta, nec satis quieta sine Principe futura videbatur, eligendum *Ubertinum* se vivo curavit, quæ res apud exteros nunciata, opinionem illi accrevit majoris prudentiæ; quod & Urbi simul, & generi suo tam bene consuluisset. De voluntate quoque suprema testatus *Ubertinum*, cum proprios liberos non haberet, hæredem instituit, & ab eo centum millia aureorum, quæ *Venetiis* habebat, in pias causas legavit. Præcipue vero monasterium *S. Mariæ Novæ* Venetiis ad Judaicam construi jussit, in quo religiosi viri Ordinis Servorum divino cultui deservirent, eumque locum ab-

abunde dotavit, ut etiam in mendicantes, vulgo, magnæ quotidie erogationes fierent. Quarum rerum executores, Procuratores constituit *S. Marci de Venetiis*; omnibusque rite compositis, ac postremo fidelium ritu consumptis Ecclesiæ sacramentis profluvio ventris extinctus est. Ejus corpus magnifice quidem elatum, primum apud *S. Antonium* ordinis Minorum sepultum est, postea vero, ut is testamento jusserat, *Carrariam* est translatum. Proceræ fuit staturæ, & pulchro aspectu, cui multa inerat majestas, magna vir prudentia, magnaque eloquentia, & qui ex ipsa facie sagax, astutusque dijudicari posset; pudicitiæ vero tam acer custos, ut in sororem *Cunizam* relictam *Tisonis de Campo S. Petri*, quæ parum pudice militem quemdam *Hemum* nomine *de Burgundia* adamasset, illius filium æque *Tisonem* appellatum animadvertere jusserit, & suam, patrisque injuriam cæde matris vindicare. Adortus erat omnia suburbia civitatis muro cingere, & jam in magnam partem jacta erant fundamenta. Verum festina morte præventus intermisit. Obiit autem anno ætatis suæ quarto & quadragesimo, die vi- A gesima prima Martii, anno nondum integro, quo Urbem in suam ditionem acceperat. Advenere legationes undique ab amicis, Dominis, sociisque civitatibus, quæ cum *Marsilii* obitum primum deplorassent, continenti insuper oratione, & *Ubertino* de Principatu, & Urbi de Principe congratulatæ sunt. Quibus ille gratias egit, & se, atque Urbem in eadem fide, ac amicitia obtulit mansurum.

Carrariæ legitur in Arca marmorea incisum hoc Epitaphium:

VIR BONUS, ET PRUDENS, QUEM DAT CARRARIA, MILES
B MARSILIUS JACET HIC PADUÆ DOMINUSQUE REDEMPTOR.
QUI POST EXPULSOS SONTES, SÆVOSQUE TYRANNOS
SCALIGEROS ANIMUM SUBLIMEM REDDIDIT ASTRIS
ANNIS MILLENIS, TERCENTUM, TERQUE DECENNIS,
BIS QUATER CHRISTI BENEDICTI LUCE PERACTA.

PETRI PAULI VERGERII,

Justinopolitani,

DE

UBERTINO DE CARRARIA

HISTORIA.

UBertinus de Carraria primum *Novellus* vulgo denominatus, cognominatusque est, & apud nonnullos *Ubertinellus* appellabatur. Dum viveret *Nicolai* parens, qui ejusdem & gentis, & nominis erat, ex cujus fratre *Jacobino* Ubertinus hic genitus juvenis admodum patrem amisit senem, & *Bonifacium* fratrem impuberem. Quamobrem & abundans opibus, & liber Patrio metu per multam licentiam vivere exorsus est; fuitque ejus vita varia; ut enim in juventute multa libidinose, multaque iracunde gessit, ita in senectute, & post susceptum principatum, & sapienter, & magnifice fecit omnia. Nam illi quidem præter domesticas opes, civilis quoque amplitudo familiæ, & cæterorum *Carrariensium* potentia animum dabat; maxime vero *Jacobo Grandi* principatu jam delato plus accessisse videbatur licentiæ, qui etsi æquo jure vivere omnes volebat, efficere tamen non poterat, quin quo quisque necessitudine ulla proximior illi erat, hoc plus cæteris aliquid sibi licere arbitrabatur. Post vero accessit ad hunc *Tartarus de Lendenaria*, comes assiduus, cujus majores per seditionem pulsi *Verona* fuerant. Hic homo impurus, & in omne facinus audax imbecillum juvenis animum facile quocunque impellebat, acuebatque ejus desideria, & ut exequeretur, fautor aderat. Erat autem super hæc natura *Ubertinus* animo magno, acerrimo ingenio, cui & audacia ingens suberat, & promptæ non deerant manus. Id cum ex multis aliis, tum vero maxime ex *Guilelmi Dentis* cæde intelligi potuit, qui cum esset ex nobili familia *Lemizonum*, amicis, atque opibus potens, & in Quarterio Pontis Molendinorum facile primus; omitto quod *Ubertino* bis sanguine conjunctus, tamen ab eo ante proprias ædes confossus est, comitante eo, C quem dixi, *Tartaro* omnium scelerum artifice. Inutilis est enim ad carpendum rectum iter dux malus. Orta autem est diffidii causa ex meretricula, quam uterque illorum amabat. Itaque plerumque res leves magnarum motionum causæ sunt. Ex hoc namque momento *Carrariensis* quidem familia in discrimen venit, ut aut vita omnes excederent, aut saltem Patria, urbs vero, ut præsens status, everteretur. Nam post ejuscemodi cædem, cum *Ubertinus*, & *Tartarus* clam in urbe perseverarent *Pollio de Bachadellis de Bononia* ejus temporis prætor diripi jussit eorum domos, ac dirui, eosque exilii damnavit. Quo illi metu urbe cesD serunt. Ob ignominiam autem publice diruptarum ædium ad *Canem de la Scalla*, qui tunc *Paduanis* infestus erat, se transtulerunt futuri hostes, & suorum, & Patriæ, cunctaque convenerant, & erant ab his obsides dati. Verum precibus aliorum *Carrariensium*, qui in urbe erant, ab eo proposito revocati sunt, suosque obsides tunc demum receperunt, cum & illi suos, qui *Nicolai de Carraria* nomine suspecti apud urbem habiti, datis licet obsidibus ad *Canem* defecerunt, convenitque de permutandis obsidibus, eo tempore, quo *Nicolaus* infestus Patriæ ad *Bubulentam* castra habebat, sed neque hoc loco consistere E ea res potuit. *Paulus* enim *Dente*, cui ex interitu fratris alte dolor insederat, fuerat enim *Guilelmo* Germanus, tametsi originis nothæ, cum quibusdam conjurationem iniit in fratris ultionem indigne perempti ad delendos omnes, aut certe pellendos urbe *Carrarienses*: nec eum retrahebant, qui in urbe supererant, insontes, atque inscii cædis fuerant; quodque auctores criminis rite damnati erant. Nonnullos vero magnitudinis eorum invidia stimulabat, qui, esse eos in urbe longe

ge omnium primos non satis æqua mente ferre poterant, & arbitrabantur facile fore, ut quomodo antea illi *Ronchos*, & *Altichinos* per seditionem ex insperato concitam pepulissent, morique coëgissent: ita nunc ipsi subito incursu pellerentur cedentes, aut resistentes opprimerentur. Itaque quarto ferme post mense, quo ea evenerant, *Paulus*, constitutis ex sententia rebus, ad plateas primus insultum fecit, sciens in civilibus dissensionibus eos plurimum superiores esse solere, qui illas præoccupassent, tametsi eum hæc ratio in præsens fefellit, eratque illius equitatus non sane major, quam equitum sexdecim, peditum vero ad summum quinquaginta. Reliqui enim ex conjuratis domi taciti manebant, tempus observantes, ut suscitato per istos tumultu, & ipsi erumperent, multitudinemque concitarent. Qui cum *Paulo* venerant, *Vivere Populum*, *& Mori Carrarienses proditores*, una voce omnes acclamabant. Protinusque ad ædes *Marsilieti*, & *Opizonis*, quæ erant vicinæ plateis, concurrerunt; eo loci commissa cum familiaribus pugna; nam Domini quidem aberant. Unus ex *Opizonis* familiaribus, *Papardella* dictus, occubuit; itemque e contrario unus ex his, qui se cum *Paulo* obtulerant. Cumque objectis sibi postibus desuper telis petiti nihil proficere magnum valerent, ad plateas redeunt iisdem semper vocibus usi, quas initio tumultus ediderant. Consensisse autem cum his *Pollionem* quoque prætorem hinc constitit, quod concitare in eos populum pulsu Campanæ conatus sit. Ad illos igitur, quoniam loca publica primi occupaverant, fit plebis concursus, erantque in eorum partes omnia signa, atque arma publica. *Carrarienses* autem periculi sui admoniti, quod grave, manifestumque imminebat, celeriter in equis armati conveniunt, & cum paucis amicis, qui subsidii causa ad eos concesserant, & ipsi quoque se in plateas offerunt, vita mallentes, quam civitate cedere, aut dignitate. His ex adverso *Paulus* cum suis occurrit. Acre inter partes committitur certamen, & jam ferme integram horam pugna duraverat, fortuna in neutram partem se inclinante, cum tandem advenere *Theutones*, qui publica stipendia in urbe merebant. Hi etsi *Paulo Denti* faverent, in quem omnem populi favorem derivatum arbitrabantur, pro pace tamen in præsens se interposuere: itaque jusserunt, uti *Carrarienses* primi plateis excederent; *Paulum* id idem facturum, in sua fide recipientes. Obtemperaverunt illi, qui omnia mallent, quam vinci, & qui hoc ipso vicisse videbantur, qui non cedebant hostibus victi. *Paulus* vero cum digredientis spem exhibuisset, eodem protinus rediit, memor, hoc ingenio usos *Carrarienses* proxima civili dissensione inimicos superasse. Igitur & illi re cognita redière, ac tum demum ex integro, quasi nihil esset actum superiore congressu, res accerrime geritur. *Carrarienses* enim, cum ab omnibus destitutos se viderent, atque in primis a *Pollione*, quem ipsi Prætorem acciri curaverant, in se ipsis spem suam collocaverunt; ac veluti saluti desperantes, quæ res eis salutem sola peperit, pugnâbant: *Paulus* vero, quod & turpe sibi putaret cedere, qui prior appellasset, & periculosum vinci ab iis, quos in se ipse provocasset, summa vi, atque ingenio, & ipse certabat, cui neque robur, neque audacia, aut bellandi peritia ulla deerat, sed hic demum cum esset ab iis, qui una venerant, destitutus, desperatis jam rebus cedere coactus est. Recta igitur domum declinans, sumpto ante se in Ulnas suas *Guilelmi* fratris parvulo filio, *Trivillas* oppidum, quod eorum erat, concessit. Illud autem *Carrariensibus* magnum momentum ad victoriam fuit, quod eorum singuli in ea pugna rem

A suam gerere se arbitrabantur: qui vero cum *Paulo* venerant, alienam. Quorum alii quidem metu diverterunt ob atrocitatem pugnæ, alii vero spe veniæ, a quibus, nisi esset *Paulus* destitutus, eam profecto diem lacrymosam insigni clade *Carrariensibus* edidisset, nam in ea pugna omnes fuere variis vulneribus saucii. Præter cæteros autem *Opizo*, de quo non est a nobis super hoc aut habita, aut habenda alibi mentio, ictu gladii quatuor ex ore dentes exspuit. Verum hi, ut erat animus ira fervidus, vulnera nihil pensantes, *Paulum* protinus, si forte domi resedisset, insecuti sunt plebe comitante. Nam in contentione Nobilium vulgi favor in eam se partem inclinare solet, penes quam victoria certa cominus stetit.

B Quem cum evasisse intelligerent, ejus familiæ ædes omnes plebi diripiendas permiserunt. Inde vero ad monasterium *S. Justinæ* concito gradu profecti sunt, quod Abbas quoque cum his in eorum perniciem conjurasset. Sed is clam per subterraneum cuniculum cum duobus illegitimis natis aufugit; eoque pacto omnes, qui conjurationis conscii fuerant, consiliorumque participes alius alio diverterunt. Postera die *Ubertinus*, & *Tartarus* a suis evocati *Paduam* rediere irarum pleni cum in certos, qui contra sensissent, tum maxime in Prætorem, qui super id, quod se de interitu *Guilelmi Dentis* damnaverat, ædesque publice direptas etiam demolitus erat, nuperrime quoque in hac dissensione civili, sui ac totius familiæ, cujus beneficio Prætor erat, inimicis consensit.

C Igitur die insequenti cum amicis civibus, & agrestium suorum hominum valida manu prætoriam domum agressi sunt oppugnare. Quod prætor, ut vidit, nulla adhibita defensione, turpiter latuit. In ea igitur irrumpentes quidquid obvium est prosternunt, cæduntur passim ministri, judices conculcantur, brevique diripiuntur a ruralibus omnia, quæcunque evehi poterant.

D Ipse vero apud secretum inventus, cum elapsus per tecta insequentium manus fugeret, e summis ædibus in terram se demisit, ubi semivivus, ut erat, gladio extinctus est. Inde vero *Ubertinus*, uti damnationem suam aboleret, in Cancellariam irrupit. Quo in loco quidquid erat publicæ, privatæve scripturæ, quidquid librorum, quidquid denique toto prætorio literarum inventum est, igne consumpsit. Mirabitur quispiam fortasse, quamobrem pugnam, quæ cum *Paulo Dente* confecta est, inter *Ubertini* gesta potissimum annotaverim; cum & ipse id temporis urbe abesset, & ea non minus vel labore, vel periculo ad quemvis, vel duorum proxime superiorum, vel ejus,

E qui sequitur, Principatum pertinuerit. Verum ea me ratio induxit: quod *Ubertinus Guilelmo Dente* interimendo visus est ei causam præstitisse. Post *Pollionem* defunctum *Jacobinus de Bochis* prætura adjuravit conditione adjecta, ne de criminibus ante initum a se Magistratum admissis jus diceret; Comiti vero *de Fulimbergha* Regio in urbe Vicario successit *Conradus de Ufesten*, sub cujus adventum plerique ex profugis arbitrati sunt fore, ut per eum restituerentur. Verum *Carrariensibus* nihil potius fuit, quam, ut curarent judicari eos, qui in se conspiraverant contra honorem

F Regium, & adversus Rempublicam fecisse, utque Majestatis læsæ damnarentur, quod uti petierant, ita effectum est, sententiæ quoque auctoritate Regia missis ad eum ex urbe legatis comprobatæ. Hi autem sunt ex ea causa bonorum publicatione damnati: *Paulus Dente*, reliquique ex eo genere omnes, *Conradus de Vigontia* Miles, *Gerardus de Malitiis* una cum filiis, *Gualpertinus* Abbas *S. Justinæ* cum filiis, hic erat *Albertini Mussati* frater, cujus filius quoque in ea damnatione

tione fuit, ipſe vero nullo ſuo crimine, cum eo tempore urbe abeſſet, culpa tamen ſuorum *Clugiam* relegatus eſt: ob quam injuriam pleraque in *Carrarienſes* mordacius ſcripſit. *Joannes* vero *de Campo S. Petri* ex hac ipſa cauſa *Venetias* eſt relegatus, ac plerique alii varie damnati, nonnullis tamen, aut ex veteribus cauſis, aut per novam gratiam impunitas data eſt: quidam etiam auro ſe redemerunt; quo quidem tempore, quidquid *Carrarienſes* in Republica decreviſſent, ratum erat, & ad eorum arbitrium gerebantur omnia. Perſuaſus namque Rex erat, & qui regio nomine præerant, non poſſe urbem niſi conſilio, atque ope *Carrarienſium* in ditione contineri. Itaque cum omnia communiter poſſent, ſeorſum quoque ſinguli, nonnulla ſibi per majorem licentiam arrogabant, præcipue vero *Ubertinus* juvenili animo fretus in pleriſque rebus audacia pene in perniciem uſus eſt. Inter cætera namque cum is, qui in demortui prætoris locum ſuffectus erat, *Jacobinus de Bochis*, quemdam ex illius miniſtris maleficii reum, quem in carcerem conjecerat, petenti exhibere denegaſſet, ac inſuper vellet perſeverare inquiſitionem facere de violentia virgini plebejæ illata; cujus facti infamia ex nonnulla parte contingere eum videbatur: *Ubertinus* multis verbis iracundius dictis, meminiſſe eum admonuit prædeceſſoris ſui; quod ille penitus conceptum, nihil in præſens animadvertere ſe ſimulavit. Verum utcunque ab eo explicitus abdicare ſe prætura conſtituit. Itaque cum jam ſigna turritu ederentur, ad quæ ſolebant plebeji Magiſtratus, cæterique, qui ſolebant Rempublicam adminiſtrare, convenire, *Marſilius*, qui plus cæteris erat publicis curis intentus, re cognita Prætorem protinus adiit obteſtans, ne hunc tantum motum in urbem concitare vellet, ſibi, cæteriſque *Carrarienſibus* cordi eſſe, ut in omnes, atque in primis in *Ubertinum* ipſum jus dicatur, ſitque ei juris executio libera. Quibus dictis Prætoris animum parumper mitigavit. Inde vero convocatis cæteris ſui generis in ædes *Papafabarum*, quæ prætorio confines erant, ac de periculo edoctis, & quanta hinc illis invidia quæreretur, ægre vix tandem *Ubertinum* pepulerunt, ut una Prætorem adiret, ſeque in eum peccaſſe fateretur, pariturumque ſententiæ ſponderet, quæcunque in ſe dicta eſſent. Itaque poſt dies ære multatus per multam indignationem ſatis damnationi fecit. Hic autem cum eſſet *Nicolao* proxima linea conſanguinitate conjunctus, à *Marſilio* vero multis etiam gradibus diſtaret, *Marſilio* tamen magis obſequens erat, ejuſque ſtudiis in primis favebat: cauſæ erat, quod *Nicolaum* videbat dominandi avidum, præeſſe cupientem, hunc vero magis æquitati ſtudere, & genus hoc civilitatis ſervare velle, in qua multa ſibi licerent, quæ quovis aliorum Principante minime forſitan permitterentur, & quod cupiebat unuſquiſque, ſiquidem ipſi non liceret: præterea neminem unum Principem eſſe. Quamobrem cum creditum eſt, *Nicolaum* ambiiſſe Principatum, facile cum cæteris in *Marſilii* ſententiam ceſſit, ut qui conſcii ferebantur, converſatione ejus, atque etiam urbe amoverentur; ejus vero conſilii, quo *Cani* demum eſt Civitas tradita participem non fuiſſe *Ubertinum* ſuper cætera argumento eſt, quod eum ferunt hujus rei dolore de extremis cogitaſſe, voluiſſeque mortem ſibi conſcire, quod quidem auctoribus non ſatis certis vulgatum eſt. Id autem temporis, quo urbs eſt jugum externum paſſa, modeſte, ac civiliter vixit, ut nihil tamen videretur ſolita magnitudine animi decidiſſe, & domeſticum facile ſplendorem tueretur, maxime vero, & ante Dominos cum *Marſilio* inter primos ſe exhibebat, & in civitate

A bene videbatur, quia ita ſe gerebat, ut in omni contentione cives ſemper tueretur, quæ res ei crebro periculum attulit, cum urbs ſub tempus belli militibus abundaret, & reddendi juris inops eſſet. Inde vero liberata jam Civitate, cum eſſet oppugnationi *Montis Scilicis* a *Marſilio* præpoſitus, acrem, vigilantemque Ducem præſtitit, ut nihil, quod aut vi fieri, aut aſtu provideri poſſet, ulla unquam jam re prætermitteret: inter alia nuntium quemdam *Ludovici de Gonzaga*, qui ſe *Mantua* fugiſſe ſimularet, immiſit, uti per eum inveſtigaret, quanam via capi municipium poſſet. Verum detectis per *Baldum de Pagiana* hujuſce-
B modi dolis, is nuntius, & *Zilius de Mantella*, Ubertini familiaris, laqueo pendere juſſi ſunt. Quamobrem turbatus *Ubertinus* ſex ex captivis ante municipii portas æque pendere mandavit; ut quoque magis hoſtes terreret, reliquis captivis per integram noctem pendere laqueos ex collo voluit, quaſi luce proxima tollendi forent, & ſane per multam atrocitatem ea obſidio utrinque deducta eſt. Omnes enim, qui comprehendebantur ex alterutra partium viri quidem procul omni miſericordia necabantur, fœminæ vero, ſi quæ aut fame, aut obſidionis tædio egrederentur, conſciſis ferro naribus regredi cogebantur. Inter hæc
C in initio ferme Principatus *Ubertini*, nam undecima die priuſquam *Marſilius* vita exceſſiſſet Principatum iniit, paratam municipii defectionem caſus impedivit. Plerique etenim ex municipalibus conſenſerant clam noctu exercitum introducere, cumque omnia conveniſſent, & jam eſſent ad murum milites cum ſcalis, cæteriſque impedimentis, ut mœnia ſcanderent, ſubito ignis in exercitu ſive dolo, ſive per imprudentiam elapſus, emicuit, agreſtemque domum ſuccendit, ex cujus fulgore, illi, qui ſub mœnibus armati aderant, cauſam præbuere, ut in muros ad tutelam
D concurreretur. Re vero die poſtera per quoſdam ex captivis apud eos cognita, *Petrus de Verme*, qui *Scalenſium* nomine intus præerat, in omnes, quos ſontes, aut conſcios deprehendere potuit, animadvertit, non ſatis deterritos, quod paucis ante diebus *Gumbertum de Leſmaninis* cum aliis quibuſdam conjuratis vario genere mortis damnaverat. Tandem vero revoluto anno poſtquam oppugnari cœptum eſt municipium, cum obſeſſi ſummam paterentur alimentorum inopiam, nec jam ſubeſſet auxilii ſpes ulla, *Ubertino* ſponte deditur ea conditione adjecta ſola, ut ſtipendiariis militibus liceret indemnibus abire. Verum ſupererat
E Arx pene inexpugnabilis ſummo colle conſtituta, unde ſubjecta incolarum ædificia omni tormentorum genere die, noctuque infeſtabantur. Eam *Florinus de Lucca* Maſtini nomine adhuc obtinebat, nec ulla ratione adduci poterat, ut illam *Ubertino* redderet. Quapropter convectis ex *Venetiis* ingentibus machinis, atque in arcem erectis repugnantem vincere tentabat; nam cuniculis quidem ſubterraneis convelli eam non poſſe ipſum loci indicat nomen. Verum cum vi nihil proficeret, & mora omnis longa videretur, aſtu contendere aggreſſus eſt. Itaque *Joannem Franciſcum de Galmarellis*, aſtutum ſane hominem, &
F in omni præterita vita ſodalem, ſimulatis cauſis ſubmiſit, qui cum cuſtodibus ageret, uti pretio *Florinum*, arcemque dederent, quod ille celeriter effectum curavit. *Florinus* igitur deditione facta cum cæteris miſſus eſt *Paduam*: iiſque pro perfidia aurum eſt ſolutum: illi vero fidei præmium eſt mors illata tertio menſe, poſtquam municipium erat deditum. Ex hoc *Joanne Franciſco* admoneor, ut inter belli opera commemorem, quid *Ubertinus* protinus in initio Principatus inter amicos edixerit, quod maxime ad domeſticam

pacem,

pacem, libertatemque pertinere visum est. Convocatis enim Amicis, ac Ministris iis, qui omnis suæ vitæ, rerumque omnium conscii, & comites fuerant: *Hactenus*, inquit, *ita in hac Urbe, ut in re aliena versati sumus, nunc nostram, decet, ut tueamur. Vi quicquam, aut per injuriam fieri veto. Esto jus æquum omnibus, quod quis vestrum exoptat sibi præcipuum dari, vel fieri, ex me id petat; si secus egerit, minimè placabilem sibi experietur* Ubertinum, *quoque mihi carior quisque est, eo sibi magis prospicere jubeo.* Sub hæc exercitum *Bassano* admovit, nam & ipsum quoque ab hostibus tenebatur: quo tempore clam *Mastinus* tentavit proditione *Montagnanam* in suam ditionem redigere. Verum is, quo cum res agebatur, *Ubertino* cuncta renunciabat. Itaque constitutis omnibus, quæ convenerant ad defectionem rite simulandam, quingenti milites ab exercitu, qui *Bassanum* obsidebat, delecti eo missi sunt, atque in insidiis collocati. Ab hostibus vero noctu advenere *Spineta* Marchio, & *Guido Rizzius de Fogiana* cum valida manu militum ex *Verona*. Hic enim, etsi in liberatione *Paduæ* Urbis, in qua Prætor erat, captus extitisset, permutatione tamen *Girardi de Camino*, qui in oppugnatione *Opitergii* captivus fuerat, nuper erat liberatus. Facto igitur e Turri signo in eos protinus, qui advenerant, est impetus factus. Illi se, ut in re subita ad pugnam erexere, sed non diu restiterunt. Nam intra breve momentum victi, fugatique sunt. *Guido* iterum una cum fratre *Gilberto*, ac plerisque aliis sui generis, multisque stipendiariis militibus captus est, militibus equi adempti, armaque detracta, ac sub fide redeundi ad arbitrium victorum abire dimissi. Cæteri ex nobilibus captivi *Venetias* legati. *Gilbertus* Paduæ intra publici carceris ambitum, in lignea cavea ad id ipsum facta conclusus loco nomen dedit, qui de suæ gentis appellatione *Fogiana* & nunc dicitur. Dum hæc ita geruntur, concepit spem *Ubertinus* posse commeatibus intercludi *Vicentinos*. Misit igitur quosdam, qui captis custodibus Turres Pontis *Quartiroli* in suam ditionem redigerunt. Spe vero amplius super hæc oblata per *Jacobum de Arzignano*, *Vivarium de Vivario*, & quosdam aliis *Vicentinos*, qui consilium inierant eximendi *Vincentiam* de Dominio *de la Scalla*, *Rolandus de Rubeis*, Dux exercitus, continenti itinere, simul cum copiis militaribus eodem se contulit, eorumque auxilio, qui rei hujus conscii erant, suburbia cepit civitatis, videlicet *Pusterlæ*, Portæ novæ *S. Felicis*. Inclusi muris *Vicentini* Mastini fidem implorant, quibus ille succurrere jam non facile poterat. Omnia namque itinera intercepta erant, cum *Castrum de Brendula*, & *Monteclum* ab eo defecissent. Verum cum per viam *Longarethi* commeatus mittere tentasset, *Henricus de Lozzo* jussus ab *Ubertino* cum expeditis militibus obequitare *Lonicum*, ingentem earum rerum prædam, quæ *Vincentiam* convehebatur, retulit. Hæc igitur tandem necessitas *Mastinum* adegit, ut paci jam toties a se recusatæ consentiret. Convenit autem inter cætera, ut *Ubertino Bassanum*, *Castrum Baldum* redderentur, quæ sola reliqua ex agro *Paduano* hostes obtinebant, atque captivi utrinque relaxarentur; sed & cæteri quoque belli hujus socii proprias quisque conditiones exegerunt. Estque vigesima quarta die Januarii sequentis anni pax publicata. Una præterea causa restabat ex hoc ipso bello nata, quæ tollenda videbatur, nam ut in his, quæ de *Marsilio* diximus, *Guilelmus de Campo S. Petri* odio a suis gentilibus jam antea gravi decedens, quod solet inter conjunctos esse gravissimum, ipsum castrum, unde appellabantur, quod *Marsilius* tunc obtinebat, noctu clam invasit, & rebellis Domi-A nis *de la Scalla*, hostibus adhærebat.

Id nunc *Ubertinus*, Marsilii hæres, reddi sibi expostulabat: contentio autem ad vim juris referebatur. Nam *Marsilio* quidem *Tiso Novellus* legaverat; *Guilelmus* autem ex *Tisonis* hujus fratre genitus testamento avi, quod extabat, hæreditatem sibi universam deposcebat. Super ea lite in Ducem *Venetorum* compromissum est; eique possessio loci tradita, ut apud se sequestratum & dicendi juris, & exsequendi facultas esset. Sequenti igitur anno *Franciscus Dandulo*, Venetorum Dux, cognita causa, *Ubertino* castrum jurisdictione sua, *Guilelmo* reliquam hæreditatem adjudicavit. B Compositis autem, quæ foris necessaria visa sunt, ad domesticam curam animum advertit. Igitur suscipiendorum liberorum gratia, quod in re familiari primum debet propositum esse, de matrimonio cœpit cogitare, & sane quo tempore Domini *de la Scalla* Paduæ imperium habebant, coactus a *Marsilio* precibus, & imminentis periculi metu, quod per potentiam illorum *de Corigia* incumbere videbatur, *Jacobinam*, Simonis *de Corigia* natam, desponsaverat, quam affinitatem, cum ne tunc quidem sponte inivisset, dissolvere jam primum instituit, ut eo vinculo absolutus, liberius nuptiis aliis vacaret. C Quid enim absurdius, quam eam, cum qua semper victurus sis, parum animo gratam ducere? itaque cum in judicio per procurationem litis probasset, metu se id admisisse, non libera voluntate, nondum enim eam traduxerat, judicis sententia absolutus est. Ut vero ostenderet, quod in muliere potissimum desiderari debeat, *Annam de Malatestis* ex sola opinione prudentiæ, quam plurimum excellere, apud omnes ferebatur, in matrimonium duxit, opes nihil exquirens, quas illa neutique præstare tunc poterat, cum per suorum dissensionem extra patrium solum exularet. Ejus autem mulieris causa, bellum postea procul D domo suscepit: nam cum illius Patruus *Ferratinus Perusinorum*, *Forolivienfium*, ac *Ravennatum* auxilio *Malatestam* senem intra oppidum *Mondainum* obsideret, *Ubertinus* ob necessitudinem solam, quæ ei uxoris causa cum illo erat, afflictis rebus opem tulit. Unum namque ex amicis *Joannem de Sancta Cruce* eo misit, qui conducto exercitu, atque inita cum *Urbini* communitate belli societate *Ferratinum*, oppidumque obsidione levavit, subinde *Veruchium* Malatestarum antiquam sedem, ac pleraque alia oppida vi cepit. *Pinam* quoque *S. Marini* munitissimum natura locum habuit. At postremo cum ad obsidendum *Ariminum* profecturus E exercitus videretur, de pace convenit, qua *Malatesta Ferratinusque* de litibus, omnique sua contentione in *Opizonem*, Estensem Marchionem, & *Ubertinum de Carraria* compromitterent. Atque hic fuit expeditioni finis. Eodem anno, cum Urbs frumenti inopia laboraret, magnam vim ex *Sicilia* * convehendam curavit, eamque pretio multo viliori, quam ipse comparasset, dari populo jussit. Quas ob res, cum esset summa, & apud cives benevolentia, & hostibus terrori, satisque & domi, & foris tutus videretur: veneni tamen periculum ex insidiis pene subiit. Habet enim potentum conditio, ut eorum pars magna gladio F pereat, qui vero gladii vim effugere valent, plurimi quidem veneno, vix pauci vero absque veneni opinione moriantur. Nulli certe, quod constat, absque veneni periculo vivunt. *Vitalianus* namque, filius *Guilelmi Dentis*, quem *Ubertinus* occiderat, ægre ferens Patris inultam esse tamdiu

* Sicilia. *Uterque codex, quo usi sumus, habet* Suevia. *Sed errorem amanuensium credimus. Non enim est rationi consonum, ut e* Suevia *frumentum* Patavium *usque traduceretur, quod tamen facili navigatione ex* Sicilia *haberi poterat.*

necem, ejusque percussorem Patriæ principare, quem vi aperta non poterat, per insidias tollere aggressus est. Sciebat enim amicum, ac familiarem esse Medicum quempiam *Venetiis* habitantem, a quo & tueri, & curari æger, & salutari sanus, & munuscula crebro ex ejus arte recipere consueverat, cujus servum magnis datis, majoribusque promissis de fide corrupit; induxitque, ut Domini sui nomine plerasque veneno medicatas confectiones *Ubertino* perferret. Qui *Paduam* veniens, cum nequiret tam cito, uti speraverat, susceptum exsequi munus, propterea quod *Ubertinus* morbo tunc affectus domi jacebat, ex mora metum incidit, ne forsitan aliunde sceleris emanarent indicia, & per cruciatus a se veritas extorqueretur: itaque mutato proposito, insidias aperit, auctoremque criminis denunciat. Quæ res, postquam per *Ubertini* legatos *Venetiis* est palam facta, certaque fide cognita, *Vitalianus*, qui metu jam profugerat, exulare inde perpetuo damnatus est; ejusque bona, quæcunque inventa sunt, fisco adjudicata. Sic igitur mutuis utrinque officiis multa cum *Venetis* amicitia perseverabat. Ex Dominis vero *Opizonem* Estensem, & *Thadæum de Pepolis*, Bononiæ dominatorem impenso studio fovebat. Itaque bis biennio præsentes convenere, primo apud *Lendenariam*, ubi & affuere legati *Florentinorum*, societatemque coinierunt, uti tandem in sua amplitudine, ditioneque tuerentur. Contra quem exercitus *Luchini de Vicecomitibus*, *Mastini de la Scalla*, & *Ludovici de Gonzaga* infestus veniebat. Iterum vero apud *Rhodigium*, ubi multum diuque inter secreta consilia sine arbitris versati sunt. Et ei quidem, in qua primum *Thadæus* necessitate constitutus videbatur, celeriter, ac magnifice succurrit *Ubertinus*, nam evocatum ex confini Germania *Hengelmarium de Vilandres* cum galeatis equitibus septingentis *Bononiam* propere misit. Ubi ordinatis jam ad pugnam utrinque aciebus, signumque expectantibus in ipso temporis articulo pax convenit. Remissis itaque auxiliis *Hengelmarius* splendide, copioseque ab *Ubertino* donatus ad propria reversus est. *Opizoni* vero, quo cum multa illi familiaritas erat, obnixe petenti, ut exules quosdam revocaret in Urbem, gratificatus est. Quamobrem *Nicolaum*, & *Martinum de Macharuffis*, & *Tenselgardum de Malitiis* ad gratiam, civitatem, patrimoniumque restituit. Atque ut in prænominatos dominos multa benevolentia propensus erat, ita illis *de la Scalla* omni studio infestus adversabatur, eratque cunctis amicus, quos illis sciret inimicos, & quidquid illi efficere tentassent, summa vi impedire conabatur. Igitur exorto bello cum exercitus *Mantuanus*, præbente opem *Luchino*, Veronensem agrum invasisset, omniaque ferro, flammaque vastaret, *Ubertinus* sese iis socium, atque auxiliarem præbuit, copiasque suas in commune contulit. Venerant enim in spem habendæ *Vincentiæ*, eratque ea conditione societas ab eo inita, & jam *Montagnanæ* pacata erant omnia cum exercitu, cum instrumenta ad oppugnandum, tum vero & annona pro commeatibus. Sed *Mantuani* causati, quod quidam de exercitu in omnium perniciem cum hostibus conspirassent, acta ingenti præda domum reversi sunt; sic *Ubertinus* spe sua, fideque aliena delusus ægerrime id tulit. Dolorem tamen æqua fronte dissimulavit, nec in futurum destitit, quominus impedire conaretur, ne Domini *de la Scalla* Lucam Urbem, quam amissa jam *Parma*, tueri non poterant, *Florentinis* venderent pretio ducentorum millium florenorum, non equidem ea mente, ne *Florentini* Urbem haberent; sed ne hi pretium: tantum etenim aurum, si accepissent, magna adversus vicinos potuissent facile moliri. Itaque & (A) ejus auxilio, & *Zuchini Vicecomitis*, *Januensium* quoque, ac filiorum olim *Castrucii*, qui *Verona* profugerant, *Pisanis Luca* post accerrimam eorum cum *Florentinis* pugnam fame victa concessit. Hique & Urbe, & pretio caruere. Privatas vero inimicitias non minus diligenti cura persecutus est. Cum enim plerique ex rebellibus *Paduanis*, qui *Parmæ* habitaverant, defectione ejus Urbis a dominis *de la Scalla* ad *Mantuam* se contulissent, *Ubertinus* impenso studio dedit sibi eos victos, curavitque. Fuerunt autem hi præcipue *Henricus*, & *Guillelmus* filius *Prosdocimi Caligine*, *Tempus*, & *Guillelmus* fratres *de Tempo*, *Federicus de Capite-Listæ* (B) cum fratribus, *Jacobinus de Hengelfredis*, & *Novellus de Rubeis*, quos omnes in carcerem *Fojanam* conjecit, fuitque illis, quamdiu vixerunt, hic locus infelicis vitæ sedes ingrata. Durius, atque etiam dicere ausim, justius, in hos, qui sequuntur animadvertit. *Marsilio* vero *de Carraria* ex longo comes assiduus fuerat, & inter amicos non postremus *Daynesius de Fumissello*, qui cum illius & liberalitatibus locuples, & favoribus honoratus haberetur, non veritus est tamen, quo tempore *Albertus de la Scalla* insidias ei struxerat, in perniciem ejus consentire; neque id visum est illi satis, sed cum nondum detecta esset Viri perfidia, (C) principante *Marsilio*, in simulatione benevolentiæ perseverans omnia ejus secreta revelabat. Quo insuper vita defuncto, *Veronam* ad *Mastinum* se contulit, isque eum & in præteritorum memoriam, & *Ubertini* præsentem contumeliam magno honore dignabatur, multaque ei largitus est. Qui subinde, ut erat incertæ fidei, *Ubertini* blanditiis allectus denuo in Urbem rediit, patrimoniumque integre recepit. Verum immemor, & accepti beneficii, & criminis remissi, conabatur clam, quoad poterat, sparsis vulgo sermonibus *Ubertinum* in odium plebis adducere. Quam ob rem ipse, & *Bonifacius* frater lacerati, miserabile de se exemplum (D) præbuerunt & perfidiæ, & magnitudinis rei. Reliqui ex suis, qui aut metu aut conscientia profugerant, perpetuo exilio damnati sunt. Verum cum plerique falsis criminationibus severitate ejus in sontes abuti conarentur, excrevissetque plurimus calumniantium numerus, tres fuere, qui privato odio *Nicolaum de Gardelis* Ubertino detulerunt: quod insolentius locutus contumeliosa de eo verba protulisset. Cujus rei veritate diligentius exquisita, cum falso delatum fuisse constaret, delatores ignominiosa mitra coronatos per vicos, & plateas clangentibus tubis circumduci jussit, ac postremo, ut essent ad metum cæteris, lingua (E) privari. Ea res magnam *Ubertino*, & laudem, & gratiam apud multitudinem peperit; ut igitur immitis in improbos cives, ita in probos pius, clemens, ac liberalis inventus est. Inter cæteros *Joannem de Vigontia* & doctrinæ, & militiæ honoribus insignitum, qui integra fide, & summa continentia diu fuerat in Republica versatus, atque ad omnes ferme nostri orbis Principes, Populosque legationis munus obierat, in senectute ad extremam inopiam redactum, suis opibus fovendum, alendumque per summam copiam curavit, multaque illum semper veneratione dignatus est. Nec vero in eos modo, qui virtute ulla provecti essent, beneficum se præstitit; sed, ex juvenibus (F) quoque uti quam multi proveherentur, annixus est. Cum enim aliquando valetudine adversa laboraret, cujus curandæ gratia *Gentilis de Fuligineo* ejus temporis Medicus illustris accitus est. *Ubertinus* splendore nominis, elegantiaque viri adductus duodecim adolescentes *Patavinos*, qui ad disciplinas apti viderentur, deligi mandavit, eosque præbitis in omne tempus large commeatibus *Parisium* misit, quæ Urbs literarum studiis famosissima tunc erat,

erat, uti, cum liberalibus disciplinis imbuti essent, Medicinæ operam darent; atque neutiquam votum ejus effectu prospero caruit. Omnes namque, qui ad id munus lecti sunt, debita tempora studiorum emensi, probi clarique evaserunt. Ad externos vero quam magnificum sese semper, liberalemque exhibuerit, multa subsunt exempla, si persequi velim; sed in præsens non omittam; cum enim fama percepisset, *Guilelmum* dictum *Analdum*, Anoniæ Comitem, Imperatori primum, deinde *Franciæ*, *Angliæ*, ac *Siciliæ* Regibus sanguine conjunctum, qui ex peregrinatione sacri sepulchri redibat, expectari *Venetiis*; nihil moratus insignes legatos eo misit, qui illum venientem exciperent, quique per summos honores, opulentissima procuratione *Paduam* comitarentur. Hic noctu veniens tot cereis per aliquot milliaria inductus est, ut ex splendore nox in diem conversa videretur. *Ubertinus* forte tunc æger domi jacebat, nec exhibere se ei potuit; verum Comes tantam magnificentiam in se admiratus, adire, ac salutare eum prorsus voluit, deque amplissimo honore gratias præsens agere. Inde vero ingentibus illi donis *Ubertini* nomine oblatis, ex quibus gradarium tantum equum admisit, reliqua honeste recusavit, viam suam proficisci perrexit, extraque fines *Paduani* agri nobilissimo comitatu deductus est. Anno quoque proximo non jam per legatos, sed ipse cum sospes erat, ac recte valens *Oriagum* usque profectus obviam sorori Regis *Siciliæ*, quæ in *Alemaniam* futura nepoti Imperatoris conjux ducebatur. Hanc summo honore, & amplissimo sumptu, ut venientem suscepit, ita egressam per fines suos comitatus est. Eoque magis hic conatus, quod non modo gloriam ex ea reparare, sed Imperatoris quoque augere sibi benevolentiam officio sperabat. *Xichum* vero *de Caldinacio* bello pressum ab Episcopo *Tridentino*, opemque implorantem auxilio celeri, & sufficientibus copiis juvit. Quamobrem de omni lite, quæ inter eos versaretur, post Imperatorem, & ejus filium, Marchionem *Brandenburgensem*, Ubertinus tertius arbiter compromissarius electus est. His namque, ac talibus studiis quæsita gloria, & beneficiis parta benevolentia efficiebant, ut & quisque eum optaret sibi patronum, & nemo dedignaretur collegam. Nec mirum vero, cum & hostis amicitiam ejus sibi cupide expetierit. *Mastinus* namque *de la Scalla*, quo cum is plurima bella gesserat, & tam multa, & magna ultro, citroque damna illata intervenerant, ut videretur odium inter eos fore immortale, occultis nunciis conciliare sibi animum ejus tentavit, cujus rei minime difficilem *Ubertinus* se præbuit. Et hoc ipsum victoriæ genus quoddam arbitratus post pacem datam, amicitiam quoque suam desiderari. Itaque post complures *Mastini* nuncios ad se destinatos *Joannem Franciscum Galmarellam* ad eum misit. Quo reverso ac renunciante, magnopere *Mastinum* optare præsentem amborum congressum, mutuumque sermonem, uterque ad fines descenderunt, *Ubertinus* Montagnanam, *Mastinus* Coloniam. Inde vero per legatos primum utrinque dimissos summos viros, postea præsentes ipsi sese venientes obvii consalutarunt. Venit autem primus *Mastinus* Montagnanam, cui *Ubertinus* extra fines occurrit, multaque hilaritate susceptum ipsum, atque omnem Comitatum magnifice procuravit. Postera die ambo *Coloniam* progressi sunt, ubi splendido convivio per summum apparatum sunt accepti. Multa inter se soli agitaverunt, atque ita discesserunt, ut grandis inter eos amicitia, certaque fiducia contracta videretur. Hoc *Venetiis* suspicionem non modicam tulit, admirantibus, quid sibi vellet tanta ex præcipiti inita benevolentia, ac metuentibus, ne forte novandarum rerum causa fieret. Quamobrem quotquot veteres stipendiarios, ex *Padua*, *Vicentia*, aut *Parma Tarvisii* habebant, omnibus missionem dederunt, novosque aliunde conscribendos curaverunt. Et sane ad *Venetos* Ubertinus, tametsi plurimum studebat benevolos eos habere, pleraque tamen egit, quibus merito offendi debuerint. Nam quemdam *Guilelmi Dentis* naturalem fratrem, qui quo tutior viveret, *Venetiis* habitabat, die media in publica platea occidi per suos satellites fecit, nec ea res aliam disquisitionem, aut querelam habuit: sed hoc in rebellem quidem, privatumque inimicum; in civem vero *Venetum* modestius. Cum enim quemdam audisset in Senatu *Venetorum* liberius de se solitum male dicere, atque ex eo gloriam captare, indicare illi voluit, quod facile ulcisci in eum posset. Certis igitur ministris rem committit, & quid fieri velit admonet. Illi imposita navigio magna vini mensura, seque mercatores assimulantes diverso itinere *Venetias* petunt, adhibitisque mediatoribus hujusce mercis, mentionem deferri ad illum faciunt, qui proclivior, ut scit, esse rei pretiosæ pretium vile, se ad navigium confert, de quo convenit empturus: inter gustandum vero datur ei somnifera potio in id ipsum antea præparata; ex qua protinus in soporem solutus est. Naviculæ igitur leviori illum imponunt, ac per summam celeritatem *Paduam* vehunt, quem *Ubertinus* in cubiculo proprio, atque in suo lecto collocari ita dormientem, & quidquid circa se ageretur nihil sentientem mandat, jubetque ex abdito clam observari, quidnam ille experrectus faciet. Postquam igitur medicamenti vis longiore somno discussa est, tandem experrectus, ignotumque locum contemplatus, mirabatur cogitans, ubi esset, aut unde venisset. Admirationi subinde terror additur, cum *Carrariensium* signa, armaque recognoscit, & erat diu apud se incertus, ullane eum forsitan somnii species deluderet. Certior tandem multis argumentis factus, ut erat inductus thoris exsilit, fores retentat, omnes circumspicit aditus, si forte fugere, aut latere uspiam possit. Tunc vero demum sese infert *Ubertinus*, ac veluti ex improviso respiciens: *Quid hic agis*, inquit, *etiam domi meæ insidias mihi structurus advenisti? at non satis erat perpetuis me maledictis incessere, nomenque meum absentis lacerare, aut sic profecto abibit impune? licuit tibi de me antehac dicere omne, quod velles; nunc mihi licet, quodcunque in te constituero, plane facere.* Ille metu pene exanimis ad genua procidens multis lacrymis, multisque precibus veniam orabat. Tandem *Ubertinus* vultu mitiore eum erexit: *Et satis est mihi licere de te omnia. Tibi vero si sapias, satis erit pro pœna metus præsens*, atque inde comiter habitum multaque familiaritate donatum remisit. Ea res foris opinionem ejus plurimum auxit, timerique peramplius cœpit, jamque nemo, qui infensum illum haberet, domi suæ intraque parietes suos proprios tutus videri sibi poterat. Studebat namque *Ubertinus* timeri cum foris, tum maxime in Urbe, sciens Regnum recens difficile quam per metum contineri posse. Quamobrem duas mulieres matrem, & filiam ignibus cremari jussit, quod apud eas homicida, tametsi pauco temporis spatio, latuisset; & duos pastores ex levi suspicione intra carceres excæcari. Ac ne suorum quoque crimina liquit impunita: sororem namque suam naturalem, quæ Monialium apud *Arcellam* erat Abbatissa, quoniam cum religioso quodam incestum admisisset, necari cum ipso stupratore jussit. Quo facto, & pudicitiam, quæ generi, & religionem, quæ Deo debebatur, expiavit. Nonni-

hil etiam genitricis nomine in hanc animadversionem exarsit. Solet enim ab uno crimen admissum cæteros, qui ejusdem gradus, ac generis sunt, contagione quadam infamiæ notare. Fuerat autem *Ubertini* mater, *Fina* nomine, post viri obitum Deo sacrata, & monialium *S. Benedicti* Abbatissa, quo in loco per summam integritatem vitæ in divino cultu, vitam finivit; & intra claustrum sepulta est, quam *Ubertinus* & viventem, & jam extinctam multa semper veneratione dignatus est. *Nicolaum* vero *de Carraria* defunctum consanguineum officio pietatis debito prosequutus est, a quo etsi in vita dissensisset, indignum tamen ratus, ut defuncti ossa extra Patriam inhonorata jacerent, & procul majorum suorum monumentis corpus ejus a Fratribus Minoribus, apud quos sepultum *Venetiis* erat, petiit. Illi daturos se negabant, quod non modo apud eos sepeliri, verum & in eorum habitu religionis traduci funus voluisset. Ob eam rem *Ubertinus* omnes, qui *Paduæ* habitarent, ejus religionis viros, & qui inde iter haberent, capi jussit, & in carcerem conjici, interminatus, nunquam evasuros, nisi effecissent, ut ossa petita redderentur. Horum autem precibus apud Præsules suos obtentum est, ut illi reddere cogerentur. Translatum vero *Paduam* corpus, non jam apud Minores, sed in eorum invidiam apud Prædicatores exstructo ad id monumento sepultum est. Hic Urbem *Paduam* munivit muris, & ædificiis ornavit, & studiis artium bonarum instruxit. Nam opera quidem murorum, quæ *Marsilius* inchoaverat, pro magna parte perfecta reddidit. Porticum quadratam altissimis columnis in ædibus struxit: ubi *Canis Grandis* habere primus Regiam cœperat, eamque duplicem esse voluit, ut & humi, & in sublimi deambulare liceret ab imbre tectorum. Aliam quoque interiori domo pari altitudine, & intercolumniorum distantia perfecit, quam duobus tantum lateribus constare jussit in septentrionem, occasumque spectantibus, ut esset prospectus in eas cœli plagas liber. Horologium, quo per diem, & noctem quatuor, & viginti horarum spatia, sponte sua designarentur in summa turri constituendum locavit. Lanificium, cujus artis videbatur fructus maximus, augere studuit; cæteras, ut quoque pluris essent, privilegiis, atque immunitatibus juvit. In primis vero studia literarum fovit magnopere, *Rayneriumque de Forlivio*, ejus temporis Jurisconsultum insignem, interpretandarum legum gratia, magna mercede conduxit. Agri quoque curam præcipuam gessit. Hoc auctore, via, qua itur ad Campum *S. Petri* strata est. Cæteræ, ut quæque erat aut interrupta, aut distorta, munitæ, correctæque sunt. Aggeres fluviorum refecti, ne excrescentes aquæ culta inundarent. Foveam ab *Este Montagnanam*, quæ esset navigabilis, duxit, sed ea a posteris neglecta est. Ejusdem fuit domesticum judicium, quod sequitur. *Longettus* ei erat hæreditarius servus, & semper una nutritus: nam usque ad ea tempora propagandorum servorum mos in *Italia* manserat, qui nunc prorsus obsolevit. Ei *Ubertinus* confidebat plurimum, & facile omnia fidei ejus credebat. Is aliquando ab *Charentana*, Ubertini concubina, pulcherrima fœminarum, in domestica contentione per contumeliam servus est appellatus. Ad quam *Longettus* ei inquit: *sum servus*, *cujus & tu quoque meretrix es*. Quo nihil illa molestius exprobrari sibi audire potuisset. Et speciei igitur confidens, erat enim eximia forma corporis, & pignoribus ex *Ubertino* susceptis, nonnisi illius sanguine suæ satis injuriæ fieri posse arbitrabatur. Itaque filiolam, quæ erat in deliciis Patri allegat questum de matris inju-

A ria; sed & ille quoque *Ubertini* amicos, qui ei in consiliis semper aderant, Patroni sibi ut essent, oraverat. Mentione igitur per puellam inducta, & per eos, qui aderant, interrupto crebro ejus sermone, mulier, quæ ex superiore specula omnia intuebatur, indignata, non audiri suam querelam, effrenis decurrit, a *Longetto* se contumeliose habitam, queritur. *Ubertinus* insolita mulieris audacia nihil motus, edicere illum jubet, quo se pacto res haberet. Qua cognita: *Ego*, inquit, *quantum in me fuerit*, *eo quod est contumeliæ causa*, *jam utrumque vestrum absolvam*, & Tabellionem, qui conscriberet, jussit evocari. Tunc ad *Longettum:*
B *visne liber esse? Nequeo*, inquit ille, *liber tibi esse*, *nam si me ita sinis*, *sum tibi servus natus*, *nec me*, *qui tali Domino servio*, *meæ conditionis pudet*, *sin' manumittis*, *tanto me pretio datæ libertatis emis*, *ut liber esse a te non possim*. *Animo*, inquit Ubertinus, *ut voles*, *utque te decebit*, *nunc necessitate conditionis*, *qua mihi addictus tenebare*, *liber esto*. Deinde ad illam conversus: *Et tibi quoque*, inquit, *quando meæ consuetudinis te pudet*, *liberum est abire*, *esto a me absoluta*. Tunc illa flens, atque insperato eventu pene exanimis: *per hanc tuam te prolem*, inquit, *oro*, *ne me deseras*, *neve abjicias*, *ego ne te quidem Domino digna sum serva*. Cumque
C multa & flere, & dicere pergeret, jussit, ut unde venerat, rediret; ac ne se in reliquum talibus querelis molestaret. Itaque uno judicio, homini benemerito gratiam reddidit, & illam admonuit, non debere se conditionis pudere, quam non modo sponte, verum etiam cupide admisisset. Ipse vero ob libidinis nimium usum genitalis membri morbum incurrit, quo diutius fatigatus, tandem occubuit. Sentiens autem, vires imminui, de successore providere Urbi constituit. Itaque neminem aut legitimum, aut naturalem filium habens, hæredem sibi fecit *Marsilietum Papafava de Car-*
D *raria*; curavitque se vivo, ut ad eum deferretur Principatus. Morti proximus, cum supremum viaticum per sacerdotis manum sumpturus esset, rogatus est ab eo, ut fert institutio Religionis, an se vere omnium, quæ peccasset in vita, pœniteret. *Prorsus*, inquit ille; *veruntamen ne te fallam*, *aut hunc ipsum*, *quem sum admissurus*, *etsi eum fallere nequaquam possum*, *scito nihil me amplitudinis familiæ nostræ causa fecisse*, *quod non ejusdem causa ex integro facturus*. *Hanc*, *certus sum*, *Deum ipsum veniam mihi dare*. *Itaque nihil est*, *ut vereare: hunc illum porrige*. Obiit autem vigesima nona die Martii, millesimo tercentesimo, quadragesimo
E quinto. Postridie vero cum ingenti pompa elatus est, & apud Templum *S. Augustini* depositus. Hic ut in juventute alienigeno cultui indulgens, minime ritu Patriæ induebatur, ita senex magnæ gravitatis habitum tulit. Fuit autem statura mediocri, venusta facie, mento rotundo, ac prominente, naso Ciceroniano, nimius in Venerem, subitus in iram, persecutor injuriarum, magnanimus, gloriæ cupidus, & qui timeri mallet, quam amari.

Patavii in Ecclesia *D. Antonii* prope altare majus in pariete, in speciosissima arca marmorea le-
F gitur hoc Epitaphium:

SOLVE GENIS LACHRYMAS, TUMULUM QUI CONSPICIS ISTUM.
FLENSQUE SUUS, DICAS, SPIRITUS ASTRA COLIT.
NAM FUIT HIC PATRIÆ PAX, JUS, SPESQUE, SALUSQUE.
HOSTIBUS HOSTIS ATROX, FIDUS AMICUS ERAT.
QUEM GENEROSA DOMUS PLAUSTRO SIGNATA RUBENTI,

EDIDIT

EDIDIT INSIGNEM STRENUITATE
VIRUM.
UBERTINE TUIS PATAVIS SPES
QUANTA SALUSQUE
DECIDIT, HEU, CUM SE MERSIT
ACERBA DIES.

PETRI PAULI VERGERII,

Justinopolitani,

DE

MARSILIETO PAPAFAVA CARRARIENSI HISTORIA.

Marsilietus Papafava de Carraria diminutivo vocabulo est appellatus, quia statura pusillus erat, qui etiam *Marsilius Minor* alterius *Marsilii* collatione a plerisque dicebatur, quem ille & annis, & statura corporis, & animi virtute superabat. De hoc se pauca in præsens scribenda offerunt, quia & Principatum paulo tempore tenuit, & ante non sane multa memoratu, aut annotatione digna gesserat. *Papafavæ* vero cognomen ab ejus avo *Jacobino* derivatum est, quod non admodum ex se invidiosum, & invito, ut opinari licet, inditum, a posterioribus, qui multi ex eo descenderunt, tenaciter servatum est. Hic Patre *Albertino* natus non multum ex ejus hæreditate patrimonium est assecutus. Nam etsi *Jacobinus* avus innumerabiles opes possedisset; tamen quia inter quatuor liberos divisa est ejus substantia, & item *Marsilieto* duo fratres obtigerunt: *Raynaldus* natu major, & *Petrus* Comes annis utroque minor: distributa in tot partes summa minor erat. Verum is ad rem augendam attentior fuit. Itaque domi parcere, & foris quærere juvenis sedulo curabat.

Cumque res adhuc publica staret, duo munera diutius administravit: unum municipale, nam Plebatus, qui *de Sacco* dicitur, pluribus annis præturam continuavit; alterum urbanum, Præses namque carcerum diu fuit, quæ erat honesta, & nonnisi magnis viris credita in Republica administratio. Ex quorum munerum stipendiis, & item aliis rationibus, quæ amplitudinem, potentiamque sequi consueverunt, ingens patrimonium brevi paravit, & hic quidem *Opizonem* arctius conveniebat, quod essent ex fratribus nati, quodque ædibus vicinis habitarent, cum cæteris vero *Carrariensibus* communi consilio versabatur in Republica. Itaque in ea pugna, quæ cum *Paulo Dente* conserta est, simul cum aliis armatus affuit, & occiso equo, in quo pugnabat, crure ipse vulnus grave excepit, & in *Nicolaum* quoque cum cæteris, *Marsilio* auctore, consensit. Sub extremo vero, priusquam urbs *Cani de la Scalla* dederetur acres cum *Ubertino* inimicitias gessit. Ortæ namque inter eos simultates magnam utrinque diffidentiam pepererant; unde & augere familiam, & cautiores incedere utrique cura erat; ut sæpe *Marsilietus* jactaverat non se jam, uti olim *Guilelmum Dentem* in simplici veste inventum conficiendum ab eo fore. Hanc autem inter eos ingentem suspicionem, cum ex nullis manifestis causis nata videretur, nutriebat tamen susurronum, delatorumque studium, quo apud eos cariores haberentur, qui & gestus utrinque notabant, & verba, aut alio sensu dicta retorquebant, aut non dicta facile pro arbitrio dicta fingebant. Eos sæpe *Marsilius* conatus est reducere in gratiam, crebro in unum locum convocatos admonere, quid periculi ferret ea contentio, & illud ante omnia rememorare, quod *Jacobus Grandis* supremo jam spiritu monuisset: ita familiæ nomen, dignitatemque mansuram, si concordia inesset; contra vero suis ipsam viribus deleri, aut labefactari posse. Illi post hos, aut hujuscemodi sermones mire compositi abire videbantur. Verum disgressi, cum delatores denuo audire cœpissent, renovabantur odia, neque enim nisi obseratis auribus calumniantium linguæ præcidi possunt; eoque tandem res spectabat, ut si quis illos forte casus obvios tulisset, conserturi manus viderentur. Ex quo certum erat, & urbi per externum bellum, & familiæ per intestinam seditionem periculum instare. Quoniam nonnisi totius urbis commotione ea res geri posse videbatur. Nec dubitabat *Marsilietus*, favere *Ubertino Marsilium*, sed ei animos dabat, quod si ferro discernendum esset, populum in suas partes concessurum arbitrabatur; cui *Marsilius* ex nimia potentia suspectus, atque etiam odiosus haberetur. Fulciebatur insuper præsidiis *Opizonis*, qui erat ei proximus necessarius; habebatque cum illo & vires, & consilia, ad unum, omnia communia. Ea igitur res *Marsilio* necessitatem attulit, ut *Marsilietum* urbe amovendum curaret, priusquam in apertum discrimen contentio evaderet. Itaque sive re per eum ita cum *Engelmario* constituta, sive ille per se id ausus est, cum ab eo cerneret alienatam *Marsilii* mentem, *Engelmarius* sumpta occasione, per quemdam, qui publico carcere continebatur, cui *Marsilietus* tunc præerat, in contentionem cum illo venit, atque ut erat rapacissimus prædæ, causam hinc se nactum gavisus est. Eo digresso suos *Theutones* misit, qui *Marsilieti* ædes diriperent, quod e vestigio, ut jusserat, factum est. Re autem illi nunciata: forte enim diversa urbis parte, tunc aberat, non ausus domum redire, ad *Marsilium* se contulit; sciscitatusque ab illo est, quid sibi facto opus judicaret. Ille vero consuluit, ut parumper urbe cederet, quod existimaret, non temere eum tumultum exortum esse. Aliud præterea nihil extorquere ab eo potuit. Cum his itaque porta urbis, *Marsilietus*, quæ proxima patebat, se propere extulit, atque inde quamprimum *Venetias* abiit sero pœnitens susceptarum cum *Ubertino* simultatum. *Opizo* vero sibi timens, quod esset in eadem causa constitutus, & consiliorum, atque inimicitiarum particeps, domi latuit, fugamque clam parabat; sed *Marsilius* ad domum ejus inermis profectus suspicionem illius verbis imminuit, quod diceret factum id esse inconsiderato furore *Germanorum*, & privata cum *Engelmario* contentione, nihil ad illum rem eam pertinere. Itaque dempsit ei metum, quoque ut con-

firmaret in dies magis, adhibebat interdum eum comitem sibi, & coëquitando spatiabatur una. *Marsilietus* Venetias profectus, eo loci mansit, usque dum res omnis per *Marsilium* cum *Cane* transacta est. Cumque *Thadæa* Jacobi grandis filia, quæ erat *Mastino* Venetiis clam desponsata, ad celebrandas solemnes nuptias *Paduam* traduceretur, jussus est & *Marsilietus* redire, eamque comitari venientem. In cujus etiam comitatu, cum paulo post per summam honorificentiam deducta est, *Marsilietus* fuit etiam in ea celebritate, quæ ibi maximo nobilium hominum conventu acta est, inter cæteros & ipse militiæ auctoritatem a *Cane* suscepit. Ac in reliquum quidem sub *Cane* primum, post vero sub duobus ex genere suo Principibus, modeste vixit, & erat eis sedulo obsequens. Cum autem *Ubertinus*, defectis jam morbo viribus de hærede patrimonii, successoreque in Principatu cogitaret, hunc potissimum elegit; tametsi nihil illi, vel longinqua cognatione sanguinis attinentem. *Jacobum* vero, ac *Jacobinum* Nicolai filios, quos in urbem revocaverat, consanguinitate sibi proximos præteriit. Quo id fine egerit, incertum est: certe quod constat, consilio fretus *Petri de Campagnola*, Generalis sui Vicarii, cujus consilio pleraque omnia de Republica gerere consueverat. Hæres itaque scriptus *Ubertini* consensu, opeque Vicarii biduo prius quam ille moreretur, in Principem electus est, & more Majorum in publica concione vexillum populi oblatum accepit. Mortuoque *Ubertino* funus magnifice curavit, & per multam pietatem prosecutus est. *Jacobus* vero, & sibi metuens, & ægre ferens, hæreditatem, quæ propinquitate sanguinis sibi deberetur, alii delatam esse, seque cum fratre nullo eorum demerito Majorum viribus privatum, inprimisque *Carrariæ*, cujus loci jurisdictio non minus ad se spectaret, hanc injuriam depellere quovis modo decrevit; super hæc itaque instinctus etiam dominandi cupiditate, quæ fere semper magnos animos comitari solet, *Marsilietum* tollere constituit: hujusque rei conscios amicos fecit, & adhibuit sibi comites plerosque ex magnis familiis, quorum fidei rem tantam credere ausus est. Ad eam autem conficiendam noctis tempus visum est idoneum, ne quis in urbem forsitan per diem motus oriretur. Hora igitur tertia noctis cum conjuratis illum ex composito adiit, cumque per unum ex cubiculariis, patefactis foribus, in cubiculum admissus esset; *Marsilietum* protinus ferro agressus interemit die vigesima Maji, cum ille uno, & quadraginta diebus Principatum urbis tenuisset. In eo tumultu unus ex familiaribus metu a summis ædibus in terram prosiluit, nihilque eo casu læsus est. Abire tamen non licuit, ne rem ante tempus aperiret. Ille vero nocte insequenti sine ulla pompa traditus est sepulturæ. Brevi fuit, atque exili corpore, minuta facie, subridentibus quantisper oculis, intuentibusque in eum ex aspectu subdolus videbatur. Quod vero ad mores attinet, minime crudelis erat, aut libidinosus, sed pecuniæ cupidus. Liberos ex se nullos reliquit. Verum *Jacobinus* ex *Raynaldo* fratre genitus, & ejus filius *Albertinus* nocte ipsa per simulatum nuncium, tanquam *Marsilietus* jussisset, in curiam evocati, detenti sunt, & post paucos dies *Pendisium* in custodiam traditi.

PETRI PAULI VERGERII,
Justinopolitani,
DE
JACOBO MINORI DE CARRARIA HISTORIA.

Jacobus Minor, Nicolai de Carraria filius, magno vir animo, excellentique ingenio fuit. Ad cætera quidem probus, summisque laudibus dignus, nisi quod per domesticum sanguinem Principatum suum est auspicatus. Sed scitum est illud *Euripidis*, quod *Cæsar* ante occupatam a se Rempublicam jactare crebro solebat: *si violandum est jus, regnandi gratia violandum est*; quamquam, ut videre videor, non tam ambitio Principatus, quam metus de sua vita, ac salute aggredi id eum compulit, & eum tollere, a quo ne tolleretur metuebat. Videbat enim, ut est virtus suæ mensuræ bene conscia, & probitate se illi suspectum fore. Ignavis namque Principibus aliena excellens virtus gravis imminet, & suspecta haberi solet, maxime vero, quod quasi competitor Principatus visus esset, non ambitione ejus honoris, sed virtutis merito, & consanguinitatis ratione. Igitur si, &, quod verisimillimum erat, creditur *Marsilietus* in suam domum, proximamque cognationem derivare Principatum post se velle, consentaneum videbatur, ut huic insidiaretur, qui diversæ propaginis erat: taceo hæreditatis injuriam, ipsumque cum fratre legitima *Carrariæ* successione privatos, quæ sciens, volensque *Marsilietus* pateretur. Itaque metuens *Jacobus*, ne quid ille in se ex his causis moliretur; re composita de medio sustulit: eoque timebat magis, quod jam antea carceres, & exilia diutius erat expertus. Nam cum Pater ad hostes se contulisset, relictus in urbe sive casu, sive, quod opinor, Patris certo consilio, ductus est cum fratre in *Alemanniam* captivus per *Conradum de Westein*; ubi biennio carceres tulit, nec antea relaxatus est, quam per Patrem ab avaro Domino pecunia redimeretur. Inde vero *Clugiæ* diu, *Venetiisque* versatus, postremo jussus est habitare *Mantuæ*, donec ab *Ubertino* in Patriam revocatus est; mandatoque ejus duxit uxorem *Constantiam de Polenta*, cujus soror socrus erat *Ubertini*. *Marsilieto* igitur, ut in superiori dictum est, interempto, reliquum multa prudentia, celeritateque est exsecutus: acciri enim primum ad se undique amicos clam jussit, *Marsilieti* agnatos, de quibus suspicari quid posset, adductos custodiri mandavit, *Petrum de Campagnola*, & quosdam alios, qui de se durius apud *Ubertinum* senserant, in carcerem conjecit, nec minus sub signis, sigillisque *Marsilieti* per omnia municipia *Paduani* agri custodias suas dispusuit, & priores amovit. Itaque omne suburbanum ea nocte in suam ditionem accepit. Sequenti luce primo mane cum esset stipendiariis militibus

litibus facta fides de *Marsilieti* interitu, cujus verbis, ac nomine militiæ sacramenta conceperant, *Jacobo* omnes sua sacramenta præstiterunt. Inde vero orto jam sole populus, atque universi ordines in concionem sponte convenerunt, parique consensu detulerunt ei Principatum, & omne jus publicum, vexillumque commune, quod est rubea cruce per alba spatia distinctum, commiserunt. Ille vero, ut fidem humani, atque clementis Principis, quod erat protinus ab initio, de se faceret, ducentos & eo amplius variis ex causis carcere conclusos publica custodia emisit. *Bonifacium de Nigris*, & quosdam alios per injuriam urbe ejectos revocavit. Abolitiones reorum generales fieri jussit ære. Insuper in publicum damnatos absolvit, magnas quoque largitiones ex omni genere rerum diebus proximis exercuit, quibus & veterem sibi benevolentiam confirmavit, & multorum conciliavit novam. Apud omnes vero magnanimi, benignique Principis famam peperit. Taliaque fuerant ejus initia Principatus, ut & mutationis in præsens pigeret neminem, & in reliquum spem bonam omnes conciperent. Quapropter ante finem anni publico decreto constitutum est, ut qua die *Jacobus* Principatum inierat, ea singulis annis ad memoriam rei currentium equorum certamen haberetur. Compositis autem domi rebus, foras animum convertit, cumque intelligeret, prudentissimus ut erat, pacem, & salubre urbi, & novi Regni stabilimentum fore, in hanc omne suum studium contulit. Præ cæteris vero curavit in primis *Mastinum de la Scalla* sibi conciliare, qui ex veteribus causis magis imminere paci hostis videbatur. Ergo post crebras salutationes utrinque per legatos habitas, per se ipse postremo: tantum erat homini pacis studium: *Vincentiam* usque adire illum sustinuit, eaque affabilitate, & industria ingenium viri tractavit, ut non modo pacatum, sed amicissimum factum sibi suisque, & urbi ipsi rediens linqueret. Eadem quoque diligentia, sed alio tempore ad *Opizonem* Estensem usus est. Ortis enim ex nonnullis causis inter eos simultatibus, rem prius per legatos, & communes amicos componi curavit. Postea vero ut non modo pacem, sed amicitiam quoque firmaret, *Ferrariam* ad eum profectus est, inde *Veronam*, & *Mastini* videndi gratia, & sui deportandi perrexit; ac utrobique per multam honorificentiam acceptus est. Unde rediens *Canem*, Mastini filium, qui postea *Rabiosus* est cognominatus, secum *Paduam* duxit, comiterque per plures dies habitum remisit, & una *Franciscum* primogenitum suum, ut succresceret inter juvenes quoque benevolentia, quæ inter parentes erat. *Venetiis* vero semper amicus, atque benevolus fuit, & ad extremum amicitiam eorum impensiore studio coluit, cum ob id, quod paci servandæ, amicitiisque parandis apud omnes studebat, tum maxime, quod *Nicolaus* Pater, qui diu *Venetiis* habitavit, multam illi & privatim, & publice benevolentiam comparaverat: quamobrem ultro citroque in funere complura amoris, ac fidei inter hos merita. In primis namque *Veneti*, *Andrea Dandulo* Duce, *Jacobum* cum omni posteritate Civitatis jure, uti optima, maximaque esset, donaverunt. Qui honor visus est illis temporibus non exiguus, & munimentum noviter parti Regni non leve. Hujus rei causa *Jacobus* cum suorum lecto comitatu ad referendas gratias *Venetias* est profectus, magnoque cum honore, ac lætitia ab eis susceptus est, diesque ibi complures in gratulatione civium cum impensis largissimis perseveravit; sed & postea quoque amplum ei in urbe eorum Palatium, ut benemerito civi largiti sunt. Ex adverso vero *Jacobus* vario tempore, & di-

A versis casibus vicem illis suam gratificatus est; nam & in obsidione *Jadræ*, & in receptione *Justinopolis*, quæ ab *Venetis*, ambæ defecerant, auxilium militum contulit. Bello quoque, quod inter eos, & *Genuenses* ea tempestate gestum, & exercitum subministravit, & toti classi commeatum. Alio vero tempore cum urbs *Venetiarum* fame laboraret, essetque per omnem *Italiam* ingens annonæ caritas, nec ex marinis subvectionibus satisfieri eorum inopiæ posset, *Veneti* Principes urbesque vicinas per legatos oraverunt, ut quod posset unus, ad levandam instantem indigentiam pretio ad id parato conferrent. Cumque ab

B cæteris legatio inanis rediret, *Jacobus* unus frustrari apud se eorum preces passus non est. Itaque non sine incommodo suæ urbis, suorumque civium, magnam frumenti vim habere, atque ducere eos permisit. Quo beneficio accepto Senatus *Venetorum* his verbis referendas ei gratias censuit: *Nunquam satis erga illum futuram ob tantum meritum Urbem liberam.* Verum quid proderat foris tanto nisu paci, amicitiæque studere, cum domi insidiæ pararentur, immineretque ab iis, quos in primis honore, & muneribus fovebat, capiti suo, ac suorum certum manifestumque pericu-

C lum; nisi Deus publicæ salutis causa id avertisset. In administratione Reipublicæ namque cum omnes æquo jure curaret, & humaniter hominibus se præberet adeundum, tum vero Nobilium hominum conversationi impensius studebat. Præ cæteris autem *Henricum*, *Nicolaum*, & *Franciscum de Logo* fratres, ipse pene quartus amore frater in omnem familiaritatem admiserat, ut & ipsi prope secundo loco Principes haberentur. Hæc amplitudo status, quod plerumque evenit, res eorum subvertit. Supra se namque, ac tanta felicitate sublati ausi sunt adversus Principem, suosque conjurare, & in benefactorem suum impias

D manus armare; quod cum esset *Jacobo* per indices renunciatum, opinionem suam abhorrebat accommodare, pari in se animo ac fide illos esse arbitratus, quo ipse erat in eos. Tandem saniori consilio adductus exquiri hoc jussit, ac de servis primum habere quæstionem. Itaque *Henricum* ex tribus natu majorem advocari in cœnam secum jussit; ad quam ille multa licet dissimulans ægre venit suspicatus id, quod erat, patefactam esse conjurationem. Interea *Franciscus* cum plerisque ex consciis detentus est, qui servorum assertione convicti facile confessi sunt. Post cœnam vero *Henricus* per *Andream de Rubeis* seorsum habitus,

E ac de re interrogatus negare pergebat, sed adductis in conspectum consciis, qui & tempus, & ordinem gerendi facinoris denotabant, veritate, conscientiaque victus, & ipse confessus est. Tertius vero ex fratribus, cum esset *Pratalea*, re cognita *Logum*, gentile suum oppidum, confugit, quo protinus exercitum *Jacobus* adduxit. Sed ille rebus suis cum diffideret, paucos secum educens fuga clam evasit. Itaque locum cum omni munitione postera die *Jacobus* in suam ditionem traditum accepit. Auctores vero conjurationis, quos captos habebat, prætori judicandos tradidit, ne

F quid ipse injuriæ dolore, aut vindictæ desiderio acrius in illos statuisse videretur. Quod ne faceret tantum aberat, ut solis Principibus conjurationis, & præter eos paucis aliis capite damnatis, cæteris, qui erant humilioris sortis, veniam daret; itaque & de nonnullis sponte dissimulavit, & quosdam, qui ex conscientia profugerant, data fide impunitatis, revocavit. Unus vero *Nicolaus*, cum comprehendi nequivisset, absens hostis est judicatus, bonaque ejus, ac reliquorum fratrum, omnia publicata sunt. Servos, quoniam ab his detegendæ conjurationis indicium emanaverat,

verat, cum essent confiscati, manumitti omnes, quos illi plurimos possederant, jussit, atque in hunc modum imminens domi periculum evasit. Foris vero bellum proprio nomine nullum suscepit. Cum tamen *Carolus de Lucemborc*, *Joannis* Regis *Bohemiæ* filius, Imperator esset *Romanorum* electus adversus *Ludovicum Bavarum*, qui per triginta ferme annos id sibi nomen usurpaverat, *Jacobus* in ejus partes consensit. Cumque ille *Tridentum* venisset per medias terras hostium, solis tribus comitantibus, incognitus, *Jacobus* ingentem exercitum, quem ob id ipsum paraverat, ad eum misit, quo is, & adversariorum agros vastavit, & vicinas regiones brevi in suam fidem adduxit. Itaque post in *Bohemiam* redire coactus, ut paternum Regnum hæres acciperet, *Jacobum* ad se in *Feltrum* urbem vocavit, eique magnifice de se laudato gratias egit, & quas urbis quæque loca Imperii nomine quæsierat, fidei ejus, tutelæque commendavit. Hoc itaque nomine *Jacobus Tridentinis* auxilia, quibus se adversus Marchionem *Brandenburgensem*, *Ludovici Bavari* filium tuerentur, misit. Et civitatem *Bellunensem*, quam *Jacobus de Guayguino*, vir humili loco natus, otioso *Endrigeto de Mongay*, quem præfecerat *Carolus*, ingenti ausu occupaverat, misso celeriter exercitu liberavit, & ad jus pristinum Imperii *Romani* restituit: suam vero ditionem armorum vi nihil auxit. Sed Tubulum quidem a *Xicho de Caldinatio* sex millium florenorum pretio emit. Castrum vero *Petiginis* per eum, qui possidebat, traditum accepit, atque ejusdem consilio *Sylvam Roccabrunam* & *Livicum*, oppida *Vallis Suganæ*, quæsivit. Unde ortæ sunt inimicitiæ graves inter Marchionem *Brandenburgensem*, & *Jacobum*, quæ post eum defunctum *Francisco* filio bellum pepererunt. Necessitudines matrimoniorum has vinxit; dominamque *Francisco Finam*, *Patari de Buzzacharinis* filiam, civem suam conjugem dedit. Foris autem affinitates duas dispari gradu fœminarum causa contraxit. *Ziliolam* etenim suam natam *Enrico*, Goritiæ Comiti matrimonio collocavit, quæ post breve tempus absque prole vita decessit, & filiam olim *Guilelmi Dentis* ex amica natam *Bianchino de Purciliis* nuptu tradidit. Hospites omni tempore, qui aut ad se venissent, aut per urbem iter haberent, ut quisque eorum excellebat, dignitate magnificentissima suscepit, nunquam labore abstinens, ne illos ubique præsens honoraret, haud impensæ parcens, quo minus largissime omnia in sumptum præberet. In primis etenim *Isabellam de Flisco*, Luchini Vicecomitis *Mediolanensis* uxorem, multo & honore, & sumptu in suas ædes recepit, quæ cum ob diuturnam sterilitatem de prole votum suscepisset, duobus editis uno partu filiis, templum *S. Marci de Venetiis* visitare pergebat; eamque nunc per *Jacobinum* fratrem, nunc per *Franciscum* filium plurimum per se ipsum toto itineris, moræque tempore, cum per suos fines, tum *Venetiis* quoque nunquam incomitatam reliquit. Quæ res viri ejus animum super id, quod erat inter eos prioris amicitiæ, certius hoc beneficio devinxit. *Delphinum* quoque *Viennensem* Smyrna redeuntem, ubi in bello adversus *Turcos* steterat, & *Ulricum de Valse*, Capitaneum *Styriæ*, ejus *Ulrici* filium, qui temporibus veteris *Canis Grandis* adversus eum, urbi præsidio fuerat, Religionis causa *Romam* profectum solita magnificentia venientem excepit. Marchionem vero *Montisferrati*, qui ob id ipsum venerat, ut *Jacobum* odore famæ ejus allectus videret splendidissime habuit, ac per ludos, certamina, lætaque convivia dies complures tenuit. *Guidonem*, Comitem *Bononiæ*, supra mare presbyterum, Cardinalem Apostolicæ sedis lega-

A tum, in *Pannoniam* proficiscentem cum Comitatu trecentorum equitum, impenso in omnem familiam sumptu euntem, redeuntemque per suos terminos fovit. Legatos quoque Regios, & aliorum Principum, ac denique omnes nobilitate aliqua insignes, qui per urbem iter agerent, benigne hospitio suscipiebat, aut præsentibus donis honorabat; ac ne domi quidem solum, sed & foris quoque magnifice se præbuit variis in locis spectandum. Nam quo tempore *Barnabas Vicecomes*, & *Galeatius* frater nuptias *Mediolani* celebravere, & ille quidem *Reginam*, Mastini filiam; hic vero *Blancam*, Comitis *Sabaudiæ* sororem, con-

B jugio sibi junxerunt, *Jacobus* affuit; ac bimestri fortasse post hæc, cum *Canis*, Mastini filius, uxorem duxit *Ludovici Bavari* filiam, in ea quoque celebritate se exhibuit, atque in his locis omnes, qui affuissent, honorificentia comitatus, splendore vestium, magnificentiaque domorum superavit. Ita igitur in rebus magnis magnificus erat, in cæteris vero semper liberalis. A familiari aliquando fundum patrimonialem, ut daret, rogatus renuit. Verum quanti fundus is erat, tantum illi pecuniæ largitus est, jussitque, ut fundum alium mercaretur, quem certius tueri posset; quod se mortuo hæredes illum fortasse avo-

C carent, *teque*, inquit *damno rei*, *me vero existimatione multarent*, *quasi prodigo mihi donare mea non licuisset*. Itaque vir prudens bis beneficium contulit, & cum dedit, & cum providit, ut perpetuum esse posset. Alium quemdam, quem ob similem causam adesse intelligebat, advocavit, & quid ille diceret audire jussit, tum ille justius mihi succurrendum, quia nisi per te, nec abire possum, nec manere. Ita *Jacobus* & illius dicto delectatus, & inopiæ amborum misertus, utrumque larga subventione donavit. Idem ut non modo liberalem, sed & gratum quoque hominem

D exhiberet; *Paulo de Leone* rerum ejus omnium administratori, cujus fidem esset per omnes adversus casus expertus, has voces ingerere crebro solebat: *Locupletare nunc*, *cum per me licet*, *nam filii mei non cognoscent tua in me merita.* Hic igitur cum esset foris ubique dilectus, & in urbe Pater omnium existimatus, domesticas tamen insidias effugere non potuit. *Guilelmus* namque *de Carraria*, Grandis olim Jacobi spurius, nefandi parricidii auctor, idemque patrator extitit. Qui dum tantæ viri gloriæ invidet, tranquillum statum, urbisque felicitatem crudelis interrumpit. Cum enim in prandio una fuisset, nihil motus hu-

E manitate ejus, nihil communi mensa deterritus, sevocatum illum, tanquam secreti ad eum aliquid haberet, lethali vulnere confidentem interemit; ac veluti mortis securus, usque adeo vulneri adhæsit, ut inde avelli, atque e corpore ejus detrahi, nisi mortuus, non potuerit. Aderant enim multi Nobilium, qui celeriter facinus hoc tam tetrum vindicarunt. Sed amissi Principis damnum irreparabile jam erat. Itaque nunciata per urbem morte, declaravit post sedatum tumultum populus dolore, ac lachrymis suis, unum omnium parentem patremque Patriæ interiisse. Natos ex

F se moriens quatuor reliquit, *Franciscum*, qui postea *Senior* est cognominatus, ex priore matrimonio, reliquos *Marsilium*, *Nicolaum*, & *Carolubertinum* ex postremis nuptiis habuit. Statura fuit semper mediocri: mixtam cum hilaritate modestiam facie gerebat, aspectu erat virili, oculisque vivacibus, inferiore tantisper crassiore; jucundæ conversationis fuit, & moris humani, dignamque Principe clementiam habuit. Solus hic ex omnibus, cum esset in armis egregius, militiæ tamen ornamenta habere recusavit. Modice literarum doctus exstitit, verum Doctores magnopere

A gnopere dignabatur, inter quos *Franciscum Petrarcham*, insignem Poëtam, multo studio ad se vocatum benevolentia complexus, & honore fovit, & beneficiis auxit, cujus ille obitum post longum deflens, summæ Viri virtutis memor, his verbis sub finem Epistolæ utitur: *Quo nec ego, nec Patria, nec mundus, (non me fallit amor) digni eramus.* Paulo plus quinquennio Principatum tenuit. Obiit autem die decima nona Julii, anno millesimo tercentesimo quinquagesimo. Tertia vero post die, cum ingenti funeris pompa, sed majore omnium dolore elatus est, & apud *S. Augustinum* corpus ejus depositum. B

Patavii in Ecclesia *D. Augustini* prope altare Majus in sublimi pariete sub Arca marmorea cum statua ipsius Ducis dormientis legitur hoc Epitaphium a celeberrimo vate, *Francisco Petrarcha* editum:

HEU MAGNA DOMUS ARCTA VIRO SUB MARMORE PARVO,
HEU PATER HIC PATRIÆ, SPESQUE SALUSQUE JACENT.
QUISQUIS AD HOC SAXUM CONVERTIS LUMINA, LECTOR, C
PUBLICA DAMNA LEGENS JUNGE PRÆSENS LACHRYMIS
ILLUM FLERE NEFAS, SUA QUEM SUPER ÆTHERA VIRTUS
SUSTULIT, HUMANO, SI QUA FIDES MERITO.
FLERE GRAVE PATRIÆ CASUM, FRACTAMQUE BONORUM
SPEM LICET, ET SUBITIS INGEMUISSE MALIS,
QUEM POPULO, PATRIBUS DUCEM CARRARIA NUPER
ALMA DEDIT PATAVO, MORS INIMICA TULIT.
NULLUS AMICITIAS COLUIT DULCEDINE TANTA,
CUM FORET HORRENDUS HOSTIBUS ILLE SUIS
OPTIMUS INQUE BONIS SEMPER STUDIOSUS AMANDIS
NESCIUS INVIDIÆ, CONSPICUUSQUE FIDE:
ERGO MEMOR JACOBI SPECIOSUM CREDULA NOMEN
NOMINIBUS SATIS INSERE POSTERITAS.

ANNO DOMINI MILLESIMO TERCENTESIMO SEXAGESIMO PRIMO. X. DECEMBRIS.

PETRI PAULI VERGERII, *Justinopolitani*, DE JACOBINO DE CARRARIA, QUI SEXTUS EX HAC FAMILIA PRINCIPATUM GESSIT, HISTORIA.

D *Jacobinus de Carraria*, Minoris Jacobi frater, fuit fratre quidem annis plerisque natu minor, sed pares cum eo casus, similesque fortunas in adolescentia sua expertus. Pariter enim & in *Alemanniam* captivus est ductus per *Conradum de Westein*, & a *Nicolao* Patre æque per pecuniam redemptus, & idem ab *Ubertino* simul in Urbem cum fratre revocatus, communi semper domo usus est, indivisaque omnium rerum substantia. Illum enim non modo quia ætate, sed etiam quoniam virtute longe se anteibat, in Patris habebat locum, impensioreque studio, ut Patrem colebat. E Quamobrem cum *Jacobus* principatum Urbis primum quidem meritis, postea etiam manu quæsiisset, omnis penes eum unum potestas erat. Sed illam ipse ita moderabatur, fraternæque necessitudini tantum tribuebat, ut omnia huic vellet justa licere, primumque semper honoris locum deferri post se curaret: Itaque & *Franciscus*, Jacobi primogenitus filius, hunc ipsum in cunctis præ se ferebat, & cæteri illum ad eundem modum observabant. Qua vero die *Jacobus* est interemptus, ambo aberant in agrum suburbanum studio venationis profecti, cum minime tale F nuncium accepturos se sperarent. Re autem in populum divulgata, fit subito multitudinis undique concursus intuentium, ne quid ob eam rem detrimenti ea Respublica caperet. Quapropter amici, & familiares, qui in curia forte erant; *Marsilium* infantem, *Jacobi* filium, equo impositum, *Carrariensiumque* gentilitiis signis ornatum in publicum statuunt. Ad hunc populus omnis conveniunt, omnesque per publicas plateas deductum sequuntur, pari voce *Carrariensem Domum Vivere* acclamantes. Accersitur interea *Jacobinus*, & cum eo simul *Franciscus*: forte enim tunc apud Villam *Campi S. Petri* aberant, qui nocte proxima celeres in Urbe affuerunt, ægri domestico casu, & publica consternatione civitatis perturbati. Die vero postera *Marinus Faletro* de *Venetiis*, qui hoc temporis Prætor erat, advocata concione post *Jacobum* magnifice pro tribunali laudatum, Populum consuluit de summa rerum. Una omnium dicta est sententia: secundum quam decernitur, bene locatum in *Carrariensi* Familia Principatum perpetuum in ea fore. *Jacobino* fratri, & *Francisco* filio in demortui Principis locum committendam Rempublicam, de quibus cum ratione vetusti sanguinis, tum vero etiam recentis exempli haberi spes certa bene gerendarum rerum possit. Itaque jussi sunt communi consilio Rempublicam gerere, æquoque inter se jure regnare. Illi vero suscepto prius pro more vexillo publico, hujus tam constantis, perpetuæque in suum genus voluntatis, & tam favorabilis de se judicii retulerunt Populo gratias. Seque per *Jacobi* fraterna, paternaque vestigia, domi justitiam, pacem foris omni nisu, ac studio servaturos, spoponderunt. Hinc itaque primum recreata Urbs est. Post vero etiam dies ex Principum tam certa concor-

dia, bona, magnaque spes concepta; quidquid enim publice gerebatur, communi eorum statuebatur consensu, facileque inter eos de omni re conveniebant. Quo studio non modo in suos Clementiam servare, verum etiam externis humanitatem exhibere conabantur, & unas, atque easdem pariter & amicitias colere, & inimicitias insectari. Itaque *Franciscum*, ac *Raynaldum*, Estenses Marchiones, per *Aldrovandinum* gentis ejusdem, sanguinisque consortem, *Ferraria* pulsos multa humanitate susceperunt: e quo illi tempore per auxilia *Malatestæ*, Ariminensis Domini, & conspirationem *Galeatii de Medicis*, Ferrariensis civis, bellum moverunt, Urbe se potituros sperantes, decreverunt & hi ex diversa parte *Policnium Rhodigii* invadere. Eo igitur consilio *Franciscus de Carraria*, qui miro gerendarum rerum affectu ardebat, collectum subitarium exercitum *Montagnanam* duxit; sed cum *Mastinum de la Scalla*, qui hostibus auxilio venerat, intrasse jam Abbatiam comperisset, spe sua frustratus rediit. Nonnihil tamen est his molitionibus, eoque ausu factum; nam post hæc non multum *Aldrovandinus*, ne *Carrarienses* Dominos semper haberet infensos, utque *Mastino*, qui in tempore opem ei tulerat, gratiam referret, convenit his *Vigizolum* dare, quatenus & ipsi Castrum *de Brendole*, quod in agro *Vicentino*, Cani, qui *Mastino* Patri successerat, restituerent. *Cani* vero ipsi recipiendæ Urbis *Veronæ*, qua fuerat absens exclusus, anno subinde proximo causæ fuere. Cum enim is esset ad Marchionem *Brandeburgensem*, cujus sororem matrimonio duxerat, salutandi gratia in *Alemanniam* profectus, duxissetque ex suspicione, ut plerique crediderunt, *Cansegnorium* secum, qui erat ei legitimus frater: *Fregnanus* eodem illi gradu, verum illegitime natus, dominium *Veronæ* Urbis invasit, isque fretus favore *Estensis* Marchionis, ac Dominorum *de Gonzaga*, quorum tum & præsidiis Urbem munivisset, & consiliis tueretur, facile sibi sperabat partam dominationem servari posse. Rediens vero *Canis* a cæteris destitutus, qui ex sociis facti hostes erant, *Carrarienses* solos fautores invenit. Hi namque datis auxiliis quingentorum equitum galeatorum, trepidantem illum, nec satis animo successus suos accipientem Urbi intulerunt, superatisque hostibus præstitere, ut dominatione, qua fuerat ejectus, potiretur. In qua pugna *Fregnanus* Ponte vetitus cum nave trajicere *Aticem* vellet; in ipso flumine submersus est. Capti vero *Feltrinus* cum filio, ac plerique alii *de Gonzaga*, simulque cum his *Mantuani* cives, supra quingentos, quos *Canis* fame perdere constituerat, nisi *Carrarienses* Domini precibus multa instantia prohibuissent. Ille enim, cum in omnes studio vindictæ sontes, atque insontes furit: *Rabiosi* cognomen adeptus est. Post vero tamen intercessione Ducis *Venetorum*, *Jacobinique*, ac *Francisci de Carraria* captivos omnes *Mantuanos* relaxavit. Cumque ex ea ipsa causa natum esset inter *Aldrovandinum* Estensem Marchionem, & *Canem de la Scalla* grave odium: *Carrariensium* opera sopitum est. Evocati enim amicis literis *Montagnanæ* convenerunt: ubi remissis utrinque injuriis pax inter eos *Francisco* auctore firmata est. Peractoque opulentissimo convivio, in quo fuere ad mille super quingentos discumbentes, pacati diverso itinere in proprias Urbes reversi sunt. Erat autem *Francisco* tantum studium componere cæteros, quo essent omnes unanimes adversus *Mediolanensem* Archiepiscopum *Joannem de Vicecomitibus*, in quem is fuerat Dux electus omnium *Longobardiæ* Dominorum consensu. Cum enim & potentiam ejus nimiam formidarent, & injurias crebras ferre non

A possent, paribus votis in ejus excidium conspiravere, & multa quidem in eum varie tentata sunt. Cumque promptum non esset eum, qui erat hujus temporis potentissimus, domesticis viribus delere, externas insuper adjicere tentarunt. Quapropter evocare instituerunt ex Germania *Carolum*, *Romanorum* Regem, qui in illum hostem judicatum bellum decerneret. In ejus adventu *Jacobinus* usque *Sacillum*, oppidum *Forojulii*, obviam illi profectus est. Indeque in Urbem *Patavii* sedulo comitatus, ubi omnia illi in sumptum subministrata largissime sunt: nec ad magnificentiam quicquam defuit, quo minus splendori Re-

B gio digne cuncta suppeditarentur. Rex vero tam magnifice ab his habitus in remunerationem honoris, quantum pro tempore licebat, constituta die *Jacobinum* in Cathedrali Ecclesia, *Franciscum* vero post in Campis abiens militiæ insignibus ornavit. In hunc igitur modum erant his communia prope omnia consilia, ut videbatur, eadem munera ex æquo inter se divisa, ut hic venientem Regem, ille abeuntem comitaretur: par militiæ honor utrique susceptus; mens vero tandem non una. Præsenserat enim jam ante *Franciscus*, esse ab se abalienatum *Jacobini* animum, cui rei quamvis non satis in præsens, cum delata est, fidem habe-

C ret, post tamen certo comperit; sive enim, quod is uxorem duxerat, cui parum in singulis cum *Francisci* uxore conveniebat, atque etiam ex ea filium susceperat, unde cura major Patrem incessisse videbatur, quanam ratione posteritati consuleret; sive invidia motus, quod *Franciscus*, cum esset minor natu tanti belli Dux sociorum omnium consensu præfectus esset; sive, quæ una certissima ratio est, quod nesciunt Regna diu consortes pati, vitæ, capitique ejus insidias struxit: est enim societas nonnunquam discordiæ causa: atque ut animorum conjunctio communes res omnes facit, ita plerumque res communiter possessæ ani-

D morum separant conjunctionem. Quo igitur tempore *Franciscus* in exercitu Dux erat, *Jacobinus* quemdam submisit, qui illum ferro, aut veneno, ut se commodius ferret occasio, clam tolleret: *Zambono de Doctis* erat ei nomen. Isque cum esset jam antea *Francisco* familiaris, sub specie officii illum undique secutus implendi facinoris idoneum tempus observabat: cujus rei cum ad *Franciscum* etiam tunc militiæ agentem indicium pervenisset, statuit pro tempore cavere illum tantum; nihil tunc ultra quærere. Quin etiam paulo post cum militiæ ornamenta a *Carolo* Rege suscepisset, eum ipsum, qui vitæ suæ insidiare delatus erat, mili-

E tiæ honore donavit; & dissimulavit quidem suspicionem, donec foris essent pacata omnia, ac dum plene sibi constare de re posset. Post vero cum *Jacobinus* non jam, quemadmodum prius, conceptum inimicum animum tegeret, sed vultu semper, interdum etiam verbis odium præferret, videreturque palam ausurus, quod clam facere non licuisset, *Franciscus* non ultra differendum ratus, coactis amicis, ac de re commonitis, illum comprehendit, a quo ante omnia edoceri seorsum voluit: verene in perniciem suam esset machinatus? omniaque ut ad se erant delata, ita esse comperit. Nec tamen protinus in constitutum

F sceleris ministrum exarsit, in quem eo justior erat indignatio, quod is super proprium Patrimonium *Francisci* liberalitate ditatus erat largis opibus, & auctoratus honoribus. Verum post dies complures ad se vocatum illum gravibus verbis cum commemoratione suorum in eum beneficiorum increpuit: indignatus, quod nec illi misericordia deberetur, nec suum esset, si quos unquam amasset, velle perdere. Ille vero cum non sibi indulgentiam orare pergeret, sed facinus constanter nega-

A negaret, præclusit Clementiæ aditum, quæ fasso culpæ veniam datura videbatur. Itaque convictus a *Paulo de Doctis* ejus consorte, a quo indicium rei prodierat, Prætoris judicio traditus est, apud quem plane confessus, ad perpetuum carcerem est ab eo damnatus. Venenum vero penes illum ex suo indicio domi repertum, in sententiæ prolatione, Populo inspectante, crematum est. Ipseque eodem anno a suis agnatis, uti generis ignominia deleretur, in carcere veneno necatus est: mortisque genus idem subiit, quod inferre B alteri destinaverat. *Jacobini* uxor *Margarita*, Guidonis de Gonzaga filia, cum parvulo nato, quem *Jacobum* appellaverant, Patriæ transmissa est. Ipse vero custodiæ traditus, ac varie per *Patavinum* agrum diversis in locis per arces commutatus, tandem vitam finivit, cum nihil illi interea unquam deesset præter evadendi libertatem. Paulo minus sex annis communiter cum *Francisco* Principatum gessit.......... Annis in custodia vixit, suis majoribus effigie parum similis. Corpore siquidem tenuis erat, naso exili, ac protenso, aspectu non satis robusto. In arce *Montis Scilicis* obiit, cum annos haberet..... Isque ut diu vivens latuerat, ita latuit moriens, nullaque cum pompa sepultus est.

INDEX NOMINUM, RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

Den-

N.

Scor-

F I N I S.



BERNARDINI SCARDEONII,
Canonici Patavini,

HISTORIÆ
De
URBIS PATAVII ANTIQUITATE,
Et
CLARIS CIVIBUS PATAVINIS
LIBRI TRES,

In

Quindecim Classes distincti.


EJUSDEMQUE APPENDIX

DE SEPULCHRIS INSIGNIBUS

Exterorum PATAVII jacentium.

Editio de novo revisa, emendata, atque Indice ampliori aucta.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PLURIMUM REVERENDO CLARISSIMO
AC DECORI HUJUS ÆVI IMMORTALI
VIRO
D. BERNARDO DE MONTFAUCON
PRESBYTERO AC MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI
E CONGREGATIONE S. MAURI
SELECTISSIMORUM AB EO EDITORUM LIBRORUM
ET
SPECTATARUM GENEROSARUMQUE VIRTUTUM FAMA SUPER ÆTHERA NOTO
IN STUDIA BENEFICO
ANTIQUITATUM SACRARUM PROFANARUMQUE PERITISSIMO

HANC
BERNARDINI SCARDEONII
HISTORIAM
DE
URBIS PATAVII
ANTIQUITATE
ET
CLARIS CIVIBUS PATAVINIS
CUM
APPENDICE
DE
SEPULCHRIS INSIGNIBUS
EXTERORUM PATAVII JACENTIUM
IN GRATI ANIMI TESTIFICATIONEM
CUM OMNI OBSERVANTIA
CONSECRAT

REVERENTIÆ EJUS

DEVINCTISSIMUS
PETRUS VANDER AA.

*



NOVÆ HUJUS EDITIONIS PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR.

Multæ fuerunt rationes, quæ me incitarunt, ut BERNARDINI SCARDEONII *Commentarios* De Antiquitate Urbis Patavii, Basileæ *apud* NICOLAUM EPISCOPIUM *juniorem Anno* M. D. LX. *impressos iterarem, quarum non minima est urbis Celebritas ob antiquitatem, qua ipsi gentium Principi* Romæ, *ac plerisque aliis* Europæ, *totiusque orbis terrarum urbibus antecellit, quarum paucissimæ videntur posse cum* Patavio *comparari: nam a* Trojanis *post illorum urbis excidium in* Italiam *venientibus, in hac camporum, colliumque amœnitate condita est. Huc etiam operis & Auctoris* Scardeonii *nobilitas accederet, ubi imprimis longe in describendo eruditissimo hoc opere exspatiari possem, quia ille fuit primus antiquorum epigrammatum ac Monumentorum diligentissimus Collector & propterea Commentarii hi sunt valde rari. Sed hæc omnia silentio præteriens modo ea exponam, quæ Lectorem circa horum Commentariorum impressionem, quæ juxta exemplar quondam a Viro doctissimo ac celeberrimo* Petro Scriverio *perlectum ac recognitum, & hinc inde ab ipso sua manu correctum, fuit instituta, monendum existimavi. Primum sese offert insimulatio Sertorii Ursati in* Monumentis suis Patavinis*:* Lib. 1. Sect. 1. *ita dicentis:* Tum quia apud Bernardinum Scardeonium civem nostrum nobilissimum ac eruditissimum, primum, antiquorum epigrammatum Patriæ nostræ, diligentissimumque collectorem, ipsius Typographi negligentia forsitan: *in ejus De Antiquitate Urbis Patavii Lib.* 1. *Class.* IV. *tit. de Antiquis Notis:* non pauca mutila, mendosa, & imperfecta legebantur: tum quia ab ejus ævo nonnulla recens eruta, quam plurima deperdita observabantur. *Propterea ut Lectori in hac re satisfacerem, monumenta & Inscriptiones ex nostro Auctore cum istis ex* Sertorio Ursato *comparavi, & ubi differentiam inveni, id aut in margine hujus Editionis annotavi, aut locum in* Ursato *prædicto juxta paginas & numerum Monumentorum indicavi; Ast hoc non feci ac si de defectu & mendositate nostri Auctoris inscriptionum convictus, sed ut unicuique liberum arbitrium ad eligendum, quicquid libeat, relinquerem. Siqui-*

dem etiam multa quoque in istis Ursati *monumentis corrigenda occurrunt, quod & nostro Auctori attamen absque ejus culpa evenire potuit, & idcirco non statim eum imperfectionis accusare debuisset. Deinde cum pleraque loca sine librorum aut capitum vel versuum numerorum additione in hac historia allegata essent, nostro labori etiam in hoc non parsi, sed loca, unde Auctor sumpsit, quantum fieri potuit, significavi. Porro Delineatione Urbis nitidiore Editionem hanc exornavi. Effigiem insuper* Scardeonii *ad veritatem in ære cælatam, nec non Vitam ipsius ex* Elogiis Illustrium Virorum *Jacobi Philippi Tomasini nostræ Editioni adjunxi. Tandem verba aliunde citata & nomina propria literis à materia diversis, quod in memorata Editione non observatum erat, imprimi curavi. Denique paginarum numeros prædictæ* Basileensis *Editionis in margine nostræ adjeci, quod fortasse majoris commodi, ac usus fuerit, quam sub initio forte judicabitur. Demum ac postremo, quoniam Index in eum ordinem non erat redactus, ut exspectationi satisfacere posset, novum tam pleniorem quam commodiorem subjunxi. Aliarum emendationum, quæ Lectori apparebunt, si comparationem inter hanc & supradictam Editionem instituet, mentionem non faciam, sed inquisitioni curiosi Lectoris relinquo. Si huic B. L. operæ, diligentiæ ac laboribus meis in edendis libris benigne annueris, voti summam me assecutum prædicabo. Interim vale.*

IN LAUDEM AUCTORIS

Ex *Illustrium Virorum Elogiis* JACOBI PHILIPPI TOMASINI.



BERNARDINUS SCARDEONIUS *Patavinus* Canonicus, Vir pietate, moribus, eruditione, vitæ excessu, virtutibus omnibus perinsignis, & in cumulandis Patriæ monumentis diligentissimus. Abdicatis rerum humanarum curis soli Deo incorruptam mentem, ac pene divinam semper inflexam servavit. Annis primum XXXIV. sacris Virginibus Cœnobii S. Stephani moderator, ac noxarum expiator extitit. Inde Canonicus electus, Librum à prima juventa cœptum, *De Antiquitate Urbis Patavinæ, deque Claris ejusdem Civibus*, ad umbilicum perduxit, & typis demandandum curavit vivens. Fuit illi sane perhonorificus is labor, & Patriæ gratus. Siquidem in eo multa bona fide digessit, eademque mira elocutione legenda Posteris consignavit. Elogiorum ejus omnium instar erunt, quæ MARTINUS SANDELLIUS Vir eruditissimus scripsit. Obiit Ætatis anno XCVI. eaque in Ecclesia sepulturæ honorem meruit, in qua divini sui cultus præcipua monumenta reliquit. Sub ejus Effigie inibi picta hæc extant, in interiori meridionali parte.

BERNARDINO SCARDEONIO
CIVI ET CANONICO PATAVINO

RARÆ INTEGRITATIS ATQ. ERVDITIONIS
VIRO.
QVIPPE QVI CÆTERIS
CHRISTIANO SACERDOTI DIGNIS
VIRTVTIBVS FIDEM CONCILIANTIBVS
ILLIBATVM VIRGINITATIS FLOREM
AD VLTIMAM VSQVE SENECTAM
ATTVLISSE CREDITVS SIT
CVIVS CHARITATI
ATQVE INDVSTRIÆ
HÆC PATRIA

AN-





BERNARDINUS SCARDEONIUS,

Patavinus Canonicus

et Patriæ Historiæ Scriptor.



ANTIQVITATE AC RERVM GESTARVM
GLORIA INCLYTA
ACCEPTAM REFERT MONVMENTORVM
SVORVM MEMORIAM AB INTERITV
VINDICATAM
SACRÆ VIRGINES AD D. STEPHANI
QVIBVS ILLE TOTOS XXXIV. ANNOS
A SACRIS CONFESSIONIBVS PRÆFVIT
PARENTI OPTIMO ET PIENTISSIMO
HOC GRATI ANIMI MONVMENTVM
VNANIMES POSVERE.
PROCVRANTIBVS
MAGDALENA VERCELLENSI ANTISTITA
MARTINO SANDELLIO CONFESSARIO

Supra ſaxum, ubi ejus oſſa quieſcunt, in eadem D. Stephani Eccleſia talia leguntur.

BERNARDINVS SCARDEONIVS
CAN. PATAVINVS

VITÆ CANDORE PRÆSTANTIAQVE
DOCTRINÆ CONSPICVVS
HIC QVIESCERE IVSSIT VBI ANNOS
XXXIV. ANIMIS MONIALIVM
REGENDO LABORAVIT.
VIXIT ANNOS XCVI.
OBIIT ANNO M. D. LXXIV.
DIE XXIX. MAJI.

Latine ſcripſit

De Antiquitate Urbis Patavinæ, & Claris Civibus Patavinis libros III. in quindecim Claſſes diſtinctos.
De Sepulchris inſignibus exterorum Patavii jacentium.
De Caſtitate libros VII.

Italice

La Nave Euangelica, opera Spirituale indrizzata alle Madri di S. Stefano.
Nec non & Conſolatorium opuſculum. Præterea Typis conſignandum curavit Librum de ratione bene moriendi. Petri Baroci Epiſcopi Patavini, & ſpirituales quaſdam preces ad petendam pluviam, & ad arcendam tempeſtatem, quibus Præfationem de ſuo adjecit.



BERNARDINI SCARDEONII,
Canonici Patavini,

De

ANTIQUITATE URBIS PATAVII, ET CLARIS CIVIBUS PATAVINIS,

AD CIVES SUOS

PRÆFATIO.

QUANTI *decus & splendorem, ac salutem patriæ optimus quisque facere debeat, Cives optimi, non* Latini *solum, verum etiam* Græci *& Barbari tum scriptis tum exemplis sæpe monstrarunt. Quippe qui nihil veriti sunt, quum opus foret, pro patria fortunas omnes, & quod in vita mortalibus rerum omnium jucundissimum est, parentes & liberos, quin & seipsos igni ferroque, & certissimis, ac gravissimis quibusque periculis exponere, & vitam denique ipsam intrepide pro publica devovere salute. Etenim (ut scribit Cicero)* quæ ulla potest cognatio esse propior, quam patriæ, quæ nos procreavit? Chari sunt parentes, chari liberi; propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria una complexa est: pro qua quis bonus mortem dubitet oppetere, præsertim si ob id valde & pro certo illi se profuturum sperabit? *Quin etiam ait in* libro de Officiis: Si ad perniciem patriæ res spectet, salutem patriæ anteponi saluti patris velim. Dulce & decorum esse pro patria mori, *dicit Comicus.* Plato *quoque divinus ille philosophus, nullam in terris esse majorem charitatem recte arbitratus est, quam quæ cum patria unicuique nostrum esse debet. Quod profecto jure meritoque & dictum, & creditum videri licet: quandoquidem si perstet vigor patriæ, ibi sane si quam meruimus nominis laudem, propagari latius & stare certius potest, quam in privata cujusque nostrum familia: quæ vel diuturnitate temporis, vel successionis defectu, plerunque deficere, ac interire consuevit: at patriæ nomen perpetuo stat, atque in omne ævum perdurat: quæ celebrare cives suos, atque ab interitu eorum memoriam vindicare perpetuo possit. Proinde non immerito laudatur* Ælii *prætoris factum: cui jus dicenti, cum in vertice picus consedisset, aruspexque sibi affirmasset, servato eo fore, ut ejus domus felicissimum statum sortiretur: contra vero illo occiso, infeliciter id quidem sibi, ac familiæ: patriæ vero quam faustissime successurum: tunc is in conspectu senatus, necato dentibus pico, ostendit se incolumitatis patriæ, quam sui suæque privatæ domus rationem habuisse potiorem. Quid de* Deciis, *qui pro salute patriæ telis hostium sese objecerunt, & tanquam victimas diis manibus immolarunt? Nec secus arbitratus est* Curtius *ille* Romanus, *qui equo insidens in hiatum terræ patentem prudens volensque, præcisa omni spe salutis, intrepide pro servanda patria desiliit præceps. Nec hic tacendus est* Camillus, *oppressæ à* Gallis *patriæ liberator: qui non contentus ea victoria, supplex precari Deos veritus non est, si cui deorum felicitas populi* Romani *nimia esse videretur, suam invidiam non publico, sed privato suo aliquo incommodo satiaret. Quid* Græci? *(ut de his quoque aliquid attingam) qui itidem in hoc genere laudis plurimum floruere. Quid pro patria non fecit* Themistocles, Codrus *Rex*, Epaminondas, Leonides, *& innumerabiles pene alii? qui ob ejusmodi charitatem erga patriam ubique gentium immortali gloria celebrantur. Quid* Philenii *fratres* Carthaginenses, *qui*

pro dilatandis finibus se vitamque suam Reipublicæ condonarunt, ita ut vivos arena ad discernendos imperii terminos se obrui permiserint: communi patriæ commodo privatam propriamque salutem posthabentes. Sed quid attinet vetera ista, & à nostra memoria nimium longinqua referre? quando & nosmetipsi sæpe vidimus, & à majoribus nostris accepimus, multos pro honore patriæ acerrime decertasse: & ultro ancipitem mortis aleam lubentes adiisse. Inhæret enim nescio quomodo in omnium fere mentibus, dulcis quædam & singularis patriæ charitas: quæ nos ad gravissima quæque subeunda facile impellat. Quis enim est, qui jam non gravius ferat patriæ, quam sibiipsi, familiæve suæ factum convicium? Ex quo facile colligi potest, quantopere pro virili sua honori ac saluti patriæ studere quisque debeat: & quam merito, & à Græcis, *& à* Latinis *celebretur præclarissima illa* Platonis *sententia:* Nos non nobis solum natos esse: sed ortus nostri vendicare sibi partem patriam, partemque amicos. *Quocirca Cives præstantissimi cum ego pro singulari mea erga vos, & in communem hanc nostram omnium patriam pietate, nec vobis nec Reipublicæ aut foris armis, aut domi consiliis melius prodesse possim, quod sacerdotium me ab omni forensi negotio evocat: annixus sum patriam ipsam (cum nihil hoc ei me præstare potuisse majus crediderim) meo hoc qualicunque literarum otio, studiorumque laboribus (quantum in me est) studiosius illustrare, & quam meis nequeo, suorum ipsammet gloriosis ac illustribus civium titulis exornare: non ad inanem ullam ostentationem eloquentiæ meæ, quam in me minus etiam quam mediocrem esse cognosco: neque ad aliquam vanam gloriam captandam, quam semper quacunque potui ratione vitavi: sed ut præcipuo studio, atque sedulitate hac mea patriæ omnino aliquid ornamenti atque utilitatis afferrem. Statui itaque tam ex antiquis auctoribus, quam novis, & tam ex nostratibus, qui in promptu nobis domi sunt, quam ex peregrinis, quicquid præclari de patria nostra repererim, & quicquid de præstantissimis nostris civibus, qui* PATAVII *ad hoc usque tempus, vel literis, vel armis, vel ingenio, vel alterius cujuslibet rei gestæ gloria claruerunt, studiose brevique percensere: & non paucos à silentio, & à squalentis ævi senio vindicare: magnopere conferre existimans, ad decus & laudem patriæ, res ejus præclaras & magnas, quæ sparsim in multis hinc inde voluminibus continentur, uno eas simul, (& eo quidem perbrevi) volumine comprehendi. Bene enim mereri de Civibus meis mihi videor, si eos, prout antiqua eorum gloria requirit, è tenebris in lucem proferam. Hoc nos sane illis: hoc nobis: hoc patriæ propriisque laribus pro nostra in omnes benevolentia debere fatemur. Quod quidem non ideo exiguum cuiquam videri debet, quod is qui hæc tradit, sit exiguus: sed pro meo magno in patriam studio, & pro rei traditæ magnitudine videri debet quam maximum. Quandoquidem nihilo majoris meriti videtur esse, adaugere patriæ splendorem ac dignitatem, quam servare. Neque enim* magis decorum est (*ut ille ait*) statuam in populi Romani foro habere sibi, quam alteri ponere. *Quamobrem, & si sciam quam arduum, quamque difficile sit, nostri seculi hominibus hoc præsertim tempore, vetustis novitatem dare, & obscuris lucem, & obsoletis nitorem: nihil tamen propterea territus ab inceptis desistere volui. Quandoquidem magna aggressis, nec prorsus assecutis, vel tantum voluisse, abunde pulchrum ac magnificum fore censendum est. Nam juxta illud proverbium:* Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra. *Quam ob rem etsi mihi admodum parva, aut nulla potius suppetat dicendi copia, nolui tamen à tam præclaro proposito prorsus deficere: quin pro viribus, si non ea quæ requiritur in ejusmodi re facundia: at eo certe quo possum studio, fide ac diligentia clarissimos quosque Cives nostros speciatim recensere. Neque enim tantum laudis huic nostræ civitati tribuendum puto, quod antiqua sit: quod ab* Antenore Trojano *condita: quod duplici muro, quod firmissimis atque iis quidem amplissimis mœnibus cincta, splendidissimeque ac magnificentissime introrsum ædificata:*

ta: quod pulcherrimis & augustissimis, ac summæ venerationis divorum immortalium delubris referta: quod frumento, vino, oleo cæterisque rebus omnibus, quas mortales appetunt, abundantissima: quodque sit publico, eoque omnium qui in Europa *sunt celeberrimo Gymnasio, & omnium bonarum artium studiis, & doctissimorum virorum ingeniis undequaque instructissima: quod magnificentissimis privatorum ædibus ornata, & sepulchris, pontibus, turribus, atriis, perpetuisque in tota urbe porticibus pervia, & amplissimis foris spectabilis: & quod denique amplis fluminibus & rigidis abundans. Non, inquam, tantum laudis est, quod hæc urbs tot tantisque Dei Optimi Maximi beneficiis sit exculta: quam quod sit (ut de* Roma *ait* Maro Lib. VI. v. 784.)

Felix prole virum, & inprimis literatorum:

Et ob id merito, tum suis, tum alienis ingeniis maxime celebranda. Amplissima sane dignitas, ac vera & perfecta laus, & ingens decus, & eximia gloria civitatis est civium virtus. Quis enim est qui dubitet, illustres viros maximo esse vel summis etiam civitatibus, ornamento? quum magnas ex eo concertationes inter diversas nationes ac civitates, aliquando ortas esse legamus? Homerum *enim* Colophonii *civem suum dicunt:* Chii *suum:* Salaminii *suum:* Smyrnæi *suum:* Rhodii *quoque & alii suum esse contendunt.* Veronenses Plinium Secundum *Civem suum esse asseverant,* Novocomenses *contra suum. Qui quidem veriti, ne quando & in altero Cive suo idem forte contingat,* Hieronymum Fracastorium *summum Philosophum, optimum Medicum, Vatem eximium (ut omittamus cætera, publico decreto statua in foro honorificentissime collocata honestandum censuerunt. Ejusmodi adhuc est etiam* Aretinis *cum* Florentinis *de* Francisco Petrarcha *contentio. Nobis autem omnino non desunt certi & indubitati Cives, quos maxima cum patriæ ac totius posteritatis nostræ gloria celebremus: quorum certa & illustria apud nos monumenta extant, æternæ memoriæ commendata. Porro in omni quidem genere laudis hæc nostra civitas tam multos, atque tam eximios viros tulit: ut (unica* Roma *excepta) nec ulli civitati invideat, nec ulli in eo præsertim genere laudis secunda esse videatur. Quare summa cum ratione factum videri debet, si modo hic à me in unum veluti cumulum, congesti insignes, præclarique* PATAVINI *Cives memorentur: ut posthac tam præsentes, quam posteri illustres Cives suos sub uno ferme aspectu liquido intueri possint: quos & memoria celebrare, & in omni vita possint sibi ad imitandum proponere. Qui quidem historiæ fructus est habendus præcipuus & uberrimus, ut scilicet majorum gesta posteris quasi lumen quoddam præluceant: quæ neque boni, neque mali, quicquam in occulto esse omnino sinant. Quid enim turpius esse potest, quam si improbos secuti ab exemplo insignium majorum suorum minores aliquando desciscant? Accipite ergo optimi ac præstantissimi Cives, à vestro Cive in vestram, vestræque civitatis gloriam, post multa tandem secula instauratam patriæ memoriam: quod sit perpetuum meæ erga vos, & patriam voluntatis testimonium singulare. Hic claros Cives, parentes, majoresque vestros læti lubentesque cognoscite: eorum vestigiis fideliter inhærentes: & tum urbis amplitudinem, tum agri totius ubertatem intuentes, Dei Optimi Maximi erga vos incredibilem benignitatem intelligite, de tot tantisque muneribus ei semper gratias referentes. Atqui vero non dubito adhuc superesse multa, quæ de hac ipsa patria nostra præclara dici possint: quæ quidem & si forte à nobis omissa sunt: neque enim omnia omnino recensere nos potuisse fatemur.* Non omnia possumus omnes. *ut* Virg. Ecl. VIII. *Atqui non equidem arbitror defuturos deinceps, qui aliquando in hujuscemodi officio nobiscum acrius sane certent, quam nos ipsi nunc fecimus cum prioribus. Præstitimus nos quidem patriæ munus hoc, minus fortasse cumulate quam debuimus, amplius tamen quam ab homine sacris literarum studiis occupato expectari debuerat. Verum si sensero studium hoc nostrum qualecunque fuerit, vobis probari & gratum haberi: dabo operam, ut & reliqua quæ pari studio ac labo-*

labore meditor, vestris subinde auspiciis nota posteritati fiant. Valete, meque ac meos, & in præsens, & in posterum uti de patria bene merentes, grato ac memori animo, & benigno (ut par est) favore suscipite, complectimini ac fovete. PATAVII, *Anno Dominicæ incarnationis*, M. D. LIX.

ELOGIA DOCTORUM VIRORUM

In

BERNARDINI SCARDEONII

Historiam.

VINCENTII CATTI VEICETINI.

ILlustres animæ natæ melioribus annis,
Auspicio quarum Patavi se sustulit olim
Gloria, & Euganeæ crevere in collibus artes,
(Quandoquidem divum cælesti in sede locatæ
Despicitis miseræ labentia tempora vitæ)
Ne pigeat pariter delapsas æthere ab alto,
Et natale solum, & patrias invisere sedes.
Hic ubi collapsos tumulos, cineresque beatos
SCARDEONUS longa primus post secula tandem
Lustrat aqua spargens violas, florumque maniplos,
Et vos ad cineres compellat vocibus ultro.

PETRI CARRARII PATAVINI.

Quicunque Euganeos viros, ducemque
Trojanum, profugum cupit videre,
Qui cunabula prima, qui ruinas
Urbis, post Totilæ vel Agiulphi
Crudele imperium, & trucem Azolinum:
Qui claros Patavos simul poëtas,
Reges, Pontifices, Duces, Tyrannos,
Fontes, flumina, stagna, colliumque
Dulces delitias, decusque nostrum:
Doctos SCARDEONI legat libellos.

EJUSDEM.

SCARDEONI Annales angusta volumina claudunt
Oppida, templa, domos, flumina, bella, viros.

ANDREAE RAPITII TERGESTINI.

Quod tua demeritos ornat facundia cives
SCARDEONI Euganeis edite fluminibus,
Tu minus haud illis debes, atque ii tibi: quando est
Quæsita hinc calamis gloria magna tuis.
Ii vivent, quoniam vitam tua scripta dederunt:
Tu quoniam patriam concinis historiam.

F. DESIDERII LIGNAMINEI PATAVINI.

Illustres animas pariter benefacta libellis
Euganidum celebras officiose tuis.
Quantum docta tibi (si quæris) debeat ætas
SCARDEONI, testis fama perennis erit.
LIVIUS historia studuit placuisse QUIRINO:
Tu patriæ, & patres non tacuisse tuos.
O felix PATAVI sedes, ubi lactea priscis
Scribendi, & nostris gratia tanta fuit.

ACHILLIS STATII LUSITANI.

Dum patriam, dum tu celebras decorà alta tuorum,
Et laudes horum & fortia facta doces:
Atque Antenorei vestigia quæris aratri,
Eruis & priscis condita busta locis:
Auctoremque cies urbis vasto è tumulo: ille
Liber ab informi grandia membra situ,
Macte (ait) officio tu nunc eris alter ab illo
LIVIUS, Euganeæ conditor historiæ,
Civis uterque meus: sed dum studet ille Quirino,
Tota boni civis, laus tua tota pii est.

ALEXANDRI LEONARDI PATAVINI.

Felices Patavum manes, quorum excitat umbris
Illustres cineres, claraque facta simul
SCARDEON, extinctos potuit qui reddere vivos,
Et vitam Euganeis tradere perpetuam.
Quare huic æternas grates persolvite, vestris
Qui meritis solus præmia digna dedit.

EJUSDEM.

Quantum clara suis virtus Romana triumphis
Est LIVI docta clarior historia:
Tantum BERNARDINE tuis celebrata libellis
Illustris Patavum gloria semper erit.

ELOGIORUM FINIS.

ARGUMENTA XV. CLASSIUM
De
ANTIQUITATE URBIS PATAVII
Et Claris civibus Patavinis, tribus libris comprehensa.

CUJUSLIBET CLASSIS INDEX
CAPITUM AC NOMINUM PER ALPHABETUM.

LIBRI PRIMI CLASSIS PRIMÆ

Præfatio.

Medoa-

LIBRI SECUNDI CLASSIS SEXTÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS SEPTIMÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS OCTAVÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS NONÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS DECIMÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS UNDECIMÆ

Præfatio.

LIBRI SECUNDI CLASSIS DUODECIMÆ

Præfatio.

LIBRI TERTII CLASSIS DECIMÆTERTIÆ

Præfatio.

LIBRI TERTII CLASSIS DECIMÆQUARTÆ Præfatio.

LIB. TER. ET ULT. CLAS. DECIMÆQUINTÆ Præfatio.

INDICIS CAPITUM AC NOMINUM FINIS.



AGRI PATAVINI GEOGRAPHICA TABULA ACCURATISSIME DELINEATA.

LUGD. BAT. Sumptibus PETRI VANDER AA.

PARTE DEL VICENTINO

PARTE DEL TRIVIGIANO

PARTE DEL FRIULI

DOGADO

RITRATTO DI LOZZO

RITRATTO DEL VAL DI PIACENZA

PARTE DI ROVIGO DEL POLESINE

IL FORESTO

MARE ADRIATICO OVERO GOLFO DI VENETIA



Scala di Miglia Dieci.

2 4 6 8 10



4 BERNARDINI SCARDEONII, *Canonici Patavini*,

LIBER I. CLASSIS I.

DE ANTIQUITATE URBIS PATAVII, & claris civibus Patavinis.

PRÆFATIO.

DICTURUS ergo sigillatim de illustribus & claris Patavinorum *encomiis, eorum præsertim, qui præcipua alicujus dignitatis gloria, aut bello, aut pace insignes fuerunt: nihil alienum à proposito mihi visus sum facere, si prius quicquid apud antiquos, à præclaris auctoribus de* Patavinorum *rebus in universum dictum fuerit: & postea quicquid præclari habeatur de singulis breviter recensuero: præsertim de iis, qui re aliqua memorabili in vita, aut morte notos sese posteris reddiderunt. Omnem autem antiquitatem* Patavii, *& clara* Patavinorum *nomina, enixe, & pertinaci multorum annorum studio, ex cunctis annalibus, tam priscis, quam novis, tam externis, quam nostratibus, atque denique ex antiquorum marmorum inscriptionibus curiose investigans, in tres libros, & quindecim veluti classes continuata serie distinxi, exorsus à primordio, & ab* Euganeis *usque ad nostra tempora: ut deinceps legentibus patebit.*

---

5 *De Conditoribus Urbis* Euganeæ.

PRIMUM itaque omnium satis constat apud omnes fere scriptores, olim *Transpadanum* agrum, qui in *Italiæ* finibus mari *Adriatico* adjacet, & ab æstuariis in *Alpes* vergit: ubi hodie *Patavium* vetustissimi, simulque celebratissimi nominis urbs sita est, ab initio tenuisse Indigetes: gentem utique tunc per omnem *Italiam* feram & sylvestrem, post diluvium à *Noë* filiis, qui & *Janus* dictus est, deinceps propagatam: non literis tunc aut armis studentem, sed sylvestribus tantum aucupiis, sub dio, aut in mapalibus inopem vitam degentem: cui præcipua, vel una tantum cura fuerat, agere pecora, pellibus indui, carnibus vesci, caseoque & lacte nutriri. His autem facile superatis, & longe illinc expulsis, ea loca *Euganei* victores tenuerunt: qui ex inclyto sociorum magni *Herculis* numero fuisse perhibentur, longe cæteris præstantiores. Hi namque (ut dicunt quidam) quum ad hæc loca una cum duce suo istac transituri, venissent, in hac regione manserunt: vel, ut alii scribunt, post præclarum ducis funus, cum ex eo comitatu passim sibi quisque imperium peteret, omnes in varias regiones longe la-

A teque vagantes, per universum orbem dispersi, magnas sibi urbes condentes, in ingentes populos excrevere. Ex eo numero (si *Salustio* credimus) fuere *Medi*, *Persæ* & *Armenii*. *Euganei* ergo, ubi amisso, vel (ut antea dictum est) dimisso duce, huc haud procul à mari *Adriatico* convenissent, locum condendæ urbis ceperunt: tum ubertate soli, tum collium circumjacentium amœnitate: tum denique æris, & calidorum fontium salubritate pellecti. Dicti autem sunt *Euganei*, ex interpretatione *Græci* nominis εὐγενής, quod præclaro ortum genere significat. Hujus rei Plinius auctor est, *in sua naturali historia, lib.* III. *cap.* 20. ubi *Catonem* testem citans, scribit hunc populum XXXIII. oppida circumquaque in his locis condidisse. Sunt qui dicant *Pallum* quendam *Thesei* filium, in iisdem terræ partibus, per hæc tempora regnasse, & Deorum monitu

B urbem apud *Bragiadanum* montem, quem nunc *Rubeum* appellant, ædificasse: dictamque fuisse de suo nomine *Pallulomiam*. Cæterum etsi hæc & ejusmodi alia incerta quædam aliquando memoriæ prodita fuerint, ac olim vulgo ferme recepta: propiora tamen sunt fabulis, quam ut pro veris possint hic à nobis aut à quoquam alio probabiliter affirmari. Nec minus quidem vanum esse arbitror ea narrare, quam stultum credere: præsertim cum hæc de via sint, ab historiæ fide,

& ab incerto omnino, & imperito prorsus auctore tradita. In his igitur fidem meam non obstringam, quin per me in tam dubiis rebus, prout cuique libitum fuerit, credat. Satis autem manifestum est, quod & fama publica constat, & complurium scriptorum consensu probatur: *Euganeos* urbem juxta colles habuisse: qui *Euganei* subinde ad hæc usque tempora appellantur. Quin etiam vicus quoque suburbanus juxta mœnia ad mille passus extat, qui *Euganeorum* in hunc diem nomen servat, & vulgo paululum primis literis immutatis *Bursegana* vocitatur: quasi urbs *Euganea*, vel à *Burgo* qui *Gallice* dicitur vicus: quasi vicus *Euganeæ*. Hujus antiquitatis vestigia, etsi jam vetustate sint prorsus abolita: tamen si in his, quæ longinquitate temporis interciderint, licet posteris conjectare, arbitror hos *Euganeos* à montibus, qui *Euganei* dicuntur, ad hunc usque vicum *Burseganæ* urbis longitudinem protraxisse. Certum est enim olim in *Euganeis* collibus, *Gerionis* templum fuisse à *Græcis* conditum: qui in *Herculis* comitatu ad expeditionem adversus *Gerionem* in *Hispaniam* profecti, eo victo interemptoque, abeuntes cum duce suo (ut dixi) ad hæc ipsa loca venerunt: & illic longæ peregrinationis pertæsi, & nimio itineris labore defatigati, & à calidis propinqui fontis aquis admodum recreati, fontem ipsum à proprietate suæ linguæ, scilicet à beneficio quod in tanto labore perceperant, *Aponum* appellarunt: ibique primum mansuram sibi sedem statuerunt. Atqui vero prisca illa portenta, quæ de miraculis, & de portis urbis *Euganeæ* à plerisque circumferuntur, ridicula plane & fabulosa, & supra omnem fidem esse ab omnibus habentur. Quocirca ne nominanda qui-
6 dem hic à me ejusmodi deliramenta putavi: qui ad fidem, & ad veritatem tantum historiæ, non autem ad ostentationem fabularum, neque ad studium alicujus vanitatis animum intendo. Bellum itidem illud, quod inter *Dardanum* & *Tartarum*, regesque alios in his locis gestum, in quibusdam *Patavinis* annalibus legitur: quis sanæ mentis est, qui vanas, ineptasque & meras nugas ea esse non credat? & nihil ad propositum nostrum pertinere? quando id neque verum, neque verisimile sit, atque omni prorsus fide careat: atque adeo vetustate *Gothica* sordeat, ut nullam omnino voluptatem, nec commodi quicquam lectori studioso afferre possit. Hæc autem (ni fallor) in illis parum eruditis seculis legendi studio, magis quam docendi gratia finxit rudis antiquitas: quandoquidem ibi, neque ordo historiæ, neque rei gestæ tempus, neque regum, neque ducum nomina illi seculo ullo modo conveniant: & quæ de his dicuntur, adeo incondite atque insulse omnia dicta sunt (quisquis auctor ille fuerit) ut nulli sane nisi forte vel ex eo solum, quia sic rudia & impolita sunt, ipsa sua possint sorde & inconcinnitate placere. Nostra modo ætas exculta optimis literarum studiis, prorsus ab hac lectione descivit: & ejusmodi rerum atque verborum ineptias, & quicquid verisimile non est, ut indignum lectu prorsus abhorret, stomachatur & damnat. Quare incertis ac fabulosis rebus, hujusmodi omnino prætermissis, ea tantum quæ à probatis auctoribus edita, ac potissimum approbata sunt, dicere aggrediamur: atque in primis de ipso *Antenore Patavii* conditore dicamus: qui expulsis *Euganeis* ad montana loca juxta *Alpes*, quæ adhuc frequenter habitata *Vallis Euganea* appellantur: una cum *Henetis Patavium* primus ædificavit.

A

De Antenore Trojano Patavii *conditore.*

De *Antenore* autem dicturus hic primum referam, quod in principio statim suæ historiæ *Livius* noster de eo eleganter commemorat: cujus verba sunt hæc: *Jam primum omnium satis constat, Troja capta, in cæteros sævitum esse Trojanos à duobus vetusti jure hospitii: & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerunt, omne jus belli Achivos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione à Paphlagonia pulsi, & sedes & ducem, re-*
B *ge Pylemene ad Trojam amisso, quærebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum: Euganeisque, qui inter mare alpesque incolebant, pulsis, Henetos Trojanosque eas tenuisse terras: & in quem primum egressi sunt locum, Troja vocatur: pagoque inde Trojano nomen est: gens universa Veneti appellati.* Hæc Livius. Ex quibus satis patet quæcunque de *Antenoris*, ac *Æneæ* proditione ab æmulis traduntur, magis invidiose quam quod ea vera fuerint dici: ut pleraque alia sæpe falso dicuntur. Ortus est autem *Antenor* ex nobilissima progenie *Dardani Jovis* filii: eadem scilicet qua & Rex *Priamus* fuerat. Is autem vir magni inge-
C nii atque consilii, summæque probitatis, ac prudentiæ fuisse perhibetur: & unus præter cæteros eximiæ hospitalitatis. Hic siquidem cum consilium haberetur apud *Trojanos*, de interficiendis *Græcorum* legatis, qui ad repetendam *Helenam* missi fuerant, motus pietate *Priamum* regem adiens à tali tantoque facinore, gravi & honesta oratione deterruit: & sic clam præmonitis legatis, & adhibito fideli præsidio, una cum Rege operam dat, ut ii servato jure hospitii, *Lacedæmona* incolumes ad suos, nullam passi injuriam remearent. Qui postmodum ibi, & in tota *Græcia* fidem *Antenoris*, & præconium hospitalitatis erga se, mirum in modum & pro merito (ut
D par erat) vehementer extulerunt: quid is de pace deque reddenda *Menelao Helena*, cum rebus omnibus, quæ simul ablatæ fuerant in concilio *Trojanorum* censuerit referentes: eademque & de *Æneæ* sententia & judicio confirmantes. Ambo enim apud *Trojanos* inter præstantissimos heroas præcipui habebantur: utpote quibus primus locus, & proxima Regi sedes in civitate & ubique patebat: licet neutris bene consulentibus assensus, ob turbam filiorum *Priami* pertinaciter adversantium, in ea re tam necessaria præberetur. Quocirca eorum consilium sic spretum *Trojanis* male cessit: quandoquidem *Græci* post decen-
E nalem obsidionem per dolum *Sinonis*, sub vasta mole equi lignei intra mœnia admissi, rapinis, cæde & incendio *Ilium* funditus everterunt: & in gratiam hospitalitatis præteritæ *Antenorem* & *Æneam* cum suis, quo vellent, ire illæsos & liberos esse voluerunt. Quod quidem malevoli non in gratiam vetusti hospitii, sed contra in gravem suspicionem occultæ proditionis acci- 7
piunt. Adnavigavit ergo *Antenor* in *Italiam*, una cum filiis, & *Trojanorum* atque *Henetorum* copiosa multitudine, & superato *Ægeo Ionio*que mari, per *Thraciam*, *Dalmatiam* ac *Liburnum* ad hæc nostra littora *Timavo* flumine superato, in
F interiorem maris *Adriatici* sinum transgressus est: & per *Medoacum* fluvium provectus in continenti, loco saluberrimo, & simul fertilissimo, pulsis inde non multo labore *Euganeis* (ut proxime dicebam) *Patavium* condidit. Unde Virg. *Æn.* 1. *vers.* 46.

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus: atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.

Hic

Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum: & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compostus pace quiescit.

Sunt qui scribant *Antenorem* condidisse *Altinum* & alia plura oppida in littore *Adriatici* maris, quod neque inficior, neque affirmo, sicut nec multa alia: quæ quoniam incerta habentur, tum brevitatis tum incertitudinis causa prætermitto. *Antenor* ergo postquam *Patavium*, tum pace, tum bello aliquamdiu rexisset, & satis fortunatus vixisset, tandem senio confectus *Patavii* moritur, ibidemque sepelitur. Ann. mundi quatuor millibus CCVI. Alibi autem legitur quatuor M.LVIII. Ante Christi autem adventum M.C.XVIII. Alibi vero M.C.XLI. Hujus sepulchrum diu latuit, verum post multa tempora, dum apud xenodochium domus Dei sub terra altius foderetur, casu repertum est, & in eo ensis auratus inventus: quem habuit *Albertus Scaliger*, qui tunc *Patavio* imperabat, his inscriptum carminibus quæ essent posteris nota futurorum præsagia malorum. Quam rem ne quis commentitiam, aut temere domi natam putet, *Albertinus Musatus* magnæ auctoritatis historicus, qui interfuit pro vero tradit. Versus hi sunt, respondentibus rhythmis ob ipsam antiquitatem venerabiles.

CVM SVPER, A, SVMES PRIMVM TIBI DARDANE GRAMMA
AVXILIVM A SVPERIS SVBITO TIBI NVMINE CLAMA.
HEV PATAVVM, QVI TE PROFVGVS CONSTRVXIT AB IGNE
MVLTOTIES TALI PESTI SVBJECTAE MALIGNAE.
MORS CITA, BREVIS, PATAVOS IN PACE VOLENTES
VIVERE, NON PASSA EST, GENVS HOC FATALE FERENTES
ADMONET ET PVNIT NVLLO DISCRIMINE CIVES.

Observatum est enim à multis seculis, atque rerum exitu comprobatum, rectores & principes ab hac vocali, A, denominatos infaustis casibus luctuosos huic civitati aliquando fuisse. Hujus rei opinio primum firmata est, post *Attilam Hunnorum* regem, *Agilulphum Gotthorum* principem, & *Acciolivum* tyrannum, atque *Ansedisium* ejus crudelitatis ministrum: *Albertum* quoque *Scaligerum*, & *Andream* denique *Nerium* prætorem *Carrariensium*. Suspicor quidem hanc arcam, & hos versus ibi, post multa secula à morte *Antenoris* fuisse appositos, eosque mutilatos esse, quos idcirco hic lubens apponendos duxi, ut si quis forte integros emendatosque rectius habeat, in lucem proferat. Hæc autem arca ingens sub quatuor columnis pro foribus basilicæ Divi martyris *Laurentii* anno M. CC. XCVIII. publice collocata est: in qua insculptum fuit hoc carmen: *Lovati** poëtæ ea ætate clarissimi.

INCLYTVS ANTENOR PATRIAE, VOX NISA QVIETEM,
TRANSTVLIT HVC HENETVM DARDANIDVMQVE FVGAS.
EXPVLIT EVGANEOS, PATAVINAM CONDIDIT VRBEM,
QVEM TENET HIC HVMILI MARMORE CAESA DOMVS.

His de *Antenore* pro instituto nostro breviter: sed (ut arbitror) satis apposite pro rei veritate dictis, ad reliqua pergamus.

* Lovatum poëtam Patavinum dicit Fr. Philippus Bergomensis Chron. Lib. III. ad an. mundi 4081.

De multiplici nomine Patavii.

Refert *Servius Honoratus* Grammaticus, *Patavium* denominatum esse, vel à vicinitate *Padi* amnis amplissimi, quasi *Padavium*: quod nulla per ea tempora urbs esset fluvio illi propinquior: vel à volatu avium: cœperat enim *Antenor* (ut Ethnicorum moris erat) omen condendæ urbis à præpeti cycnorum volatu, ἀπὸ τοῦ ϖοτάμ, vel à petendo, id est, feriendo, quia 8
urbem condidit, ubi forte avem telo petierat. *Marcus* autem *Antonius Sabellicus* vir & eloquentia, & auctoritate apud me certe magnus, in *C. Suetonii Tranquilli* paraphrasi de vita *Tiberii* Cæsaris, nullam istarum opinionem ita probat, quin probabilius esse non credat: *Patavium* à *Patavio* oppido *Paphlagoniæ* esse appellatum: quod erat inter *Amastrum* & *Cromam*, insignia ejusdem terræ oppida. Unde *Henetos Antenoris* comites venisse proxime dicebamus: qui non solum genti, sed & novæ urbi nomen dedere. Quod quidem veri similius esse facit: quod *Antenoris* filios post mortem patris *Trojam* repetiisse apud *Eusebium*, & alios insignes historiographos legimus. Post quorum quidem recessum *Heneti* facti superiores *Trojanis*, urbem, quæ *Antenorea* prius dicebatur, abolito priori nomine, de suo oppido unde profugerant, *Patavium* deinceps appellari voluerunt. Sed & *Padua* vocata est, à *Pado* flumine haud procul distante, quod nomen nunc vulgatius est, & in ore omnium multo frequentius. Hanc autem denominationem hinc ortam credimus, quod olim regio *Transpadana*, *Padua* fuerit appellata: & hinc nomen regionis urbi postea datum. Quo pacto intelligere nos oportet, *Catulli* carmen, ubi *Volusii* poëtæ *Patavini*, corrivalis sui carmina carpens dicit: *Paduam morietur ad ipsam*: id est, *Padum* non transitura, sed intra fines *Padi* interitura: & si in quibusdam antiquis exemplaribus non legatur *Paduam*, sed ita *Patavi* morientur ad urbem. Hanc urbem Pomponius Mela *in sua Cosmographia*, ubi de *Italia* loquitur, appellat *Patavium Antenoris*. *Petrarcha* vero inter recentiores poëtas insignis, non *Patavium*, sed *Patavum* ubique scribendum esse putavit. Nec *Patavi* figurate à *Vergilio* pro *Patavii* (ut *Servius* exponit) dictum credidit, sed à nomine, quod est *Patavum*, deflecti putabat: atque ita semper in suo poëmate usus est: & interdum consuetudinem vulgi secutus, *Paduam* scribit. Sed etiam *Joannes Pontanus* auctor elegantissimus in libro quem de fortitudine inscripsit, & plerique alii insignes scriptores *Paduæ* vocabulo usi sunt. Sed hactenus de nomine urbis satis. Superest modo ut aliquid quoque de *Venetiæ* nomine, & de ea ipsa regione aliquid latius dicamus: cujus olim *Patavium* caput fuit.

De Venetia *variis nominibus appellata.*

Urbs ergo *Patavium* pro certo condita ab *Antenore*, ab ejus nomine (ut quidam antiqui scriptores memoriæ tradiderunt) primo *Antenorea* fuit appellata: regio vero ipsa in qua posita est, ab *Henetis Henetia* dicta est: qui (ut paulo ante dicebam) comites *Antenoris* facti ei in communem cujusque fortunæ eventum fugam suam suppliciter commendarunt: & ob id ipsi *Heneti* una cum *Trojanis*, terram *Euganeam*, quam simul junctis armis ac viribus sibi acquisierant, participata potentia pariter incolebant. De his autem *Henetis* (ut Strabo *lib.* IV. refert) duplex est opinio: quidam enim à *Gallis* Oceani accolis ejusdem nominis fluxisse dixerunt. Alii ab *He-*

netis, qui (ut proxime dicebam) post bellum *Trojanum Antenore* duce, cursum huc è *Paphlagonia* tenuere: quod quidem multo probabilius esse videtur, & propterea ab omnibus ferme receptum. *Antenor* ergo *Trojanorum*, simulque *Henetorum* huc fugas transtulit. At ubi primum littori ex *Adriatico* mari huc appulit, ad perpetuum fœderis robur, atque ad duorum populorum amicitiam arctius conjungendam, de suo nomine urbem ipsam *Antenoream* nuncupavit. Regionem vero de sociorum nomine *Henetiam* dici voluit. Verum quo ex duobus populis, unis mœnibus acceptis, Respublica felicius addito divino auxilio coalesceret, ædem Concordiæ, ubi nunc celebre *Divæ Justinæ* cœnobium visitur, ædificavit: in qua *Trojana* arma (ut *Vergilius* testatur) affixisse perhibetur. Nec secus postea *Æneas* ille *Vergilianus*, qui ubi in *Italiam* adnavigavit, factus *Latino* Regi successor, gentem illam *Italicam*, quæ prius *Aborigenum* dicebatur: ut cum *Trojanus* certa pace coalesceret, ad tollendam factionem, quæ ex nominis diversitate (ut fit) suboriri facile posset, tam *Aborigenes*, quam *Trojanos*, communi vocabulo de Regis nomine omnes *Latinos* appellari voluit. Quo consilio factum est, ut *Aborigenes* neque benevolentia, neque fide, neque studio erga *Æneam* regem *Trojanis* ullo unquam pacto cederent. Verum aliquantisper jam à re nostra digressi, ad pro-
9 positum redeamus. Regio igitur illa quæ late prius ab *Euganeis* tenebatur: & quæ postmodum *Venetia* est appellata, incipiebat olim à *Mintio* amne, ad *Tiliamentum* usque in *Adriaticum* mare, sub finibus *Italiæ*. Hanc autem *M. Portius Cato* ita diffinit. *Venetia*, inquit, *est omnis ora circa sinum maris post Hystriam, usque ad Padi ostia*. Plin. autem *lib.* III. ait, *Sub Venetiæ nomine comprehenditur omnis regio ab Hystria secundum maritimam oram usque ad Ravennam.* Ab *Henetis* ergo. *Henetia* primum, deinde vero *Venetia* dicta est: quod nomen adhuc staret, nisi & *Latinis* nominibus sicut & rebus, crebræ Barbarorum irruptiones, crebram etiam mutationem nominis attulissent: idque non sine summa *Latini* sermonis pernicie. Nam aliquando dicta est *Gallia Cisalpina*: interdum *Gallia Togata*: eo quod hanc *Italiæ* partem quondam *Galli* maxime coluerint, & in ea multas urbes & oppida condiderint. De hac quoque regione idem M. Portius Cato in *lib. Originum*. *Venetis*, inquit, *cunctis prima origo Phaëthontea est: quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaëthonte & Eridano præbuit. Posterius mixta est his nobilis stirps Trojana, ex qua Patavium suo conditore inclytum. Omnia sub Alpibus Transpadana loca prisci convenæ Thusci missis colonis tenuere: ab hisque multa loca nomina retinent. Plura autem deleverunt Galli, qui primi Aronte Clusino duce Alpes transcenderunt, & sensim ab omni Gallia Cisalpina Hetruriam pepulere: ab hisque nomen sortita retinet Gallia Cisalpina.* Hæc ille, & alia multa, quæ de hac regione ibidem ab eo memorantur. De hac ipsa regione multa quoque Polybius *historiarum lib.* II. refert. Et Dion historicus *lib.* XLI. scribit olim *Patavium* fuisse *Galliæ* urbem, etsi nunc *Italiæ*: & id probat testimonio Ciceronis, qui in XII. *Philippi.* sic ait: *Ut omittam reliquas partes Galliæ, nam sunt omnes pares: Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt missos ab Antonio*, & reliqua. Aliquando etiam à *Romanis* nuncupata est *Italia Transpadana*: quod trans *Padum* fluvium celeberrimum sita est. Unde & Gellius *lib.* XV. ubi *Cornelii* augurium refert, *Res*, inquit, *accidit Patavii in Transpadana Italia memoria digna, &c.* Insuper auctore *Blondo Flavio* à *Romana* Ecclesia vocitata fuit

A aliquando *Dalmatia* supra mare, à vicinitate *Dalmatiæ*: quæ eidem mari *Adriatico* confinis est. Nec me latet hanc ipsam regionem à poëtis etiam *Elicaoniam* appellatam, *Martiale* poëta ita dicente: Lib. XIV. Epigr. 152.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Elicaonia de regione sumus.

Ibi *Calderinus* interpres exponit *Patavina*, dicens: *Elicaoniam* finitimam *Pamphyliæ*, socios dedisse *Antenori* profugo *Patavii* conditori: & propterea sicut ab *Henetis Henetiam*, ita ab *Elicaonibus* etiam *Elicaoniam* à poëtis dictam. Idem
B quoque poëta Martial. lib. X. Epigr. 93. expressius ad *Clementem* poëtam *Patavinum* dicit,

Si prior Euganeas Clemens Elicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis. &c.

Quantum vero *Calderino* circa historiam hujusce rei credendum sit, hoc loco pro se quisque ut velit, judicet: aliam ego interpretationem non afferam. Anno autem à Christi ortu, D. V. *Longobardi* cum occupassent *Italiam*, *Venetiam*, *Liguriam* & *Æmiliam*, fecerunt ex his tribus unicam provinciam: quam *Lombardiam* postea vo-
C citarunt. *Intra fines autem Venetiæ*, secundum Ptolemæum, *omne solum, quod est post Padi fluvii & Adriæ ostia à meridie usque ad ostium Tiliamenti fluvii & Natisonis, ad Septentrionem comprehenditur. Istria vero, ubi post flexum maris Adriatici est Tergestum, Parentium, Pola & Neosanctium. In finibus autem Italiæ urbes mediterraneæ sunt, Pucinum, Pinguentum, Altinum, item Carnorum regio, Forojulium, Concordia, Aquileja: omnes coloniæ Romanorum. Propriæ vero ipsius Venetiæ & certæ sunt hæ: Bellunum, Opitergium, Altinum, Vincentia, Acelum, Atheste, Adria, Patavium.* Hæc ille. Ponit etiam idem
D auctor sub *Venetia Genomanorum* civitates: quæ sunt, *Bergomum*, *Forumdinguntorum*, *Brixia*, *Cremona*, *Verona*, *Mantua*, *Tridentum*, *Butrium*. Similiter & *Berthunorum*, sub occasum *Venetiæ*, *Vaunia*, *Carraca*, *Bretina*, *Anaunium*, confines *Insubribus*. Cui ergo mirum videri debet, si *Strabo* scribat *Patavium* misisse ad bellum aliquando centum & viginti millia militum, cum esset caput prænominatarum civitatum, universæque *Venetiæ*. Ab ista ergo *Venetia* derivarunt novæ illæ *Venetiæ*, in æstuariis *Adriatici* maris sitæ, supra quam credi potest amplissimæ, tantoque 10
jam imperio & opibus auctæ, ut totam nunc fer-
E me *Venetiam* usque ad *Insubres* tranquillissima pace sua sub ditione gubernent: ita ut imperium & hoc præcipuum nomen hæ solæ nunc merito sibi vendicent: & propter quandam excellentiam istius urbis incolæ ipsi soli *Veneti* nuncupantur. Horum inclyta Respublica nunc terra, marique longe lateque imperans, ab optimatibus & patriciis multa prudentia, summa justitia, admirabili concordia cum maxima sapientia feliciter administratur & regitur. Quod autem hæc felicissima Regio modo vulgatissimo nomine *Marchia Tarvisina* dicatur: si quis quærat, & de tam absurdo & barbaro Marchiæ nomine, quod est in
F frequentissimo usu, admiretur, brevi accipiat. Etenim dum id ego quoque demiror, & non tam de Marchiæ nomine quam de *Tarvisii* titulo rei novitatem mecum animo voluto, forte fortuna incidi in *Italiam* instauratam *Blondi* historici haud quaquam spernendi: ubi id ipsum ita serio pertractat, ut curioso quantumlibet lectori in eo satisfacere omni ex parte possit. Vocabulum enim Marchiæ, *Longobardorum* voce fuisse affirmat, dicens: *Longobardis Italiæ* imperantibus duas tantum

tum regiones fuisse, quæ ad posteros jure successionis transirent: quod Marchionatus eis in sua lingua sonat. Altera quidem erat *Picenum*, & dicebatur Marchia *Anchonitana*. Altera vero *Venetia*, & dicta est Marchia *Tarvisina*: quod in his urbibus duo præcipue *Longobardorum* principes regnum haberent, atque ibidem habitarent. Reliquæ vero *Italiæ* regiones amicis ducibus, & annuis magistratibus regebantur: in quibus nullum successionis jus posteris foret. Hæc ab illo eo loco latius, nos reliqua prosequamur, & quam scite urbs hæc nostra hoc in loco condita fuerit, priscorum auctoritate probemus.

De situ Patavii *& ejus ornamentis.*

Situm est autem *Patavium* in plano, amnibus undique dextra lævaque longe lateque irriguum, & ab *Euganeis* collibus amœnissimis eisdemque fertilissimis sex tantum passuum millibus distans: à mari vero & à portu duodeviginti: quo habet navigationem per *Medocum* fluvium, & partim per maritimos lacus. Qui quidem portus olim cum fluvio eodem nomine *Medoacus*, nunc autem *Metamaucum* dictum est. Etenim neque inconsulto, neque inauspicato *Antenorem* prudentissimum virum in ejusmodi situ condidisse hanc urbem credi par est, quandoquidem & prisci illi *Judæi* (ut refert eximius auctor Eusebius *lib. Evangelicæ præparationis* II. moniti divinitus, Metropolim suam *Hierosolymam* à mari distantem multis passuum millibus condiderunt. Et *Plato* divina pene sapientia præditus idem consilium secutus, quam in suis legibus urbem condi vult, in continenti præcipit collocandam: & decem saltem passuum millibus à mari distantem: quæ tamen portum habeat quam optimum, agrumque fertilissimum: nec alteri nimium vicina sit civitati. *Maritimam* (inquit ille) *condere non debemus, ne alienis moribus variis, vilibusque facillime corrumpatur. Fieri namque solet, ut hujusmodi civitatum mores efficiantur corruptissimi, propterea quod cum mercibus peregrina itidem vitia soleant à negotiatoribus importari. cum autem per decem tantum millia passuum distat, optime portuosa, nec jucunditate caret, nec utilitate maris privatur, nec contractam alienis moribus nequitiam admittit.* Hæc ille. Quod autem ad munimenta urbis attinet, *Patavium* una est nunc in tota *Italia* urbs omnium maxime munita: utpote populo frequens, lataque & profunda fossa, aquis fluentibus repleta, crassisque & firmissimis, ac validissimis mœnibus cincta: adeo ut nec ab hoste penetrari, nec à tormentis dirui aut subverti ulla vi possint. Quin potius ut inspectis his monumentis, quilibet hostis horreat, ac mox diffidens perterritus abscedat. Nam si exteriora munimenta novorum murorum in imo fundo posita spectes, facile credideris, nullis esse arietibus, nullis machinis, nullis denique tormentis pervia. Si vero introrsus suspicias altitudinem mœnium vetustorum, nulla vi, nullis scalis omnino superandam judicabis. Duplici siquidem muro cingitur: quorum altero validissime munitur, altero vero etiam speciosius exornatur. Intra hæc mœnia anno Salutis M. D. IX. ante bellum *Maximiliani* Cæsaris numerabantur domus seu familiæ, ultra quatuor millia: extra vero mœnia in suburbiis septem portarum, ultra tria millia: quæ quidem hoc novissimo bello partim ab hostibus eodem anno incensæ sunt: partim postmodum jussu
11 *Veneti* senatus ad tutandam urbem, & ad dilatandum pomerium, una omnes dirutæ & demolitæ fuerunt, ut longe lateque urbis prospectus undique à mœnibus mille passus pateret: ne quid ho-

A stis habeat omnino, ubi prope mœnia ab ictibus tormentorum aut protegi, aut latere securus possit. Inesse autem dicitur in eo spatio vastitatis circa mœnia quatuor decim millia jugerum, seu camporum, intra quos fines inerant monasteria monachorum quatuor, virginum sex: quæ omnia intra mœnia recepta sunt, exceptis *Carthusiensibus* qui aliquanto longius à mœnibus sese locaverunt: & *Camaldulensibus*, qui se commode ad suos *Venetias* prope *Murianum* transtulerunt. Erant insuper in eodem spatio foris circum mœnia, basilicæ sacræ quinque, & xenodochia septem. At si quæras de populi frequentia, pro-
B ximis annis censi sunt XLV. millia: si vero de ædificiis, & publicis & privatis scire desideras, efferuntur in primis speciosissima pleraque, qualia vel rarissima, vel nulla hodie in *Italia* visuntur. Habet enim prætorium speciosissimum, & forum juris dicendi magnificentissimum, quod à quatuor partibus quatuor latissimis scalis ascenditur, admirabili contignatione, & plumbeis laminis opertum, ac pervasta magnitudine tam latum, & talibus ac tam variis picturis exornatum, ut nullum in orbe latius aut pulchrius esse credatur. Extat & regia olim principum *Cartarien-*
C *sium* in media urbe, sed X. latericiis arcubus ab occidente perviis mœnibus jungitur, quæ interiorem totius urbis partem circumdant, & in arcem perducunt. Hic ædes & cœnacula visuntur amplissima, cum speciosissimo atrio, ac interioribus conclaviis, cui circumquaque latissimæ adjacent areæ, una ab Aquilone, altera à Meridie, quæ præcipua est lateribus strata, & excelsis ædibus vallata, ad usum civium, & ad equestrium ludorum exhibendorum concursus pro aptissimo theatro habita. Huic adhæret insignis porticus, & curia publici consilii nobilissima, columnis marmoreis suffulta, & vivo saxo, se-
D ctisque & quadratis lapidibus constructa, & plumbo ingeniosa architectura cooperta. Habet & alias ædes speciosissimas, turres item insignes, cum privatas, tum publicas: habet multiplex forum, præsertim vinarium, lignarium, palearium & piscarium. habet macellum amplissimum, & forum boarium, plus quam mille passuum circuitu patens: quod olim campum Martium, nunc pratum vallis appellant. Est etiam aliud pratum nulli præterea usui, nisi ad pascendum & ad exhibendum liberum imminentis arcis conspectum: & ob id platea Castellana vocata. Habet & aliud forum, quod olim Carbonarium, nunc ab ædi-
E bus vicinis Forciatæum nuncupatur, nulli rei destinatum. Habet & lapideos pontes circumquaque admodum speciosos duo de quadraginta. Non desunt præterea & multa alia pulcherrima ædificia, tam publica quam privata, non porticus, non arcus, non portus, non arx satis speciosa & munita: adsunt alia denique multa, quæ florentissimæ cuique civitati summo possunt esse decori. De hac ipsa re in sua *Italia* instaurata *Blondus* historicus tam copiose differit, ut præfari ita coactus fuerit. *In hac* (inquit) *urbe describenda, si solito prolixiores erimus, sua nos dignitas excusabit. Nullam enim ædificiorum pulchri-*
F *tudinem præsertim publicorum, in Italia sibi similem esse tenemus.* Hæc ibi Blondus. Erat olim urbis hujus circuitus murorum triplex: at nunc geminus tantum. Primus autem murorum ambitus sex & ducentorum passuum millia continet, intra sex speciosissimas portas. Secundus vero circa tria millia eximiæ altitudinis amœnissimo circumquaque flumine cinctus: quatuordecim publicis portis & totidem lapideis pontibus pervius. super quem in universo circuitu patet jucundissima deambulatio, quam binos admittit in-

 tra

tra parietes à caſu utrinque ſecuros. Non minus etiam honeſtant urbem hanc præclariſſima ac magnificentiſſima monaſteriorum ædificia, ex cunctis fere ordinibus, ac cœnobitarum familiis Chriſtianæ religionis: de quibus ſigillatim paulo inferius copioſe dicetur. Nec præteriri omnino debet florentiſſimum hujus civitatis Gymnaſium, toto orbe celeberrimum: profeſſoribus & omnium liberalium artium doctoribus inſigne, & multis privilegiis, & honeſtiſſimis titulis à ſummo Pontifice & ab Imperatore *Auguſto*, & ab inclyto *Venetorum* ſenatu decoratum. Quo ex tota pene *Europa*, atque ex omnibus Chriſtianorum provinciis frequentiſſima juvenum multitudo confluit, cauſa diſcendarum legum, ſive theologiæ, aut medicinæ, vel philoſophiæ cunctarumque optimarum artium, & cujuſcunque diſciplinæ, tam Græce, quam Latine, veluti ad unicum omnium literarum emporium. Ubi velut in præparata omnium ſtudiorum officina, ſemper adeſt caterva innumerabilis ſtudioſorum juvenum: & doctiſſimorum virorum docentium in omni doctrina, & ſtudiorum genere & præſertim è noſtris civibus: ita ut parum ſit opus, peregrinos, aut adventitios prælectores conducere. Accerſuntur tamen undique amplo ſtipendio (quum res exigit) ad Gymnaſii ſplendorem, clariſſimi quique tam utriuſque juris, quam medicinæ & philoſophiæ doctores clariſſimi. Hoc autem Gymnaſium primo à *Carolo Magno* cœptum ſcriptores plerique autumant, & deinde poſt aliquot ſecula per *Fridericum II.* cum eſſet *Romanæ* Eccleſiæ infeſtus, ex urbe *Bononia Patavium* tranſlatum: anno à partu Virginis M.CC.XXII. Atqui vero poſt XL. annos, pacatis rebus, inſigni diplomate à ſummo Pontifice *Urbano IV.* comprobatum fuit, quod *Fridericus* Cæſar ante ſtatuerat. Interea vero dum hæc ſcribimus, in unis ædibus extruuntur atque exornantur omnium artium liberalium, atque utriuſque juris ſcholæ, ſpecioſiſſimis ædificiis, & inſigni atrio, multo quidem magnificentiores, longeque præſtantiores, & duplo capaciores prioribus. Sunt item ſtudentibus in hac urbe ædes aliquot ampliſſimæ, quæ vocantur collegia, gratis ad eorum ſuſtentandam inopiam deputatæ, qui anguſtia rei familiaris premuntur. Eſt in primis juxta templum *Divi Antonii* confeſſoris eximium collegium, quod *Forojulienſium* nominatur, à *Pileo de Prata*, Cardinali & Epiſcopo noſtro conſtructum: ubi ſuper januam legitur hoc epigramma:

ATRIA QVANTA VIDES SINVOSOS FLEXA PER ARCVS
DEDITA DIVINIS STVDIIS ET CANONE SACRO
MAGNA COMES PRATAE PILEVS DEDIT INCLYTVS HEROS
CARDINE PONTIFICVM, CELSOS OPERATVS HONORES
MILLE QVADRINGENTOS, BIS DENNOS AVXERAT ANNOS
PARTVS VIRGINEVS CVM MOENIA STRVCTA QVIERVNT.

In eadem regione eſt collegium *Feltrenſium*. Apud pontem Corvum eſt collegium *Spinellium*, & ibi prope eſt collegium *Riddium*. In vico autem *Vignalium* eſt collegium dictum *Campionis*. Apud ſanctam *Catharinam* eſt antiquum & ſatis opulentum, & complurium ſcholaſticorum ex *Neapolitano* regno præſertim venientium capax. Juxta pontem Molinarium eſt domus ampla & ſpecioſa, à *Thoma Philologo Ravennate* medico proximis annis ſcholaribus liberaliter deputata. Aliud item collegium *Brixianorum* eſt apud ſanctam *Luciam*. Erit quoque propediem collegium novum, ſolis *Græcis* è *Cypro* venientibus communicandum, ex legato N. Archiepiſcopi *Græciæ*. Eſt inſuper hic ſchola grammaticalis publica, in qua pubes ſtudioſa, tam in Græca quam in Latina lingua gratis valeat erudiri, hac ætate erecta ex *Hannibalis Rugerii* jureconſulti legato. Habetur item in hac civitate hortus ſphæricus, amplus & irriguus, omni genere herbarum medicinalium conſitus, pro inſtruendis juvenum ingeniis in re herbaria à medicis præparatus: opus ſane egregium & ſingulare, *Franciſci Bonefidei* phyſici clariſſimi inventum: & à ſenatu *Veneto*, referentibus *Patavini* Gymnaſii curatoribus, *Sebaſtiano Foſcareno*, & *Nicolao Theupulo* ampliſſimis viris, & in Republica *Veneta* ſummis, magiſtratibus claris, comprobatum. Sed de his ſatis. Circumdatur autem ac navigatur urbs *Patavium* à duabus regionibus, duobus ſatis magnis fluminibus: quos ambos *Medoacos Plinius* vocat. Nos autem unum *Brentam*, & alterum *Bacchilionem*, qui ante quingentos annos *Retronus* vocabatur, appellamus. Ferunt autem primo ante excidium *Attilæ* urbem *Patavium* à lævo latere fluminis ad Orientem ſtetiſſe: ubi vicus *Ruthenæ* appellatur: ex eo poſtea *Ruina* vocatus. Poſtmodum vero urbs ædificari cœpta eſt ab altero latere fluminis paluſtri ſolo, ubi nunc forum & templum Cathedrale eſſe conſpicitur. Fines autem totius agri *Patavini* olim latius, nunc his terminis diſtinguuntur. A Meridie procurrit *Atheſis* flumen celeberrimum ex agro *Veronenſi*. A Septentrione *Muſo* parvus amnis dilabitur, juxta agrum *Tarviſinum*. Ab Oriente æſtuaria, fineſque *Venetiarum*. Ab Occidente autem colles *Euganei*, & ager *Vicentinus*, ideoque perveteri ſigillo *Patavinæ* Reipublicæ ubi eſt forma antiquæ urbis, hoc carmen Laconicæ brevitatis ære inciſum legitur, quo urbs ipſa loquitur:

MVSO, MONS, ATHESIS, MARE, CERTOS DANT MIHI FINES.

Omnis autem circuitus hujus territorii patet centum & octoginta paſſuum millia: in quo ſpatio pagi ſeu villæ tercentum & quadraginta ſeptem inſunt: in quibus octingenta camporum millia 13 metiri licet: quorum quarta pars eſt, partim nemoroſa, partim paluſtris & inculta. Hoc anno tamen M.D.LVIII. conſulto *Veneti* Senatus cœptum eſt omnes paludes, quæ ad radices collium *Euganeorum* ingentes aderant, aperto meatu, in mare, ſub altero fluvio, ſpecu ſubterraneo, demitti, & valles ſiccari, & canneto incenſo & evulſo ad cultum reſtitui, & ſimiliter effodi cœptum circa valles reliquas, ut exſiccatæ in mare defluant, effoſſo & aperto *Gorzonio* obice impenſis privatorum dominorum, *Nicolao Zeno* patricio *Veneto Catherini* filio Senatuſconſulto ad id præfecto: quod erit maximo dominis earum vallium lucro, & *Patavinæ* civitati ingenti commodo. Hactenus de ſitu urbis, & ejus ædificiis & ornamentis ſatis breviter ad propoſitam materiam dictum: deinceps vero de agri fertilitate & de ſitu, eadem brevitate dicamus: ut poſtmodum ad ea, quæ à nobis reſtant præſtanda, commodius tranſeamus.

De fertilitate & commodis urbis & agri Patavini.

Quatuor agrorum genera, qui de re ruſtica & agrorum cultu tradunt, adnumerare ſolent. Seminarium videlicet conſitum, paſcuum & hortenſe. Hæc omnia civitati huic *Patavinæ* pleno (quod ajunt) copiæ cornu mater

ter natura concessit, ut nihil præterea vel à quovis avidissimo populo desiderari merito possit: quandoquidem sua copia non modo civium suorum, sed & advenarum usibus abunde alimenta ministret. Quin etiam *Patavini* agri tanta est fertilitas, ut ex abundanti frugum copia vicinis quoque civitatibus absque ulla suorum civium inopia, quæ ad usum vitæ necessaria sunt, large multa suppeditet. Habent enim *Patavini* agros suapte natura frugiferos, ac fertiles admodum, sed diligenti colentium cura, prout loca exigunt, redditos multo etiam meliores. ubinam Ceres lætior? vel si alicubi exuberantior, ubi æque par probitas? Ubi pomorum ac fructuum omnis generis sylva feracior? Ubi pascua salubriora, ac pabuli copia tum gregibus, tum armentis paratior? Celebris est fama lanarum, pannorumque *Euganeorum*. Propterea *Patavii* inter præcipuas artes est lanificium: quod est quotannis sexcentarum librarum millia, & amplius. Ubi præterea oliva præstantior, aut delicatior? Ubi denique pulchriora montium juga? vel quæ tanto cultu undequaque excolantur? vel quæ tanto civium solatio ac jucunditate visantur? quatenus amœnitas, & fertilitas in his terris æquo favore, & pari studio inter se certent. Idcirco non ab re *Martialis* poëta ingeniosissimus (ut supra diximus) appellavit hanc regionem arva pampinea picta jugis. Etenim picturæ similitudine exprimit maximum collium istorum ornatum. Generositatem autem vini *Patavini*, superfluum esse puto referre: sive dulce aut austerum, sive tenue aut densum, sive lene aut acutum, sive album aut nigrum, sive rubrum aut fulvum quæras? Quid venationes, aucupia & piscationes commemorem? Dicant nunc *Ferraria*, *Bononia*, aliæque civitates circumvicinæ, quibus lacus ingentes, & amnes *Patavini* suis piscationibus non ferme minus quam *Patavio* piscium copia ubertim deserviunt. Quid lignationem, atque ad omnem fabricam omnimodam materiam, vel ex propriis nemoribus vel aliunde ex vicinis Alpibus, per commodos amnes facile advectam? quid denique reliqua omnia ad humanæ vitæ commodum? quæ quidem cum in promptu sint, omnibus diffusius commemorare nihil necesse est. Cæterum parum videri poterat agri tanta felicitas, nisi & vehendi & revehendi ex agris opportuna mitissimorum fluminum navigatione hanc eandem civitatem natura dotasset. Nam ut in nullis rebus ulli urbi *Italiæ* cedit: ita & in hoc uno omnibus maxime præstat: quod per totum ferme agrum navigiis æque ac plaustris, toto anni tempore vecturæ opus commode exerceri possit: sive fructus ex agris vectare ad lares patrios velis, sive per maritimas regiones in externum solum & in urbes alias: sive præter fruges, alia quæpiam humano usui necessaria transferre sursum ac deorsum cupis. Nullus enim agrestis vicus ultra quinque passuum millia distat à flumine: quanquam alioqui ab ipsa urbe longius absit. Quid ad construendas domos abundantiam calcis, laterum, lapidumque ac tignorum copiam referam? quorum omnium usus sic perfacilis atque in prom-
14 ptu est: quando hæc omnia non multo labore, & parva impensa, ex alienis etiam regionibus (si opus est) fluminum commodo facile advehantur. Sed esto quod alicubi terrarum hæc eadem æque parata fuerint. Ubinam tanta aëris temperies? & simul saluberrimorum fontium ac thermarum, calidarumque aquarum vis, ad multiplices pestes morbosque curandos? Videas sic leprosos, claudos, stupidos, aliave quavis ægritudine detentos, aut male affectos, vel limi salutiferi fotu, vel balneorum tepore, aut cavernularum æstuantium calore, aut salutiferæ guttæ decidentis attritu, aut sulphureæ aquæ haustu citissime convalescere. Certum est his aquis lepram mundari, consolidari membra, curari ulcera, & totum corpus alioqui incurabile mirabiliter pristinæ incolumitati restitui. Cæterum quoniam hactenus generatim de laudibus & commodis urbis *Patavii*, & agri circumjacentis satis superque diximus: restat deinceps, ut nominatim de municipiis & vicis territorii, quæ sunt fueruntve civitati nostræ aliquando subjecta, dicamus.

Septem oppida Patavina *insignia.*

De Castro Baldo.

Subjacent hoc tempore municipali jure *Patavio* oppida septem insignia: ad quæ à Senatu *Veneto* pro jure dicendo ex patritiis *Venetis* prætores quotannis mittuntur. Suntque sex alii præcipui vici, ad quos à *Patavinis* ex propriis civibus annuatim singuli vicarii delegantur: qui infra decem libras tantum habent juris dicendi potestatem. Est ergo in finibus agri *Patavini* ad meridiem, ut hic incipiam, *Castrum Baldum*: circa quod pascua tantæ fertilitatis adjacent, ut prata singulis annis quater falce demetantur: adeo ut perticas pridie humi stratas, postridie obortum gramen obtegat & occultet: & ob id equorum ibidem generosa armenta maxime educantur. Is enim omnis tractus latissimis pratis abundat, & vallibus ad hæc quam maxime idoneis. Propterea in hac regione opinor fuisse olim, ut in præsenti sunt, latissima ac fortissima alendis equis pascua: ubi *Dionysius Siciliæ* tyrannus egregium educandorum equorum semen habere voluit: quod ad equestre certamen tolleret, & in militiam duceret. Quamobrem apud *Græcos* equinæ prolis nobilitas in *Venetis* mansit: & ibidem per longa tempora hujusmodi propago inde sibi nomen vendicavit. Hæc fere ad verbum *Strabo*. Hoc autem oppidum est in finibus agri *Patavini* super *Athesim*, olim à *Patavina* Republica ædificatum. Anno domini M. CC. XCII. & in eo tunc arx simul munitissima extructa, quæ hostiles *Veronensium* excursiones à transitu *Athesis* amnis arceret. Modo autem *Veneti*, cum jam fines suos ultra *Athesim* longius protraxerint, arcem cum mœnibus erutam funditus, ad *Limniaci* & *Porti* ambas arces, ultra citraque *Athesim* munitissimas, superioribus annis transvexerunt: *Castrum* ipsum *Baldum* prorsus immunitum reddentes, ut ne vicus quidem recte meritoque dici possit. Ubi nunc prætor commode sane magis, quam tuto valeat habitare. Adhuc tamen & arcis vestigia, & templum vetustissimum, & ædes paucæ visuntur.

De Montiniano.

Proximum huic occurrit *Montinianum*, oppidum nobile ac peramplum, mœnibus cinctum, & tribus portis, & præsertim ab occidente munitissimum: & tam privatis quam publicis facultatibus locuples: ubi speciosissimum templum venerabileque, & sacerdotibus frequens. Est præterea circumquaque longe lateque pascuis optimis, & pinguissimo solo, culturaque mirabili prædotatum: tritici, leguminumque varii generis optimorum fertilissimum: linique ac cannabis & serici, lanarumque præstantissimarum exuberantissime abundans. Quæ quidem lanæ olim ab antiquis etiam poëtis celebratæ sunt. Unde *Martialis*, *Lib.* XIV. *Epigr.* 143.

Vellera cum sumant Patavini multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Et

Et *Juvenalis* mollitiem damnans, eam comparat lanis *Patavinis*: utpote aliis mollioribus, dicens: *Euganea mollior agna*. Habet enim ea territorii pars, pascua (ut ante diximus) lætissima, tum armentis, tum maxime gregibus ovium aptissi-
15 ma: & propterea ceris & optimo melle redundat. De prædictis autem lanis Strabo *lib*. v. ita loquitur: *Mutinenses* & *Scutanæ* adjacentes fluvio *Nolia* aliis longe præstantiora ferunt vellera. *Ligures* vero & *Insubres* aspera: e quibus magna *Italiæ* pars domesticis indumenta conficiunt. Mediocria vero *Patavini*, e quibus pretiosi tapetes & gausapa texuntur: & hoc stragulæ vestis genus, utrinque villos habentis, vel una tantum in superficie. Hæc ille. Ex hoc municipio, licet non valde antiquo, admodum tamen nobili, complures viri & literis & armis clarissimi extitere: qui (ut infra dicetur) & seipsos & patriam nostram non mediocriter illustrarunt.

De Atheste.

E regione vero oppidi hujus quinque millium passuum intervallo *Patavium* versus, est oppidum antiquum *Atheste* nomine ædificiis ac civibus frequens, cinctum mœnibus & arce munitum, agro fertili, lacubusque ad piscandum idoneis circumseptum, à Plinio Secundo *lib*. 11. *Cap*. 19. & à pluribus aliis antiquis cosmographis celebratum. Hic effossa sæpe vestigia quædam antiquitatis manifestissima hujus egregiæ vetustatis indicia præstant. Hujus oppidi circuitus olim quatuor passuum millibus fuisse perhibetur, & quatuor portis insignibus, quarum una *Capitolina* dicebatur, ab occidente posita, ubi erat portus frequentissimus, & lapideus pons: qui sex arcubus propinqui *Athesis* ripas jungebat: quæ omnia ab *Attila Hunnorum* Rege diruta & incensa fuerunt. Illa vero quæ præterea multa dicuntur de numeroso illo exercitu, in auxilium *Romanæ* Ecclesiæ contra *Justinianum* Imperatorem: & de *Foresto* principe *Athestino*, & de *Guidone Lucii* comite, & de *Lelio Capivacio*, & *Basilio Dotto*, & *Paulo Vitaliano*, & rebus aliis: quæ cum inter se temporibus non concordent, neque apud satis idoneos auctores legantur, ut incerta & vana prætermittenda duxi. Hic autem locus nunc paludibus, & ob id etiam salicibus gaudet: de quibus arbitror Plinium intellexisse *lib*. XIV. *cap*. 16. ubi dixit: *Mira vitium natura saporem alienum in se trahendi, qualem redolent salicum Patavinorum in palustribus vindemiæ*. De origine *Athestini* oppidi *Hieronymus Athestinus* in sua historia alia multa refert de *Atheste Henetorum* duce: quia à *Paphlagonia* amisso rege *Philemene* apud *Trojam* cum *Antenore*, *Patavii* conditore, in has regiones *Adriatici* maris appulerat, & accepta *Flavii Antenoris* filia in uxorem, urbem & ipse condidit juxta socerum: quam de suo nomine *Athestem* appellavit: qui obiit agens octuagesimum suæ ætatis annum. Hujus ossa ferunt aliquando, dum cultores terram altius effoderent, inventa fuisse in arca durissimi saxi, cum hoc non insulso sane epitaphio inscripta:

EST VIA QVAE POPVLVM DVCIT JVNONIS AD AEDEM,
FONS VBI NATIVIS AERA PVLSAT AQVIS.
QVISQVIS AD HANC PERGIS PERIANDRI TRANSIGE THERMAS,
ANTRA, DOMOS, CVRVIS PARVA THEATRA LOCIS:
ET RIPAS ATHESIS PHRIGIIQVE PALATIA JANI,
REGIA SCEPTRA, LARES, ATRIA, TEMPLA, FORVM.
INDE CELER SVBEAS MAGNI DELVBRA TONANTIS,
QVA FERT SVBLIMES MARTIA PORTA GRADVS.
HIC ET ATHESTE JACET, QVI POST ANTENORA NOMEN,
LAVDIBVS ET TITVLIS TOLLIT IN ASTRA SVVM.
TRANSTVLIT HVC HENETOS, ET PARVAM CONDIDIT VRBEM:
CVJVS ET OSSA DVCIS NVNC BREVIS ARCA TEGIT.

Distat autem à *Patavio Atheste* quindecim passuum millibus: pedestri itinere, & navigio aditu commodum. Ab hoc autem oppido nomen accepit nobilissima *Estensium* principum familia: quæ nunc *Ferrariæ*, *Mutinæ* & *Rhegio Lepidi* dominatur, de qua latius suo loco dicemus.

De Monte Silicis.

Navigatur adverso flumine ab *Atheste*, per 16
fossam quandam ad *Montem Silicis*: quod quidem oppidum à *Plinio Acelum*, sed à *Pomp. Mela Acedum*, librarii forsitan errore vocatur. Sunt qui scribant Montem *Cælium* à *Cælio* principe ejusdem conditore: qui ibidem templum *Jovi* dicavit, quod nunc divo *Paulo* sacrum est. Murorum hujus oppidi circuitus partim in plano, partim in excelso colle in longum diducitur. Intra quem olim munitissima arx stabat: nunc vero neglecta est, ac vetustate pene consumpta. Distat autem à *Patavio* decem passuum millibus navigio sive pedibus via haud quaquam difficili. Aperta autem fuit hæc navigatio per fossam anno M. C. LXXXIX. Republica *Patavina* florente. Contiguum est autem collibus *Euganeis*, & idcirco uvis dulcibus & olivetis abundans: & mira omnis generis fructuum ubertate conspicuum. Id olim una cum *Patavio* ab *Attila Hunnorum* Rege incensum ac eversum fuit: postea vero à *Theodorico Ostrogotorum* Rege rursum mœnibus, fossa, templo, palatio thermisque reparatum. Idem ibi calcarias ex publico fieri multas jussit, ut si quis eo migrare vellet, pro erigendis ædificiis calcem paratam inveniret: quum tigna, saxa, tegulasque & reliquam materiam ex loci natura illic facili negotio sibi comparare quisque posset, modo velit. Quo consilio factum est, ut oppidum istud brevi fuerit in pristinam formam redactum. Legitur in historiis Monasterii *Cassinensis*, *Montem Silicis* à *Pipino Francorum* Rege dono datum, una cum *Mantua*, *Parma* & *Rhegio*, multisque aliis civitatibus *Italiæ Stephano* Pontifici Maximo, ut *Romanæ* sedis imperio subjacerent.

De Plebe Sacci.

Seorsum ab *Euganeis* collibus visitur oppidum *Sacci* dictum à *Sacisca* regione ubi est situm: nam regio illa sic appellabatur jam sexcentis annis, ut extare vidi in antiquis membranis, quæ habentur adhuc ibi apud *Valerium Vontechium* illius Ecclesiæ canonicum: non autem à *Siocho* vicino rivulo, ut scribit *Sabellicus*. Nudatum quidem est mœnibus, sed lata fossa, & quatuor turribus à principibus *Carrariensibus* communitum: & hac tempestate à patriciis *Venetis* privatim, quasi quædam suburbanæ deliciæ, speciosissimis ædibus exornatum, & incolarum frequentia completum, insignique templo cohonestatum,

tum, sacerdotiis multiplicibus & opulentis à *Bertha* Regina & à *Milone* Episcopo dotatum: & idcirco ex quadam nominis excellentia deinceps *Plebs Sacci* appellatum. Erat id olim tam in spiritualibus, quam vitæ necisque imperio Episcopo *Patavino* subjectum: hinc ille adhuc servato titulo Episcopus *Patavinus*, & Comes *Saccensis* appellatur. Hujus territorium frumento & lino est exuberantissimum, & gallinarum miræ magnitudinis copia supra modum nobilitatum: præsertim in pulverario pago ipsi oppido propinquo: ubi sacrarum virginum existit insigne monasterium, S. AGNETI sanctissime dicatum. A

De Campo Sancti Petri.

B

Ad Septentrionalem plagam decem passuum millibus ab urbe distat satis frequens oppidum *Campus S. Petri* cum arce, fossis, mœnibus aggeribusque circundata: olim familiæ ejusdem nominis, postmodum ex testamento *Tisonis Campi Sampetri*, translatum est ad *Ubertinum Carrariensem*: & tandem ad Rempublicam *Venetam*, ubi patricius de more prætor quotannis residet, pro jure dicendo, absque tamen potestate judicii criminalis: sicut & in castro *Saccensis Plebis*, etsi in reliquis oppidis jus utrumque reddatur. Hæc C autem agri pars, omni frugum genere, satis superque abundat, sed vinum habet præcipuum, lenissimi & jucundissimi gustus, Laudabilius autem cæteris habetur, quod ex vindemiis Pagi *Murelarum* exprimitur: cui quidem vico nos spiritualiter annos jam quinquaginta præfuimus. Hæc vero regio aquis undique scatet, datque ad volvendas molarum rotas rivos idoneos: qui sunt *Muso*, *Tergula*, *Lavandula*, *Rustica*, *Arsicus*,
17 *Pluvicus* & *Marzenicus*: qui ab *Antonio Baratella* poëta satis lepide innumeris versibus & integris voluminibus celebrantur.

D

De Cittadella.

Non longe item à *Patavio*, utpote sexdecim passuum millibus in eadem regione superius, est pulcherrimum oppidum *Cittadella*, mœnibus ac fossa in orbem circundatum: cum duabus fortissimis turribus: in quarum profundo *Acciolinus* sævissimus tyrannus, nobilissimos quosque *Patavinos* captos transmittere solebat: quos postmodum ibi fame & fœtore diu afflictos; atque acerbissimis cruciatibus excarnificatos, mori cogebat. Qui locus tunc *Malta* dicebatur: cujus rei *Dantes Aligerius* in suo illo insigni opere meminit. E Habet hæc regio latissimam planitiem, venatui & aucupio magis quam frugibus aptam: agrum vero ad septentrionem, & ortum solis, lapidosum, & siligini magis quam alteri frumentorum generi idoneum. Vinum autem fert nigerrimum, saporis gratissimi, licet aliquantulum austeri: quod si aqua diluatur, mitius redditur. Fuit autem *Cittadella* aliquando à Senatu *Veneto* dono data primum *Ruberto Sanseverino Venetæ* militiæ principi: & post aliquot annos *Pandulpho Malatestæ*, in commutationem urbis *Arimini*: sed nunc Senatui in pristinum restituta, ex F *Venetis* patriciis quotannis novo prætore gubernatur. Fuit autem hæc condita à *Patavina* Republica præside *Joanne Baduario* patricio *Veneto*: Anno salutis humanæ M. CCC. XX. auctaque ex ruinis *Milianicæ Honariæ Cartorii* & *Cortaroduli* vicinorum castrorum. Conveniunt eo homines statutis diebus quotannis divorum *Lucæ* ac *Luciæ* festivitatibus ad nundinas, quæ maxima hominum celebritate ac frequentia peraguntur.

Sex vici Patavini *insignes.*

De Mirano.

Sunt item ut diximus sex vici insignes, quibus annuatim totidem vicarii ex *Patavinis* civibus eliguntur: & hi sunt sine fossis & mœnibus prorsus immuniti: præter *Miranum*, cui arx adhuc stat satis munita, sed hac tempestate neglecta: olim à *Philippo Peraghino* ædificata: Anno à nativitate domini M. CCC. XXV. Hic modo insunt multa insignia nobilium *Venetorum* ædificia, magnificentissime extructa, & amœnissimis villis, aquis miræ jucunditatis circumdata. Hac *Musonis* amnis præterfluens obliquis ripis inde *Venetias* lembis mediocribus se navigabilem præbet.

De Oriaco.

Adjacet huic *Oriacum* ad ripas *Medoaci*, quo *Patavio Venetias* navigatur. Ubi olim à *Carrariensibus* vastissima arx posita fuit: sed postmodum ex conditionibus pacis jussu *Veneti* Senatus diruta est, una cum *Villanova*: quæ ibidem fuerat ab eodem principe deductis colonis recens ædificata: Anno domini M. CCC. LXXII. Idem contigit & castro *Carro*, & propugnaculis *Lupæ* & reliquis munimentis, quæ in illis finibus adversus Senatus *Veneti* sententiam fuerant paulo ante à Principe *Carrariensi* constructa. Dictus est autem *Oriacus* quasi ora lacus, quia olim eo usque continens erat, subinde lacus & æstuaria maris *Adriatici*. Nunc satis insignis basilica, ædes nobilium *Venetorum* frequentes, & stabulum sive frequens taberna, & publica domus custodum ad exigendum vectigalia mercium inde sursum deorsumque per amnem proximum *Patavium* seu *Venetias* transvectarum.

De Titulo & Liviano.

In *Euganeis* collibus eminet *Titulum* vicus amœnissimus: & non inde procul est *Livianum*: utrunque à *Tito Livio* nuncupatum. Is collis est domibus frequens, & à civibus *Patavinis* æstivo tempore admodum habitatus, & oppido perquam gratus: ubi est turris horaria & laudabilis porticus; annis proximis, impensis paganorum publice ædificata. De hujus vici laudibus *Pierius* 18
Valerianus illustris poëta cecinit elegantissimum endecasyllabum ad *Franciscum Capilistium* insignem equitem: & hunc appellat *Titi Livii* secessum, & *Pausylipem Capilistiorum*.

De Arquado.

In iisdem collibus non longe à *Titulo* est *Arquadum* collis apricus & amœnus, atque cultissimus, vino dulcissimo abundans, sepulchro illustris poëtæ *Francisci Petrarchæ* celeberrimus, & maxime nobilitatus: & in æstate quotidie ab advenis, & à studiosis scholaribus frequentatus: nec minus etiam à plurimis decantatus: ubi in cœmiterio sub dio ad ejus sepulchrum, æneum caput ad vivam illius imaginem conformatum visitur, cum hac inscriptione:

FR. PETR. PAVL. VALDEZVCCVS PAT. POEMATVM EIVS ADMIRATOR AEDIVM AGR. Q3 POSSESSOR HANC EFF. P. ANN. M. D. XLVII. IDIB. SEPT. MANFREDINO COMITE VICARIO.

Ibidem quoque ædes ipsius *Petrarchæ* adhuc visuntur & lauri. Est præterea ibi insignis porti-

cus, sicut in reliquis pagis, ubi jus populis dici consuevit, & sacrum delubrum, & ædes privatorum frequentes.

De Consylvio.

In plano à meridie visitur *Consylvium*: locus planus & in primis fertilissimus: dictus est etymologia vocabuli aliquando caput sylvæ: nunc autem evulsis nemoribus & sylvis, agrum habet circumquaque cultissimum: ædes item publicas pro usu Vicarii commodissimas: porticum vero pro jure dicendo capacissimum.

De Anguillaria.

Non procul hinc est *Anguillariæ* viculus, olim *Carrariensium*, qui ex eo quoque dicti sunt comites *Anguillariæ*: qui pro suo insigni ferebant currum rubeum à duabus anguillis junctis tractum. Hic nunc locus in juredicendo subest *Consylvii* præfecto: habetque frequentes paludes, in quas *Vighizzollus* ingens lacus influit: quem *Plinius* celebrat *in sua naturali historia lib.* III. *cap.* 16. dicens: *Accedentibus Athesi ex Tridentinis Alpibus, & Vigisollo ex Patavinorum agris, pars eorum portum facit Brundulum: sicuti Edronem Medoaci duo, & Fossaclodia.* Hæc Plinius.

De oppidis & vicis villisque in agro Patavino *olim aut nunc arce munitis.*

Arces pro defensione agri *Patavini* vel à Republica *Patavina*, vel à *Carrariensibus* principibus, vel à privatis civibus, muris fossisve munitæ, olim quamplurimæ extiterunt.

Ab Oriente.

Lugum, *Mitanum*, *Oriacum*, *Castrum Carrum*, *Lupa*, *Monsalbanus*, pons *Noventæ*, *Peraga*, quod stat adhuc pro domo privata, Strata extare vidi: nunc autem ex Senatusconsulto diruta jacet, *Sarmatia*, *Sanzenæum*.

A Meridie.

Castrum Baldum, *Montanianum*, *Atheste*, *Mons Silex*, *Anguillaria*, *Vighizzollum*, *Arquadum*, *Baonium*, *Monsbusius*, *Merendulæ*, *Calaonium*, *Aponum*, *Carraria*, *Bubulenta*, *Bastia*, *Mons Merulus*, *Mons Grottus*, *Pediventa*, *Monrechium*, *Mons Rubeus*, *Pendisium* quod stat adhuc pro privata domo *Julii Speroni* Jurisconsulti, *Revolonum*, *Calleonium*, *Concadalbarum*, *Cartu-*
19 *ta*, *Permunium*, *Consylvium*, *Cohors regiola*, *Castrum Brentæ*, *Candianum*, *Vescovanum*, *Calcinarium*, *Lignarium Sylvacianum*, *Plebs Sacci*, *Pons Longus*.

Ab Occidente.

Arxlesica, *Campus S. Martini*, quæ est nunc privata domus, & perstat: *Longare*, *Lucium*, *Valbona*, quæ adhuc visitur in pristina forma, licet derelicta, & ad privatos devoluta.

A Septentrione.

Campus Sampetrus, *Rustica*, *Campretum*, *Trivillum*, *Cittadella*; *Godicum*, *Canfredulum*, *Fontanina*, *Honoria*, *Cartorium*, *Placiola*, *Limina*, *Pons turris*, *Vicus aggeris*, *Fontana viva*, *Turris Burrea* diruta anno M.D.LVII. *Cortarodulum*, qua olim ponte nunc lembis *Brenta* flumen
A trajicitur, & recta *Cittadellam* pergitur. *Limina* proximis annis, arce, flumine, muris, fossis, aggeribus altissimis & crassis munita, nunc diruta jacet præter lapideum pontem, quem pro publico commodo transeuntium Senatus *Venetus* prohibuit demoliri: *Stianum* vero cujus arx insignis extat, & est privata domus nobilium *Priulorum*.

De municipiis, quæ olim sub Patavii *ditione censebantur, & amplius non sunt.*

Anovale, *Castrum Francum*, *Musoletum*, *Por-*
B *tus Bussoletus*, *Rodigium*, *Bassianum*, *Marostica*, *Angaranum*, *Abbatia Lendenaria*, *Turris Bebiarum*, *Turris Coriana*. Hæc oppida cum *Patavina* Respublica floreret, partim vi, partim ultro subdita *Patavinis* legibus aliquando fuerunt, nunc utuntur suis.

De fluminibus & lacubus Patavinis.
Medoaci *duo*.

Non erit alienum à nostro proposito, hic post municipiorum, & vicorum & arcium no-
C mina, subdere etiam fluviorum, lacuumque & rivorum vocabula: qui partim quidem agrum irrigant, vel disterminant: partim vero urbem præterfluunt atque circundant. Quamobrem & ager, & urbs multis fluviorum decursibus est irrigua: sive ex Alpibus, aut ex vicinis lacubus, vel agris emanantibus. Abundat enim tota hæc regio amœnis aquis, tam ex fluminibus vicinis, quam ex puteorum fontibus ubique manantibus: qui ad usum domesticum singulis ferme domibus insunt. Flumina autem (ut de præcipuis dicam) in primis est *Athesis*, qui fluens agrum *Patavinum* à *Veronensi* disterminat, sicuti *Padus* à *Fer-*
D *rariensi*, & uterque non longe per multa ostia in *Adriaticum* mare demergitur. Intra vero mœnia subeunt ex omni parte *Medoaci* duo à *Plinio* celebrati (ut dicetur infra) alter scilicet nunc *Brenta* dictus, & est major: qui ex *Tridentinis* Alpibus multis adauctus rivis decurrit usque ad *Liminam*, quinto ab urbe lapide: ubi divisus, pars dextrorsum affluit *Patavium*: residuum vero amnis recto cursu *Rostæ* obicem superans, maximo cum fragore decidens ad vicum Stratam delabitur, ubi flectebatur olim ad meridiem per vicum, qui & nunc ex eo *Flexum* dicitur. Atqui modo ubi coit cum altera parte, quæ *Patavio* prolapsa fue-
E rat, commixtis rursus aquis ad *Daulum* vicum defertur: ubi proximis annis opposito obice, partim in dexteram flectens, meridiem versus in mare deducitur: partim vero pro molendina ibi recens constructa, per ostium ad aperiendum transitum navibus artificiose delapsus *Lizafusinam* petit: ubi coërcitus aggeribus ad dexteram in æstuaria delatus onerariis navigiis *Venetias* petentibus tractu longiori deservit. Illic autem ad *Lizafusinam* leviores naves, ad transvehendum mirabili arte deductæ, & trajectu ingenioso ultra aggerem transvectæ, & in proximas lacunas demissæ *Venetias* compendio devehuntur. Atqui vero altera pars *Brentæ* apud *Liminam* (ut nuper
F dicebam) ab obice *Rostæ* deflexa, ad dexteram per *Brentellam* fossam *Patavium* deducitur: & non longe à mœnibus alteri *Medoaco* jungitur, quem modo *Bacchilionem* abrogato priori prorsus nomine appellamus: & statim multipliciter divisus ad lævam mœnia partim circumfluit, par- 20
tim ingreditur, & partim deflectens ad dextram, per agrum decurrit usque ad *Bataleam*: ubi partim reflexus ad lævam, *Bubulentam* petit, im-
mix-

mixtusque ibi priori parti *Medoaci*, uterque *Medoacus* ferme totus, prorumpit in mare, & portum facit *Metamaucum*. Pars vero reliqua, quæ parva est per fossam à *Batalea*, ad montem *Silicem* primo, & postea *Atheste*, & montem *Anianum* allabens, ad *Fraxinum* usque perducit, portum in *Lombardiam* euntibus & inde venientibus frequentem.

Vighizzollus.

Est alter quoque fluvius, qui ex vallibus *Patavinis* defluit, quem *Plinius Vigisonum* appellat, nos *Vighizzollum* dicimus: qui per ingentes lacus *Anguillaria* præterlabens *Athesi* commixtus, *Brundulum* portum facit, ita scribit *Plinius*.

Muso.

In agro præterea *Patavino* à parte septentrionali insunt rivi peramœni, & placidi plerique: qui e fontibus apud *Campum Samperium* scaturire cernuntur. Et primus *Muso*, qui inde per *Stianum* & *Miranum* præterfluit, tam ad rigandos agros, quam ad molas farinarias rotandas: & inde crebris anfractibus flexuosus usque *Venetias* navigia minora perducit.

Tergula, Lavandula, Rustica, Margenicus.

Exoriuntur etiam juxta idem oppidum *Campisamperium* aliquot rivuli tenues, ad irrigandum, & ad molas farinarias circumvolvendas valde opportuni: à dextra scilicet *Lavandula*, à læva autem *Tergula*, ambo meridiem versus decurrentes: qui recto meatu & brevi derivant in *Brentam*. A parte vero septentrionali, defluunt *Rustica* & *Margenicus* prope *Novale* oppidum *Tivisinum*: de quibus *Baratella Laurejus* poëta noster effinxit plurimis versibus novas & ingeniosas fabellas.

Pluvicus & Rosata.

Est & *Pluvicus* rivus à *Petro Bembo* celebratus, qui una cum altero rivulo, quem *Rosatam* appellant, à *Cittadella* per medios agros defluens à parte australi radens *Nonianam* clarissimi *Petri Bembi* villam, in amnem *Brentam* juxta *Octavii* vicum: sicut *Lavandula* juxta vicum aggeris, & *Tergula* juxta vicum *Stratæ*, in *Brentam* tandem pari cursu dilabuntur.

Tesina, Pudina & Cerisonus.

A regione autem occidentali, ex *Vicentinis* per agrum *Patavinum* delabuntur *Tesina* & *Cerisonus*, *Pudina*que & alii ignobiles rivuli, qui *Vicentinos* à *Patavinis* disterminant: & ad vicum *Arxlesicam*, lapideum pontem subterlabentes, post longum decursum, per *Valbonam* & *Lucium*, *Bacchilioni* tandem fluvio pariter immiscentur. Ex iisdem quoque agris aliquanto superius est *Scandola*, parvulus rivus, qui farinariis tantum molis deserviens per vicum *Gruviuntortum*, & postremo per *Cartorium* vicum nostra radens & secans prata, ibi primum in *Brentam* labitur.

Aponus.

Inter omnes autem rivos *Patavinos*, celeberrimus, & à poëtis decantatissimus habetur fons *Aponus*. Is enim ad meridiem juxta colles *Euganeos*, in vico ejusdem nominis circa eam terræ partem, infra duo passuum millia, fervens tam ex ipso saxo quam etiam in plurimis locis passim ex limo ebullire conspicitur. Ac primo quidem ad radices montis *Ortoni*: ubi fons exiguus. Iterum vero ad pedes *Montagnoni*: ubi latissima balnea, vivis lapidibus à *Theodorico* Rege circumdata, quæ adhuc extare videntur. Tertius autem fons est inter utrumque in humili clivo, qui in media agri planicie eminet: ubi crater e vivo saxo extat: in quo veluti in cacabo aqua ferventissima ebullit: cujus tanta est copia, ut per canalem demissa assidue duas rotas farinarias circumvolvat: in cujus crepidine gramen circumquaque virescit: & dictu mirabile, vermiculi, in mediis aquis vivi sine læsione undique innatare conspiciuntur. De his autem superius, ubi de *Euganeæ* conditoribus scripsimus, satis superque dictum est. Sunt quoque alii fontes ibidem passim eodem calore ferventes, qui eodem nomine *Aponi* nominantur: ex quibus æstu brevi fluxu aliquanto mitigato, efficiuntur balnea, ad multa morborum genera curanda admodum salubria. Ex his autem aquis sic ferventibus, etiam sal confici posse docuit *Jacobus Dondus* magnus physicus (si per Senatum *Venetum* liceret) & id quidem candidissimum & saluberrimum. Aqua autem hujus loci sulphureum odorem, & fumum bullientis aquæ continenter exhalat. Addas his & alium fontem insignem sanctæ *Helenæ*, juxta *Bataleam* similiter scaturientem è saxo: ubi est balneum mirabili salubritate conspicuum. Non procul hinc est etiam palus, quæ ferventi limo salubriter incalescit. Huic loco sacra ædes divi *Bartholomæi*, olim à *Leoniis* civibus ædificata dedit nomen. Hic autem limus maxime habetur salubris: præsertim iis, qui artuum doloribus affliguntur, vel membris stupent, aut ulceribus scatent. Sed ad priora redeamus, ergo thermas *Aponi*, *Theodoricus Ostrogothorum* Rex post *Attilanam* eversionem speciosius refici jussit: ut legitur in epistola *Cassiodori*, quæ de ea re *Aloysio* architecto *Patavino* scribitur, cujus exemplum infra scriptum est.

Epistola Theodorici Regis ex Cassiodoro de Apono reparando.

Si audita veterum miracula ad laudem clementiæ nostræ volumus continere, quoniam argumenta regalis gloriæ sunt, cum sub nobis multa decrescant. Ergo convenit studio reparari, quod etiam nostris oculis frequenter constat offerri. Delectat enim gloriosam Aponi *meminisse potentiam, ut intelligas quo desiderio cupimus reficere, quod de memoria nostra nescit exire. Cæruleum fontem vidimus in formam dolii concavis hiatibus æstuantem, & fornaces anhelantium aquarum conducto tereti labio naturæ probabili dispositione coronatas. quæ licet in ore calidæ nebulosos vapores exhalant, hanc tamen jucundam perspicuitatem aspectibus humanis aperiunt: ut quivis hominum illam gratiam desideret contingere, etiam qui cum non ignoret ardere ore plenissimo, in sphæræ similitudinem super terminos suos aquarum dorsa turgescunt. Inde latex tanta quiete defluit, tanta quasi stabilitate decurrit, ut non putes crescere, nisi quia inde aliquid rauco murmure sentis exire. Veniunt aquæ per algentes meatus tali fervore succensæ, ut post recurva spacia, quæ arte facta sunt longiora, in tepores sint maximos redituræ. O magistri mirandum semper ingenium: ut naturæ furentis ardores ita ad utilitatem humani corporis temperarit, & quod in origine dare poterat mortem, doctissime moderatum, & delectationem retribueret & salutem. Juvat videre secretos latices, vapores igneos, exhalantes amicum undis indesinenter ardorem,*

rem, & calorem venire de cursu rivi, unde usualiter solebat extingui. Merito dicunt philosophi elementa sibi mutuis complexionibus alligari, & mirabili fœderatione conjungi: quæ inter se contraria intelliguntur varietate pugnare. Ecce madentem substantiam vapores producere constat ignitos, quæ mox quum thermarum ædificia decora pervenerint, illæsa cautibus unda descendens, & aëra sua qualitate succendit, & tactu fit habilis, quum recepta fuerit in lavacris. Unde non tantum deliciosa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur: scilicet sine tormento cura, sine horrore remedia sanitatis: nempe balnea contra diversos dolores corporis attributa: quæ ideo Aponum *Græca lingua beneficialem nominavit antiquitas, ut causam tanti remedii ægri cognoscerent, quum de tali nomine dubium nil haberent. Sed inter alia loci ipsius bona, illud quoque stupendum esse didicimus, quod una fluentorum natura diversis ministeriis videatur accommoda.*

22 *Nam protinus à suscipiente collisa inhalat primæ cellulæ sudariam qualitatem: deinde in solum mitigata descendens minaci ardore deposito, suavi temperatione mollescit: mox in vicinum producta, cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepescit. Postremo ipso quoque tepore derelicto, in piscinam* Neronianam *frigida tantum efficitur, quantum prius ferbuisse sentitur. Non immerito actoris sui participans nomen: collega est cum viriditate gemmarum, ut ipsa quoque vitrei elementi colore perspicua, quasdam trementes undas quieta commoveat. Sed ut ipsum quoque lavacrum mundius redderetur, stupenda quadam continentiæ disciplina unda qua viri recreantur, si mulier descendat, inceditur: propterea quod ipsis altera exhibitio decora collata est, scilicet ne ardentium aquarum fœcundissimus locus crederetur non habuisse, unde plurima largiretur, si uterque sexus uno munere communiter uteretur. Hæc perennitas aquarum intelligendi præstat indicium, per igneas terræ venas, occultis meatibus fluentum deintus in auras erumpere, excocti fonti flagrans qualitatem. Nam si naturæ fuisset illud incendium, sine interitu substantiæ non esset amissum, sed aquæ materia sensibilis, sicut peregrinum contraxit ignem, sic iterum nativum facile recepit algorem. Præstat aliud adjutorii genus vis illa medicabilis. Nam juxta caput fontis scintillosi quendam sibi meatum, provida cura natura formavit. Huic desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in assis vel asseris speciem perforata, ægros suscipit interno humore defluentes: ubi dum fessi nimio languore consederint, vaporis illius delectatione recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxia infusione laxatos, vitali ariditate constringunt, ut quasi aliquo desiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inveniri. Sic medicabilis substantia provenit à sulphure, quod calet à salsedine, quæ dissiccat. Talia posteris non tradere, hoc est graviter in longa ætate peccare. Quapropter antiqua illic ædificiorum soliditas innovetur: ut sive in cuniculis, sive in thermis fuerit aliquid reparandum, & debeat imminenter reconstrui, virgultaque noxia importunitate nascentia, evulsis cespitibus auferantur, ne radicum quidem capilli paulatim turgentes fabricarum visceribus inserantur: & parietes more vipereo prolem sibi contrariam nutriant: unde se compago casura dirumpat. Palatium quoque longa senectute quassatum, assidua reparatione corrobora: spacium quod inter ædem publicam, & caput ignoti fontis interjacet, sylvestri asperitate depurga. Rideat florenti gramine facies decora campestris: quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur: miroque modo dum proxime salem generet, sterilem nutriat pariter & virorem. Sed non his tantum beneficiis Antenorea terra fœcunda est, infert & alia, quæ multo grandius obstupescas. Corda illa (ut ita dixerim) fontium*

A *invicem secretarii negotia contentiosa distinguat. Nam si quis forte pecus furatus pilis nativis solito more spoliare præsumpserit, undis ardentibus frequenter immersum necesse est, ut ante decoquat, quam emundare prævaleat. O vere secretarium rure verendum: quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse judicium: & quod humana nequit altercatione dissolvi, fontium datum est æquitate diffiniri. Loquitur illic tacita natura, dum judicat, & sententiam quodammodo dicit: quæ perfidiam negantis excludit. Sed quis ista conservare negligat, quamvis plurima tenacitate sordescat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit singula-*
B *riter toto orbe nominatum: & ideo pecunia, quæ data est tibi, si opus non poterit implere susceptum, quantum adhuc expendendum esse credideris, missis nobis brevibus indicabis: quia non gravamur expendere, ut tanta videamur ruris munera custodire.* Hactenus ille.

De his balneis Plinius *lib.* II. *cap.* 106. inquit *Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innascuntur.*

Ferunt ibi eodem tempore porticum mille pedum fuisse extructam: hortis & nemoribus decoratam, vinetis & opiariis operibus excultam, columnellisque ac pirulis perpulchre distinctam:
C Quæ quidem omnia anno salutis nostræ quingentesimo nonagesimo secundo, *Aginulphus XIV. Longobardorum* Rex, & *Italiæ* tyrannus, iratus *Patavinis*, una cum *Patavio* eruit ac incendit. Supersunt tamen adhuc quædam circa eadem balnea vestigia, quæ nec Barbara immanitas, nec injuriosa vetustas abolere prorsus potuit. De his autem aquis, & *Aponi* fontis laudibus, eximius poëta *Claudianus* in carmine suo hæc breviter & 23
eleganter cecinit:

Fons Antenoreæ, vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis.

D Et paulo post sequitur:

Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ,
Dardanii salve gloria magna soli:
Felices proprium qui te meruere coloni,
Fas quibus est Aponum juris habere sui.

Prosequitur subinde poëta de laudibus hujus fontis docte ac eleganter plurima, quæ ibi leguntur. Quod autem de aquis & limo dictum est, idem etiam & de herbis salutiferis collium *Euganeorum* intelligas. *Aponum* autem vatibus fuisse sedem, *Martialis* poëta his versibus ostendit: *Lib.* I. *Epigr.* 62.

Gaudeat Apona Livio suo tellus
E *Stellaque, nec Flacco minus.*

Et idem: *Lib.* VI. *Epigr.* 42.

Nullæ sic tibi blandientur undæ,
Ut fontes Aponi rudes puellis.

De hoc si quis fortasse adhuc uberius cupit intelligere, extat amplum volumen ab egregio viro *Thoma Junta*, proximis annis impressum *Venetiis*: in quo præter eos, qui de balneis totius *Europæ*, & de calidorum fontium ac thermarum virtutibus accurate scripserunt: insunt etiam qui abunde de *Patavini* agri salubribus aquis tractarunt.

F
De Timavo.

Tempus monet, ut de *Timavo* quoque aliquid disseramus: qui inter celeberrimos *Italiæ* fluvios connumerari solet. Hunc *Blondus* nobilis historiographus in ea historia, quam de *Italia* instaurata inscripsit, quamplurimis argumentis contendit eum esse, quem nunc *Brentam* appellamus: cui fere omnes doctissimi viri reclamant, conjecturam ejus fallacem, & opinionem falsam omni-

omnino dicentes, & verum certe dicunt. Nam licet acutissime ab eodem singula dici videantur: fucatam tamen nunc esse ejus rationem, & vanam nunc nemo dubitat. Est enim *Timavus* (ut certo constat) juxta *Aquilejam*, inter *Concordiam* & *Thergestum*: sic enim sentiunt *Pomponius Mela*. *Plinius*, *Ptolemæus* aliique id genus scriptores omnes, qui de situ urbis scripsere. Et Tit. Livius v. *Decadis libro primo* proxime invento. Profectus, inquit, ab *Aquileja* consul castra ad locum *Timavi* posuit. Imminet mari is lacus, & cætera. Is ergo *Timavus*, ut in præsenti cernitur, non longe à *Goricia*, in vico *S. Joannis*, qui adhuc dicitur *Timavus*: ubi arx superposita est. unde è rupe proxima aquæ limpidissimæ frequenter desiliunt: ac per multas fauces atque meatus in unum commissæ, rivum efficiunt ejusdem nominis non mediocrem: qui proximum *Adriatici* maris sinum ingreditur quasi per ora novem: ut *Maro* ait. At non quantus à poëtis, & præsertim à *Marone* fieri videtur. Hi enim tanti facere cum solent, ut cum de *Patavio* canunt alludentes ad illum *Antenoreum Maronis Timavum*, eundem *Patavinum* esse fluvium credere videantur: quum tamen per hunc indicare tantum velint *Patavii* regionem, vel fines intra *Venetiæ* provinciam comprehensos, & non urbis locum. Sicuti

A *Lucanus*, qui quando locum proprium ubi *Patavium* est vult intelligi, *Aponum* fontem ponit qui proximus est. Cum vero fines & provinciam designat, *Timavum* nominat. Ait enim:

> *Euganeo si vera fides memorantibus, augur*
> *Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,*
> *Atque Antenorei dispergitur unda, Timavi.*

Vide quæso: dum enim *Aponum Euganeorum* collium fontem nominat, *Patavinum* vicum vult intelligi: ubi Augur *Cornelius* residebat. Sed cum dicit: Atque *Antenorei* dispergitur unda *Timavi*, designat *Venetiæ* provinciam, & regionem contiguam, alludens ad illum *Vergilianum Timavum*, qui *Venetiæ* regionem disterminat: cujus olim *Patavium*, auctore *Strabone*, metropolis fuit. *Timavum* igitur iccirco à *Vergilio Antenorem* superasse dicit, quod ultra eum amnem transgressus, non procul inde postea urbem *Patavium* 24 *Teucrorumque* sedem intra eam provinciam locaverat, & inter duos *Medoacos*, à *Tito Livio*, & à *C. Plinio* celebratos. Constat enim *Antenorem* in *Euganeorum* sedibus prope duos *Medoacos* constitisse: & ibi *Patavium* condidisse. Hactenus de his fortasse brevius, quam res ipsa postulabat, pluribus tamen, quam ego à principio pro nostro instituto facere proposueram.

CLASSIS II.

DE STATU ANTIQUO URBIS PATAVII & triplici reparatione & successu usque ad sua tempora compendium.

PRÆFATIO.

DIXIMUS superius de Ædificiis urbis Patavii, *neque his quidem multum antiquis, præter parochiales basilicas, quæ sicut adhuc cerni potest, ex saxis antiquæ urbis, & de ruderibus prolapsorum ædificiorum ruinis in unum collatis, in restauratione urbis, à principio ejus reparationis constructæ fuisse videntur. De his autem nulla extat prorsus memoria, excepta æde, quæ aliquando à* Carolo Magno *D.* Ægidio *in illis initiis dicata fuisse perhibetur. Non multum antiqua autem ea appello, quæ ab annis circiter septingentis primum facta sunt. Diximus itidem de ornamentis & commodis, deque municipiis, rivis ac fluminibus: reliquum est, ut de statu antiquo ejusdem civitatis deinceps, quicquid habetur, breviter percurramus.*

Patavium *Colonia* Latina *deinde municipium* Romanorum.

CONSTAT enim *Patavium* primævo tempore ab *Antenore*, & deinceps juxta aliarum civitatum morem, diu sub imperio Regum ac principum floruisse, licet nihil certi legatur: neque prius paruisse se *Romanis*, quam secundo bello *Punico*: debellata jam, devastaque prorsus *Carthagine*, subjugataque *Africa*: & quando tota subinde *Italia* sese Reipublicæ *Romanæ* subjecerat. Nam ut scribit Paulus Orosius *lib. quinto*: *Italia per annos* CCCC. *Romanorum imperiis fortiter obstitit, ac pertinaciter repugnavit.* Atqui vero ubi *Patavina* civitas, cum universa *Italia* (ut dixi) sub ditionem *Romanæ* Reipublicæ devenit, semper imperium deinceps *Romanum* summa fide atque constantia prosecuta est, eique firmiter confœderata in rebus gravissimis semper & ubique præsto fuit: & cum aliis *Transpadanis* civitatibus, uti prima & præcipua totius regionis, coloniæ *Latinæ* nomen accepit: & sub tribu *Fabia* annumerata præcipuos honores ubique meruit: atque in ea civitate deinceps, & laudis, & gloriæ *Romani* nominis in cunctis rebus particeps fuit. De hac autem communi-

catione *Romanæ* civitatis ſcribit noſter Aſconius *in oratione Mar. Tullii contra Piſonem*, ubi dicit: *Placentiam Romanorum coloniam fuiſſe deductam. Non ſic*, inquit, *quemadmodum poſt plures ætates Gn. Pompejus Strabo pater Gn. Pompeji Magni Tranſpadanas colonias deduxerat. Non enim novis colonis eas, ſed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod cæteræ coloniæ Latinæ, ut gerendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur.* Hæc ille. Caput autem *Tranſpadanæ Italiæ* fuiſſe tunc temporis *Patavium*, ſatis conſtat ex *M. Tulii* & *Strabonis* ſententia, ut paulo inferius patebit: & ideo habitum in primis eſt, & factum municipium & colonia *Romanorum*. Quamobrem leguntur in *Theodoſiano* Codice leges, quæ ab *Honorio* & *Theodoſio Auguſtis* dum *Patavii* morarentur, editæ fuerunt. Et primo de teſtamento, cui poſt quinquennium non competit actio, niſi per id temporis ſpacium de inofficioſo teſtamento actio fuerit inchoata. Datum v. Calen. Jun. *Patavii Merobaule II.* & *Saturnino* Coss. Item ſub iiſdem Conſulibus *Patavii* vi. Calend. Jan. *Gratianus*, & *Valentinianus*, & *Theodoſius* Imperatores Auguſti, ut in eodem Codice legitur *lib.* ix. *de Accuſationibus*, ediderunt legem: quod quicunque alium de homicidii crimine, vel capitali objectione pulſaverit, non prius à judicibus audiatur, quam ſimilem pœnam, quam reo intendit, ſe conſcripſerit ſubiturum. Idem quoque Imperatores, ut ibidem legitur *lib.* xvi. dum *Patavii* eſſent, de apoſtatis ſtatuerunt: quod ſi quis Chriſtianorum ad aras & templa idolorum migraverit, teſtandi licentia privetur: & ut grave flagitium puniatur. *Arcadius* præterea & *Honorius* Imperatores Auguſti, ut ibidem legitur *libro ultimo*, *Patavii* exiſtentes legem tulerunt: quod quoties de religione agitur, oportere Epiſcopos tantummodo judicare: cæteras vero cauſas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad uſum publici juris pertinent, oportere legibus audiri. Datum *Patavii* xiii. Calend. Septembris *Theodoro* viro claro Cos. circa annum domini ccclxxxviii. Hæc ſane ſunt quæ *Patavio* florente habuimus dicenda. Deinceps de ejus ſubverſione & reædificatione, ſucceſſu & incrementis dicemus.

De triplici deſtructione & reparatione Patavii.

Quantum vero ad deſtructionem & reparationem *Patavinæ* urbis attinet, patet in primis hanc intra quadringentorum annorum ſpatium ter fuiſſe funditus dirutam, ignique & ferro penitus devaſtatam: terque itidem in priſtinum reſtitutam, ac in urbis faciem abſque magno labore redactam. Primo ſiquidem hanc ab *Attila Hunnorum* Rege diu obſeſſam fuiſſe legitur, ac poſt graviſſimam obſidionem ferro igneque penitus deformatam, ac immunitam prorſus redditam. Anno ſcilicet à partu Virginis quadringenteſimo, quadrageſimo ſexto. Hic eſt ille *Attila*, quem flagellum Dei appellamus. Quandoquidem nemo ante ea tempora fuiſſe legatur, qui tantam in hac *Italiæ* parte ſtragem ac vaſtitatem fecerit: aut majorem crudelitatem exercuerit. Anno autem ſeptuageſimo poſt hanc ruinam, *Theodoricus Oſtrogothorum* Rex miſeratus infelicem nobiliſſimæ urbis ſortem, eam vallo, foſſa, planciſque circumdedit: & *Aponum* fontem, in ſpecioſiſſimam formam reſtituit. Verum haud multo poſt iterum à *Totila Gothorum* Rege, cui *Tarviſium* ex paterna hæreditate contigerat, *Patavium* eo quod *Juſtiniani Auguſti* partes ſequeretur, rurſum prorſus exciditur. Verum poſtea

A idem non multa temporis intercapedine poſt eam ruinam à *Narſete Juſtiniani* Cæſaris exarcho è *Græcia* ad tutandam à *Gothis Italiam* tranſmiſſo, cum multitudine fortiſſimorum militum, præcipua opera *Ravenatum* mira celeritate denuo urbis ſpeciem formamque recepit: atque ex eo tempore revocatis civibus, & Republica firmata, cœpit concepta melioris fortunæ ſpe, paulatim frequentius habitari, ſuperatis jam & penitus extinctis *Gothorum* viribus. Anno ſcilicet Chriſti quingenteſimo xxxvi. Cæterum poſtea an. xxxii. & à Chriſti ortu quingenteſimo ſexageſimo octavo: quo fere tempore primum ingreſſi
B ſunt *Longobardi Italiam*, *Patavina* civitas, quum de more fideliter partes Cæſarianas foveret, ac ob id valido militum præſidio teneret, *Agilulphus Longobardorum* Rex ægre ferens tantam *Patavinorum* in armis audaciam, admotis ad urbem caſtris, oppugnare urbem parat. Interim vero quum nullo ingenio, nulla vi, nulliſque tormentis nova urbis munimenta ſuperare poſſet: & jam ab oppugnatione animum divertiſſet, nactus ex infelici urbis fato vehementis procellæ opportunam urbis incendendæ occaſionem, noctu accenſas faces pice illitas, intra mœnia in diverſas urbis partes, tormentis & ſcorpionibus intorquet.
C Prima autem, quæ interiori ædificio fax adhæſit, ventis urgentibus incendium inchoavit: quo ſæviente maxima urbis pars admiſſis illico flammis undique ardere cœpit. Nam (ut erat incendiis obnoxia) utpote ex aſſeribus tota, & ligneis 26
ædificiis, ac tignis compacta, ſine ullo remedio aut auxilio pene tota conflagravit. Quamobrem oppidani cum evadere alia ratione non poſſent, turmatim ab urbis incendio ſeſe retrahentes, ut erant atra fuligine denigrati, & calore pene uſtulati, hoſti ſeſe ultro dedunt. Urbs interim nemine auxiliante, tota concremata eſt. Oppidani autem admiranda hoſtis Barbari indulgentia, per-
D miſſi ſunt libere quo velint demigrare. Qui omni ſpe reparandæ amplius urbis amiſſa, utpote jam exuſtæ penitus, ſoloque adæquatæ, pro majori parte, *Venetias* cum conjugibus & liberis turmatim, & effuſius quam unquam antea tranſmigrarunt. Hæc fere Blondus *hiſtoriæ ſuæ lib.* viii. Anno autem ab ortu Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, pulſis jam ex *Italia* à *Carolo Magno Gallorum* rege *Longobardis*, reædificata urbe, & reformata Republica per annos pluſquam ducentos, cœpit paulatim *Patavium* ſub felicioribus *Romanorum* imperatorum auſpiciis admirabili incremento, tam à propriis civibus, quam
E ab advenis & peregrinis, latius frequentari, ac mirum in modum tandem in aliquam juſtam urbis formam reſtitui: & poſtea tam ſub *Gallicis* imperatoribus, quam ſubinde ſub *Ottone Berengario*, & *Corrado Lothario*, & aliis imperatoribus *Germanis*, vehementer augeri: & præſertim ſub *Henrico III.* qui, ut conſtat publicis documentis, quæ in archivo Eccleſiæ cathedralis adhuc extant, à me & lecta & deſcripta fuerunt, pro ſalute animæ ſuæ & *Agnetis* uxoris, conceſſit *Bernardo Maltraverſo* Epiſcopo *Patavino*, liberam poteſtatem cudendæ monetæ ex uno latere cum imagine Imperatoris, & ex altero cum ima-
F gine ipſius urbis. Anno nativitatis Chriſti m. xlviii. & confirmavit cuncta privilegia aliorum Imperatorum, ut poſſet Epiſcopus caſtella erigere cum turribus & propugnaculis, & conſtruere molendina, & regia munia quælibet pro arbitrio libere exercere. Nec ſecus *Henrici IV.* tempore anno à nativitate Domini circiter milleſimo & nonageſimo, qui ſuaſu *Milonis* Epiſcopi *Patavini* affinitate ſibi conjuncti, & reginæ ſimul *Berthæ* uxoris, *Patavinis* priſcam illam Reipublicæ

publicæ libertatem *Carrocio* reddito reſtituit, & Epiſcopium, & cathedralem Eccleſiam à *S. Juſtina* in mediam urbem tranſtulit, & ejus denique reditus plurimum adauxit: epiſcopatumque ſupra modum ditavit. De qua quidem re, exciſum eſt hoc epigramma, in monumento *Berthæ* reginæ, ſub ipſius baſilicæ ingreſſum:

PRAESVLIS AC CLERI, PRAESENTI PRAEDIA PLANO
DONAVIT REGINA JACENS HOC MARMORE BERTHA,
HENRICI REGIS PATAVI CELEBERRIMA QVARTI
CONJVNX: TAM GRANDI DONO MEMORANDA PER AEVVM.

Regnavit autem iſte *Henricus* ab anno incarnationis Dominicæ M.LVII. uſque ad M.C.VII. *Patavium* itaque tertio dirutum, & poſtremo à *Carolo Magno Romanorum* Imperatore, ut dixi, aliquantiſper reparatum: per aliquot annos in illis primordiis, quaſi modo genitus infans paulatim cœpit ſub tutela principum *Romanorum* adoleſcere, uſque ad hujus *Henrici IV.* tempora. Nam tunc denique velut puer ex ephebis prodire viſum eſt, & evadere in virum perfectum. Etenim ſub eodem Cæſare *Patavium* in gratiam *Milonis* Epiſcopi *Patavini* & *Berthæ* reginæ, libertate tum primum donatum eſt, & populo ſimul & Epiſcopo, & canonicis Eccleſiæ cathedralis jus liberæ civitatis conceſſum: & ut deinceps ſuis legibus viveret. Exinde autem *Patavini* in ſignum & indicium libertatis uſi ſunt in bello *Carrocio* armato, quod *Bertham* à reginæ *Berthæ* nomine poſtea vocitarunt: in quo vexillum Reipublicæ rubea cruce ſignatum, firmo militum præſidio circummunitum adverſus hoſtes (ſi quando præliandum eſſet) multiplicibus boum jugis in militiam trahebatur. Hinc eum morem fluxiſſe ferunt, quod canonici cathedralis Eccleſiæ in hunc diem rubeum vexillum militari more haſtæ crucis appenſum, in omnibus ſupplicationibus delatum ſolenniter ſubſequuntur. Exinde quoque *Patavii* creari Conſules, ex Senatuſconſulto cœptum eſt, ac ſimul Reipublicæ magiſtratus: quorum judiciis fieret pro arbitrio quicquid è Republica fore videretur. Qui autem fuerint ii, qui ante hac tempora ab ultima *Gallorum* reparatione hanc Rempublicam inchoaverint, quove jure interea rexerint, quibuſve nominibus cenſerentur, principes cives, nihil prorſus memoriæ ab ullo illorum temporum ſcriptore proditum
27 eſt: quod extare palam pro certo ſciam: niſi ab anno ſalutis noſtræ M.C.LXXVII. quo videlicet tempore impii *Federici IV.* Imperatoris inhumanitas in *Italia* præter ſolitum immanius ſæviens debacchata eſt. *Mediolano* jam ſolo adæquato, & *Cremona*, longa & arcta obſidione compreſſa. Quæ quidem compulit cæteras civitates *Italiæ*, & præſertim *Patavinos*, *Veronenſes* ac *Vicentinos*, ſuaſionibus & ope *Venetorum*, tunc primum unanimes audacter ab obedientia & imperio Cæſaris, ſocietate belli inter ſe his conditionibus inita, ut nemo præter tributa ſolita, jus aliquod *Federico* in ſuis civitatibus daret. Quæ cum eſſent *Federico* nunciata, & belli apparatum ſociarum inter ſe civitatum magnum fieri intelligeret, videretque eorum audaciam, & robur opeſque *Venetorum* optime ſciret, deterritus à priore conſilio deſtitit, ac re infecta *Papiam* ſeu *Ticinum* ſeſe recepit: ubi metum diſſimulans, ſingulos ſociorum legatos blande allocutus eſt, & factis inter ſe induciis ab armis ceſſatum: ac ita tandem poſt diuturnum bellum pertinaciæ ſuæ finem imponit, & *Italiæ* pacem donat. Id autem legitur apud
A Juriſconſultos in extravagantibus quæ extant ſub titulo *Federici* Imperatoris de pace *Conſtantiæ*. Ibi enim quorundam clariſſimorum civium nomina memorantur: qui anno Domini M.C.LXXIII. Reipublicæ nomine quiſque ſuæ jurarunt Imperatori fidelitatem, retinentes antiquam libertatem, juſque & poteſtatem conſulatus: & denique immunitatem quam jam pridem ab *Henrico IV.* prædeceſſore ejus fuerant conſecuti. Legati autem *Patavinorum* hi fuerunt: *Bugelleſius de Fontamina*, *Panuxellus* judex, *Azocus*, *Tauſus*, *Guaniphus Calaonius*. Mos autem creandorum conſulum aliquot annos poſtea quietus manſit.
B Sed poſtmodum an. M.C.LXXXII. quum peſtifer animi morbus omnes *Italiæ* civitates invaſiſſet, ut plebs ab optimatibus diſſentiret, exortis in civitate odiis & ſeditionibus mos iſte immutatus eſt. Nam tunc rejecto conſulatu, ſuffecti ſunt prætores externi: & ſubinde poſt paucos annos rurſum electi conſules, & tribuni plebis Romanorum more. Verum anno Domini M.C.XCIV. rurſum conſularis dignitas prorſus abrogata eſt, & hujuſmodi magiſtratus omnino creari deſitum.

C

De magno urbis Patavinæ *incendio.*

Orta interim magna ſeditione inter *Giordanum*, S. *Benedicti Novelli* priorem, & *Luſcum Tranſalgandinum* virum nobilem, eo tunc tantus impiorum quorundam ex ſectatoribus proceſſit furor, ut injectus occulto ignis in domum adverſæ factionis, majorem & pulchriorem partem urbis devaſtaverit: ita ut eo incendio tota pene urbs conflagraverit. Nondum enim latericia erat, ut nunc eſt, ſed tota ferme lignea, aſſeribus & tignis compacta, atque ſuffulta trabibus uſque ad faſtigium. Eo ſane tempore hi verſus condi-
D ti fuere: quos vetuſtatis probandæ gratia inſcribendos his noſtris commentariis, & poſteritati tradendos eſſe dignos cenſui.

Marchia ploravit, Paduam quod flamma cremavit,
Urbis majores tres partes, & meliores.
Anno milleno, centeno ſeptuageno
Nec non & quarto: nonas Martis quoque quarto.
Quot fuerant tecta ſub certa collige meta.
Sexcentæ vere bis mille domus cecidere
Bis ſeptem pone, tot collige cum ratione.

Ex hoc quidem urbis incendio credere dignum eſt, tunc periiſſe memoriam omnium fere, quæ ad ea tempora *Patavii* memoratu digna contige-
E rant. Nam ſupra id tempus de geſtis rebus, aut incremento urbis *Patavii* infra annos ferme quadringentos, ex quo à *Carolo* refecta fuerat, nihil prorſus memorabile legitur: nec etiam monumentum aliquod extare videtur, ubi conſpiciatur antiquior memoria, quam de hoc incendio in quodam rudi ſaxo ætate noſtra effoſſo & in conſpicuo loco ad baſilicam D. *Canciani* collocatum, ubi legitur:

M.C.LXXIV. ARSIT PADVA.

F

De magno incremento Reipublicæ Patavinæ.

Ab hoc ergo incendio brevi inſtaurata tanquam exuſto veterno cœpit Reſpublica *Patavina* florere, viroſque & armis & literis illuſtres habere: qui & ſcribenda facerent, & aliorum geſta ſcriberent, cupientes ſcriptis ſuis, quo tunc
per eam ætatem ſtylo poterant, res illius tempo- 28
ris memoriæ commendare. Manſit ſubinde *Patavina* civitas libera, cum ſumma *Romanorum* Imperatorum pace per annos fere centum, ſub Conſuli-

sulibus & Tribunis, ut nuper dicebam: sicut olim sub *Romana* civitate, usque adeò ut an. M.CC.XX, urbes aliquot vicinæ icto fœdere pro summo munere impetrarunt, *Patavina* civitate donari, & in societatem belli pacisque, & officiorum omnium mutuam recipi, & concorditer, & æquo jure tractari. Quarum prima *Aquilegia* illustris civitas *Bertholdi* patriarchæ interventu facta est *Patavini* juris: atque sex ædes *Patavii* patriarchæ nomine ipsis *Aquilegiensibus* civibus ad habitandum constructæ: in quibus singulis annis sex *Aquilegiensium* civium familiæ sorte tractæ transmigrantes *Patavium* incolebant: ibi tunc cum *Patavinis* civibus & vectigal solitum, & cuncta civitatis onera subituri. Extat adhuc *Patavii* vicus apud *D. Petrum*, qui dicitur patriarchatus: similiter & *Bellunum* civitas, *Sacillum*que, & *Feltrum* idem quoque & *Tridentum* fecerat. Sed hoc etiam amplius, quod prætorem *Patavinum*, qui sibi jus diceret, sponte suscepit. Verum paulo post, aliquot ex municipiorum *Tridentinorum* regulis detrectantibus à *Patavinorum* societate desiliens, in pristinum statum, in quo prius erat, restituitur. Non sic *Vincentia*, quæ ultra L. annos subdita paruit Reipublicæ *Patavinæ*. Atqui vero sævientibus interim in civitate *Patavina* intestinis odiis, ac invalescentibus indies seditionibus, tum nobilium inter se civium, tum inter plebem & Senatum, eo reducta res est, ut jam ruitura universa civitas videretur: nisi nonnullorum prudentia civium huic malo præsens remedium invenisset: qui è Republica fore putantes in plebis favorem suaserunt, binos ex plebe creari Tribunos: qui cum nobilibus, æquo imperio rebus publicis, & negotiis civitatis ubique præsto essent, & libertatem populi adversus optimatum potentiam tuerentur. Quo facto plebs magis timeri à divitibus ac potentibus cœpta est: sed minus amari. Idcirco ii ad omnem eventum firmiores deinceps ædes cum vastis turribus sibi tam intra mœnia, quam foris in agris erigere & munire cœperunt: quæ adhuc passim multæ extant: & multæ nostra etiam ætate dirutæ & funditus demolitæ fuerunt.

Quid attulit civibus seditio.

Atqui vero interea quo magis civitatis potentia & opes crescebant, eo magis cives atrociori inter se odio, ac simultatibus, & seditionibus gravioribus tenebantur. Adeo ut *Patavini* cives cum seditiosos ejusmodi magistratus ulterius ferre non possent, Tribunis & Consulibus intermissis, coacti sunt singulis annis hominem externum sibi præficere: cui tanquam regi ultro summa rei committeretur, & à vi regiæ potestatis, quam ei vitæ necisque dabant: & ob excellentiam in dicendis causis, & agendis rebus, & à potentia qua maxime pollebat, hominem hujusmodi magistratu fungentem, Potestatem appellarunt. Cui cuncti ordines in omnibus parerent, quique (ut olim *Romæ* dictator) omnia quæ ad Rempublicam pertinerent, pro arbitrio faceret & curaret. Et hoc sane modo *Patavini Henrici IV.* gratia (ut diximus) libertati redditi, in sua Republica communi consilio satis feliciter centum annos & amplius usque ad *Acciolini* tyrannidem regnaverunt: quando ei tandem ex quorundam civium proditione infelici fato tota civitas tradita fuit dilanianda potius quam regenda, aut conservanda tyranno, cui sub falso nomine *Federici III.* Imperatoris paruit oppressa & afflicta, ab anno salutis humanæ M. CC. XXXVII. usque ad annum M. CC. LVI. & (ut verius dicam) tandiu donec universa fere *Patavina* nobilitas penitus

A extincta fuit. Nullum enim sævitiæ, vel calamitatis, aut immanitatis genus esse potuit, quod eo tempore non fuerit civitas hæc nostra perpessa. Hujus autem immanitatis vestigia adhuc extant, atque de ea re multiplices & longi annales ubique leguntur. Fertur enim hunc publice castrasse pueros, stuprasse virgines, prægnantium dissecuisse uteros, ac partus tum primum editos in ignem jecisse: & undecim *Patavinorum* millia sub ejus vexillo merentia, ad unum, audita *Patavii* defectione, trucidasse. Unde *Musatus* poëta canit: *Et vitas adimit millibus undecim.* Verum post annos undeviginti, ex quo civitas affligi cœperat, tandem à *Philippo Fontanesio Alexandri IV.* Pontificis legato, auxilio vel in primis *Venetorum*, in pristinam libertatem restituta est, anno Domini M. CC. LVII. Quæ postmodum 29
B VII. & L. annos feliciter in tranquillissima pace quievit. Quæ quidem felicitas ubi ad summum gradum pervenit, rursum (ut plerunque fieri solet) in baratrum miseriarum dejecta ex mutuo civium inter se odio, & invidia omnino contabuit. Pulsis enim *Gibellinis*, & adaucto Senatu ad mille viros ex *Guelpha* duntaxat factione, & exclusa prorsus de populo tribunitia potestate, *Romani* Pontificis partes universa civitas merito
C sequebatur: quod ejus præsertim opera, à tanta peste atque strage tam impii tyranni olim fuerat liberata, & ad pristinum Reipublicæ statum reddita. Perstiterunt quidem *Patavini* in eadem libertate usque ad annum Domini M. CCC. XXII. quo tempore acerrima bella gesserunt cum *Cane Scalensi Veronæ* tyranno: quæ per XVII. annos atrociter sævierunt: nec prius pacatæ res sunt, donec à *Jacobo Carrariensi* per ea tempora electo principe in fœdere nuptiarum *Patavium* sub nomine dotis in *Scalensium* potestatem traditur: desponsata *Thadea Carrariensi Mastino Scalæ*, *Canis* principis nepoti: qui subinde satis pacifice per
D IX annos principatum urbis tenuit. Atqui erepta ab his tandem præcipua ope *Venetorum*, rursum *Carrariensibus* paruit annos LXXIII. Ab anno scilicet Domini M. CCC. XXXII. usque ad annum M. CCCC. V. excepto anno cum dimidio: quo à *Galeatio Mediolanensium* principe intercepta fuerat, & rursum *Francisco Carrariensi* Juniori postliminio restituta, anno salutis M. CCC. XC. XIII. Cal. Jul. & duravit quousque ad *Venetam* Rempublicam quando *Patavium* uti ad suos majores cognatosque devenit, ab omni tandem tyrannide, & bellorum turbinibus perpetuo liberatum, usque in præsentem diem, exceptis circiter XL
E diebus, quibus *Patavium* valde infeliciter, & non sine gravi jactura, per deditionem acceptum in potestate Imperatoris *Maximiliani* permanserat an. M. D. IX. Verumtamen à *Venetis* rursum feliciori auspicio receptum est, & usque adeo ex templo munitum, ut licet acriter postea obsessum ac oppugnatum ab ingenti *Germanorum*, *Gallorum*, *Hispanorum* ac *Italorum* exercitu fuerit: *Venetis* tamen fidele, invictumque permanserit, semper in posterum permansurum. Nam juxta illud Vergilianum: id Deus ita confirmat. His ego nec metas rerum, nec tempora pono. Imperium sine fine dedi. Ab his ergo tempori-
F bus *Patavini* per C & L & amplius, annos, amota omni bellorum cura, omnique factione civili, tranquilla pace otioque fruuntur. Verumenimvero his modo breviter expeditis, antequam de antiquis nostris patriciis, qui *Romanis* temporibus floruerunt, & de claris civibus aliis *Patavinis* scribere incipiamus: brevi prius in communi de quibusdam memorabilibus antiquæ civitatis hujus nostræ rebus dicendum putavi, & postea de claris & illustribus civibus prosequendum.

De

De antiqua Patavinorum *in armis præstantia ex* T. Livio.

A Quanta fuerit antiquis temporibus *Patavinorum* in bello præstantia, quantaque vis armorum, manifestissime intelligi facile potest, vel ex ea solummodo victoria, quam in principio statim libri x. ab Urbe condita *T. Livius* noster his verbis disseruit. *In quibusdam*, inquit, *annalibus invenio, Cleonymum Lacedæmoniorum ducem, priusquam confligendum esset cum Romanis Italia excessisse, circumvectus inde ad Brundusii promontorium, medioque sinu Adriatico ventis latus,* B *cum læva importuosa Italiæ littora, dextra Illyrici, Liburnique & Istri gentes feræ magnaque ex parte latrociniis infames terrerent, penitus ad littora Venetorum pervenit. Ubi expositis paucis qui loca explorarent, cum audisset tenue ita prætentum littus esse, quod transgressis stagna ab tergo sint irrigua æstibus maritimis, & agros haud procul proximos campestres cerni: ulteriora colles videri esse, & ostium prælati fluminis, quo circumagi naves in stationem tutam vidisse. Medoacus amnis erat, eo invectam classem subire flumine adverso jussit. Gravissimas navium non pertulit alveus fluvii, & leviora: transgressa multitudo armatorum ad frequentes* C *agros tribus maritimis vicis colentibus eam oram pervenit: ibi egressi, levi præsidio navibus relicto, vicos vi expugnant, inflammant tecta, hominum pecudumque prædas agunt, & dulcedine prædandi longius à navibus recedunt. Hæc ubi Patavii sunt nunciata (semper autem eos in armis accolæ Galli habebant) in duas partes juventutem dividunt: altera in regionem, qua effusa populatio nunciabatur: altera ne cui prædonum obvia fieret, altero itinere ad navium stationem (millia autem quatuordecim ab oppido aberant) ducta, in naves parvas ignaris*
30 *custodibus interruptis repentinus impetus factus, ter-*
D *ritique nautæ coguntur naves in alteram amnis ripam traducere. Ut in terra prosperum æque in palantes prædatores prælium fuerat, refugientibusque ad stationem Græcis Veneti obsistunt: ita in medio circumventi hostes, cæsique, pars capti classem indicant, regemque Cleonymum tria millia abesse. Ibi captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte planis alveis fabricatas, pars captiva navigia armatis complent. profectique ad classem, immobiles naves, & ignota loca plusquam hostem timentes, circumvadunt, fugientesque in altum, ac nusquam repugnantes, usque ad ostium amnis persecuti, captis quibusdam,* E *incensisque navibus hostium, quas trepidatio in vada intulerat, victores revertuntur. Cleonymus vix quinta parte navium suarum incolumi, nulla regione maris Adriatici prospere adita discessit. Rostra navium spoliaque Græcorum in æde Junonis vetere fixa, multi supersunt, qui viderunt. Patavii monumentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis solenni certamine navium in flumine oppidi medio exercetur.* Hæc noster *Livius* honorificentissime de *Patavinorum* in armis præstantia, & de reportata ex hoste victoria tam contra *Græcos*, quam etiam accolas *Gallos*, quibus nunquam cessere, sed adversus eos pro tuenda libertate semper F in armis erant: ex quo facile colligi potest, si illorum temporum historia haberetur, de his quæ terra marique à *Patavinis*, qui & *Veneti* appellantur, gesta fuerant, quam multa, quamque præclara de patria nostra scribenda haberentur.

De fide servorum Patavinorum *erga dominos.*

Atqui nihilo minori laude fuit antiqua illa in *Patavinos* dominos servorum fidelitas, quæ ab antiquo auctore *Macrobio* memorata, quam quæ celebrata est à *T. Livio* gloriosa de hoste victoria. Dicit enim Macrobius *Saturnalium lib.* I. *Patavinorum* servorum fidelitatem commendans, quod quum *Asinius Pollio* proconsul in *Illyricum* transiens *Patavio*, acerbe cogeret *Patavinos*, ut pecuniam & arma conferrent, dominisque ob id latentibus, præmio servis cum libertate proposito, qui dominos suos proderent: *nunquam valuit ullo præmio aliquem servum adducere, ut suum dominum indicaret.* Hæc *Macrobius.* Ex hac enim servorum in dominos fidelitate, facile est conjectare, quanta fuerit ea tempestate clementia dominorum erga servos: qui dominorum commoda, licet exigua, propriæ libertati, & magno cuivis præmio prætulerunt.

De pudicitia matronarum Patavinarum.

Sicut modo ex relatione *Macrobii* clementiam dominorum erga servos & servorum erga dominos fidelitatem cognovimus: ita modo quid dicendum nobis sit de probitate & pudicitia *Patavinarum* matronarum erga maritos, ex *Plinio* Nepote, & ex *Valerio Martiale* breviter agnoscamus. Ille enim *Epistol. lib.* I. laudans *Serranam Patavinam*, tantæ eam dicit fuisse præstantiæ, ut *Patavinis* quoque mulieribus frugalitatis exemplum esse possit: innuens nimirum *Patavinas* matronas, ita natura frugales ac pudicas ea tempestate esse ab omnibus habitas, ut cunctis aliis mulieribus exemplum & normam pudicitiæ dare possent, potius quam ab aliis accipere. Nec secus Valerius Martialis, *lib. Epigrammatum* XI. *Epigr.* 17. quum suadere vellet candidis lectoribus per jocum inter epulas, versus suos salibus refertos non esse à quoquam rejiciendos, & si quicquam interdum sapiant impudici: *Patavinas*, & *Lucretiam Romanam* adducit in testes his verbis:

Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli
Uda puella leges: sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum,
Sed coram Bruto, Brute recede, leget.

Cælius *lib.* VII. *cap.* 27. tantam scribit fuisse olim *Patavinarum* mulierum castitatem, ut nunquam, nisi operta facie prodirent in publicum. Qui quidem mos in virginibus hactenus *Patavii Venetiis*que permansit, quanquam longe secius servatur nunc à mulieribus jam nuptis: quæ ex consuetudine patriæ & vicinarum civitatum sese palam conspiciendas cunctis ostentant.

De frequentia antiqua Senatus & populi Patavini. 31

Hæc quatenus ad mores *Patavinorum* attinet, satis dictum: deinceps de frequentia antiqua Senatus, deque divitiis & gloriosa militia, & omnimoda præstantia antiqui populi *Patavini*, à *Strabone* antiquo scriptore quisque audiat. Is enim in *libro de Cosmographia* v. honorificentissime hæc omnia refert. *Patavium* (inquit) *cunctas ejus regionis urbes excellens, nuper in ea quidem censi sunt quingenti equestris ordinis viri: antiquis vero temporibus centum & viginti millia militum in militiam misisse constat. Quantum vero civitas ipsa, & virorum probitate, artiumque bonitate floruerit, ma-*

magnitudo cum aliarum rerum maximo apparatu Romam miſſarum, tum vero pannorum & veſtimentorum, omnifariæque mercaturæ declarat. Hæc Strabo. Quid nam quæſo dici poteſt glorioſius de hac urbe, quam quod is auctor egregius uno contextu, & paucis verbis complexus eſt?

De ſocietate & amicitia Patavinorum *cum* Romanis.

Huic autem ſententiæ probe conſentire videntur ea, quæ dicit M. Tullius *Philippica duodecima adverſus M. Antonium*, ubi docet, qua fide & amicitia *Patavini* erga Rempublicam *Romanam* cæteris coloniis præſtarent: quantoque auſu pro patria libertate obſtiterint *M. Antonio* tunc Reipublicæ Romanæ hoſtiliter adverſanti. *Patavini*, inquit, *alios excluſerunt, alios ejecerunt miſſos ab Antonio, & pecunia, & militibus (& quod maxime deerat) armis noſtros milites juverunt: feceruntque idem reliqui, qui quondam in eadem cauſa erant, & propter multorum amicorum injurias alienati à Senatu putabantur: quos minime eſt mirum, communicata cum his Republica fideles eſſe, qui etiam expertes ejus, ſemper fidem præſtiterunt. His igitur omnibus victoriam ſperantibus, pacis nomen adferremus?* Hæc ibi *Cicero* de fide *Patavinorum* in Rempublicam *Romanam*, quæ profecto non parum ad laudem & gloriam hujus noſtræ patriæ vel hac tantum commemoratione facere videntur.

Quanti fecerint Romani Patavinorum *concordiam.*

Quantæ quoque curæ fuerit ob hanc fidem Senatui, populoque *Romano Patavina* Reſpublica vel hinc eſt maxime manifeſtum, quod quum *Patavini* diſcordes inter ſe graviter contenderent, Senatus *Romanus* ne hujuſmodi diſſidium tam *Romanæ* quam *Patavinæ* Reipublicæ detrimenti quicquam importaret, *M. Æmilium* Conſulem *Patavium* ire voluit, ad civiles illas diſcordias ſedandas, & ad inteſtina civium inter ſe odia e civitate tollenda: quod antea non niſi in arduis & difficillimis Reipublicæ negotiis fieri conſueverat. De hoc autem *T. Livius* noſter ab Urbe condita *lib.* XLI. ita ſcribit, *Conſules votis etiam in capitolio nuncupatis, in provincias profecti ſunt. Ex iis M. Æmilio Senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia ſeditionem comprimeret, quos certamine factionum ad inteſtinum bellum exarſiſſe ipſorum legati attulerant. Legati vero qui Ætoliam ad ſimiles motus comprimendos ierant, renunciarunt rabiem gentis coercere non poſſe: Patavinis ſaluti fuit adventus Conſulis, qui neque cum quid aliud faceret in provincia habuiſſet, Romam rediit.* Hæc quidem ad verbum T. Livius, libro prænominato.

Studium & laus Patavinæ *civitatis in condendis* Venetiis.

Non eſt hic quoque honos in poſtremis annumerandus, quod vere *Patavini* & magna cum gloria dicere poſſunt, ſe *Venetis* patriciis eſſe cognatos ſicut etiam vicinos. Hi namque ali-
32 quando non contenti *Medoaci* fluminis tractu neque unius portus anguſtiis: cum ſibi vellent amplum inſtar urbis locum juxta mare opportuniorem ad mercandum, & tutiorem ad confugiendum parare, ſi quando à *Gothis* contingeret durius premi: qui paulo ante *Romam*, & alias *Italiæ* urbes vaſtarant. Cœperunt ſiquidem *Gothi* in *Italia* regnare an. Domini CCCC. XII. ab urbe A vero condita M. LXVI. Rege *Alarico Viſigotho*, poſt mortem *Arcadii* Imperatoris. Experti ergo *Patavini* Barbarorum immanitatem, formidanteſque ne ab *Alarico* rege pati longe pejora cogerentur, quam ſuperioribus annis ab exercitu *Radagaſii Gothorum* Regis perpeſſi fuerant: qui adjunctis ſibi *Hunnis* & *Vandalis*, *Venetorum* ſaltus aggreſſus multas ſtrages, miſerabileſque direptiones intulerat: illaturuſque multo majores, niſi tandem per inſidias in iniquum locum pertractus, obſeptis omnibus itineribus, unde egredi poſſet, fame & inedia ipſe una cum innumera multitudine à *Sthilicone Honorii* Cæſaris copiarum duce in B *Etruriæ* montibus confectus fuiſſet. Id itaque *Patavini* veriti conſules ſuos, pro condenda nova urbe ad *Rivaltum* miſerunt, locum in ſinu *Adriatici* maris, inter æſtuaria illa maritima altius eminentem. Qui quidem conſules paratis interea rebus, an. ſalutis CCCC. XXI. VII. Cal. April. in *Rivalto* jecerunt felicia in Chriſti nomine fundamenta: parvis quidem initiis, ſed quam feliciſſimis auſpiciis. Futurum ſiquidem fuerat ibi aliquando magni imperii domicilium: & urbs maris, terræque regina. Legimus autem tunc eo cum conſulibus miſſos fuiſſe centum & quatuordecim artifices navium: & cum his CCC. XII. eC juſdem artificii pro navali conſtruendo diſcipulos, & edicto interim publico undique per civitatem conclamatum, ut qui eſſent idonei ad aliquod opus agendum, conſules & legatos adirent, immunitatem, privilegiaque & ſtipendia eo proficiſcentem quemque pro merito ſuſcepturum. Inſuper mille & octingentos armatos, & navali & terreſtri bello aptos tranſmittendos decernitur: ne forte in opere faciendo operantes aliquo tumultu exterriti, aut aliqua violentia impediti, ab incœpto deſiſtere cogerentur. Hoc initium ignoraſſe videtur *Blondus* hiſtoriographus (alioquin ſane doctus) admirans *Venetias* anno XXV. ante *Attilæ* adventum in *Italiam* ædificari cœptas: & D propterea falſo arguit *Laurentii* monachi hiſtoriam ab omnibus eo ſeculo comprobatam. Verba autem Blondi *lib.* III. *primæ Decad.* ubi intexuit *Venetiarum* originem, & varios bellorum tumultus, & incendia *Italiæ* hæc ſunt. *Quo anno autem, aut die creati ſint Tribuni, aut civitas primo ſit condita, nequaquam affirmare auſim: quin ſoleo mirari, qua adductus ratione, Laurentius monachus patria Venetus, ſcriptor ætate ſua excellentiſſimus affirmaverit, ejus urbis fundamenta* VII. *Cal. Aprilis, anno* I *atque* XX *ſupra quadringenteſimum fuiſſe jacta. Nam neceſſarium ipſam urbem dicere non prius eo anno condi cœpiſſe, quo Attila* E *Aquilegiam, Paduam, Atheſtem & cætera provinciæ Venetæ oppida delevit: ſicque ſextum, & quinquageſimum ſupra quadringenteſimum ſalutis annum fuiſſe conſtabit, in quo ea jacta fuerint novæ urbis fundamenta.* Hæc quidem ad verbum *Blondus*, qui longe ſane à ſcopo & à recto veritatis aberrat. Nam timore *Gothorum* ædificari cœpta eſt civitas, & non ab excidiis *Hunnorum*: etſi ſubinde poſt aliquot annos ſæviente *Attila* ex tota ferme *Venetia* undique confluentibus populis repleri & ampliari mirabili incremento cœperit: & poſtea, furente adhuc Marte, ex omni *Italia* indies frequentari locupletarique maxime. Poſt-F modum ergo ab ædificatione *Rivalti*, anno circiter triceſimo plus minus, quia de anno incertum eſt, poſt *Attilæ* atque poſt ſecundum *Totilæ* Regis excidium, *Patavina* urbs bis reparata, & tertio ab *Agilulpho Longobardorum* Rege penitus incenſa: attriti inquietudine bellorum, & pertæſi patriæ conſpectum tam miſerabilem, populanter fere in novam urbem demigrarunt: & ex eo tempore tam populo, quam ædificiorum frequen-

quentia cœpit locus ipse *Rivalti*, & *Quintævallis*, sive *Castellum* & *Dorsum durum*, & *Canalregium*, & *Methamaucum* latius ab optimatibus coli: & ita indies ditioribus atque nobilioribus accolis opulenter repleri. Verum multi postea, perdurante bellorum sævitia, ex toto agro ad *Fossam Palestinam* & *Clodiam* confugerunt. Verum multi ex omni ordine postmodum allecti securitate loci, & commodis navigandi & mercandi, neglexerunt amplius ad pristinos lares, & ad patriam desertam redire: & ita brevi factum est, ut paulatim ii populi à *Patavinis* desciscerent, & *Venotorum* nomen sortirentur soli. *Patavium* interim annos fere ducentos jacuit desola-
33 tum. Quo tempore assiduis bellis per totam *Italiam* sævientibus, & ob id concurrentibus undique populis ex urbibus & oppidis, tam *Italiæ* quam reliquarum regionum, *Rivaltum* ipsum una cum insulis reliquis accolis ditioribus repletum, *Venetiæ* plurali numero vocari cœptum est. Quæ sane urbs in hunc diem opulentissima & florentissima adeo crevit majestate Senatus, ædificiorum magnificentia, divitiarum copia, populi frequentia, ditionis incremento, rerum gestarum terra marique gloria, ut æmula vetustæ *Romæ* facta, nulli, neque *Italiæ*, neque (absit verbis invidia) totius orbis terrarum alicui civitati, in quovis laudum genere, invidere merito possit. Quid enim in terris *Veneta* urbe admirabilius? quid dignius? quid præclarius? quid magnificentius? quid denique pulchrius? Cum hac itaque nunc civitate & si *Patavium* subjacet: tantæ tamen laudis, & honoris, ac gloriæ ita efficitur particeps, ut ob antiquam cognationem pene par utrique laus esse videatur. Haud sane multo secius, quam si quæpiam senio confecta mater in afflictis rebus à filia jam ætate, forma viribusque præstante, placida ac pia procuratione regatur. Hæc namque modo sub ejus ductu & auspiciis videri certe potest, non tam imperio premi, quam potius ex illius clementia communicata ferme potentia, ad pristinam libertatem rediisse: & nunc tandem pacifice & gloriose extra omnem tyrannorum formidinem filiæ beneficio posse vivere: ac nulli cujusvis civitatis fortunæ invidere. Scriptum est enim, parentis honos, est filius sapiens. Veruntamen legitur in historia *Venetorum*, ut scribit Bernardus Justinianus patricius Venetus *de origine urbis Venetiarum lib.* VI. quod circa annum Christi quingentesimum sexagesimum, *Patavini* aliquando cum melius armis nequirent, existimantes se magis ex jure & æquo, quam viribus aut armis posse, decreverunt civiliter de finibus cum *Venetis* agere. Quocirca missis legatis *Ravennam* ad *Marsetem Justiniani* Imperatoris exarchum, illos multis verbis questos fuisse ferunt: petiisseque sibi æstuaria portumque, & littora *Patavio* objecta, alias sibi per injuriam ablata, & à suis majoribus aliquando possessa restitui. Sed recusantibus *Venetis* eo judicio, nihil decretum est. Quamobrem postea vi & armis de finibus *Veneti* & *Patavini* inter se sæpenumero concertarunt: & magnæ utrinque strages ea occasione diversis temporibus, alteri ab altero illatæ fuerunt: neque prorsus desitum, quousque *Patavium* expulsis tyrannis feliciter sane in fidem & ditionem publicam *Venetorum* devenerit: quando de finibus amplius contendere nihil necesse est: sed in summa potius pace & otio, obsequi non nisi æqua jubentibus, & obtemperare imperantibus. Etenim *Patavini* gratia *Veneti* Senatus per centum quinquaginta & amplius annos, ex quo erepti tandem sunt è manibus tyrannorum, quibus per multa tempora servierant, & ad *Venetos* patres, tanquam ad ma-
A jores suos, & priscos cives reversi, in magna animi & corporis tranquillitate, alcyoniis (ut ajunt) diebus, & *Octaviani* Cæsaris pace fruuntur. Nam *Patavina* civitas antea diuturnis bellis & tributis confecta, peneque desolata, tum primum respirare cœpit: ac tandem post multas strages, sub horum tutela ita instaurari, ut novam plane, & alterius urbis faciem induisse, & altera prorsus facta esse videatur: ut ego quoque sæpe demirer, quum puer eam viderim fere asseritiis parietibus & tignis compactam, ligneisque suffultam trabibus: nunc per septuaginta annos, tot enim per ætatem meminisse possum, totam esse palatiis, &
B latericiis domibus ædificatam: & columnis, postibus, fenestris, ex vivis lapidibus exornatam: ut nunc vere nulli *Italiæ* urbi (ut de *Venetiis* taceam) ædificiorum speciositate posthabenda sit. Tantum ergo *Patavium Venetiis* debet, quod nunc pacatum, instauratum, munitum, auctum exornatumque sit, quantum olim *Venetiæ* ipsæ *Patavio*: quod feliciori auspicio de ejus ruinis cœperint ædificari, & de ejus populo primum repleri.

De virtute Patavinorum *in expugnanda* Iadera *urbe* Dalmatiæ.

C Adjiciatur his quoque præclarum facinus, quod non sine magna patriæ laude in *Patavinis* annalibus, non admodum vetusta rei gestæ memoria celebratur. Nam anno M.CCC.XXVIII. quo tempore *Iadera* urbs *Dalmatiæ* à *Pannoniæ* Rege (ut ferunt) centum armatorum millibus oppugnaretur: & obsidione cincta, & diu oppugnata expugnari omnino & capi non posset. 34
Patavini milites, ex fœdere principis *Carrariensi* in auxilium Regis missi, ubi eo pervenere, decreta oppugnatione, quæ frustra alias ab universo exercitu sæpius fuerat attentata, primo impe-
D tu admotis scalis mœnia aggressi, & maximo ausu, & armorum virtute & animo plusquam virili, primi omnium muros ascendunt: & erecto regio vexillo, urbem jam victam captamque è mœnibus ostentant. Qua victoria tandem parta, Rex, milites *Patavinos* murali corona & magnis donatos muneribus & vehementer collaudatos in patriam remisit: asserens apud suos *Patavinorum* virtutem ultra omnes eo certamine enituisse.

De obsidione Patavii, *anno Domini* M.D.IX.

Nihilo majori gloriæ fuisse *Patavinæ* civitati
E putandum est illam *Iaderæ* expugnationem, quam *Patavini* populi fidem erga *Venetam* Rempublicam & resistendi virtutem ad tuendam patriam adversus formidabile bellum, & innumerabilem exercitum, *Maximiliani* Cæsaris, magnis eam viribus obsidentis, & innumeris tormentorum ictibus & crebris insultibus oppugnantis. Hæc enim tum populi, tum *Venetorum* patriciorum, tum mercenariorum militum præsidiis viriliter defensa, nec potentissimi Imperatoris præsentia, nec vi tanti exercitus, nec fraude dolove unquam potuit expugnari: & si ad eam obsidendam tota ferme *Europa* cum exercitu ultra cen-
F tum millia armatorum convenerat: qui aliquandiu populabundi per universum agrum vagantes, depopulatis ubique agrestibus tandem juxta urbem ad portam Caudalongam castrametati sunt: & dejecto magno veterum murorum spatio, qui tunc altius eminebant, *Germani* maximo conatu bis ascendere monimenta connisi, bisque rejecti cæsique & ustulati, re infecta, ad castra, qui supererant rediere. Atque tandem ubi frustra per plurimos dies summo labore, & multorum cæde,

urbs oppugnata fuit, *Germani* spe prorsus potiundæ urbis amissa, una cum reliquo exercitu *Gallorum*, & *Hispanorum*, & *Italicorum*, trepidi soluta obsidione, quæ fere per totum Septembrem steterat, omnes noctu, quam maxime occulto poterant, derelicta urbe, concrematis amnium pontibus, per quos transierant, diversi tandem in suam quisque patriam redierunt. Anno Domini M.D.IX. pridie Calend. Octobris. Atque postmodum urbs ipsa jubente Senatu *Veneto*, sicut prius fuerat magnis consiliis præsidiisque defensa: ita postea studiosius novis muris multo crassioribus, & frequentibus propugnaculis circummunita, & profundissimis fossis vallata est: atque excisis arboribus ac dirutis, & solo æquatis omnibus templis & ædibus suburbanis, ultra mille passus à mœnibus in agrum patefacta, ne rursum intra ejusmodi spatium propius possit exercitus quispiam hostilis accedere, ac tuto morari: quin missilium verberibus longe ab urbis conspectu penitus arceatur. Itaque jam opera & industria *Venetæ* Reipublicæ adeo tuta & inexpugnabilis in posterum reddita est, ut nullum ei post hac externum bellum aliunde impendere timeatur. Sitque exinde *Venetiis* perpetuo, & indissolubili nexu devincta ac colligata: ut merito dici & haberi possit duorum populorum commune domicilium: & utrique conveniat illud Horatianum, Alterius sit altera poscit opem res & conjurat amice. Neque id ab re à nobis videri dictum velim, quando & *Livius* noster *Patavinorum* gesta commemorans adversus ducem *Lacedæmoniorum Cleonymnm* (ut proxime dicebam) eundem populum modo *Patavinos*, modo *Venetos* appellat: ut inter *Venetos* ac *Patavinos* appellatione nominis nihil prorsus discriminis intersit. Sit ergo gens una, & populus unus: quandoquidem sicut primum à *Trojanis*, & ab *Henetis* omnes oriundi, & olim modo *Patavini*, modo *Veneti* in initio omnes dicti sunt: ita rursum *Veneti* & *Patavini* felicioribus auspiciis uti una gens & unus populus, mutuis auxiliis atque iisdem legibus ab inclyto illo *Venetorum* duce ac Senatu pariter gubernentur. De hac autem obsidione (ut ad propositum redeamus) *Andreas Naugerius* patricius *Venetus*, vir tum *Græcarum*, tum *Latinarum* literarum cognitione, ac præsertim poëtices inter illustriores nostri seculi scriptores habitus, elegantissimum hoc carmen ludens cecinit. Quo tempore in *Bartholomæi Liviani Veneti* exercitus Imperatoris contubernio castra secutus, stu-
35 diorum diligentiam remiserat: & in ipsa urbe nostra *Patavina* oblectandi animi causa, veterum lucubrationum negotiis fessi, se ad otium transtulerat,

Urbs quam vetusto victus ab illo
Post fata Troûm tristia, post graves
Tot patriæ exhaustos iniquo
Tempore, tot pelago labores.
Nocente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacos fluit
Diis fretus Antenor secundis
Condidit Euganeis in oris
Tu nuper & flos & decus urbium,
Quascunque tellus Itala continet
Magnas tot urbes, & tot virorum
Ingenia, & studia una alebas
Te septicornis Danubii accola
Te fulva potant flumina, qui Tagi
Longeque semoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc acerbi, heu, sæva necessitas
Fati severas ut pateris vices
Ut te ipse vastatam vel hosti
Conspicio miserandam iniquo.
A *Quid culta tam pomaria conquerar?*
Tot pulchra flammis hausta suburbia
Quid glande deturbata ahena
Mœnia? præcipitemque sævi
Mavortis iram, bellaque persequar
Horrenda? squamis ille adamantinis
Ferroque consertam rigenti
Induerat chlamydem trilicem,
Fremensque & atrum lætifera manu
Telum coruscans, secum odia necis
Contemptum, & insanos tumultus
Secum animos rabiemque agebat.
B *Ille urbe ab imis sedibus eruta*
Implesset omnes funeribus domos
Non ille, vel sexu, vel ullo
Efferus abstinuisset ævo.

Et cætera quæ sequuntur. Item quoque de *Patavinæ* urbis amœnitate & pulchritudine, & commodis, *Georgius Fabricius Chemnicensis* poëta in suo itinere *Patavium* rediens dum id salutat, sic cœpit:

Planicies almæ Cereris, Bacchique voluptas
Quæ non ante suas habuit longissima fines. &c.

Post addit,

C *Nec mihi fas paucis perscribere versibus ortum*
Antiquum, fossas altas, pomeria lata,
Patriciive arcem, vel plumbea tecta palati
Sive novi templi molem, molemve vetusti
Attila quas clades, quas sæve Accioline dedisti
Heu urbi infaustæ, sed pristina Carrarienses
Damna dehinc Venetus reparavit cuncta senatus.
Salva terra meis indulgentissima musis:
Quam si non patriæ alterius revocaret amore,
Optarem fessæ portum, requiemque senectæ.

Patavii Calend. Jun. M.D.XLIII.

D *De suspensione asini quæ probri loco* Pa*vinis objicitur.* 36

Posset quispiam in tot tantisque laudibus *Patavinorum* hic à nobis commemoratis perquirere, unde natum probrum illud quod vulgo dici solet, *Patavinos* suspensores ac respensores asini fuisse pro lucanicæ frusto. Legi nuper in quodam antiquo annali *Patavino*, quod quum pacis tempore quo omnes fere urbes *Italiæ* sub Imperatoribus tum *Gallis*, tum *Germanis* soluto certo censu unaquæque Respublica pro arbitrio sese regeret, solitum esse singulos vicos *Patavinos* &
E *Vicentinos*, circa veris tempora in suis finibus congregari: ibique cursus, saltus, luctas, & ludicra ejusmodi alia exercere, & ordine & apparatu ficti certaminis inter se hilariter & amice concurrere. *Patavinis* tunc signum militare fuerat draco biceps. *Vicentinis* vero asinus. Accidit autem quum ex vicinis pagis quique in suis finibus congregati ejusmodi ludos invicem agerent, ut *Vicentini Patavinorum* virtute ac numero gravius premerentur, quam ut ultra ferre eam vim possent: quo circa indignantes cœperunt immaniter furere, & quod prius certamen ludicrum
F videbatur, in verum prælium convertere. Sed quum in ea pugna *Patavini* superiores evasissent, abstulerunt eis asini vexillum, & eos fugaverunt à finibus. signum autem *Patavinum* in triumphum portarunt. Subinde tam in gloriam victoriæ, quam in probrum *Vicentinorum* in foro medio vivum asinum suspenderunt. Quod factum *Vicentini* graviter ac permoleste tulerunt. Verum communium amicorum suasu utrique fœdus inter se feriunt, his conditionibus pacis additis: ut *Vicentinis* pro redimendo asini suspendio epulum *Patavinis* darent, quod factum est. equos nan-

namque lucanicis onustos miserunt *Patavium*, quas in frusta sectas læti *Patavini* inter se dispartiuntur: & ita utrinque pacatis rebus mansit hoc utrinque probrum *Vicentinis* scilicet, quod eorum vexillum asinus in furca pependerat: *Patavinis* autem quod tam vili lucanicæ frusto, quod singuli acceperant, è furca asinum deposuerint.

A

Cessarunt autem post hæc ejusmodi ludicra fieri; sed *Patavinis* hoc probrum de suspensione & depositione asini, in hodiernam diem in ore omnium perseverat. Quod autem quidam de *Petro Apono* hæc fingunt, quoniam est prorsus falsum, nolui hic inter vera aut saltem verisimilia commiscere.

CLASSIS III.

DE PRISCIS CIVIBUS PATAVINIS, patritiisque Romanis, de tribu Fabia.

PRÆFATIO.



ACTENUS de Patavinæ *urbis antiquitate, & ornamentis, & commodis,* Patavinæ *civitatis in communi satis (ut arbitror) dictum: restat deinceps sigillatim patritios cives, quorum insignis adhuc memoria extat, quo quisque laudum genere floruerit, quam possum brevissime suo ordine recensere. Habuisse autem hanc nostram civitatem* Romanorum *temporibus innumerabiles pene viros celebres, & insigni gloria præstantes, ex antiquorum scriptis opinari facilius possumus, quam referre. Injuria quidem, seu potius vitio temporis factum est, ut de perditis literarum monumentis, eorum quoque nomina, una cum gestorum memoria ita prorsus interierint, ut è tanto numero, sexdecim illustrium tantummodo supersint nobis nomina recensenda, quæ ex illorum temporum historiis hic à me referantur: & primus erit* C. Cornelius *Augur, de quo dicere incipiemus.*

37

De C. Cornelio *Augure.*



IGNUS mihi in primis visus est *C. Cornelius* Augur *Patavinus*, qui hic ante omnes alios à nobis primo loco memoretur: cujus auguralis scientia tanta fuit, ut ab antiquis scriptoribus, pro maximo ubique miraculo ac prodigio celebretur. Is enim in collibus *Euganeis* in templo *Gerionis* longissimo locorum intervallo absens à pugna *C. Cæsaris* & *Gn. Pompeji* in *Pharsalia*, eodem die & hora & momento pronunciavit totam illius pugnæ seriem, perinde atque si præsens adesset, atque sub oculis res ageretur suis. Hoc factum *Julius Obsequens* inter prodigia commemorat. Et Aulus Gellius *lib. decimoquinto, capite decimo octavo*, de hac ipsa re ita scribit: *Quo C. Cæsar, & Gn. Pompejus die civile bellum signis collatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavii, in Transpadana Italia, memoria digna. Cornelius quidam sacerdos, & loco nobilis, & sacerdotiis, & religionibus venerandus, & castitate vitæ sanctus, repente mota mente conspicere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari, ac deinde alios cedere, alios urgere cædem, fugam, tela volitantia, instaurationem pugnæ, impressionem, gemitus, vulneraque perinde ac si ipse in prælio versaretur coramque videret: vociferansque postea subito exclamavit, Cæsarem vicisse. At Cornelii sacerdotis hariolatio levis tunc quidem visa est, & vecors: sed magnæ mox admirationi fuit, quod non modo pugnæ, quæ in Thessalia pugnata est, neque prælii exitus, qui erat prædictus, idem fuit: sed omnes quoque pugnandi reciprocæ vices, & ipsa exercituum duorum conflictatio, vaticinantis motu atque verbis repræsentata est.* Hæc Aulus Gellius. Hoc idem ferme *Lucanus* poëta in suis carminibus *libro septimo* concelebrat, dicens:

B

Euganeo si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens: Aponus terris ubi pumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi:
Venit summa dies geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeji & Cæsaris arma
Seu tonitrus: ac tela Jovis præsaga notavit
Æthera: seu totum discordi obsistere cœlo
Prospexitque polos: seu lumen in æthera mœstum
Solis in obscuro, pugnam pallore notavit,
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum, cœli nova signa notasset,
Spectari è toto potuit Pharsalia mundo.

C

De hujus etiam *C. Cornelii* hariolandi scientia Suetonius *in vita Tiberii Cæsaris*, ubi de præsagiis futuri ejus principatus enarrat, dicit: *Quum Tiberius Illyricum petens juxta Patavium adiisset Gerionis oraculum sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jactaret: evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent. Hodie quoque sub aqua visuntur hi tali.* Hactenus ille. Plutarchus quoque *in vita Cæsaris* de hoc ipso ita refert: *Patavii C. Cornelius augurali scientia præditus, Livii historici conterraneus ac familiaris: eo die quum ad captanda sedisset auguria, primum (ut Livius dicit) pugnæ tempus agnoscens, stantibus dixit: jam res ipsa conficitur: jam viri opus ineunt. Iterum ad auspicium reversus, & signa contemplatus, more lymphati exiliit vociferans, Vincis Cæsar. Ea res quum vehementibus astantibus stuporem incussisset: ille detractam capiti coronam, non ante repositurus adjuratus est, quam res arti testimonium astipularetur.* Hactenus Plutar-

D

chus idem quod *Livius* de hoc *Cornelio*, & hoc satis. *Gerionis* oraculum in monte *Rubeo* quidam fuisse arbitrantur: ubi *Euganeam* quondam stetisse vulgo creditur. At tu potius dicas juxta collem *Montagnoni*, ubi nunc templum antiquissimum *D. Petri*: ut alibi dicetur, quando de *Egidio Fontana* novi templi conditore inferius memorabitur.

38 *De* Tito Livio.

Dicturus posthac de *Tito Livio Patavino*, supervacaneum fore duxi referre hic quicquam meis verbis, quod ad ejus laudem, aut gloriam spectare videatur. Etenim hujus in dicendo facundia ita ab omnibus scriptoribus uno ore effertur in cœlum, ut minime videam, quo pacto aut à me aut ab alio quopiam deinceps sublimius efferri possit. Nam ob hujus eloquentiæ famam, auctore Plinio Juniore *epistolarum libro secundo ad Nepotem*, legimus inquit, *Gaditanum quendam Titi Livii fama gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimis terrarum finibus huc usque peregrinatum esse. Quod eo majori admiratione est dignum, ut quem Cæsar Augustus, qui tunc orbi terrarum universo imperabat, aut Roma ipsa rerum domina, & omnium virtutum domicilium, ad se trahere non potuerit: unius privati viri fama ab ultimo mundi angulo pertraxerit.* Hæc ille. Quid? quod is *Romæ* tantæ existimationis, tantæque auctoritatis sua ætate fuit? ut *L. Magius* gener ejus ob id solum nomen inter primos Rhetores haberetur, potius quam quod eloquentia reliquis præstaret. Unde Seneca *sententiarum libro sexto. Pertinere*, inquit, *ad rem non puto, quomodo L. Magius gener Titi Livii declamaverit: quamvis aliquo tempore suum populum habuerit, cum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.* Hunc quoque *Plinius Junior* studiose se legisse memorat, *libro sexto epistolarum ad Tacitum. Posco*, inquit, *librum Titi Livii, & quasi per otium lego, atque etiam, ut cœperam, excerpo. Quintilianus* vero de hoc ipso ita honorificentissime dicit: *Nec mihi indignetur Herodotus æquari sibi T. Livium: tum in enarrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam dici potest eloquentem: ita dicit omnia tum rebus, tum personis accommodata.* De stylo quoque & eloquentia *Titi Livii* Georgius Trapezuntius *in Rhetoricis suis* ita elegantissime disserit: *Tit. Livius grandis circumductione supra quam dici possit, cum qua tamen summa est claritas, fusus, æqualisque adeo, ut lacteo par flumini sit ipsius oratio, pulchritudinis & jucunditatis tantum adhibet, quantum possit orationem delinire, & ab altitudine non dejicere. Nam adeo variis sententiis ornatus est, eoque ordine naturali res apud eum circumductæ sunt, ut ultra quam dici possit, dulcis suavisque videretur: nisi aspera locutione nimium jucunditatis contemperaret. Quare mihi recte judicanti non Herodoto solum, ut multis, sed & Thucydidi simillimus esse videtur: grandem ab hoc, suavem ab illo mutuatus orationem. Hunc virum si quis ejus orationis vim bene intellexerit, non magis inter historicos, quam inter præclaros oratores enumerabit.* Post multa vero quæ ibi idem auctor de *Tit. Livii* laude accumulatissime congerit, addit denique: *Verum omnibus quos videre in historia contigit, T. Livium anteponimus. Non enim dubitamus eum summum dicere, qui versatos in eo genere maximo post se spatio dereliquit.* Hactenus ille. Quo circa ob eas ipsas virtutes orationis, quas quilibet tantum extollit, non immerito Quintilianus *in suis institutionibus ad alendum stylum*, vel inprimis hunc discentibus pueris esse legendum putat. *T. Livius*

A ergo *Patavii* nobilissimis parentibus natus, ac liberaliter educatus, & philosophiæ atque eloquentiæ præceptis optime eruditus, *Patavio* abiens *Romam* communem patriam profectus, *Augusto* Cæsari charus admodum factus est: *Claudio* autem Cæsari in adolescentia, & præceptorem & adhortatorem ad scribendum illorum temporum historiam hunc ipsum fuisse, auctor est Suetonius *in vita Claudii*. Proinde tantæ mox existimationis is *Romæ* omnibus fuit, quantæ homo novus, aut peregrinus antea alter nemo. Scripserat in patria prius *dialogos de philosophia*, quos (ut Seneca *epistola centesima* scripsit) non
B magis philosophiæ annumerare possis quam historiæ: ex professo tamen in eis philosophiæ præcepta traduntur. Scripsit etiam *de arte Rhetorica* cultissimam ad filium epistolam, cujus meminit Quintilianus *institutionum suarum libro decimo.* Postea vero *Romæ* scripsit *centum & quadraginta libros de gestis Romanorum, ab origine urbis, usque ad Drusum Augusti Cæsaris privignum:* qui adversus *Germanos* bellum gerens, equo prolapsus interiit. Scripsit autem quicquid scripserat tanta eloquentia, tantaque verborum maje- 39
state, & sententiarum gravitate, ut propterea alii lacteum, alii beatum eloquentiæ fontem ap-
C pellitent. *Miraculo proximum*, inquit Petrarcha, *ut ad T. Livii opus ne dicam imitandum, sed ne adscribendum quidem vix unius hominis vita sufficiat.* Sed (proh dolor) hujus tanti operis, tam egregii, tamque elaborati, vix exigua pars superest. Extabant autem palam è tanto numero jampridem tres tantum decades: verum proximis annis accesserunt quinque alii libri, nuper in *Germania* in provincia *Wormaciæ* trans *Rhenum* à *Simone Grynæo* in bibliotheca monasterii *Laurissensi* reperti. Quæ vero spes sit de aliis amissis, nihil sane pro comperto hactenus habetur. Verum quæ potissimum causa fuerit amittendi tam
D præclari operis, si quis interoget, aliam esse potiorem non credo, quam nimiam operis ipsius magnitudinem: quod hoc sibi pauperes quantumvis studiosi comparare non poterant: & divites retracti avaritia, & nimio sumptu deterriti, nolent emere. Tantam voluminis magnitudinem *Martialis lib.* XIV. *Epigr.* 190. poëta hoc disticho sub ejus imagine ita eleganter expressit:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Addas quoque, quod jacturæ hujus maxima causa fuit, invidia scilicet, & improbitas *Caligulæ*
E Imperatoris, qui, ne memoria clarissimorum virorum tam amplis & conspicuis monumentis extaret, quæ propter scriptoris excellentiam, splendorem obtenebraret suum, machinatus est, *T. Livii* historiam, qua eorum gesta continerentur, de medio tollere: ut postea ab aliis scriptoribus obscuratis aliquando cæterorum laudibus, de se præclarius scriberetur. Nam clarus auctor *Suetonius* in ejus vita *paulum absfuit*, inquit, *quin & Vergilii & Tit. Livii scripta, & imagines ex omnibus bibliothecis amoverit.* Quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ: alterum vero ut verbosum in historia, & negligentem carpebat. Sed eo usque ejusmodi immanitas &
F rabies ista processit, ut *Domitianus* quoque Cæsar (ut idem *Tranquillus* refert) *Metium Pomposianum* occidi jusserit: quod conciones regum ac ducum ex *Tit. Livio* circumferret. Hanc etiam amissionem iccirco ei contigisse puto, quod opus ejus esset tam grande, ut abscondi, & tam prolixum, ut describi non facile à quoquam posset: præsertim per ea tempora *Gothorum*, qui usque adeo *Romanorum* gloriæ invidebant, ut & urbis nomen,

nomen, nedum gestorum memoriam omnino tollere conati sint. Quod autem tantæ jacturæ causam ascribant quidam divo *Gregorio* Pontifici Maximo & sanctissimo Ecclesiæ Christianæ doctori: ne scilicet Christiani homines allecti eloquentia & suavitate dicendi *T. Livii*, à sacrarum literarum lectione desisterent. Atqui tam nefarium quidem est hoc credere: ut vel tantum cogitare id de tanto viro (præsertim *Romano*) maximo crimini dandum putem. Quid est enim à *Livio* nostro dictum, nisi pium, honestum, memorabile, imitandum, scituque dignissimum? In his enim libris velut in speculo contemplari quisque potest omnes humanæ vitæ virtutes: qui mores tunc fuerint populorum, quæ liberæ civitatis majestas, quæ temporum mutationes, quæ bellorum molestiæ, quæ pacis commoda, quæ recta, quæve prava ducum consilia: & quam denique in omnibus actionibus humanis, dubii incertique, & diversissimi rerum eventus sint. Absit ergo à tam sanctissimo viro & doctissimo omnis prorsus suspicio tanti, tamque immanis flagitii: & quod verisimilius est, in nefarios principes, *Caligulam* S. & *Domitianum*, aut in *Gothorum* immane odium (quod magis probabile est) tale, ac tam detestandum facinus merito conferamus. Hanc ego calumniam indiscussam & tacitam præterire non potui: quamvis ad alia valde festinem. Epitome autem totius operis, quam *L. Florus* post annos fere centum studiose contraxerat, nobis ex magno munere adhuc integra atque incorrupta permanet. Sunt etiam qui negent *Tit. Livii* opus distinctum fuisse ab auctore in decades, sicuti nunc esse videtur. Sed adversus eos præfationes auctoris decimo quoque libro adhibitæ, manifeste reclamant, & ejusmodi inficiatores falsitatis aperte redarguunt. Quod vero *Asinius Pollio* (auctore *Quintiliano*) se deprehendisse dixerit in *T. Livio* quandam *Patavinitatem*, quasi quidpiam minus Latine dictum, cum tamen in omni ejus sermone nihil sit, quod ulla ratione
40 reprehendi ac culpari merito possit, minime mirandum censeo, unum *Pollionem* hoc dixisse, cum is tantæ elationis fuerit, tantumque sibi arrogaverit impudens, ut pati non posset sibi quenquam præferri. Quocirca (ut *Tranquillus* in Cæsaris dictatoris vita dicit) commentarios Cæsaris ab omnibus tantopere commendatos, non est veritus damnare: dictitans parum diligenter, parumque integra veritate compositos. Idem etiam carpebat in *Salustio* verba obsoleta, in *Cicerone* stylum nimis exanguem & elumbem. Quin etiam adeo superbe suæ eloquentiæ confidebat, alienæque tantopere invidebat, ut cum à *Sextilio Cordubensi* poëta recitaturo indignam *Ciceronis* necem in domum *Messalæ* invitatus, auditurus venisset, audito primo versu:

Deslendus Cicero est, Latiæque silentia linguæ,

Stomachatus eo tantum carmine, neque æquo animo reliqua ferre valens, mox iratus surgens e concilio sese proripuit: & conversus ad *Messalam* recedens dixit: *Messala, tu quid tibi liberum sit in domo tua videris: ego istum auditurus non sum cui mutus videor*: atque hæc dicens abiit è concione, & è vestigio domum sese recepit. Hæc & ejusmodi alia multa *Seneca* retulit de maledicentia *Pollionis*. Etenim huic cum non esset quod *Livio* nostro objicere pejus posset, objecit, quod peregrinus esset, longiusque à *Latio* versatus: & propterea stylum ejus aliquando *Patavinitatem* sapere. quod & Cicero *in oratione de externis oratoribus* dixit: *oppidanum sapere, & peregrinum.* Quasi *Asinius* solus norit, quicquam à *Livio* dictum esse sermone patrio, & non ex *Romana* &

A *Latina* locutione depromptum. Sicut illud sceleratum frigus à *Marone* dictum more patriæ: quod minus Latine dictum quidam affirmant. Et propterea *Macrobius Parmæ* natus, in exordio Saturnalium suorum, lectorem obsecrat, ut æqui bonique consulat, si se sub alieno ortum cælo, Latinæ linguæ vena non adjuvet: & si in suo sermone, nativa *Romani* oris elegantia desideretur. Verumenimvero nemo hactenus repertus est, qui fuerit palati adeo delicati, ut hoc, quid illud sit gustare potuerit. Sed nihil quoque magis illud faciendum censeo: quod *Trogus Pompejus* reprehendendum putavit: quod & *Livius* &
B *Salustius* usi sint concionibus directis, quasi obliquæ duntaxat convenire historiæ jure possint, quum id in *Livio* præcipue maximeque laudetur. Quod vero *Budæus* scripsit *Titum Livium* cupidissime fecisse, ut *Gallorum* gentem nomenque in historiis sicubi occasio occurrerit suis maledictis conciderет, & ex eo inustam ei notam *Gallici* nominis, odii propemodum *Vatiniani*, neque eá pro vero, sed idcirco factum, quod homo *Patavinus* male aliquando, & dure à *Transalpinis Gallis* agro *Patavino* finitimis acceptus, acerbe magis ac stomachose scripserit, quam historice. Hinc finxisse *Gallos* incompositos moribus, &
C corpore vastos, & ob eam rem *Patavinitatem* fortasse in eo ore deprehendi potuisse, ut absurdam & indecoram. Hactenus *Budæus*. Atqui is quidem quam inepte, quamque stomachose de ea re machinatus fuerit, nemo qui sapit, non videt. Etenim quod *T. Livius Gallorum* genti infensus fuerit, minime contendendum puto. De hoc *Budæus* ipse viderit. Nolim hic quenquam acerbius carpere: id autem tantummodo dicam, accidere sæpe solere, ut juxta varietatem temporum, mores quoque immutentur humani: ac solitos esse homines, quantumvis barbaros, sensim à pristina sua verocitate mitescere: ubi videlicet
D humanioribus literis cœperint delectari: juxta illud Horatianum: *Lib.* I. *Epist.* IV. 39.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit:
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Cornelius autem Tacitus *lib.* IV. *in oratione Crematii de T. Livii fide* ita refert: *T. Livius eloquentiæ ac fidei præclarus, in primis G. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret.* Neque id amicitiæ eorum obfuit. Sed hoc idem interim donetur *T. Livio* in hac accusatione *Budæi*. Alii nunc forte *Gallorum* mores, longeque diversi ab iis, qui tempore *Livii*
E fuerant, & ad *Budæi* tempora non pervenerunt. Sed (ut ad propositum redeamus) vixit *T. Livius Romæ* sub *Cæsare Augusto* in maxima (ut dixi) nominis gloria: sed exacta jam fere ætate (ut sumus omnes patriæ cupidi) *Patavium* reversus sub Imperio *Tiberii* Cæsaris anno quarto, vel tertio (ut quidam scribunt) in patria obiit: annos natus septuaginta sex. Post Christi vero nativitatem anno XX. filios duos habuit, *Titum Livium Priscum*, & *T. Livium Longum*, ambos pater- 41
næ eloquentiæ æmulos. Filias vero quatuor, ex duabus uxoribus, quarum *Livia* quarta nupsit *L.*
F *Magio* viro nobili, dignitate, opibus & literis ornatissimo: quem velim intelligi per *L. Alym Concordialem Patavi*: quod est in ejus epitaphio sculptum: & hactenus (ut arbitror) à paucis, vel fortassis à nemine (quod sciam) recte interpretatum. Hujus ossa plumbea capsula apud ædem *D. Justinæ* inventa sunt: Anno salutis M. CCCC. XIII. Inde summa civitatis lætitia cum maximo omnium ordinum conventu atque ingenti pompa totius civitatis humeris nobilium virorum oneri vicissim subeuntium, in forum maxi-

maximum deportata sunt: & ad parietem occidentalem fori ipsius supra portam honoratissime cum hoc elogio collocata:

OSSA
T. LIVII PATAVINI VNIVS OMNIVM MORTALIVM JVDICIO DIGNI, CVJVS PROPE INVICTO CALAMO INVICTI. P. R. RES GESTAE CONSCRIBERENTVR.

Os vero brachii non post multos annos *Alphonsus Aragonum* Rex per *Antonium Bevatellum Parnomitam* eximium poëtam legatum suum impetravit à Republica *Patavina* ut *Neapolim* honoris gratia deferretur, relicto ibi in tabula lapidea, ad posteritatis memoriam, hoc elogio:

INCLYTO ALPHONSO ARAGONVM REGI STVDIOSORVM FAVTORI REIP. VENETAE FOEDERATO ANTONIO PANORMITA POETA LEGATO SVO ORANTE ET MATHEO VICTVRIO HVJVS VRBIS PRAETORE CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE. EX HISTORIARVM PARENTIS T. LIVII OSSIBVS QVAE HOC TVMVLO CONDVNTVR BRACHIVM PATAVINI CIVES IN MVNVS CONCESSERE. ANNO CHRISTI M. CCCC. LI. XIV. KAL. SEPTEMB.

Maxilla quoque ejusdem habetur in cancellaria nostræ civitatis. Visuntur *Patavii* duo epitaphia, unum in ædibus *Joannis Francisci Capillistii* equitis clarissimi, è regione *S. Danielis* in memoriam filiorum, & *Cassiæ* primæ uxoris. Id est,

S. Ursatus differt. pag. 201.

T. LIVIVS. C. F. SIBI
ET SVIS
T. LIVIO .T. F. PRISCO F.
T. LIVIO T. F. LONGO F
CASSIAE SEX. PRIMAE
VXORI.

Alterum vero facturum in memoriam LIVIAE FILIAE QVARTAE, quod annis proximis, cum hæc scriberem, ab æde *D. Justinæ* translatum est, & appositum honorifice ad ossa in foro: & desuper antiqua effigies capitis: quod extat penes
42 *Alexandrum Bassianum* in maxima existimatione: additaque ænea tabula cum his carminibus *Lazari Bonamici* viri doctissimi:

OSSA, TVVMQVE CAPVT CIVES TIBI, MAXIME LIVI
PROMPTO ANIMO HIC OMNES COMPOSVERE TVI.
TV FAMAM AETERNAM ROMAE, PATRIAEQVE DEDISTI:
HVIC ORIENS, ILLI FORTIA FACTA CANENS.
AT TIBI DAT PATRIA HAEC, ET SI MOJORA LICERET,
HOC TOTVS STARES AVREVS IPSE LOCO.

T. LIVIVS QVARTO IMPERII TIB. CAES. ANNO VITA EXCESSIT. AETATIS VERO SVAE LXXVI.

V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

A Blondus Flavius *de Italia instaurata*, ubi hujus epitaphii meminit, sic interpretatus est, ut illa nota L. legionem significet: cui omnes fere, quia nihil habuere, quod melius quadret, hactenus assenserunt. At ego bona omnium pace arbitror rectius exponi debere LIVIAE FILIAE QVARTAE, & non QVARTAE LEGIONIS: quum legio nusquam scribatur per simplex l. sed per tres literas sic LEG. aut duas LE. ut *Valerius Probus* asserit, & ut passim in antiquis saxis legitur. Obstat præterea ejusmodi interpretationi, quod quarta legio non HALYS apud *Romanos* vocabatur, ut isti volunt, sed *Scythica*, ut sculptum
B est in epitaphio, quod *Mediolani* visitur.

M. SENTIVS L. F.
O. V. F. MACER
VETERANVS LEG.
IV
SCYTHICAE
SIBI ET
FRATRI
V. F.

Et in agro *Patavino* in vico *Putiviliani* juxta urbem in cœmiterio extat palam perpulchris
C notis hoc epitaphium.

FORTVNAE SACRVM 43
P. OBSIDIVS. P. F.
RVFVS IV VIR
TR. MIL. LEG. IV SCYTHIC.
PRAE FABR.

Addere etiam potes, quod quarta legio non literis distincte, sed numeris simpliciter signabatur, ut hic de utroque legitur LEG. IV. Ergo illud L. LVCIVM generum *T. Livii* designat LIVIAE FILIAE QVARTAE maritum, ut supra dictum est: non autem legionem. Nam cum *T.*
D *Livius* in honorem filiæ LIVIAE QVARTAE vellet monumentum ponere, honoris causa apposuit ejus conjugem LVCIVM HALYM virum insignem, missum forte à *Romano* Senatu *Patavium* ad sedandos civium animos, inter se dissidentes. Hoc ergo titulo CONCORDIALIS PATAVI in honorem LIVIAE filiæ LVCIVS decoratur. Vel (si mavis) dicas, *Concordialis Patavi*, id est, *Patavi* DEAE CONCORDIAE sacerdotis, quod magnæ tunc erat dignitatis & existimationis, ejusmodi sacerdotio fungi: ut modo Episcopatu. Neque enim titulus ille servato ordine referri ulla ratione potest ad *T. Livium*: quoniam de se
E prius, & postea de filia dixisset, ut quilibet, vel mediocriter doctus, facile animadvertere potest: nec *Patavi*, sed patriæ potius apposuisset. Addas si lubet, quod *Concordialis* in eo sensu parum Latine dictum esse videtur. Quod autem LVCIVS MAGIVS & HALYS appelletur, minime absurdum videri debet: cum id fere civibus *Romanis* conveniat, ut tribus nominibus inscribantur. Dictus autem est HALYS ab HALY fluvio, & cognomine *Hispano*, unde forte profectus fuerat. Nam *Sagunti* quæ est civitas *Hispaniæ*, olim amicissima *Romanis*, in antiquissimo saxo legitur hoc
F epitaphium: quod habui ab *Achille Statio Lusitano*, viro eruditissimo, & antiquitatis studiosissimo, dum hic *Patavii* studiorum causa moraretur.

V. F.
G. GRATTIVS
HALYS SIBI ET
GRATTIAE MYRSINI
VXORI KARISSIM.
AN. XXXXVII
SIBI ET SVIS.

De

De hoc autem LVCIO T. LIVII genero apud *Senecam* legitur, ut paulo superius eodem contextu apparet. Quod autem LIVIAE nomini QVARTAE addatur, nec novum, nec mirum. Nam in *Juliorum* gente, mulieres *Juliæ* dictæ sunt: in *Octaviorum Octaviæ:* in *Corneliorum*, *Corneliæ:* in *Æmiliorum*, *Æmiliæ:* in *Pompejorum Pompejæ:* in *Liviorum*, *Liviæ*. & idcirco adhibebatur ad discernendum: Prima, Secunda, Tertia, Quarta. Sin vero duæ tantum Major & Minor, ut *Octavia Major: Octavia Minor*. Id autem cerni potest in epitaphiis antiquis: vel in his nostratibus, quæ paulo inferius asscribentur: vel in his, quæ ubique locorum reperiuntur. Quod autem casus ille genitivus ad maritum referatur, constat in inscriptionibus numismatum Imperatorum *Romanorum*, in quibus legitur. POMPEIA POM. F. CAESARIS DI. scilicet uxor ET CLAVDIA P. CLAVDII F. AVGVSTI. videlicet uxor, & similiter SCRIBONIA SCRIBONIS F. AVGVSTI & JVLIA CLADILLA. M. F. C. CAES. AVG. Adde VALERIA MESSALINA BARB. F. C. CL. IMP. ubi semper intelligitur conjunx. Hæc sunt quæ me ad hanc interpretationem inducunt: & quibus potissimum rationibus ad id existimandum trahor. Non vero tamen propterea integrum ac liberum esse suum cuique judicium.
44 De hac enim mea interpretatione judicet modo per me quisque ut lubet: & qui hanc meam non probat sententiam, sequatur suam.

De Volusio *poëta*.

Volusius quoque poëta *Patavinus* elegantissimus: ut tunc quidem erant poëtæ, qui patria relicta *Romæ* versabantur. Floruit sub *Augusto Cæsare:* & ad imitationem *Ennii annales Populi Romani* doctissimo carmine cecinit. Is *Catullo* poëtæ, & in amoribus, & in literarum studiis perquam æmulus fuisse perhibetur. Quocirca convitiis & maledictis frequenter se invicem lacessere, & crebros livoris morsus invicem infigere consueverant. *Catullus* ergo, ut invidiam suam aliqua cavillatione dilueret, *Volusium* suis epigrammatis malum poëtam appellitare solebat: non quod vere poëta malus esset: sed quod invidiæ & æmulationis livore, maledicendique studio accensus, ita de eo invidiose & falso fingeret. Fuit enim vates clarissimus, & ob elegantiam ingenii, relicta patria, *Romam* profectus, à Cæsare honorificentissime receptus est: & ab eo *Romanorum* gesta à primordio urbis decantanda suscepit. Quocirca ex eo magis atque magis Catullus *Carm.* 36. *vers.* 1. invidia stimulatus, quod is tanti viri judicio sibi in ea potissimum re præponeretur, & in Cæsaris amicitia præstaret: in ejus annales ingeniose, ac joco magis quam serio, & pro rei veritate mordaciter ludens invehitur. Ejusmodi autem carmen, uti valde lepidum, mihi visum est hic esse apponendum.

Annales Volusi cacata charta
Votum solvite pro mea puella.
Nam sanctæ Veneri cupidinique
Vovit: si sibi restitutus essem,
Dedissemque truces vibrare jambos,
Electissima pessimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.

Item alibi, ut ostenderet *Volusium* fuisse *Patavinum*, carpendo dicit,

At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Nihil mirum, si tam elegans poëta de rivali suo tam jocose hæc finxerit. Solet enim libidinis

A ardor, & zelotypiæ furor nihilo hebetiores stimulos maledicentiæ subjicere, quàm æmulatio virtutis. Hunc autem poëtam utrumque stimulabat: sed nihilo magis invido, maledicenti, quam amico laudanti credendum est. Fuit is quidem egregius poëta: & propterea sibi æmulus nunquam defuit, quum pari certe passu gloria & invidia virtutem semper & ubique sequi soleant. Quod autem hujus monumenta non extent, minime mirandum est, cum id acciderit multis aliis oratoribus, & poëtis illustribus: quorum apud nos, sicuti hujus modo *Volusii* nuda tantum restant nomina, scriptis jam prorsus cum
B ipsis auctoribus amissis. Etenim quæcunque de *Romanorum* gestis scripta à *Gothis* inventa fuerant, ut sæpe jam diximus, incensa & penitus deleta fuerunt. Idem ex maxima parte *T. Livio* & *Salustio* accidit. Idem prorsus *L. Lucejo*, à quo *Cicero* pro magno munere vehementer petierat se in ejus scriptis celebrari. Idem & aliis innumeris hujusmodi rerum scriptoribus contigit, quorum egregia monumenta ab ipsis Barbaris igni consumpta fuerunt.

De Q. Asconio Pediano.

C Ordo temporum requirit, ut de *Q. Asconio Pediano* dicamus: qui nobili genere *Patavii* natus floruit *Romæ Neronis* temporibus. Is grammaticus & historicus illustris fuit: scripsit enim historiam & commentarios in orationes *Ciceronis*, & multa alia stylo elegantissimo, sicuti ex fragmentorum libello cognosci potest: qui quidem mutilatus, & mancus apud *Constantiam* concilii tempore à *Poggio Florentino* primum repertus est: quem (ut erat semilacer & corruptus) ille in lucem edidit. Huic modo accessit superiori anno ejus *Vergiliana* quæstio, qua se exhibet *Vergiliani* 45
operis acerrimum defensorem. *Hadrianus* Cardi-
D nalis vir doctissimus, in annotationibus Latinæ linguæ asserit, hæc fragmenta multa scatere barbarie: non quod barbari quippiam ab ipso auctore fluxerit, qui in eo eruditissimo etiam tunc seculo eloquentissimus fuerat: sed potius ab aliquo insulso atque ineleganti grammatico, qui interpretis vice functus, inepta multa inculcarit: quæ postea una cum bonis auctoris verbis scripta fuerunt. De historia *Asconii* Plinius *lib.* VII. *de spatiis vitæ longissimis* ait. *Summulam quoque centum decem annis vixisse, auctor est Asconius Pedianus.* Aulus quoque Gellius *lib.* XII. *cap.* 28. de eodem ita refert. *Fenestellam errasse Pedianus Asconius ani-*
E *madvertit, quod scripserit sexto, & vigesimo ætatis anno M. Tullium pro Sexto Roscio dixisse. Asconius* tandem anno vitæ suæ septuagesimo tertio, captus luminibus, duodecim postea vixit annos summo semper in honore, & hominum gratia. Quo quidem tempore eleganter historias summa diligentia atque industria, superato & ætatis & oculorum impedimento, dictasse perhibetur: quæ postea malorum temporum injuria, ut pleraque alia sunt amissa. Hunc denique octuagesimo quinto exactæ suæ ætatis anno, sub *Vespasiano Augusto* anno III: & Salvatoris nostri LXXVIII. obiisse, auctor est *Eusebius*. Nunc
F vero an fuerit *Patavinus* si quis dubitet, legat titulos librorum novissime impressorum à *Paulo Manutio Aldi* filio, viro doctissimo, ac eruditissimo, ubi legitur *Patavinus*. Idem quoque asseverat Petrus Marsus *in expositione Silii Italici lib.* XII. Quin ipse quoque *Asconius* fere in calce orationis *Ciceronis* pro *Cornelio* de Majestate, id ipsum videtur innuere, cum dicat. *Sunt tamen qui eundem illum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus & Pomponius Atticus, Liviusque*

noster. Quasi dicat, noster civis. Sed ecce dum hæc solicite perquiro, forte fortuna ingens saxum in agro *Patavino* septimo ab urbe lapide offendi, magnis & antiquis notis insculptum: quod in præsenti magna cum existimatione domi servo, cum hac inscriptione:

C. S. F.
Q. ASCONIVS
GABINIVS MODESTVS
PRAETOR PROCOS.
PRAEF. AERARI SATVRNO
DEDIT.

Posset adhuc aliquis de hoc titulo dubitare: quare ibi in eo non legatur *Pedianus* id fuit ei fortasse cognomentum vulgare, à matre *Pediana* (ut solet evenire) sicut filius *Catonis* junior dictus fuit *Solonianus*, à *Solone* avo materno, ad differentiam alterius fratris prioris. Constat enim (ut paulo inferius dicam) *Pedianam* familiam fuisse *Patavinam:* ex qua sane *Q. Asconius* noster sortitus vulgo fuit cognomen *Pedianus:* quum tamen diceretur etiam *Gabinius*, *Modestus.* Multorum enim scriptorum testimonio comprobatur, antiquos hanc consuetudinem observasse, ut non duobus tantum cognominibus, sed & tribus aut pluribus vocarentur. Vel dicas quod si *Q. Asconius Modestus* iste alius fuerit ab illo *Pediano:* dicas etiam oportet, quod sicut (ut proxime dicetur) *Pediana* familia *Patavina* fuit, ita etiam *Asconia:* quum ejusmodi monumenta in *Patavinis* agris fuerint à *Q. Asconio* præfecto ærarii, ad posteritatis memoriam Saturno dicata.

De L. Pediano *Consule.*

Legimus *L. Pedianum* virum Consularem, aliquando *Romæ* & armis & literis, & honoribus admodum claruisse. Plinius enim *lib. x. cap.* 12. scribit, *urbem fuisse lustratam Sexto Popilio, & L. Pediano Consulibus. Silius* autem *Italicus* nobilis poëta, *libro* XII. eleganti carmine celebrat præclarissimum facinus *Pediani* juvenis *Patavini* apud *Cannas*, in illa infami strage *Romanorum*, *Æmilio Paulo* & *Terentio Varrone* Consulibus, ab *Hannibale* cum omni exercitu penitus profligatis. Quod carmen ob miram poëtæ elegantiam, & ob maximam laudem *Pediani*, & patriæ, huc neque vanum, neque superfluum duxi transferre, licet valde prolixum: quando de hoc nobis sermo est. Canit enim Silius Italicus *lib.* XII. *vers.* 212. carmina quæ sequuntur:

46

Polydamantæis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox, Trojanaque semina & ortus,
Atque Antenorea sese de stirpe ferebat,
Haud levior generis fama, sacroque Timavo
Gloria: & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, sua bella cieret:
Seu musas placidas, doctæque silentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores.
Non ullum dixere parem, nec notior alter
Gradivo juvenis, nec Phoebo notior alter.
Qui postquam effusis urgens vestigia frenis,
Pœnorum, juxta galeam atque insigne perempti
Agnovit spolium Pauli: puer illa gerebat
Non parvo lætus ductoris munere Cinyps
Dilectus Pœno Cinyps: quo gratior ora
Non fuit: ac nulla nituit plus fronte decoris.
Quale micat, semperque novum est, quod Tiburis aura
Pascit, ebur, vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab undis.
A *Quem postquam egregium cristis, & casside nota*
Fulgentem extremo Pedianus in agmine vidit:
Ceu subita ante oculos Pauli occurrisset imago
Sedibus infernis, amissaque posceret arma,
Invadit frendens: Tune, ignavissime, sacri
Portabis capitis, quæ non sine crimine vester
Invidiaque Deûm gestaret tegmina ductor?
En Paulus: vocat inde viri ad spectacula manes,
Et fugientis agit costis penetrabile telum.
Tum, delapsus equo, galeam atque insignia magni
Consulis abrumpit dextra, spoliatque videntem.
Solvitur omne decus leto, niveosque per artus
It stygius color, & formæ populatur honores.
B *Ambrosiæ cecidere comæ, violataque cervix*
Marmoreum in jugulum collo labente recumbit.
Haud secus Oceano rediens Cythereïus ignis,
Cum sese Veneri jactat splendore refecto:
Si subita invadat nubes, hebetatur, &, atris
Decrescens tenebris, languentia lumina condit.
Ipse etiam, capta, Pedianus, casside, nudos
Attonitus stupet ad vultus: irasque coërcet.
Tum galeam magno sociûm clamore reportans,
Immitem quatiebat equum: spumantia sævo
Frena cruentantem morsu: cui turbidus armis
Obvia Marcellus rapido tulit ora tumultu.
Agnoscensque decus: macte ò virtutis avitæ
C *Macte Antenoride, nunc, inquit, rapta petamus*
Quod superest, Libyci ductoris tegmina, & ardens
Terrificis sævam fundit stridoribus hastam.

Et cætera, quæ sequuntur omnia gloriose de *L. Pediano Patavino*, cum maximo decore patriæ decantata.

De L. Cassio *centurione.* 47

Neque hic *L. Cassii Patavini* illustris centurionis insignem maximeque memorabilem D animi fortitudinem reticendam censui: qui pro communi libertate asserenda, palam publiceque *Octavio Augusto* necem nihil veritus est comminari. Sic enim *Suetonius* de *Augusti* clementia memorabiliter refert. *Junium* (inquit) *Novatum, & Cassium Patavinum è plebe homines: alterum pecunia, alterum levi exilio punire satis habuit. Cum ille sub Agrippæ juvenis nomine asperrimam de eo epistolam in vulgus edidisset, hic autem pleno convivio proclamasset: neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum.* Hæc ille. *Cassium* item militem ob insigne corporis robur astare solitum *Neroni* ad custodiam corporis *Cornelius* E *Tacitus* memorat *lib.* v. *Cassium* præterea tribunum plebis cum exercitu in ulteriorem *Hispaniam* cum Cæsare profectum, in commentariis Cæsar ipse *de bello civili libro* II. refert. Nos de hoc nihil aliud habemus, quod dicamus: propterea ad alios transeamus.

De Borisco *tribuno militari.*

Celebratur quoque inter antiquos *Boriscus Patavinus* insignis *Romanorum* tribunus: qui in bello civili *Sertorium Lusitanorum* ducem secutus, multa una secum terra marique pericula perpessus F est: utpote qui ei in omni fortuna, tam adversa, quam prospera, & in omnibus bellis primus tribunus, & fidus comes semper adhæserit. Tandem in prælio adversus *Pompejum* in *Iberia*, acriter dimicando, à *Catilina* occisus est: de quo poëta Pontanus *in dialogis* ita refert:

Tum vero turbata phalanx, cedente Borisco,
Quem clypeo exutum, & galea Catilina premebat.
Sylanum genus, & rara virtute tribunus,
Vociferans: en qui Hesperiam sua præmia poscunt
Ocea-

Oceano, & regnare parant? simul exigit harpen
Ore tenus, dictisque ferox insultat amaris:
Hesperiam, quam quæris, habes: Patavina colebas
Rura miser, nunc auratis occumbis in armis.

De Cæcinna Pæto.

Cæcinna quoque *Pætus* & ipse *Patavinus*, ex nobili familia natus, habitus est in omni virtutum genere præstantissimus: qui post summos quosque magistratus laudabiliter administratos, ac denique post consulatum præclare gestum, redditus tandem pro communi patriæ libertate *Claudio* Cæsari infensus, in *Illyricum* secutus est partes *Furii Camilli Scriboniani Dalmatiæ* legati: qui à legionibus, quæ sacramentum mutaverant, ad pœnitentiam metu religionis conversis derelictus, intra quintum diem à Cæsarianis militibus oppressus est, ac miserabiliter occisus. *Pætus* vero *Romam* tractus à *Claudio* Cæsare ob eam defectionem morti destinatus, ab *Arria* uxore (ut mox infra dicetur) & verbis, & exemplo gloriose mori edoctus est. Nam data ei electione necis, constantissime gladio ipso, quo prius uxor, seipsum transfodit. De hoc *Pæto Cornelius Tacitus* eadem fere, atque alia multa tanto viro digna in suis commentariis copiose describit.

De Arria Cæcinnæ Pæti *uxore.*

Arria hujus *Cæcinnæ Pæti* uxor prudentissima fœmina, & ipsa *Patavina*, secuta primo maritum in *Dalmatiam*, eundem postmodum *Romam* ad necem pertractum nunquam deseruit. De hac ipsa *Arria* Plinius *epistola ad Nepotem libro tertio* multa memoratu digna refert, quæ huc honoris causa censui transferenda. Ait enim se notasse facta dictaque virorum, fœminarumque alia clariora esse, alia majora: confirmatamque opinio-
48 nem suam fuisse hesterno *Fauniæ* sermone, neptis *Arriæ* istius: quæ marito & solatium mortis, & exemplum vitæ fuit. *Multa* (inquit) *referebat hæc Arriæ suæ, non minora hoc, sed obscuriora: quæ tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. Ægrotabat Cæcinna Pætus maritus ejus: ægrotabat & filius: uterque mortifere, ut videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia charus, quam quod filius erat. Huic ita funus paravit, ita duxit exequias, ut ignoraret maritus. Quinimo quoties cubiculum ejus intraret, vivere filium, atque etiam commodiorem esse simulabat: ac persæpe interroganti quid ageret puer? respondebat, bene quievit, libenter cibum sumpsit. Deinde cum diu cohibitæ lachrymæ vincerent, prorumperentque, egrediebatur, & tunc se dolori dabat: satiata siccis oculis, composito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset. Præclarum quidem illud ejusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem & porrigere marito: & addere vocem immortalem ac pene divinam. Pæte non dolet. Sed tamen ista dicenti, ac facienti gloria & æternitas ante oculos erant. Quanto majus est sine præmio æternitatis, sine præmio gloriæ abdere lachrymas, operire luctum, amissoque filio matrem adhuc agere? Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Pætus in partibus, qui, occiso Scriboniano, Romam trahebatur. Erat ascensurus navem, Arria milites orabat, ut simul imponeretur. Nempe (inquit) daturi estis consulari viro servulos aliquos, quorum è manu cibum capiat, à quibus vestiatur, à quibus calceatur: omnia sola præstabo. Non impetravit: conduxit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo secuta est. Eadem apud*
A *Claudium uxoris Scriboniani: cum illa profiteretur judicium. Ego (inquit) te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est: & vivis? Ex quo manifestum est, ei consilium mortis non subitum fuisse. Quin etiam cum Thrasea gener ejus precaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset, tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum? Respondit, si tam diu tantaque concordia vixerit tecum, quanta ego cum Pæto, volo. Auxerat hoc responso curam suorum, attentiusque custodiebatur. Sensit & nihil agitis, inquit. Potestis enim efficere, ut male moriar: at ne moriar, non potestis. Dum hæc dicit, exsilivit cathedram, adver-*
B *soque parieti caput, ingenti impetu impegit & corruit. Refocillata dixeram (inquit) vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam: si vos facilem negassetis. Videnturne hæc tibi minora illo? Pæte non dolet: ad quod hoc perventum est. Cum interim illud quidem ingens fama: hæc nulla circumfert. Unde colligitur quod in initio dixi, alia esse clariora, alia majora.* Hactenus gloriose *Plinius* de hac *Arria:* quo nihil posset de fœmina dici gloriosius. Hæc ergo ubi damnatum virum suum esse præsensit, ac ei delectum necis datum, adiit ipsum quasi consolatura, quem adhortata ad fortiter moriendum, Vale dicens: gladio quem ab-
C ditum gerebat, in conspectu mariti, pectus suum confodit, eundemque è vulnere extractum, porrigens marito, hanc memorabilem vocem emisit moriens: *Vulnus quod feci Pæte non dolet: sed quod tu facies.* Unde Valerius Martialis ait: *lib. 1. Epigr. 14.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

De Thrasea Pæto.

D Commemorandus est nobis hic modo inter illustres *Patavinos*, vel in primis *Thrasea Pætus*, *Cæcinnæ Pæti* & *Arriæ* gener: vir eloquentia, sapientia, moribus, gravitate, gratia, cum *Romæ*, tum in patria, & ubique terrarum illustrissimus: & ea auctoritate præditus, quanta vix alter in Republica *Romana* administranda unquam fuerit. Is multa quidem sapienter & dixit, & scripsit. de quo C. Plinius Junior *lib. nono epistolarum ad Geminum* ita scribit: *Mandemus memoriæ interim, quod vir invictissimus, & ob id quoque maximus, Thrasea crebro dicere solebat: Qui*
E *vitia odit, homines odit.* Et *lib. sexto ad Quadratum,* dicit: Thraseam præcipere solitum, suscipiendas esse causas, aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. Cur ami- 49
corum? non eget interpretatione: quod scilicet ex lege gratiarum, amicorum omnia sunt communia. Cur destitutas? quod in illis maxima constantia agentis & humanitas cernitur. Cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum refert bonum an malum ducem habeant: frequenter enim causæ vitio patronorum vincuntur. Ad hæc genera causarum, ambitiose fortasse addam tamen claras & illustres. Æquum est enim de-
F ferre nonnunquam gloriæ & famæ. Hæc ipsa Plin. De ejusdem eloquentia quoque Cornel. Tacitus *lib. v. De tollenda ambitiosa gratiarum actione à provinciis*, differens, ita scribit: *Quam occasionem Thrasea Pætus ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat provincia Creta depellendo, hoc addidit: Usu probatum Patres conscripti leges egregias, exemplo honestas, apud bonos, ex factis dictisque malorum gigni. Sic oratorum licentia Linciam rogationem: candidatorum ambitus Julias leges:*

ges: magistratuum avaritia Calphurnia Scita peperunt. Nam culpa, quam pœna, prior est: emendari, quam peccare posterius. Ergo adversum novam provinciæ superbiam, dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelæ sociorum nihil derogetur, & à nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in judicio civium esse. Olim quidem non modo Prætor, aut Consul, sed privati etiam nitebantur, qui provincias viserent, & quid de cujusque obsequio videretur, referrent. Trepidabant olim gentes de æstimatione singulorum: at nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptius accusatio describitur. Decernatur & maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostendendi: sed laus falsa & precibus expressa perinde cohibeatur, quam malitia, quam crudelitas. Plura sæpe peccantur dum demeremus, quam dum offendimus. Quædam vero virtutes odio sunt: ut severitas obstinata, invictus adversus gratiam animus. Inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme. Sed finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquærimus. Quæ si arceantur, æquabilius atque constantius provinciæ regerentur. Nam ut metu repetundarum infracta avaritia est: ita vetita gratiarum actione ambitio cohibetur. Magno assensu Senatus celebrata sententia est. Hæc ad verbum Tacitus ibi. *Lib.* etiam III. dicit, *cætera per omnes Imperii partes perinde egregia, quasi non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret.* Et *libro* IV. scribit, *Thraseæ libertas servitium aliorum rupit.* Quin etiam scribit, *Neronem Thraseæ* venerabilem speciem ultro extimuisse: nec vultum, nec spiritum & libertatem visendis ferre potuisse: & propterea absens per *Marcellum Epyrum* accusatorem, damnationis negotium ad patres detulisse. Insuper etiam tantæ existimationis fuisse dicit apud eundem *Neronem* (etsi graviter ei infensus foret) ut aliquando cuidam multa de *Thrasea* in *Neronis* gratiam criminose jactanti atque dicenti, causam ab eo perperam esse judicatam: obstitisse *Neronem*, atque exclamasse palam: *Utinam me tam Thrasea diligat, quam est judex justus & rectus.* Atque sic hostis, hosti testimonium perhibuit de fama periclitanti. Tanta & tam constans erat tunc omnium opinio de *Thraseæ* probitate. De hujus autem *Thraseæ* exitu, idem Cornelius Tacitus *lib.* VI. honorificentissime loquitur. *Nero,* inquit, *trucidatis tot insignibus viris, ad postremum virtutem ipsam excindere concupivit, interfecto Thrasea Pæto, & Barea Sorano: olim utrisque infensus, accedentibus his causis, quod Thrasea Senatu egressus est, cum de Agrippina ferretur, ut dies natalis ejus inter nefastos esset. Quodque juvenili ludicro parum spectabilem operam præbuerat. Atqui ea offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis Cetastis à Trojano Antenore institutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque quo Prætor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit, obmutuitque. Et cum deinde honores Popeæ uxori decernerentur, sponte absens, funeri non interfuit.* Idem alia multa frivola & vana objiciebantur, quæ ibidem prosequitur *Tacitus*, hic à nobis brevitatis causa omissa. Huic *Helvidius Priscus Fanniæ* filiæ maritus, gener fuit: de quo multa idem Cornelius *lib.* X. honorificentissime memorat. *Thrasea* ergo vir Consularis, & quindecimviralis, ac sacerdotio præditus, dum immeritæ necis judicium præstolaretur, vesperascente die intra illustrium virorum ac fœminarum cœtus, cum
50 *Demetrio* chirurgicæ doctore, de natura animæ, & dissociatione spiritus & corporis tantisper disceptavit, donec advenit *Domicius Sicilianus*, & ei quid Senatus *Romanus* in gratiam *Neronis* sta-
A tuisset, exposuit: datum scilicet sibi esse necis arbitrium: mortemque maturandam indicit. *Thrasea* tunc eodem vultu, & nihil prorsus immutatus, vale dixit omnibus: & qui aderant ex intimis amicis, flentes & ejulantes facessere inde propere monet, ne se quoque in tanto periculo forte miscerent. *Arriæ* vero uxori interim paranti ad exemplum *Arriæ* matris suprema mariti fata sequi: summa constantia, fletum compescens, suadet retinere vitam, & *Fanniæ* communi filiæ subsidium unicum, quod in matre restabat, non adimere. Tunc progressus in porticum, lætitiæ propior videbatur, quod in his malis audierat
B *Helvidium Priscum Tarentinum* generum suum non commori secum: sed *Italiæ* tantum exilio multatum esse. Itaque mox *Helvidium* ipsum, & *Demetrium* Chirurgum, quem in omnibus sibi obsequentissimum habebat, in cubiculum seorsum ducit: à quo præcissis utriusque brachii venis, & effuso abundantius cruore, *Libamus*, inquit, *Jovi deliberatori.* His peractis, haud multo post afflictus aliquandiu gravissimo cruciatu, nulla impatientiæ voce emissa, extinctus est. Fuit hic *Thrasea Annæo Senecæ*, & vitæ disciplina, & mortis genere, & animi constantia, & Stoicæ institutionis studio, & morum denique similitudine
C arctissime copulatus. Quocirca idem *Tacitus Neronem* apud *Senecam* se aliquando jactasse dicit, quod sibi *Thrasea* conciliatus fuerat, atque *Senecam* eidem *Neroni* propterea gratulatum. Unde & gloria egregiis viris, & pericula indies pariter gliscebant: donec ambo eodem necis genere summa cum laude interierunt. Hæc fere ex multis, quæ de *Thrasea* gloriose scripsit *Tacitus*, excerpta sunt, & hic à me veluti in acervum brevissime cumulata. De hoc *Thrasea Martialis* quoque dum *Domitiani* dogma laudat, ita canit: *Lib.* I. *Epigr.* 9.

D *Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis*
Dogmata sic sequeris: salvus ut esse velis.

Item Martial. *Lib.* IV. *Epigr.* 54. de magna hujus viri constantia, dicit:

Divitior Crispo Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido, sis Meliore licet.

Domitianus Cæsar quoque (ut refert *Suetonius*) *Junium Rusticum*, quod *Pæti Thraseæ*, & *Helvidii Prisci* laudes edidisset, appellassetque eos viros sanctissimos, una cum cæteris philosophis hujus velut criminis occasione, urbe, *Italia*que submovit: tantæ fuerant invidiæ, etiam Cæsaribus,
E *Pæti Thraseæ Helvidii*que *Prisci* virtutes.

De Arria *Juniore*, & Fannia *ejus filia.*

A*rria* quoque altera fuit uxor *Thraseæ* hujus constantissima fœmina, ex qua *Fannia* communis filia, & *Helvidii Prisci* conjunx, matri aviæque non dissimilis: ambæ Cæsaribus suspectæ, & à *Tiberio Nerone* urbe *Italia*que interdictæ, in exilium actæ, extorres usque ad *Domitiani* Cæsaris obitum mansere: quas postmodum summa omnium lætitia restitutas, *Plinius* junior in Senatu acerrime tutatus est: & *Helvidium* in-
F juste occisum, summa cum laude, & maximo patrum assensu cunctis probavit: & de accusatoribus iniquissimis acerrime ultus est, & egregium edidit super hac *Helvidii* ultione libellum. De hac ipsa re in epistolis passim *Plinius* mentionem facit: præsertim *libro nono Epistolarum ad Quadratum:* & *septimo ad Genitorem*, atque ad *Priscum*: ubi utramque *Arriam* miris laudibus in cælum tollit. Quam epistolam, quia est honoris & dignitatis plena, & innumeras *Fanniæ* laudes con-

continet, totam huc merito transferendam putavi, ut quanti fecerit has duas mulieres, *Plinius* vir doctissimus, aperte quilibet agnoscere possit. *Angit* (inquit) *me Fanniæ valetudo: contraxit hanc, dum assidet Juniæ virgini, sponte primum, (est enim affinis) deinde etiam ex auctoritate Pontificum. Nam virgines cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur. Quo munere Fannia dum sedulo fungitur, hoc discrimine implicita est. Insident febres, tussis increscit, summa macies, summa defectio: animus tantùm & spiritus viget, Helvidio marito, Thraseaque patre dignissima. Reliqua labantur,*
51 *neque non metu tantum, verum etiam dolore conficiunt. Doleo enim maximam fœminam eripi oculis civitatis: nescio an aliquid simile visuris. Quæ castitas illi? Quæ sanctitas? Quanta gravitas? quanta constantia? Bis maritum secuta est in exilium: tertio ipsa propter maritum relegata. Nam cum Senitio reus esset, quod de vita Helvidii libros composuisset: rogatumque se à Fannia in defensione dixisset: quærente minaciter Mettio Cato: an rogasset? Respondit: Rogavi, an commentarios scripturo dedisset? Dedi. An sciente matre? Nesciente respondit. Postremo nullam vocem cedentem periculo emisit. Quin etiam eos ipsos libros, quanquam ex necessitate, & metu temporum abolitos Senatusconsulto publicatis bonis servavit, habuit, tulitque in exilium exilii causam. Eadem tam jucunda, tam comi, tam denique (quod paucis datum est) non minus amabili quam veneranda nobis sublata, eritne quam postea uxoribus nostris ostentare possimus? erit à qua nos viri quoque fortitudinis exempla sumamus? quæ sic cernentes, audientesque miremur, illa, quæ de ea leguntur? At mihi domus ipsius nutare, convulsaque sedibus suis ruitura videtur: licet adhuc posteros habeat. Quantis enim virtutibus, quantisque factis assequemur, ut hæc non novissima occiderit. Me quidem illud etiam affligit, & torquet: quod matrem ejus illam (nihil possum illustrius dicere) tantæ fœminæ matrem, rursus videor amittere, quam hæc, ut reddit, ac refert nobis, sic auferet secum, meque novo pariter, & rescisso vulnere afficiet. Utramque colui, utramque dilexi, utram magis nescio: nec discerni volebant. Habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in adversis. Ego solatium relegatarum: ego ultor reversarum. Non feci tamen paria: atque hanc magis cupio servari, ut mihi solvendi tempora supersint: In his eram curis cum scriberem ad te, quas si Deus aliquis in gaudium verterit de metu non quærar. Vale.* Hæc de *Fannia* & de *Arria* matre *Plinius*, tam honorifice, tam gloriose, ut quid possit de fœmina laudabilius dici, aut gloriosius scribi, non plane videam.

Habetur *Venetiis* in tabula marmorea consecrata in æde sanctæ *Mariæ* Matris domini pro Ara maxima, eo (ut arbitror) *Patavio* transvecta, magnis, & formosissimis characteribus ita insculpta.

ARIAE Q. F. SERENAI
APOLLONIVS LIB. ET
SIBI

De altero Pæto *consule designato.*

Fuit & alter *Pætus* ex eadem gente illustris, qui consul designatus *Patavii* in patria sepultus est: in cujus memoriam devotus *Popilius Pætus* frater consecravit *Mercurio* sacellum cum hoc epitaphio: quod visitur *Patavii* in ædibus *Cartulariorum* apud divum *Thomam* Apostolum.

MER. S.
D. POPILIVS PAETVS GN. LABE. F.
PAETO COS. DESIG. FRATRI
SVO B. M. F.

HVNC SOMNO AETERNALI
PATRIA RETINET.

De alio quoque Pæto. 52

Alium quoque *Pætum* virum honoratissimum, & correctorem *Italiæ* fuisse nuper accepimus, ex antiqua ingentissimi saxi inscriptione: quæ licet aliquantisper diminuta fuerit, conjectura tamen facile intelligitur. Hic lapis hoc anno apud sanctam *Julianam* effossus est, in ædibus *Horatii Sorelli* sacerdotis, his incisus notis.

AETERNO IMPERATORI NOSTRO
MAXIMO, OPTIMO'QVE PRINCIPI
AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO
PIO FELICI INVICTO
AVGVSTO
PAETVS HONORATVS...VIR
CORRECTOR ITAL.
NVMINI EIVS DICATISS.

De Serrana Procula.

Floruit etiam ea tempestate inter illustres fœminas *Serrana Procula*, quam *Plinius Junior* in laudem *Patavinarum* mulierum, & in præcipuum probitatis exemplum commemorat in *Epistol. libro primo ad Junium*, commendans ei *Minutium Cæcilianum*, ubi hæc refert. *Patria*, inquit, *est ei Brixia, ex illa nostra Italia, quæ multum adhuc verecundiæ, & frugalitatis antiquæ retinet, ac servat: Pater Minutius Macrinus, equestris ordinis Princeps: qui nihil altius voluit, electusque à divo Vespasiano inter prætorios, honestam quietem, huic nostræ ambitioni dicam? an dignitati? constantissime prætulit. Habet Aviam maternam Serranam Proculam è municipio Patavino. Nosti loci mores: Serrana tamen Patavinis quoque severitatis exemplum est. Contigit & Avunculus ei P. Acilius, gravitate, prudentia: fide prope singulari.* Hæc *Plinius*, & de mulierum *Patavinarum* præstantia, & de *Serranæ Proculæ* probitate, quam honorificentissime.

De Sabina Athestina

Sabina Athestina fœmina doctissima, ex *Atheste* municipio *Patavino* hic pertranseunda non est: quæ extitit, tum sanctitate morum, tum disciplina literarum illis temporibus maxime illustris: & ob eximium ejus in omnium scientiarum studium, & præsertim poësis, *Valerio Martiali* poëtæ admodum nota, atque in maximo semper pretio habita. Quocirca ei ante omnes librum nonum suorum Epigrammatum recognoscendum transmisit, cum hoc eleganti *epigrammate 93. lib.* x. Ad *Clementem* poëtam *Patavinum* ejus fortasse maritum.

Si prior Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis.
Perfer Athestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo suta toga,
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo,
Sic nova nec mento sordida charta juvat.

53 *De* Corellio *equite* Romano.

Claruit ex eodem municipio *Patavino Corellius* eques *Romanus:* qui à Plinio secundo *Naturalis historiæ lib.* æque *secundo*, *cap.* XVII. memoratur fuisse primus, qui adinvenit optimum genus insitionis castanearum, eisque dedisse nomen, ut à *Romanis* ejusmodi castaneæ *Corellianæ* dicerentur. *Plinii* verba hæc sunt: *Non est dimittenda veritas unius exempli. Corellius eques Romanus Atheste genitus inseruit castaneam suometipso surculo in Neapolitano agro: hinc facta est castanea, quæ ab ipso nomen accepit, inter laudatas. Postea hæres ejus libertus Corellianam iterum inseruit. Hæc est inter eas differentia. Illa copiosior, hæc Corelliana melior.* Et alibi de castaneis *libro* XV. *capite* 23. *Tarentina*, inquit, *minus tractabilis*, *laudabilior Corelliana.* Hæc ille.

De L. Arruntio Stella, *viro consulari*, & *poëta.*

Lucius Arruntius Stella Patavinus vir consularis, ex familia illustri genitus, servato à majoribus ordine, perpetuam dignitatem retinuit. Fertur is in vita sua omnium fortunatissimus fuisse, utpote ditissimus & insignis poëta, qui in tantis virtutibus, & in tanta felicitate fortunæ, illo præsertim tempore detractorem aut æmulum nactus est neminem, ut olim ante eum *Volusius*, sed potius ingentes laudatores & amicos. Neque ab irato principe necis exiliique perpessus est pœnam, ut *Cassius*, ut *Cæcinna*, ut *Thrasea*, & alii permulti egregii viri illius tempestatis: sed divitiis & honoribus indies magis ac magis auctus. Quin etiam *Violantillæ* illustris fœminæ optatæ conjugis matrimonio potitus, nobilium amicorum frequentia, & illustrium vatum carminibus vehementer celebratus est. Verum in tanta felicitate vitæ ob amissa postmodum ingeniii sui monumenta, nunc post mortem inter infelicissimos vates, meo sane judicio, censeo annumerandum. *Papinius* autem *Statius* tanti hujus *Stellæ* fecit ingenium & eruditionem, ut non dubitaverit, ei sua poëmata, tanquam principi maximo nuncupare, & ejus laudes carminibus, & epistolis ubique impensius celebrare. Nam in principio statim operis Sylvarum in sua nuncupativa epistola, sic ait: *Diu multumque dubitavi, Stella juvenis optime, & in studiis nostris eminentissime, qua parte voluisti.* Et reliqua, quæ ibi in ea præfatione de eo valde honorifice protulit. Cecinit idem *Papinius* epithalamium *Stellæ* & *Violantillæ*, elegantissimo carmine: quam *Græco* nomine vel à *Stella* marito, vel fulgore astrorum Asteridem appellavit. Quantum autem præstiterit in urbe *Stella* divitiis ac dignitatibus, ita elegantissime decantat, dicens: *Sylv. lib.* I. *vers.* 71.

Est juvenis, quem patriciis majoribus ortum
Nobilitas gavisa tulit: præsagaque formæ
Protinus è nostro posuit cognomina cælo.

Hanc vero *Violantillam* Martialis *libro sexto Epigr.* 21. appellavit *Hianthida* Nam violæ flos, hoc nomen Græce sonat. Sic enim dicit:

Perpetuam Stellæ dum jungit Hianthida Vati
Læta Venus, dixit: plus dare non potui.

Rursus *libro septimo Epigr.* 13. *de columba*, quam deflevit, quam *Hianthis* fleverat, ita scribit:

Vel Stellæ cantata meo, quam flevit Hianthis
Cujus in Elysio nigra columba volat.

Fuit *Stella* primo prætor, deinde duumvir, postea à *Nerone* auctore *Tacito*, ludis insignibus, quæ maxima pompa parabantur, ex omni nobilitate præfectus: & uni illi omnis eorum cura commissa. Denique sub *Domitiano* factus est etiam consul, ex quo magnam gratiam, & maximam suæ virtutis gloriam reportavit. Delectatus est *Stella*, præ cæteris illius ætatis hominibus pretioso vestitu, ac cætero cultu corporis valde nitido & pervenusto: ut inter patricios & consulares haberetur omnium splendidissimus. Utrunque *Valerius Martialis lib.* V. *Epigr.* 11. comprehendit his quatuor versibus ad *Severum:*

Sardonicas, Smaragdos, Adamantes, Jaspidas uno 54
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis: plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

De consulatu autem *Stellæ*, idem *Martialis* librum suum duodecimum *Epigr.* 3. ita alloquens dicit:

Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis iô Romam nunc peregrine liber.

Postea addit:

Vel si malueris prima gradiare Suburra:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates,
Clarus Hiantheæ Stella sititor aquæ.

Hic autem poëta multa scripsit elegantissime, quorum (proh dolor) nihil extat, quod sciam, nisi tantum nominis gloria. Cecinit in laudem Columbæ, quam *Violantilla* habuit in delitiis: & illius fatum deflevit præstantissimo carmine: quod *Martialis Catulliani* passeris comparatione ita commendat: ut longe etiam præstare confirmet. Ait enim: *lib.* I. *Epigr.* 8.

Stellæ delicium mei columba
(Verona licet audiente dicam)
Vicit, Maxime, passerem Catulli:
Tanto Stella meus tuo Catullo:
Quanto passere major est columba.

Decantavit insuper longos amores *Violantillæ*, quam postea (ut diximus) impetratis nuptiis in uxorem duxit. Cecinit quoque Elegias: & celebravit carmine Heroico *Domitiani* Cæsaris victoriam: quam ille de *Sarmatis* feliciter reportavit. Præterea ludos celeberrimos ob eam victoriam in honorem *Domitiani*, maxima pompa, & incredibili sumptu exhibuit populo *Romano.* Quod poëma, & quam magnificentiam ludorum, supra memoratus Martialis *lib. octavo Epigr.* 78. in nostri *Stellæ* laudem hoc elegantissimo epigrammate vehementer extollit.

Quos cuperet phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyee, tuos:
Fecit Hiperborei celebrator Stella triumphi;
O pudor! ò pietas! & putat esse parum.
Non satis est illi turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat; & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessara larga feras.
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos, ne laceretur avis.
Quid numerem currus, ter denaque præmia palmæ,
Quæ dare non semper consul uterque solet.
Omnia sed Cæsar tanto superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus habet.

Quod autem *Stella* fuerit oriundus *Patavio*, *Martialis* idem refert, cum scribat *Aponi* pagum: qui est juxta *Patavium* non minori esse censendum

dum pretio ob natales *T. Livii*, *Stellæ*que ac *Flacci*, quam *Tibullo Veronam*: & *Vergilio Mantuam*. Sic enim ſcribit *libro primo ſuorum epigrammatum. Epigr.* 62.

Verona docti ſyllabas amat vatis:
Marone felix Mantua eſt:
Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

Huic noſtro poëtæ, ex communibus ſtudiis magna cum *Julio* ſecundo interceſſit amicitia: & cum *Valerio Martiale*: atque cum *Statio Papinio* etiam maxima. Claruit autem per ea maxime tempora, quibus *Flavii* Cæſares *Romæ* imperabant, utrique gratiſſimus.

55 *De* C. Valerio Flacco Setino.

Qui *Valerio Flacco* poëtæ noſtro *Setiam* oppidum *Campaniæ* patriam fuiſſe credunt: ſequuntur illi quidem conjecturam cognominis *Setini*: quaſi id patriæ ſuæ nomen ſit, non familiæ. Atqui ſane falluntur maxime. Conſtat enim eum fuiſſe *Patavinum*, vel ex hoc epigrammate Valerii Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 77. ubi cum eo dolens conqueritur nullum ſua ætate neque honorem, neque præmium muſis eſſe: Sed pro tribunali in foro, & in judiciis hæc tantummodo acquiri poſſe dicens.

O mihi curarum pretium non vile mearum
Flacce Antenorei ſpes & alumne laris:
Pierios differ, cantuſque, choroſque ſororum:
Aes dabit ex iſtis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ,
Hæc ſapit, hæc omnes fœnerat una Deos.
Quid poſſent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & ſerta, lyraſque Deorum
Nil habet: & magnum ſemper inane, ſophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius, divitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra,
Et ſteriles Cathedras, baſia ſola crepant.

Hic *Flaccus* inter eos poëtas, qui Heroica decantaverunt, fuit judicio omnium admirandus: ſi ſpectes quanto is ſpiritu, & quanta felicitate in ſcribendo carmine cæteris præſtet. Hic eſt *Flaccus* cujus præmaturum obitum dolet *Quintilianus Lib.* x. ubi claros oratores commemorat, dicens. *Multum nuper in Flacco amiſimus.* Hunc ergo futurum magnum etiam oratorem, ne dum poëtam illuſtrem *Quintilianus* haud falſo conjecerat. De hoc *Valerio Flacco*, *Tortelius* ingenii æſtimator eximius, ubi de *Argonautis* ſcribit: ita honorificentiſſime loquitur. *Clariſſimus ille poëta Valerius Flaccus divino carmine rem omnem Argonautarum explicuit.* Extant autem illius præclari operis libri octo ad redditum uſque Heroum: reliqui vero, vel amiſſi caſu: ut multis accidit, vel poëtæ morte intercepti ſunt. Scripturus erat multo plures libros, & majora poëmata niſi mors intempeſtiva illum nobis eripuiſſet. Videtur autem in his quæ ſcripſit *Appollonium Rhodium*, non tantummodo argumento operis: verum ipſis etiam carminibus expreſſiſſe. Opus ſuum alii conjiciunt dedicatum fuiſſe *Domitiano* Cæſari: alii vero *Veſpaſiano* Patri: cum *in præfatione ipſius operis* dicat.

Eripe me populis, & habenti nubila terra
Sancte pater. &c.

A Conſtat mediocri cenſu, ac tenui patrimonio fuiſſe: & *Romæ* prædiolum ſuburbanum exiguum poſſediſſe: in quo Muſarum curas deponere ſolitus fuerat. Huic puer maxime gratus fuit: qui *Amazonicus* dicebatur. Hujus formam, & indolem, atque venuſtatem laudat *Martialis* eleganti epigrammate. Amicos habuit multos, ſed præcipuos *Stellam* conterraneum: & *Julium ſecundum*, & *Maternum*, & *Quintilianum*. *Martialem* vero præ cæteris conjunctiſſimum, & intimum, ut ex plurimis ejus epigrammatis plane conſtat.

B *De* Maximo Olibio.

Quis ſane mentis *Maximum Olibium* connumerandum hic eſſe neget, atque à nobis inter *Patavinos* cenſendum? quem conſtat fuiſſe virum maximæ præſtantiæ, & ſummo ingenio præditum: quandoquidem tam admirabili arte Lucernam concinnaverit, ut perpetuo fulgore lucens mille, & quingentos annos plus minus, *Plutoni* dicata ſub terram accenſa permanſerit. Nam annum circiter milleſimum quingenteſimum noſtræ Salutis juxta *Atheſtem* municipium *Patavinum*, dum foderetur à ruſticis terra ſolito altius C reperta eſt urna fictilis, & in ea altera urnula, in 56 qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas: quarum altera erat aurea, altera argentea, puriſſimo quodam liquore plenas. cujus virtute lucerna illa per tot annos arſiſſe creditur, & niſi retecta fuiſſet, perpetuo arſura. In urna majori hi verſus legebantur:

PLVTONI SACRVM MVNVS NE ATTINGITE FVRES:
IGNOTVM EST VOBIS HOC, QVOD IN ORBE LATET.
NAMQVE ELEMENTA GRAVI CLAVSIT DIGESTA LABORE,
D VASE SVB HOC MODICO MAXIMVS OLIBIVS,
ADSIT FOECVNDO CVSTOS TIBI COPIA CORNV,
NE PRETIVM TANTI DEPEREAT LATICIS.

In altera vero minori urna legebantur hæc carmina:

ABITE HINC PESSIMI FVRES:
QVID VOSTRIS VOLTIS CVM OCVLIS EMISSITIIS?
E ABITE HINC VESTRO CVM MERCVRIO
PETASATO, CADVCEATOQVE:
DONVM HOC MAXIMVM MAXIMVS OLIBIVS
PLVTONI SACRVM FACIT.

Legitur de hac re Franciſci Maturantii Peruſini viri eruditiſſimi *epiſtola ad Alphenum* amicum ita dicentis:

Nihil ex omni antiquitate vidiſti mirabilius mi Alphene, in vaſe illo interiori, lucerna fuit fictilis, miræ pulchritudinis, lumine tot ſeculis inextincto, ſuper eam duæ ampullæ parvulæ. Aurum in altera, F *in altera argentum fuit: utrumque liquidum, ut ex ramentis cognoſcitur: primarium argentum, aurum vero obrizum. Ego chimiæ artis (ſi modo vera poteſt eſſe ars chimia) jurare auſim elementa, & materiam omnium. Vas utrumque cum epigrammatibus. Lucerna, ampullæ aureæ,* OLIBII *munera ad me venere: & penes me ſunt. Quas ſi videas, obſtupeſcas. Ego eas cum mille aureis non ſum commutaturus. Vale.*

CLAS-

57

CLASSIS IV.

DE ANTIQUIS NOTIS PRISCARUM Inscriptionum in urbe, & territorio Patavino repertis.

PRÆFATIO.



IRVM sane, ac pene incredibile videri potest, in tanto numero virorum, quos Patavii illis temporibus floruisse memoriæ proditum est, reperire modo tam paucos immortalitatis nomini commendatos. Constat enim (ut paulo ante diximus) Strabonis testimonio, Patavii censos fuisse aliquando quingentos equites, & Patavinam Rempublicam centum & viginti millia militum in bella misisse. Atqui de Patavinis illud Horatianum lib. IV. Carmin. Od. IX. vers. 25. merito dici potest.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illachrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte; carent quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Contigit autem per ea tempora Patavio nostro, quod & cæteris item civitatibus Italiæ, quando optimates cujusque civitatis cuncti fere Romam (quæ caput orbis erat) uti ad communem patriam undique confluebant: qui admissi in senatum, & ad summos quosque magistratus evecti, omnes postmodum in historiis pro Romanis ubique referuntur. Et ob id (ut dicit noster Asconius in oratione pro Cornelio) magna pars eorum pro civibus Romanis se gerebant. Habebant ii quidem (ut Cicero describit) duas patrias, alteram ubi nati, alteram ubi diutius educati, & honorati fuerant: quam natali pene solo potiorem esse ducebant. Ita Cato ille sapiens non Romæ sed Tusculi natus est: & Salustius Amiterni: Marius, & Cicero Arpini. & innumeri pene alii, qui aliunde geniti Romæ tandem floruere: & à posteris pro Romanis habiti sunt. Quamobrem haud ab re fore duxi ascribere his commentariis nostris epitaphia, antiquis priscorum notis insculpta: & simul veteres inscriptiones: quæ aut hic Patavii intra mœnia, aut extra in agro nostra adhuc ætate extare comperimus: ut hæc nobis sub oculis ponant civium nostrorum vel nuda saltem nomina, quandoquidem præclara illorum gesta obscura oblivione premantur: & notitiæ nostræ subducta in tenebris una cum cineribus jaceant. Adducam ergo primo Priscorum epitaphia inventa Patavii, quæ collegi ex Joanne Marcanova cive nostro: & quæ postea ex Petro Appiano & à Bartholomæo Amantio, quæ jam impressa ingenti volumine, & grandioribus characteribus passim leguntur. Addam insuper pleraque alia, quæ ad illorum notitiam minime pervenerunt, eadem vetustatis nota, & per quam insignia, partim à meipso, partim ab amicis studiose collecta. Modo adhuc passim quotidie in plurimis locis, tam intra mœnia, quam extra in suburbiis, ubi effodi contingit, inveniuntur urnæ frequentes, fictiles, contiguæ, ore inverso suffossæ humi, oppletæ cineribus. Alicubi etiam Lucernæ funebres similiter fictiles: sed hæ omnes sine nomine, quoniam non nisi claris, atque illustribus hominibus exsculpta nomina ponebantur, præscripto sepulturæ spatio, & loco diis manibus consecrato.

58 INSCRIPTIONES MONUMENTORUM ANTIQUIS NOTIS insculptæ, intra mœnia & in agro & municipiis *Patavinis* hactenus repertæ.

Ex Joanne Marca nova.

In Basilica omnium Sanctorum.

Differentiam hujus inscriptionis vide apud S. Ursatum. pag. 301. num. 1.

CENTRA VXOR
TERENTIVS
.T. F.
LAPIDARIVS ET
TERENTIA. L. F.
PRIMA VXOR
ET. .T. TERENTIVS
.T. F. SEVERVS
FIE. IVS.

OSSA. L. Ͻ. SVO
A. T. GRATAE
OLYM. X D. CI.

In cœmiterio D. Justinæ *in columna.*

OSSA SALVINI
EMPRONI. CER
ONI LEG XI AN
TICO LICINIA
.I. L. F.

Ibidem.

I. MAX. SVMA
TEST. FIE.
IVSSIT

In templo D. Justinæ.

AERODANO
FILIO DVLCIS
SIMO ET IN
NOCENTISSIMO
QVI VIXIT
ANN. IIII. M. X.
D. XXIIII.
GLICERIVS ET
VERA VIRENTES
VIVITE

In claustro D. Justinæ.

C. SATRIO. C. F. VERO
C. SATRIO. C. F. OPT.
GRANIAE MOR. P.
C. SATRIO HILARO
SARRONIAE. T. F.
TERTI DEMINCONIAE.
AM. VXORIS * ATRIAE.
HEI PIETAS. D. EORVM
IN.F. P. - - - RETR
.P. - - -

* S. Ursatus opinatur legendum esse. UXORI. pag. 295.

Q. AETRIVS ROMVLIA.
MACER MIL. COR.
PRAETORIAE

59 *Ibidem in templo* D. Justinæ.

VETVRIA
M. F. GEMELLA
C. DORCATIVS
VERVS
F. M. D. D. D.

A

Ibidem.

DOMITIAE
ATTILIANAE
CONIVGI QVAE
VIXIT AN. XLVII.
FI. Δ LAETVS Δ VC
Δ ET SIBI. N. CCCC.
XXVIII.

In ædibus Episcopi apud Portellum.

B

L. VALERIO PRISCO
VIENNIEN PRAEF.
II. CHO. DVAR. TER-
TIAE THRA AC AQVITEN;
ET SECVNDAE AQVITANOR.
TRIB.
LEG. X.
FRETENS. IO. PRAEF.
ALAE FLAVIANAE
PRAEF. FABR.
LOC. SEPVLTVR
D. D. PVBLICE
DATVS

C

In iisdem ædibus Episcopi in fragmento.

ABLAGVS
IR
SEVERA L. F. FI. I. *
L. F.
MANIBVS

* S. Ursatus legit: FIERI. pag. 309.

Ibidem.

DIS MANIBVS
P. SEPPVLLI P. F.
FAB TACITI

D

Ibidem.

Differt hic S. Ursatus. pag. 296. num. 9.

V. FAB. PA.
TITIADAE. P. F. M.
MINVTIO L. FRATRI
C. MINVTIVS. L. F.
TESTAMENTO FIERI
IVSSIT.

E

In eo vico omnium Sanctorum in antiqua Basilica.

M. SACTIO
T. F.

In eisdem ædibus Episcopi.

D. M.
L. AXIO CHARIS
TO AMICO FRATRI
SODALI QVI VIE SIT
ANNIS XXI DIEBVS
LIIII.
ITEM PARENTIB.
EIVS L. AXIO CRE-
SCEN. AXIAE TYCHAE
POSTERISQVE EORVM
M. CALVISIVS CLAVDIVS
VICTOR AMICIS BENE
MERITIS.

F

A

60 *In vico* Caudæ longæ.

S. Ursatus differt. pag. 68. num. 43.

VIVA F. S. S. L.
CAETRONIO L.
L. ANDERVVO
VIRO CAETRONIO
L. F.
AVLAE PE. M.
F. CAETRONIAE
L. F. PRIMAE.

In templo D. Matthæi.

B

C. ARMINIVS
FELICISSIMVS
V. F.
BONONIAE CON-
IVGI CASTIS.

Apud D. Luciam *in quadam domo.*

* Gruterus legit TEV-DA. vid. S. Ursat. pag. 333.

Q. VEIONIVS DEVTA *
Q. VEIONIVS FAVSTVS
VEIONIA CEA
IN F. P. XXX, RET.
P. LV.
Q. VEIONIVS SVAVIS
FECIT.

C

Ibidem.

L. CAEDIVS
L. L. EROS
SIBI ET LI
BERTINAE
ET LIBERTO
AG.

D

Ex tabula ænea, *quam* Joannes Marca nova *scribit penes se habere.*

S. Ursatus. hic differt. pag. 340. num. 2.

PAVLVS AEMILIVS
IMP. MACEDONI-
AM TERRARVM
IMPERIO POTITAM
COEPIT, CVIVS
VNO DIE LXXII.
VRBES VENDIDIT,
ETIAM VICTOR
PER VESTIGIA LIBERI
PATRIS ATQVE HER-
CVLIS ROMANA SIGNA
CIRCVNTVLIT.

E

Penes Ecclesiam Cathedralem in ædibus Francisci Contareni *Patritii* Veneti *sancti* Marci *procuratoris.*

Q. CERCENI
HERMEROTIS
IN F. P: XX. R.
P. LXX.

61 *Ibidem.*

F

N. CC. LVI, C:
SEPVLLI
ONESIMI
OFFINA
TORI

In alio latere.

L. S. M. C. P. IN
F. P. XXI. RET.
P. XXXVI.

Extra portam Caudamlongam *in monasterio* S. Bernardi Cartusiensis.

Q. CARTILIO
Q. L. OPTATO
TVL. VIA C. L.
F. V. SIBI ET
SVIS

S. Ursatus differt. pag. 293.

In vico Arim.

Q. CLODIVS Q. L. MARO
Q. CLODIVS Q. F. VXOR
POSVIT TREBIAMI
SECVNDA

In Monte Buso.

T. PVLLIO T. F.
L. LINO VI.
VIRO AVG.
ALBIA LI. MILENE
SIBI ET
VIRO
V. F.

In Campanili *vico* Urbanæ *sub quadam imagine.*

L. FLAVIANVS
L. ADRASTVS

In vico Aponi.

C. ATILIA C. F.
PRIMA SIBI
ET Q. SICINIOMV.
F. VIRO SVO
V. F.
IN FRONTE
P. XX.
H. L. ET M.
H. N. S.
DIS PENTIBVS

In oppido Atheste.

L. MESTRIVS
C. F. ROM.
LEG. IX.

Ibidem in eodem oppido in templo S. Martini.

TITO OCTAVIO
T. L. LAETO
OCTAVIAE .Ɔ. L.
PRIMVLAE .T. L.
VENVSTA .V. F.

In Monte Silice.

M. TIT. BAE
LIAN LIBER
TI EX FAMIL:
VENATORIA
Q. CLODIO
Q. LIB. FOTV
ITO FIL. Q. CLODIO
Q. LIB. NIM Ɔ HIO
ET CLODIAE
Q. LIB. PRIMI
GENIAE AMICIS
BENE MERENTIBVS

In-

A

In oppido Montagnanæ *in templo* S. Fidentii.

D. MANIBVS
M. EPII M. TRVFI
QVI VIXIT ANN.
XII. D. XX.
OPIVS ↄ LIBI
BIAN VARIVS
COMINIA L. F.
PARENTES

62 *In oppido* Atheste.

T. ANNIVS P. F.
FAB. SECVNDVS
TRI. MILIT. PRAEF.
I. D. CVR AER
.T. F. I.

In eodem oppido.

SAC. DIS. MAN.
LVCRETIAE
.M. L. PLACIDAE
SARCINATRICI

In Æde S. Martini *vici* Liviani.

C. TERENTIO T. F.
FAB. CETRONIANO
IV. VIR I. D.
QVI VIXIT ANN.
LXXX. MENS. II.
DIES DVOS, FILII
POSVERVNT,
SABINIANVS, LVCIVS,
VALERIANVS,
PATRI OPTIMO

In vico Vighizzolli.

ANTONIO VETVRIO
A. F. PATRI PETRONIAI
A. F. TANAI MATRI TE
RENTIAI .T. F. SECVN
DAI VXORI .C. VETV
RIVS .A. F. LEGVM
TESTAMENTO FIERI
IVSSIT.

Olim in vico Ronchoni.

VILLICVS AERARI QVONDAM NVNC CVLTOR AGELLI,
HAEC TIBI PERSPECTVS TEMPLA PRIAPE DICO.
PRO QVIBVS OFFICIIS, SI FAS EST, SANCTE PACISCOR
ASSIDVVS CVSTOS RVRIS VT ESSE VELIS,
IMPROBVS VT SI QVIS NOSTRVM VIOLABIT AGELLVM,
HVNC TV, SED TENTO, SCIS PVTO, QVOD SEQVITVR.

B

In Æde Montis Calaonis.

L. TITINIVS ABASCAN
TVS VI. VIR
SIBI ET TITINIAE
EVTAXIAE LIB.
OPTIMAE
ET L. TITINIO
TREPTO ET
TITINIAE CAM
PARIAE T. L.
TITINIO AECARSTO
LIB. V. F.

C

Olim in domo Arcuani Buzza Ararini, *nunc in domo* Francisci Quirini *patricii* Veneti *frustum monumenti.*

INFERENDI IN AREA
HVMANDI SEPELIENDI
IVS POTESTASQ. ESTO
VT HVIC AREAE QVAM EGO
DIFFINII ET A FRONTE
MACERIAS DVXI, ET
TITVLVM POSVI VLTRA
EAM AREAM ET MACERI
EM IN FRONTE IN AGRO
VERSVS LATE. P. X. RETRO
VSQVE AD CANABETVM
HVIC AREAE CEDET, IN
QVA PEDATARA NEQVE
HVMARI NEQVE TVMV
LVM FIERI VOLO VT HA
BEAT EA AREA ET A TER
GO ET A LATERE AC
CESSVM SVVM.

D

63 INSCRIPTIONES ANTIQUAE, QUAE HABENTUR TAM *Patavii*, quam extra in agro & municipiis *Patavinis* ex *Petro Appiano* & *Bartholomæo Amantio*, quæ extant impressæ præter suprascriptas.

E

In monasterio D. Justinæ.

SEX. PAPINIO Q. F. ALLE
NIOTR. PL. PROLOG. COS.
XV. VIR SACR. FAC.
D. D.

In eodem monasterio.

T. MVTIO T. F. GRACILI
PRAEF. FAB. IV. VIR
I. D. D. D. PVBLICE

Ibidem.

HEBDANO FILIO DVLCIS
SIMO QVI VIXIT AN.
IV. M. X. D. XXIV. OLI
CERIVS ET VERA PA
RENTES FECERVNT.

Differentiam vide apud S. Ursatum. pag. 295. num. 5.

In pariete Ecclesiæ Cathedralis.

MV. ALLENIVS MV. F. FAB.
CRASSVS CAESONIVS TR. MI
LI. PRAEF. FABR. IV. VIR

S. Ursatus differt. pag. 5. num. 1.

A

Patavii.

Q. CAEDIVS .P. F. SEX. VIR
TERGESTE V. F. VINISIA
Q. F. MAXIMA VXOR
ASPIADA C. F. SECVNDA
MATER C. CAESIVS P. F.
FRATER

Patavii.

B

Differentiam vide apud S. Urſatum. pag. 332. num. 5.

DEO SANCTO APOLLINI
PACIFERO EX VOTO
CORTIS PRAETORIAE CEN
TVRIO DASIELIVS LIBES
VOTVM REDDIDIT

Patavii.

S. Urſatus pag. 331. num. 3.

TITIAE CHIONES Q. TITVS
ZOSIMVS PATRONVS LIBER
TAE BENE MERENTI FECIT
ET SIBI

C

Patavii.

C. IVLIANVS CAECVS
ANT. F. PPN. ALDI
ANIVM .D. D.

Patavii.

D

D. M.
SER. CALPVRNIVS CLEOM
BROTVS SECVNDO SORO
RIS F. B. M. FEC.
V. A. IV. M. X. D. XX.

Patavii.

PETRONIA MVSA VIVA
SIBI POSVIT
IN .F .P. XXIIX. IN .A. P.
XVI. *

* S. Urſatus legit XXVI. pag. 331.

E

64

Patavii.

Differentiam vide apud S. Urſatum: pag. 332. num. 6.

.T. VETIDIVS .T. F. STRA
P. T. VALENS IV. VIR IVR.
DI. QVINQ. PONT. SIBI ET
.T. VETIDIO POTENTI FI.
EQVO PVBLICO ANNORVM
XX. M. IV. D. V. T. F. I.

In Æde S. Joannis à Navibus.

F

CIPIA .P. F. SECVNDA
FIERI IVSSIT.
LOCVS IN FRONTE P. XX.
IN AGRVM P. XXXV.*

* S. Urſatus habet XXV.

Patavii.

C. ARRIVS. C. F. MONVMENT.
SIBI FIERI IVSSIT
SEX. ACILIVS. C. F. HERES
FECIT.

Patavii.

S. Urſatus pag. 331.

PETRONIA MVSA VIVA
SIBI POSVIT IN F. P. XXIIX.
IN A. P. XXVI.

In Æde Miſericordiæ.

OFILIA LEDOTALIS SIBI
ET Q. CRANIO OPTIMO
VIRO SVO

Extra urbem in monaſterio Prataleæ.

L. CARTORIVS P. F. FAB.
HIC SEPVLTVS EST. HIC LO
CVS PATET INFR. P. XX.
ET A MEDIA FORIS IN
AGR. .P. XXV. HVNC MO-
NVM. DIS. MANIB. D.
LEGOQ.

In vico Limine *in Æde D.*Marci *in ingenti ſaxo pulcherrimis notis.*

T. PVBLITIVS PHRONIVS
SIBI ET CERONIAE GALENE
VXORI
H. M. H. N. S.

In municipio Atheſtino.

ANTONIO VERO SIBI
ET SVIS

In oppido Montagnanæ.

GRANIAE M. R. ROMANAE
.M. GRANIVS VRSIO
OPTIME DE SE MERITAE
POSVIT

In pago Villæ Abbatis *nunc in domo* Alexandri Baſſiani.

M. PETRONIVS PRI
MVLVS VI. VIR
AVG. SIBI ET PE
TRONIAE VXORI
LIBERTIS LIBERTA
BVSQ. MEIS
VIVENS FECIT

In Monte Cinthio *in quodam pariete domus dirutæ.*

MANILIVS .A. F.
.C. COELINVS *

* S. Urſatus legit COLLINVS. &c. C. præc. pag. 210.

I N-

65 INSCRIPTIONES ANTIQVAE, QVAE REPERIVNTVR IN *Strata* pago *Patavino*, in domo *Danielis Viturii* patricii *Veneti*, quas exſcripſit vir nobilis *PHILIBERTVS A PINGON Sabaudius*, & mihi dono dedit antequam in patriam proficiſceretur, Juris Civilis laurea coronatus.

In pago Patavino Strata *in iiſdem Ædibus.*

TERTVLIAE CONIVGI QVAE
VIXIT ANNOS XX. IVLIVS
LVPVS MARITVS FECIT.

D. M.
VALENTINE
ANCILLE QVE.
ET STEFANA DEF.
ANN. XIIII. AN.
TONIAE VALERIAE
PRIMILLA MATER
FILIAE .B. M.

D. M.
SEXTILIA
RESTITVTA
MITIONIO
FLAVINIO
MARITO OP
TIMO POSVIT

T. LVCILIVS
T. L. APTVS
M. H. S. F.

D. M.
.C. VIRIO
STEPHANO
VENERATA
LIB. PATRONO
B. M.

D. M.
CLO FELICIE . .
PVBLIC. VITA L.
SORO PIISSIME . .
ET LARTIVS . .
AEPACATHVS . .
CLO. ET CLO . .

CAESIA C. LIB.
PANTHERA
VIVA FECIT
SIBI ET .M. SEP
TIM DASI . . .
CON BELGI
. . CIPIALI CONSI
, . F. M. . .

A

VOLGNIA
MARCELLINA
DEF. ANN. XIIII.
BENIA SABINA
MATER FILIAE
DVLCISSIMAE

B

D. M.
BIBIVS SECVNDVS
QVI VIXIT ANNOS
PLVS MINVS L. BIBIA
SALVINA SOROR
PATRI DVLCISSIMO
BENEMERENTI
POSVIT

C

D. M.
EVTYCHO 66
DEF. ANN.
XXVIII.
CONVICTVS
P.

D

.D. M.
TVRRANIAE APRYLLAE
TVRRAN DRACO PATRO
NAE OPTIMAE
B. M.

E

L. CREPERIVS
HERACA VI. VIR
V. F. SIBI ET
CREPERIAE PATERAE
FILIAE ET
L. CREPERIO CELERI
NEPOTI DEFVNCTO

Sub pulchra facie muliebri, & equite armato.

M. ANTONIO CELERI
EQ. LEG. VII. O. P. F.
IVLIA MAXIMA HAERES
FECIT
SIBI ET CONIVGI CARO
ST. XXX. F.
. . F . . P. XII. IN AG. XVI.

F

AINATIO PRIMO A.
P. M. XXI. V. IN
DEMIATA IN A
TITIVS AGILIS
AR. INF. P.

B. Scardeonius. F D.

A

D. M.
OBVLTRONIVS
EVCARPVS
CONCORDIAE FILIAE
POSVIT
DEF. ANN. VII.

Sub imagine hominis.

IVLIA TERTIA LVCI
DAE LIBERTAE ANN. XI.
INFELICISSIMAE
M. EITLVMIOS

B

M. FVLVI. BYBIAE
HOMINI INCOM
PARABILI HAL. MAT.
L. DIA CONIVGI
PIO CON
B. CV AN. XXX. M.

C

C. MANLIVS . .
GI BAEL . .
PRIAMVS . .

T QVAE S. SEMPER . .
PER . . .

D. M.
VADONIAMAE
P. FILIAE DEF.
ANN. XXII.

In arca marmorea.

P. LIVIO ARTICVLO
APRIO PATER L. D. AB
HEREDIB.

D. M. 67
ORATIAE
PETINA FILIAE
SVAE DEF.
ANNOR. XIII.
B. M. P.

D. M.
C. LIGVSTIVS
FELIX C. LIGVS
TIO MAGINENSI
FRATRI
P. O.

AVCTARIVM AD INSCRIPTIONES PRISCORVM monumentorum tam ex urbe quam ex agro *Patavino*, ab hujus operis auctore additum.

In Ædibus Francisci Quirini Hieronymi F. *patricii* Veneti *ad portam Omnium Sanctorum.*

D

C. CASSIVS
Q. F. MACVLA
TES T. FIER.
IVSS.

L. S.
MARCIAE SEXTAE
IN. F. P. XXXI.
RET P. XXX.

E

CLODIAE . .
* CL. PORTV . .
RESTITAE M. . .

* S. Ursatus legit C. L. pag. 319.

S. Ursatus pag. 254. num. 1.

V. F.
C. TVRANIVS
SECVNDI LIB.
EVANTHVS
CONCORD.
C. TVRANIO
EVTYCHO
LIB. OPT.

F

DIVO AVGVSTO . .

S. Ursatus pag. 255. num. 4.

DOMITIA Ɔ. L.
PROBA
SI ET DOMITAE
SORORI ET
AETONI
SORORI S. F.
V. F.
H. L. S. H. N. S

S. Ursatus pag. 319. num. 2.

FORTVNATVS
ET PRIATATA
TITVLVM POSV
ERVNT SIBI ASIEQ.
INGENVAE FILIE
ET ALVMNE VALEN
TINE Q. SI FATO ME
LIORE FILIAS N.
SVBITO MISELLAS
IN P. D. NON F.

SEX. NAVINIVS
SEX. L. APOLLONIVS
CONCORD.
SIBI ET SVIS
IN FRONT P. XXXVI.*
RETRO P. XX.

* S. Ursatus legit. XXXV.

V.

68

A

V. .P. *
C. LVCRETIVS
L. F. SIBI ET
SVIS IN F. P. XV.
R. P. XVIII.

* S. Urſatus legit ſine his literis V. P pag. 319. num. 4.

C. LVSCIVS
QVADRA
TVS SIBI ET
INSTEIAE MA
XIMAE VXORI
ET FILIIS SVIS
.V. F.

L. LVSCIVS
IENS
H. S. E. AN.
XIX. M. II.
D. XIII.

S. Urſatus pag. 59. num. 22.

LVSCIA
QVADRA
TILLA H. S. EST
ANN. XXV.
M. IX. D. XXIII.

V. F.
C. TVRRANIVS
LIB. EVANTVS CONCORD.
.C. TVRRANIO PANTA
GATHO ET C. TVRRANIO
ET TYCHO LIB. OPT.

S. Urſatus pag. 254. num. 1.

L. S.
C. MEMMI
LIBAN ET
P. MEMMI
TROPHIMI
IN F P. XXI.
RET. P. XXX.

V. F. S. ET .S.
L. TERENTIVS
ACVTVS
CONC AVGVT.
L. TERENTIO
OPTATO FILIO
CONC.
TERENTIAE
SATVRNINAE
.L. VXORI
CASSIAE .L.
LVCIANO LIB.
PVDENTI LIBERTATAE

S. Urſatus pag. 255. num. 9.

VIVIS F.
SEX. VETTIVS
FIDELIS
SIBI ET AXIAE .L.
AMABILI
CONTVBERNALI

SEI QVI MINVS REM RELIQVIT . .
LIBEREI SIBEI QVAERANT . .
TV VIATOR VALE AD AQVAS . .
SVNT SPISSA b Φ Φ . .
.Q. MARCIVS .P. F. SER. REX. . .

In columna ſub imagine fœminea. 69

B

ISIDI REG.
.P. POSTVMIVS
HECATEVS ET
PVBLICIA
FELICITAS

.L. D. D. D.
Ñ. CCC. II.

D. M.
C. VIRIO STEPHANO
VERTA LIB. PATRO
NO .B. M.

C

VENERI VICTRICI
PRIMA MINVCIA
VSV IVSSA
POSVIT.

Gruterus lib. 1. Claſſ. 4. fol. 69.

In Ædibus Alexandri Baſſiani *in marmore antiquiſſimo diminuto.*

P. MANLIVS SYRVS .P. F. IIII. V. CAP.
ET POMPONIA GN. F. MARITALI
CONCORDIA INCOMPARABILES
S. V. P. HAC F.
D SINE VLLA PENA VT SVPERSTES
ROSIS .S. IACENTIS QVOT
AN. CAL. IVN. EXORNET HIC .Q. CVM
SVR. OMNIBVS EPVLENTVR QVOS
MORIENS DAMNET AD TALE POSTEROS
QVI SVPERERIT HVC DEFVNCTVM
NICHILO MVTATO QVO AD COR
. . . ATTINET COMITETVR QVAN
. . . T OMNIBVS IMMVTABILI .F. L.
. . . . I DVM .N. S H. M. NAM VT
CONCORS VIRORVM ANIMVS STETIT. ITA
CONCORS MORTVORVM CINI .H. IACEAT.

S. Urſatus pag. 69. num. 48.

E

VETVRA PRIMIGENIA
TI VETVRI FVSCI LIBERTA
ANNORVM XXIIII.
HIC SITA EST
.C. SYNAECIO APRILI

* S. Urſatus legit VETVRIA. pag: 55.

.P. CARM.
SOSTHE
MEDIC.
VI. AVG.
AN. CHAR.

S. Urſatus pag. 70. num. 53.

F

VIVA T. S. ET .S. L. SETRONIO
.L. LANDERCVDO VIRO
L. CAETRONIO .L. F. FIRMO F.
CAETRONIAE .L. F. PRIMI F.

S. Urſatus pag. 68. num. 41.

70 C. MANLIVS
GIBBAE L.
PRIAMVS
QVAESSI SEMPER

S. Ursatus pag. 313. num. 5.

ET VITATE DOMINORVM
FAMILIAE THERMENSI
THERMARVM VRBANIA

C. ASCONIO C. F.
FAB. SARDO
IIII. VIR I. D.
PRAEF. FABR.
FRATRI
CVSINTAE .M. F.
SARDI MATRI
ET SIBI
ASCONIA .C. F.
AVGVRINI
SACERDOS
DIVAE DOMITILLAE

Patavii *in ædibus* Alexandri Bassiani *intra portam* S. Joannis à navibus *sub virili imagine*.

S. Ursatus pag. 69. num. 50.

P. FLAVIVS Q. F. ROM.
STABILIS
ADLECTVS DECVR
SIBI ET
P. FLAVIO .P. F. FESTO
FILIO DILECTO DECVR
ET
FLAVIAE TERTIAE
VX . . . T. F. I.

Sub duabus imaginibus.

C. FANNIO C. L.
FELICI PATRONO
C. FANNIVS C. L.
. . AVCTVS
. . NIAE C. L.

V. F.
C. OCTAVIO
ATHICTO
AFRONIA TESTA *
VXOR MARITO
Q. OCTAVIVS
PRISCIANVS
Q. OCTAVIVS
LABERIANVS
P. P.

* S. Ursatus scribit FESTA. pag. 59.

T. LIVIVS
.T. L.
OPTATVS AN. XV.

In quodam canali.

FLORO CAE .C. L. IARV

In frusto marmoreo.

CVRATORIS
ILLIRICI

ISIDI
SIGN. HARPOCRATIS
.C. DIDIVS
ACVTANVS
DON. DEO

Sub duabus imaginibus.

CLEMONIVS
.C. F.
MOLLO SIBI ET
FREMENTONI
VXOR

S. Ursatus pag. 51. num. 5.

Fragmentum.

M. AGRIPPA
S. C.

S. Ursatus pag. 70. num. 56.

Q. LAELIVS Q. F. 71
ROM. FIRMVS
SEP. COHOR. PRAE
CENTVRIA MIL.
ANNOS VIXIT XXVI
ET. F. I.

D. M.
FLAVIAE QVIN
TILLAE .Q. F. ET
L. CVRVLLO CON
IVGI IMPATIENTIS
VNA H. SVPERSTITI
P. QVINTILLVS VIX
DOLORE V.
ET .S. H. M. P. C.

S. Ursatus pag. 69.

C. CAESIDI HERME
ROTIS ET CAESIDIAE
EHORAE LIBERTAE
ET CONIVGI
V. F.

S. Ursatus pag. 69. num. 52.

M. LAEPONIVS
ET L.
SVRVS
SIBI ET
LAEPONIAE
SVRI .L.
. . . FILIAE
ROT . . VO
V. F.

S. Ursatus pag. 67. num. 38.

C. BRICENI
C. F. CLEMENTIS
ET COELIAE
VOTINIAE VXORI
LOCVM DEDIT
SALVIO NICELLO
ET SALVIA IVCVNDA

S. Ursatus pag. 69. num. 49.

HA-

A

HATERIAE
FELICITATI
AN. XXXIII.
HATERIA
IVSTINA MATER
ET .T. FL. HYGINVS
MARITVS .P.

S. Urſatus pag. 61. num. 23.

Q. AETRIVS ROM.
MACER MILI. CORP.
X. PRATORIAE

L. ARRIVS .T. F.
SEX. VIR
OPITERGI
SIBI ET SVIS
T. F. I.

In ſaxo decurtato.

S. Urſatus pag. 57. num. 17.

CH
ALEX
MIL. A. XXVII.
M. TITIVS HER
III. APOL.
B. M. P.

S. Urſatus pag. 67. num. 39.

C. LVCILI .P. F.
AB XX. P. QVA
QVE VERSVS
FAMILI. QVE
EIVS POSTERISQ.

72 S. Urſatus pag. 66. num. 34.

M. ARRONTIO M. F.
TER AQVILIF
IIII VIRO A. A. A. F. F.
QVAEST. CAESARIS
TRIB. PL. PR. COS.
XV. VIRO SACR. FAC.
FILIO.

Hic eſt delineata biga.

P. SERVILIAE VIRG.
P. SESTILIA
VIR. VEST. ET SIBI
V. F.

S. Urſatus pag. 65. num. 30.

. . ATILIVS . .
. . CHES ET . .
. . ILIA PHOEBAS
. . PIENT. .M. M. P
. . QVI LEGIS T. VALE . .
. . . . . .

TERENTIA
T. F.
SEVERA
Q. MINVCIO F.

VALERIA MATER
. . ET VALERI . .
. . RIONI
. . LIBERTO
IN F. FR. P. XX. RE.
P. L.

S. Urſatus pag. 67. num. 41.

In marmore ornatiſſimo cum zona obliqua per medium.

B

. . LI SVIS . .
. . L. RAETIO 7 .L.
. . ADRASTO GALAI
L.

S. Urſatus pag. 51. num. 4.

In columnæ fruſto.

M. ACVTIO M. F. ROM.
MARCELLO .C. ACVTII*
M. F. ROM.
SECVNDO

* S. Urſatus legit ACVTIO. pag. 61.

C

Circa columnam ubi duo apri concurſantes.

MACE. MIL. COR
X. PRAETO

S. Urſatus pag. 61. num. 23.

POPILIAE
C. F.
PRISCAE

D

D. M.
M. AVRELIO
MARCELLINO
CONIVGI
DVLCISSIMO
SAVFEGIA

S. Urſatus pag. 57. num. 18.

ALEX
MIL. A, XXVIII.
M. TITIVS
HONORATVS HER.
III. APOL
B. M. P.

S. Urſatus pag: 57. num. 17.

E

MERCVRIO 73
AVG. SACR.
IN MEMORIAM
C. LARTI.TAVRINI
FIL. POSVIT
ELIA MAXIMA
MATER L. D. D. D.

Sub duabus imaginibus.

F

C. SEMPRONIVS
Q. E PIMVS VIVOS
F. SIBI ET VXORI
CLODIAE SECVNDAE
ET Q. SEMPRONIO
TERTIO FRATRI SVO
INFR. P. XXVI. RET. P. XXVI.
ILLI DEOS IRATOS
QVOS OMNES CV | VNT
SI QVIS VIOLARIT

S. Urſatus pag. 50. num. 2.

B. Scardeonius. G Fru-

Frustum marmoris.

S. Ursatus pag. 68. num. 46.

C FAB. SA . . . .
D. O. P. CESTI
BIO DEXTRO
DVCENIO
. T PROVINCIA

T. AVRELIVS T. L. FELIX
VIVOS FECIT SIBI
ET LIBERTIS SVIS
OMNIBVS ET
CONLIBERTIS SVIS
ET CONLIBERTAE
GRATAE SVAE
IN FR. P. XVI. IN
AGR. P. XX.
MON. H. M. N. S.
*

* S. Ursatus addit in fine DIS. MANIB. pag. 66.

C. ATILIVS
LACHES ET
ATILIA PHEBAS
PIENT B. M. P.
QVI LEGIS T. V.

S. Ursatus pag. 57. num. 19.

D. M.
P. MARIONI NI
GRO CORVINA
NI CON. VIX. AN.
XXVIII. AESCVLA
PIO . . . :
DOTIS . , .
H. CONIVGI

S. Ursatus pag. 51. num. 4.

L. RAECIO 7 L.
ADRASTO
GALAI L.

D. M,
C. HOSTILIO ELIO
V. AN VIII. M. VI. D. IX.
H PL. MINVS V. C.
CASSIVS THESPIVS ET
SERGIA MAXIMINA
PARENTES MESTISS.
ET INFELICISSIMI

S. Ursatus pag. 53. num. 10.

AVR. IVSTINO APRI
ONI. V. ET SEPTIMI
VS PROCVLVS VA-
LERIVS EIVS HEREDES
CVRANTIBVS
FAVSTINO ET IVLIO
LIBERTIS. B. M. P.

A latere.

74

S. Ursatus pag. 68. num. 47.

AVRELIVS
M ENDOTVS
X TEX 7 SIBI ET
E ELIAE AQVILIAE
L CONIVGI DVLCISS.
VIVVS POSVIT
P. E. S. S. A. V. D. H.

A

S. Ursatus pag. 69. num. 49.

.C. BRIGENI C. F.
CLEMENTIS ET
COELIAE VCHINI
VXORI
LOCVM DEDIT
.L. SALVIONIO ELLO
ET
SVAVIA IVCVNDA

In lapide diminuto.

B

. MOSISSIMI
. TORIS
. E CVMIS

C. FANNIO C. L.
FELICI PATRONO
.C. FANNIVS C. L.
ACVTVS
C. FANNIAE C. L.

C

C. VALERIO
DIODORO
VIX. ANN. XIIX.
C. VALERIVS PLACIDVS
ET VALERIA
MYRTALE
PARENTES
FIL. ET SIBI

S. Ursatus pag. 50. num. 1.

D

ACCILLIA. P. L: BASSIO
SIB. ET
T. CARTORIO SIRTO
VXOR VIRO

M. AVRELIO
MARCELINO
CONIVGI
DVLCISSIMO
SAVFERIA *
CRISPINA
CONIVNX

*S. Ursatus legit SAVFEIA. pag. 57.

E

D. M.
CLODIAE THAIDIS VIX.
ANN. XVIII. DIES XVI.
.M. CLODIVS IANVARIVS
SIB. ET LIB. BENB M.
V. F.

C. SAVFEIVS
CLEMENS
SIBI ET
VALERIAE

F

Lapis fractus.

: . S. C. FIL.
. . VICINVS SIBI
. . IVOS FECIT
. . ENNIO C. L.
. . ANTIO PATRI
. . ET QVINCTAE
. . C. FIL. MATRI
. . VETTIAE PRISCAE

La-

75

Lapis diminutus.

S. Ursatus pag. 68. num. 44.

POPPIA CAVALERINA ETTIO
MARCELLVS QVIETVS SARSI
NOO AB SOLO FABRI
CAVERVNT. . . . . .

S. Ursatus pag. 66. num. 35.

D. M.
L. SE PVELIO P. L.
FLORENTI
CAECILIO OLCRENI
C. CASTRITIO C. L.
CALVIONI
CASTRITIAE C. LEVCHI
C. CASTRITIO Ɔ. L.
MARITALI LOC. SEPVLTVRAE
SIBI ET SVIS
L. DOMITIO THEOPHILO
INFR. P. XX. RETRO
P. XXV.

S. Ursatus pag. 66. num. 33.

MEMINIA SIBI ET
LEPONIAE
MV. Q. LEPONIORVM
ET VNICAE MATRI SVAE
VIVA FECIT, LOCVS
SEPVLTVRAE IN FRON
TE P. XV.
C. TITIVS ET F. IAN .

Hic apparet imago sedentis pro tribunali cui nuncius astat.

C. VALERIO
DIODORO
VIX. AN. XIIX.
C. VALERIVS
PLACIDVS
ET VALERIA
MYRTALE
PARENTES
FIL. ET SIBI.

Hactenus in ædibus Alexandri Bassiani.

Sub quatuor imaginibus.

.C. OPPIO. C. F. PATRI
RVTILIAE PRIMAE MATRI
CASSIAE L. F. SECVNDAE VXORI
.C. OPPIVS. C. F. T. F. L.
.P. OPPIVS. C. F. POLLIO FRATER
FACIVNDVM CVRAVIT.

In domo Ludovici Pasini *apud* S. Julianam.

S. Ursatus pag. 185. num. 1.

PERPENIA. L. L. FA
VOR VIVA FECIT
SIBI ET L. PERPENAE
PHILONI SVEIS.

In angulo ædium doctorum apud D. Franciscum *parvulum.*

ACONI Q. F. FAB.
LABEONIS PO
LICIS VIXIT ANN
XV.

In Ædibus Mussatorum *apud* S. Jacobum *intra duas imagines alatas.*

C. GVAVIO C. L.
IVCVNDO
CONTVBERNALI
SVO ET SIBI
OCTAVIA METHE
V. S. F.
IN .F. P. XII.

76
S. Ursatus pag. 146. num. 3.

.P. AELI PONTICI
MIL. COHORT. .V. P. R.
VIX. ANN. XXII. MEN. II.
DIEB. XVII. AELIA DOMITIA
MATER INFELICISSIMA
ET SIBI

Humi in stabulo *Centonis.*

ΓΑΓΙΓΙVS Q. F.
FEREIVS VIVOS
FECIT SIBI ET SVIS
IN FRONTE PEDES XXX.
RETRO .P. V.

In monasterio Eremitarum.

DIS V. MANIBVS SACRVM
TAVRIA .M. L. TYCHAE
VXOR
.T. ANNIO CHERINTHO
CONIVGI
ANNIAE .T. PIERIDI
SIBI ET SVIS
LIBERTAE.

In lavacro monialium S. Benedicti *in gradibus.*

VETTIA L. F. C. L.
CLARA
TESTAMENTO
FIERI IVSSIT
SIBI SVISQVE

In Ædibus nostris apud S. Leonardum.

C . . . . S. F.
Q. ASCONIVS
GABINIVS MODESTVS
PRAETOR PROCOS.
PRAEF. AERARI SATVRNO
DEDIT

D. M.
TI. CAPELLI .T. F.
VINDICIS
IN .F. P. XXXVII.
A. T. COX. S. P. XXVII.
INTRA COX. P. XXXVII.

S. Ursatus pag. 277. num. 3.

C. POMPEIVS C. L.
LEPIDVS SIBI ET
POMPEIAE .C. L.
PRIMAE
TESTAMENTO
FIERI IVSSIT

S. Urſatus ponit LAM. & tollit punctum inter L. & A. pag. 141.

TI. CARTORIO
TI L.*A . . EROTI
CARTORIAE APTAE
CARTORIVS SIBI ET
SVIS.

77 S. Urſatus pag. 142. num. 4.

.C. SEXTIO QVOD C. BELLO CONF. RELIQVIAS
NON DESTITVERIT POMPEIANORVM
VICTORIS IVSSV .K. D. MVLCTATO ET IN EXI
LIVM ACTO .C. SEXTIA VXOR PARVVLEIS
CVM LIBEREIS OBSERVARI IVSSA SEQ. IPSOSQ.
REPENTI PRAECIPITIO VINDICAVIT IN LIBERTA-
TEM. VIXIT LIBERA ANN. XLVI. SERVA
NEC DIEM.

Ibidem olim erat tabula ex finiſſimo marmore, & notis pulcherrimis diminuta, ſuperiori anno clam ſublata eſt: cupio eam loco ſuo aliquando reponi.

IMP.
EGNATI
PII FEL. AVG.
MAX. TRI. P.
P. P. COS. II. P.

Pridem mihi dono data parva tabella marmorea recens inventa.

D. M.
L. MACLONIO
FORTVNATO
VALGIA THALLVA
CONIVGI BENEM.
FECIT.

In Ædibus Ludovici à Vallibus *apud* S. Sophiam.

.T. MVSTIO C. F. FAB. HOSTILIO
FABRICIO MEDVILAE AVGVRINO
ALLECTO INTER TRIBVNICIOS AB
78 IMP. NERVA CAESARE AVGVST. PRAE
deficit. VR AER. PONTIFICI
D.

In Ædibus Obiciorum *apud* Epiſcopium.

VXORI
M. ALLIO .M. F. FESTO.
FILIO
HOSTILIAE C. L. SEVERAE
N. F. F. N. S. N. C.

In Ædibus Cartulariorum *apud* S. Thomam.

MER .S.
.D. POPILIVS PAETVS. GN. LABE
PAETO COS. DESIG. FRATRI
SVO B. M. F.
HVNC SOMNO AETERNALI
PATRIA RETINET

In Sacello Hermacoræ & Fortunati *juxta Eccleſiam majorem.*

ANTONIA .C. VXOR
TERENTIA .P. FILIA

In cœmeterio S. Michaelis.

. . Q. PLO . .
. . SIBI . .
. . BIT . .

In monaſterio D. Juſtinæ *pro urna olearia.*

DOMITIAE FATILIANAE CONIVGI
KARISSIMAE QVAE VIXIT
ANN. XLVII. M. VIII. D. XII.
FL. LATVS .V. P. ET SIBI
N̄. CCCCC. XVIII.

Ibidem in gradibus.

TARBENIVS .L. F. FA. 79
TESTAMENTO FIERI

Ibidem literis adeſis.

S. Urſatus pag. 296. num. 10.

HELVIA .C. F. PRIMA
SIBI ET
C. HELVIO 7 L. COMMVNI
HELVIAE 7 L. C. L. ID. IIS
POSTERISQVE EORVM
LIBERIS LIBERTABVS
.T. F. I.
IN FRONTE .P. XX. RET. XX.

In Ædibus Contarenorum *apud Eccleſiam Cathedralem.*

S. Urſatus pag. 41. num. 10.

.V. F.
L. AELIVS L. F.
FAB. MACER
VI. VIR SIBI ET
L. AELIO ANTIGON
LIB. CONSORTI
ET
P. SALTIO MYSTICO
AMICO
SALTIAE EVTICHIAE
H. M. H. N. S.

A latere ſaxi.

L. S. M. C.
IN F. P. XXI.
R. P. XXVI.

In domo Lauri Divani *ad Sanctum.*

POMPONIA .Q. L. . .
VRBANA SIBI . .
Q. POMPONIO Q. L. OR . .
SIBI ET SVIS VIVA . .

In vaſe apud M. Mantuam.

S. Urſatus legit TERTYLLINÆ. pag. 158.

D. M.
TITIAE TERTILINAE
VETVLENA DORCAS
AMICAE
B. M. F.

Apud

A

Apud Joannem Cavinium *in parva basi.*

D. M.
IN MEMOR.
VSIAE L. FIL.
TERTVLIANAE
SACERD. DIVARVM
MATRI SVAE
SEX. APPI.

80 *Extra portam* S. Joannis *in angulo delubri ruinosi.*

Q. LOLLIO L. F. FAB.
PATRONO ET
PLOTIAE VXORI
SECVNDVS ET
HOMVLIVS FECER.
SIBI ET SVIS

B

Extra portam Caudælongæ *in delubro pagi* Alticleri *in pariete.*

S. Urfatus Pag. 291.

AMENIVS PERVFVS
HONORIS CAVSA
GALENIO OLPISIDAE
NYSAE.

C

Atheste *sub imagine puerili.*

SEPTIMIA .C. F.

SPICA . . . ANNO
ET MENSE TERTIO

Ab utroque latere eſt nudus, qui ludit VII. pilis luſoriis ſimul. Duas tenet manibus, unam calce ferit, unam habet in ſummitate alterius pedis, tres in aëre pendent.

D

Apud eundem in vaſe marmoreo ubi ab uno latere eſt patera, ab altero vas aquarium in medio.

IVLIA HELPIS
FECIT
IVLIAE HEVCHE
VERNAE SVAE
VIXIT ANNIS XVI.
MENSES X.

Extra portam S. Crucis *in ſacello* S. M. Spaſianæ.

AELIA .P. L.
GNOME
P. AELIVS .Ɔ. L.
NARCISSVS
VIVA POSVIT

E

In oppido Atheſte *in domo* Joannis Marcheti.

.C. TVLLIVS
ROM.
TESTAMENTO
FIERI IVSSIT

In monaſterio Carcerum ſub imaginibus v. *capitum.*

Q. CARTILIVS
ET LVXONIA .T. F.
TERENTIA

F

In pago montis Vallis Dariæ *ubi duæ puellæ flere videntur.*

PAVONIAE
.Q. FILIAE

In vico eodem in delubro in lapide diminuto p.

CORNELIO .L. F.
TRI . . . . . .
.C. ANINI . . . . . UNDAE

In Monte Arquadæ *ad altaris gradus pulchris notis tantum legitur.* 81

TESTAMENTO
FIERI IVSSIT

In eodem colle in Ædibus Bolani *in lapide diminuto.*

NNEI ARIA C . .
TESTA
.T. CARNIVS. Q. F.
ROM. DECVRIO

In Monte Silice *in ædibus* Camilli Lucifragii *ſacerdotis.*

PRIMA . . . . .
COELIA
MATARONIS F
P . . . .

In eadem domo in ſaxo fracto.

. . MENTO
. . ELOTI
. . VNDA

Patavii *in vico* ſanctæ Crucis *in Ædibus* Michaëlis à Vacis *in fragmento tereti eximiæ rotunditatis.*

IMP. CAES. C. VAL.
DIOCLETIANVS P. F.
AVG. ET IMP. CAES.
.M. AVR. VAL. ET
MAXIMIANVS P. F.
AVG. ET FL. VAL. CON
STANTIVS ET GAL.
VAL. MAXIMIANVS
NOBIL. CAES. .M.

In eodem vico prope in domo Boatorum *in fragmento ornatiſſimo.*

P. LOLIVS
SIBI ET

IN ·F. P. XV. RET.

In Monte Silice *ad januam Ædis* S. Martini.

.Q. L. SECVNDVS
SIBI ET SENIAE
ET SABINAE
VXOR .P.
.T. F. I.

V. F.
C. OCTAVIO ATHICTO
AFFRONIA FESTA VXOR
MARITO .Q. OCTAVIVS
PRISCIANVS
.Q. OCTAVIVS LABE
RIANVS
.P. P.

82 *In ædibus* Horatii Sorelii *sacerdotis apud sanctam* Julianam *nuper effossum est saxum magnum paulo diminutum his insculptum literis.*

AETERNO IMPERATORI
NOSTRO MAXIMO OP
TIMOQVE PRINCIPI
AVRELIO VALERIO
DIOCLETIANO PIO FE
LICI INVICTO
AVGVSTO
PAETVS HONORATVS VIR
CORRECTOR ITALIAE
NVMINI EIVS DICATISSIMVS

In Abbatia Pagi Carriæ *introrsus in ingenti operculo sepulchri* Galearcæ Marsilii Carrariensis *uxoris insculptum est hoc epitaphium, quod apertum fuit anno* M.D.LII.

SEX. POMPEIVS SEX. F. PRAEF. I.D. PRAEF. FABR.
BIS AVGVR SIBI ET TVLLIAE SEX. F. SEVERAE
VXORI ET SEVERAE F. ANNORVM XX.

In Pago Limine *in horto* Andreæ Magni *patricii* Veneti.

Q. HOSTILIVS. Q. L.
EROS
TESTAMENTO FIERI
IVSSIT
SIBI ET SVIS

Inventum olim in agro Atheſtino *nunc in Vico* Leonici *visitur.*

SEXTVS ATTILVS M. F.
SERA. PROC. INTER ATES
TINOS ET VEICETINOS
EX SENAT. CONS. FINES
TERMINOSQ. STATVIT.

83 Hæc quatuor ingentia saxa sic insculpta, dum *Patavinus* à Germano milite vastaretur, sublata supra ripam fluminis prope *Augustam Vindelicorum*, ad rei memoriam, collocata fuerunt.

S. Ursatus pag. 285. num. 4.

D. M.
PORTITORI PLVTONI ET PROSERPINAE
HAVE IVLIA C. F. MAXIMA FELIX DOMINI
TORMENTVM
SALVE ANIMVLA DVLCIS
ANIMVLA SVAVIS
ANIMVLA IN DEORVM NVMERVM
RECEPTA
VNDE TALE? QVANDO TALE? ET
CVI TALE?
V. A. LIX. M. VI. D. XII. HOR. NOC. IX.
.T. SCIBONIVS BARBVLA CONIVGI
INCOMPARABILI B. M. P. C.

D. M.
AEMILIAE
CHRISIDI LIB.
ET CONIVGI
.V. A. XXXVII.
.C. AEMILIVS
CALPVNIAM
VET. N. SVR
ET SIBI .N. P.

D. M.
SPEDIAE
PANYCH
P. CASSIVS
VERVS
CONIVGI
PIENTISSIMAE

Sub magno capite.

C. IVL. PRISCI
V. A. VI. M. X. D. VIII.
IVL. GERMANVS
ARMORVM CVST.
ET
VAL. MARCINA
PARENTES.

In municipio Plebis Sacci *in pariete templi sub duobus capitibus.*

PETRO
NIAE .T.
.L. GRA
TAE

In rure Putei Vitaliani. 84

FORTVNAE SACRVM
P. OBSIDIVS P. F.
RVFVS IV. VIR
TR. MIL. LEG. IV. SYTHIC
PRAE. FABR.

In nova turri Cathedralis Basilicæ in saxo fracto.

. . C. F. FAB. VEGIO
. . FIERI IVSSIT

In vico S. Mariæ de Lugo *juxta portam templi.*

.T. PRAEF. T. D.
.V. F.
A. ANTONIVS .A. F.
AGATTI ANG. L. IVI.

In frontispicio delubri ruris Casalis *supra duo capita.*

ETTIA .C. F. PRIMA
.V. F. SIBI ET
C. SERVILIO .C. F.
MATVRO

In monasterio Carrariensi *humi.*

BIRRIVS
VOLTIO .M. F.
SVMBICA
OSTIARIA
BIRRIA PRIMA
BIRRIA QVARTA
BIRRIA VOLTIO .M. F.
TERTIA TESTAMEN
TO FIERI IVSSIT

In

A *In Ædibus* Joannis Baptistæ Rhamnusii *in vico patriarchæ ad* Sancti Petri.

Supra portam cellæ vinariæ.

CIPI PAI

Miræ pulchritudinis literæ, municipium *Patavinum* fortasse significantes, ex quibus liquido patet, *Patavium* fuisse olim coloniam *Romanorum*. C. Plinius junior *Epistolarum libro primo epistola ad Junium Mauricum* ita scribit: *Habet aviam maternam Serranam Proculam è municipio Patavino: nosti loci mores. Serrana tamen Patavinis quoque severitatis exemplum est.* B

In descensu scalæ ejus cellæ.

P. AEMILIVS
P. L. DEODORVS
SIBI ET SVIS
IN FR. P. X. RETR. P. XII.

In pariete horti qui ad lævam introeuntibus occurrit.

IMP. CAESARI
M. AVRELIO
ANTONINO
AVG. IMP. CAES. C
L. SEPTIMI SE
VERI PII PER
TINACIS AVG.
ARABICI ADIA
BENICI PARTHI
CI MAX. FIL.
D. D.

E regione hujus parietis. 85

IANO PATRI
AVG. SACRVM
C. IVLIVS C. F. SER.
AETOR AED
DONATVS AB TI. CAES.
AVG. F. AVGVSTO TORQ.
MAIORE BELLO DELMA
TICO OB HONOREM
II VIRATVS CVM LIBERIS
SVIS POSVIT.

In pariete horti ad Meridiem.

OCTAVIA. Q. F.
SECVNDA VI. F. SIBI ET
OCTAVIAE T. F. GRACIL
LAE ET OCTAVIAE SEX.
F. CAESINAE NEPTI Q. OCTA
VIO PATRI AED. II VIRO IIII
QVINTIAE VOLTISAE MATRI
T. OCTAVIO SEX. F. GRACILI
VIRO AED. X. VIRO PONT. C. OC
TAVIO RVFO FRATRI AED.
II VIRO PONT. SEX. OCTAVIO
SEX. F. CELSO GENERO.

LEX DEDICATIONIS ARÆ SUB ARCU PROPE PONTEM *S. Benedicti* in Tabula Marmorea, & mutila inventa pridem *Salonæ* in *Dalmatia* à *Joanne Baptista Rhamnusio*, & ab eodem mox in integrum restituta, atque ibidem collocata sub æneis capitibus *Andreæ Naugenii* * & *Hieronymi Fracastorii* virorum illustrium.

* S. Ursatus legit. *Navagerii*, pag. 223.

S. Ursatus pag. 222.

D L. HELIO CAESARE IMP. P. COELIO ET ALBINO VIBVLLIO PIO COSS. VII IDVS OCTOBRES

CN. DOMITVS VALENS II VIR. I. D. PRAEEVNTE C. IVLIO SEVERO PONTIF. LEGEM DIXIT IN EA VERBA QVAE INFRA SCRIPTA SVNT
IVPPITER OPTIME MAXIME QVANDOQVE TIBI HODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE, OLLIS LEGIBVS OLLISQVE REGIONIBVS DABO DEDICABOQVE QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE EST. SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT ITCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO CETER. LEGES HVIC ARAE EAEDEM SVNTO QVAE ARAE DIANAE SVNT IN AVENTINO MONTE DICATAE HISCE LEGIBVS, HISCE REGIONIBVS. SICVTI DIXI HANC TIBI ARAM IVPPITER OPTIME MAXIME DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQ. MEIS DECVRIONIBVS COLONIS INCOLIS COLONIAE MARTIAE IVLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRIS.

Penes Joannem Baptistam Rotan. *supra statuam togatam.* 86

M/. MOENIO. Q. F.

In ædibus R. Torquati Bembi *apud* S. Bartholomæum *in lapide fracto.*

D. M. S.

.V. ANTONIVS. SEVERVS. AQVILA. HIC IACET. S. Ursatus pag. 325.
.V. SINE. ANIMA. MISERABILI. FATO. QVI. .I.
VIXIT. ANNIS. BISCENIS. ET XVI. MENSES. .7.
E .I. CVI. VOTA. ERANT. VT. PARENTIBVS ISTA. .7.
.C. PARARET. SET. MORS. IMMATVRA. FECIT. .V.
.7. VT FACERENT. PARENTES. FILIO, STVDIA. .V.
.O. AMAVI. OBSEQVENS. MAGISTRIS. FVI. .A.
.R. OBSERVAVI. PARENTORVM. PRAECEPTA. MI. .I.
. . MICOS. COLVI. PATRONOS. BONOS.
OFFICIO PRAESTVS. FVI. SET. T. ATA . I . .
M. AETATE. TVLER . . NT. LVC. . .
QVOD. DI. . . . ,

In parvo lapide formosis characteribus.

D. M.
.VLPIAE. DONATE.
.FILIAE.
DVLCISSIME. SIBI.
.ET SVIS.
M. VLPIVS TROPHI
MVS. FECIT.

.7. CAESARI. IMP. CAESARI. CAESARI. AVG. F. VESPASIANO IMP. III. VESPASIANO AVG. . . . . PONTIF. TR. POT. II. COS. II.

. . ELIVS. LARTIS. F.
. . RVM. CIMINIVM.
. . EA PECVNIA. VECTIGALIA
. . ONSTIET IN ANNOS.
15. GRAVIS . .L. . . Q I *vvv* D. C. XXV.

A

VII. CAESARI — — — IMP. CAESARI — — 87 CAESARI AVG. F. VESPASIANO IMP. III. — VESPASIANO AVG. COS. DESTINATO. II. PONTIF. TR. POT. II. COS. II. PONTIF. MAX. TR. POT. IV. PRINCIPI IVVENTVTIS PONI IVSSIT. S. Ursatus pag. 327.
C. PAPIRIVS. AEQVOS VII. LEG.

IMP. IX. P. P. COS. IV.
III. AVG. TESTAMENTO.
EX AVRI P. X.

B

L. VALERIVS. ZABDAE. MERCATORIS. VENALICI. L. ARIES SEV. STVPOR. EST. HVIC STVDIO. SIVE EST INSANIA. NOMEN. OMNIS AB HAC CVRA, CVRA LEVATA MEA EST. MONVMENTVM ABSOLVI, ET IMPENSA MEA AMICA TELLVS VI DEI, HOSPITIVM. OSSIBVS- QVOD OMNES ROGANT, SED FELICES, IMPETRANT- NAM: QVID EGREGIVM, QVIDVE CVPIENDVM. EST MAGIS QVAM VBI LVCEM LIBERTATIS ACCEPERIS, LASSAM SENECTAE SPIRITVM. IBI. DE. PONERE QVOD INNOCENTIS, SIGNVM EST MAXIMVM.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER

88

LIBER II. CLASSIS V.

DE RELIGIONE ET PIETATE Patavinorum in Templis, & Xenodochiis, ac piis locis condendis.

PRÆFATIO.

ETSI *de Antiquitate, & ornamentis urbis* Patavii, *magna, & permulta hactenus dicta fuerint: majora tamen, ac potiora adhuc extant, dicenda: quæ sane sunt multo sanctiora, & magis pia: utpote quæ ad veram, solidamque Dei Optimi Maximi laudem, magis quam ad inanem ullam mundi gloriam spectare videntur. Transgredimur enim nunc ad opus pietatis, unam omnium profecto præstantissimam hominis partem, quæ sane tota ad Dei laudem pertinet, & in Deo solo perficitur. Et hæc est* Patavinorum *pietas in dedicandis templis, & extruendis cœnobiis, xenodochiisque, & aliis piis locis, quorum hac in civitate, tanta copia est, quanta alibi præterea raris in urbibus reperiatur, quæ etsi ad communem laudem civitatis accedant, & superiori classe facile comprehendi potuissent, tamen quando & privata quædam nomina habeant, & permulta sint: malui ipsa proprium locum tenere ac seorsum sub proprio titulo describi, quam rebus aliis prophanis communiter commisceri.*

De Ecclesia Cathedrali & Fanis Parochialibus.



HIC ergo primum de Basilica Cathedrali dicendum est, quæ quidem licet vetustate, & dignitate jure cæteris Basilicis præsit, structura tamen (ut par est) hactenus minime præcellit, nec ea est specie, quæ tantam, tamque amplam civitatem deceat. Quo circa nunc munere *Francisci Pisani* Episcopi *Patavini* Cardinalis amplissimi, & venerabilium Canonicorum, nec non aliorum ejusdem Ecclesiæ sacerdotum ope, cœpta est à parte Occidentali laxius, & magnificentius ædificari, ac jam nunc in præclaram formam surrexit, qualis deinceps huic civitati, ut reliqua publica, & privata ædificia magno decori, & ornamento esse possit. Quod jure, & merito factum est: quando hæc una inprimis in tota *Italia* habeatur, locupletissima. Ascendit enim *Patavini* Episcopi proventus ultra undecim millia aureorum. Habet canonicatus item vigintiquatuor, & quatuor præposituras in templo, & in ipsis sacris solennibus post Episcopum dignitatis, & authoritatis aliquanto minoris, quorum reditus ultra x. millia aureorum summam excedunt. Qui quidem honoris gradus talis est ut non nisi spectatæ virtutis, ac nobilitatis hominibus deferri consueverit: Tametsi *Pauli IV.* Pontificis Maximi singularis, ac prope divina bonitas, incredibili munificentia nos nihil omnino tale cogitantes, in honestissimum hunc ordinem nostris erga illum, atque universam Christianam Rempublicam meritis longe majorem annis superioribus redegit. Habet custodes sex in officiis divinis: sex item quos mansionarios appellant: quibus animarum cura tota commissa est. Habet etiam plusquam triginta Capellanos in choro ad

A omnia divina officia, tam nocturna, quam diurna dispertitis quotidianis distributionibus residentes. Alios præterea extra chorum ultra XII. ad sacrificia quotidiana facienda, altari solummodo servientes. Habet juniores clericos ad xxx. præ- 89
bendatos, & cum his alios plurimos. Habet pro residentibus, uberes admodum & opimas, & quotidianas distributiones. Habet præceptorem grammaticum, & alterum musicum: cantoresque plurimos satis idonea mercede conductos. Habet denique ad usum sacrorum argentea vasa quamplurima. Beatorumque imagines ex argento conflatas: vestesque sericas, argenteas, aureasque insignes. Servatur hic insuper vas pretiosis-
B simum pro solenni corporis Christi cæremonia, summæ profecto pulchritudinis: ex argento & auro magni ponderis, tantoque artificio conflatum ac fabricatum, totque imaginibus exornatum, ut vere materiam opus longe superet: ac in eo genere non possit quicquam excogitari, aut pulchrius, aut magnificentius. Itidem servatur Tiara episcopalis, auro gemmis, & margaritis locupletissima, & alia denique complura egregia & speciosa ad divinum cultum facientia. Hanc Basilicam creditur primo constructam à populo fuisse, postea terræmotu dilapsam, à *Clero*, & à *Berta* Regina reparatam, & à *Milone* Episcopo consecratam: quod indicat epigramma incisum in lapide epi-
C styli, in medio templo.

ANNO DOMINI M.C.XXIV. INDICTIONE II.

ARTE MAGISTRALI MACILI ME STRVXIT AB IMO
CLERVS: TERRAE PRIMO MOTVS SVBVERTIT AB IMO.

Hæc eadem post fere trecentos annos fuit arcubus exornata à *Stephano Carrariense* Episcopo, cujus pater *Franciscus junior* urbis princeps ad ornatum postea templi donavit Ecclesiæ aream ad-

jacentem pro cœmiterio, ſicut legitur circa columnam ibidem erectam:

M.CCCC.I. ILLVSTRIS DOMINVS FRANCISCVS JVNIOR DE CARRARIA DOMINVS PADVAE, NATVS QVONDAM BONAE MEMORIAE MAGNIFICI, AC POTENTISSIMI DOMINI FRANCISCI SENIORIS DE CARRARIA, OLIM DOMINI PADVAE ANNO XI. SVI DOMINII COEMITERIVM HOC DONAVIT CATHEDRALI ECCLESIAE PADVANAE TEMPORE VENERANDI VIRI DOMINI STEPHANI DE CARRARIA FILII SVI, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ECCLESIAE PADVANAE ADMINISTRATORIS.

In hoc jacet corpus *S. Danielis* martyris, & aliæ ſanctæ reliquiæ.

De Eccleſiis parochialibus.

Subſunt huic cathedrali Eccleſiæ intra mœnia, ſex & viginti parochiales, & ſimul baptiſmales Baſilicæ, optime dotatæ: quibus præſunt proprii ſacerdotes, præſcriptam ſibi animarum curam, quiſque in ſua Eccleſia, exercentes. Ex quibus ſeorſum à cathedrali Eccleſia, una cum octo aliis ad id deputatis clericis fit congregatio: quam parochorum congregationem appellant: quæ quidem antiqua, & locuples, & admodum venerabilis eſt. Hi per ſingula fere urbis templa ſtatis diebus ſimul congregati officia defunctorum celebrant pro his, qui hæc ſibi juſta fieri annuatim teſtamento legarunt. In his eſt primicerius: ita enim vocitatur hujus collegii præfectus. Item eſt alter magiſter, qui curat reditus decimarum, & diſtributionum, quæ certis diebus, & quæ annuatim, ex bonis ipſius congregationis inter omnes diſpertiuntur. Quæ quidem diſtributiones mille ducatorum pretium tranſcendunt. Hi autem cum Eccleſia cathedrali ſupplicationes rite ſub uno eodemque crucis vexillo ſervato ordine frequentant. Atqui vero cum vocantur ad exequias defunctorum, omnes unam tantum parochialem ſecuti crucem, diſpartitis ex more eleemoſynis, omnes æquali portione participant: in ſuis vero ſolennitatibus omnes gratis invicem, alter alteri officioſe, & multa honeſtate deſerviunt. De hujus collegii diſtributionibus, nullus particeps fieri poteſt, niſi qui titulum Eccleſiæ juſtum in urbe habeat: & canonice ſit in aliqua parochia inſtitutus, nec fuerit cujuſvis alterius religionis regularis apoſtata.

90 ### *De monaſterio* D. Juſtinæ.

Inſunt etiam intra mœnia monaſteria monachorum quamplurima, ſed hæc in primis. Præclarum cœnobium divæ *Juſtinæ*, ubi inſtauratio religionis ſancti *Benedicti* exoriri primum cœpit: quæ ſubinde per totam *Italiam* propagata eſt: & appellantur monachi S. *Benedicti* ex congregatione *Caſſinenſi* Divæ *Juſtinæ de Padua*. Quæ quidem *Patavii* maxima eſt, & cenſu, & pietate una omnium exuberantiſſima. Hæc autem olim anno à Chriſti natali, diu ante milleſimum (ut legitur in privilegiis imperatorum, quæ adhuc in archivo Eccleſiæ noſtræ cathedralis ſervantur) caput erat *Epiſcopii Patavini*. Iſtud autem inſigne cœnobium tam amplum ædificiis, tam magnificum, tamque copioſum eſt, ut in univerſa *Italia*, vix par alterum reperias, quod huic merito anteponas. Surgit modo novum templum immenſæ magnitudinis, & eximiæ pulchritudinis, & omnium hujus civitatis ampliſſimum: ubi aſſidue inſudatur incredibili ſumptu ad perfectionem. Sunt autem hujus Abbatiæ reditus pene inæſtimabiles, neque quanti ſint, recte à quo quam judicari pro certo poteſt. Sunt tamen qui eos duplo Epiſcopatum ſuperare contendunt. Hic autem quieſcunt corpora ſanctorum Divæ *Juſtinæ* D. *Proſdocimi* D. *Maximi*, Beatorum *Urii. Rainaldi*, & B. *Jacobæ*, trium innocentum, & oſſa innumerabilium martyrum. Ferunt autem templum hoc fuiſſe olim templum Concordiæ, & aliquando Monialium, nunc autem monachorum, & caput omnis illius congregationis.

De cœnobio Pratalcæ.

Haud ab re fuerit cœnobio huic, ejuſdem familiæ locupletiſſimum alterum addere *Prataleæ* vocatum, quod eſt in collibus *Euganeis*, ad ſextum milliare extra mœnia, ædificiis frequens, ædibus religioſis, & ſpecioſiſſimo templo ſpectabile: Itidemque opibus, ac religione præcipuum: ubi frequenter, & annis fere alternis ob loci opportunitatem, ac tectorum amplitudinem pro peragendis negotiis religionis, & quæ ad Dei cultum pertinent, monachorum comitia ſancta fiunt.

De monaſterio S. Joannis *in Viridario.*

Nihilo ſane minoris exiſtimationis, etſi aliquanto exilioris reditus, extat hic *Patavii* inſignis ordo canonicorum regularium S. *Auguſtini*, ubi pulcherrimum templum, atrium, porticus, & ædes frequentes, & ſpecioſæ. Monachi autem habitu, doctrina, moribus, & ſanctitate vitæ, valde ſpectabiles. Eſt ibi veterum librorum Bibliotheca præ cæteris admirabilis. Cœptum autem fuiſſe hoc monaſterium legitur anno Domini M. CC. XXI. templum autem iſtud amplum anno M. CCCC. L. plus minus.

De monaſterio S. Mariæ *angelorum.*

Addas ſuperioribus annis eadem urbis plaga, in via ſcilicet aggeris, cœptum paupérculum cœnobium paucorum fratrum, ex familia S. *Franciſci*, pallio utentium ſuper tunicas: & ii dici volunt, Eremitæ tertii ordinis S. *Franciſci Longobardæ* congregationis. Sunt ii omnium in hac urbe fere noviſſimi, & adhuc propterea parum noti. Interim tamen Dei gratia, & piis Chriſtianorum eleemoſynis vitam ſuſtentant ſuam, eamque (ut arbitror) ſatis inopem.

De monaſterio D. Hieronymi.

Juxta eundem aggerem paulo ſuperius, videas, ſatis pulchrum templum cum monaſterio laudabilium fratrum mendicantium ex congregatione D. *Hieronymi* de *Feſulis:* qui ſunt viri, & vitæ integritate, & morum probitate venerandi. Hic locus erat olim extra mœnia, & fuit cœnobium virginum, à *Paduano Ricoleto* ædificatum: ut conſtat adhuc in tabula marmorea in pariete 91
juxta viam aggeris, his inſculpta carminibus.

HAEC IN HONORE PIAE DOMVS EST CONSTRVCTA MARIAE,
IN QVA DEVOTAE DOMINAE STANT VRBE REMOTAE.
MILLE QVATERCENTVM DOMINI LABENTIBVS ANNIS,
HAEC AVCTORE MANENT PADVANO DE RICOLETIS.

De

De prioratu Cruciferorum.

Proximum eadem regione ſurſum viſitur ſacellum, cum ædibus ſpecioſis, demolita vetuſtate pridem conſtructis: cui præficitur è cruciferorum familia, perpetuus magiſter, cum duobus monachis. Ego olim memini ibi in parte ædium fuiſſe hoſpitale peregrinorum. Illic enim antiquitus patebat porta civitatis: quæ olim ejectis *Carrarienſibus* juſſu *Veneti* Senatus interclusa muro fuit, & exitus ſublatus, ſicut modo, & pium iſtud hoſpitium ab uſu pauperum, in uſus monachorum converſum eſt.

De cœnobio Heremitarum ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Non hinc longe, ſed aliquanto inferius à dextera eſt pius ſane locus, & admodum religioſus, nec minus capax Eremitarum clauſtralium: qui in ſumma honeſtate vitæ degentes aſſidue ſacro cultui, & officiis divinis inſerviunt: & dicuntur Eremitæ D. *Honophrii* in urbe auctore *B. Petro Piſano*, qui quidem non profitentur cum cæteris monachis. Habent hi quoque aliud monaſterium *Liſpidæ*, intra valles *Euganeas* ſuperiori anno ſiccatas: ubi ex monte proximo lapidicina ineſt, unde exciduntur duri, & aſperi lapides, ad fundamenta, & ædificia conſtruenda maxime idonei, quibus univerſa civitas noſtra, in conſtruendis domibus, & cæteris ædificiis percommode utitur, quæ res non mediocre apportat illis vitæ commodum.

De hoſpitali D. Antonii Vienenſis.

Seorſum ad portam *Saonarolam*, ab eadem urbis parte, eſt templum D. *Antonii Vienenſis*, cum mediocri monaſterio *Camaldulenſibus* monachis noſtra ætate à ſede apoſtolica commendatum, ubi nunc duo tantum monachi reſident. Hic ædes amplæ ſatis habentur: quæ pro hoſpitio pauperum peregrinantium quotidie frequentantur: quales ſunt & apud S. *Jacobum*, & in *Prato vallis* ſub *Jeſu* nomine: & juxta portam S. *Crucis* quæ loca à ſodalitiis laicorum ad hunc uſum religioſe, pieque curantur. Sub protectione autem D. *Antonii* hujus aluntur ſues plurimi, qui per urbem illæſi aſſidue pererrant, & ob reverentiam D. *Antonii* tuto meantes ſine alio cuſtode paſcuntur: qui ab aliis hoc præſertim ſigno noſcuntur: quod ſunt aure altera paulo mutili.

De monaſterio S. Benedicti.

Haud procul hinc viſitur pulcherrimum templum D. *Benedicti*, noſtra ætate tribus teſtudineis fornicibus in ſublime elevatum: & monaſterium ibidem commode admodum conſtructum: in quo monachi ſancti *Benedicti* reſident, licet veſtium candore ab altera congregatione S. *Benedicti*, quæ appellatur D. *Juſtinæ* valde differant. Hic locus olim dictus eſt S. *Benedictus Novellus* à *Jordano Sforzateo* abbate viro nobili, & ſapiente ædificatus, qui demiſſo veteri monaſterio monialibus, poſtmodum appellatus eſt prior S. *Benedicti Novelli*. Hunc olim prioratum *Franciſcus Lignaminius Patavinus* prior, ductu divino ſpiritu, his monachis ceſſit, & libertati reſtituit.

92 *De monaſterio D.* Auguſtini.

Habetur inſuper *Patavii* à regione Occidentali juxta arcem auguſtiſſimum templum, & A ſpecioſiſſimum monaſterium D. *Auguſtino* Eccleſiæ Doctori dicatum: quod fratres ordinis prædicatorum inhabitant olim à *Patavinis* ſuper duodecim ingentibus columnis, ſex eximiis arcubus magnificentiſſime extructum, in quo præter cætera *Carrarienſium* principum ſepulchra viſuntur, egregii marmoris, & inſignis ſculpturæ ſpectanda, de hujus dicatione adhuc extant monumenta infra ſcripta.

Conceſſio primi lapidis.

B Jordanus Dei gratia Epiſcopus *Paduanus* ad inſtantiam & poſtulationem fratris *Guidonis* Prioris fratrum prædicatorum *Paduæ*, & fratris *Martini* Prioris fratrum prædicatorum *Venetiis* commorantium dedit eis primarium lapidem benedictum pro conſtruenda & ædificanda Eccleſia *Paduæ*, ad honorem Dei, & beati *Auguſtini*. Anno Domini M.CC.XXVII. indictione XIV. die V. Octobris. Notario *Turpino* quondam *Guati* filio.

Monumentum in tabula marmorea, quæ viſitur in fronte Eccleſiæ à parte Septentrionali.

C ANNO DOMINI M.CC.LXXV. INDICTIONE III. MENSIS AVGVSTI HOC OPVS FIERI COEPIT PER COMMVNE PADVAE, AD LAVDEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET BEATAE MARIAE MATRIS EIVSDEM: ET BEATORVM CONFESSORVM, AVGUSTINI, DOMINICI IOANNIS EVANGELISTAE APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI, ET STEPHANI, ET PETRI MARTYRIS, ET ALIORVM QVORVM ALTARIA SVNT HIC.

Extat alterum monumentum in ſacello ejuſdem templi.

D BEATVS PAPA BENEDICTVS ORDINIS PRAEDICATORVM TARVISINVS HIC EX MAGISTRO ASSVMPTVS IN CARDINALEM OSTIENSEM, HANC ECCLESIAM BEATI AVGVSTINI CVM MVLTIS EPISCOPIS CONSECRAVIT. M.CCC.III. MENSIS MAII DOMINICA ANTE ASCENSIONEM DOMINI.

De cœnobio S. Mariæ *in* Vantio.

E Eſt in hac ipſa urbe in *Vantio* vico, ſatis locuples, & inſigne cœnobium ſacerdotum ſecularium, ſancti *Georgii* in *Alga de Venetiis*, hactenus in optima opinione, & vitæ ſanctitate degentium: ubi eſt ſpecioſiſſimum templum aris frequens ſuperioribus annis reſtitutum priſtinæ dignitati, ac ſpecioſius reformatum. Anno Domini, M.D.XX.

De monaſterio S. Mariæ Gratiarum.

Superius aliquanto in eodem *Vantio* ad *Pratum Vallis* per hæc tempora à fundamentis conſtrui cœpit perpulchrum cœnobium, & ingens templum à *Patavinis*, quod olim cœptum fuerat F extra portam *ſanctæ Crucis* ad Baſſanellum, & appellatur ſancta *Maria gratiarum*, locus iſte amœnus eſt, & miræ voluptatis. Hic degunt fratres prædicatores obſervantiæ ſancti *Dominici*, de numero mendicantium: qui divinis officiis, & ſacrarum literarum ſtudiis intenti confeſſionibus, & ſacris concionibus omne ſtudium, & quotidianam operam impendunt.

De monachis Capucinis.

93 Intra quoque mœnia prope ipsam portam *S. Crucis*, proximis annis cœptum est pauperculum cœnobium fratrum minorum antiquæ, atque ob id simplicioris observantiæ, quasi primi ordinis *S. Francisci*, vilissimo habitu quotidiano victu, veram omnino pauperiem profitentium, utpote in diem viventium, & nihil de crastino cogitantium: & unicam tunicam super nudam carnis pellem, tam hyeme, quam æstate induentium: & pro majori parte nudis pedibus incedentium. Verum si qui sunt ex his infirmiores, sandaliis apostolicis utuntur: non autem ligneis socculis, ut cæteri observantiæ *Franciscinæ* cultores.

De monasterio & insigni templo S. Antonii *confessoris*.

Regredior nunc ad sublimiora opera, in quibus *Patavinorum* pietas, una cum munificentia clarius elucescit. Extat enim *Patavii* inter cætera præclara ædificia, celeberrimum, & magnificentissimum cœnobium, & templum *D. Antonii* confessoris, quem quamvis omnes vulgo dicant *de Padua*, ipse tamen ex *Ulissiponensi Lusitaniæ* civitate ortus est, & utrobique perpetuo ob innumerabilia miracula colendam sui nominis memoriam dereliquit. Fuit is ex sacra minorum fratrum familia, natione *Hispanus*, sed quum *Patavii* humanis cœlestia commutans ad meliorem vitam migrasset, in præclaro hoc templo tumulum sortitus est, ubi tunc forte minoritæ D. *Francisci* normam vivendi colebant. Quod postea non prius beatæ *Mariæ*, sed B. *Antonii* confessoris templum est appellatum, quod sane eximia sua magnitudine, reliqua templa, quæ modo *Patavii* cernuntur, longe præstat. Id enim quinque testudinibus altissimis plumbo tectis, cum duabus altissimis turribus tecto in cœlum tollitur: solum vero ejus totum marmoreo pavimento, & nitore non parvo refulget. Hic olim delubrum *Junonis* vulgo fuisse perhibetur, & postea oratorium B. Virginis. Quod autem in tantam molem creverit, evenit profecto, ex miraculorum frequentia, & magnitudine, quæ in hanc diem ob merita, & intercessionem hujus sanctissimi viri Deo ita volente perdurant. Quatenus tantæ rei per universum orbem terrarum ita longe lateque fama percrebuit: ut Christiana religio alterum patronum vix habeat, præter immaculatam virginem Dei matrem *Mariam*, quem ob quotidiana miracula huic D. *Antonio* pio cultu præponat: quemve donariis ditioribus, aut ardentioribus precibus pro salute in maximis periculis impetranda crebrius interpellet. Quare merito huic D. tam augustum, atque insigne templum erectum est: ut inter magnificentissima totius orbis ædificia, vel præcipuum existimari jure possit: & est tantæ in hanc usque diem venerationis tam apud nostros, quam apud omnes exteras nationes, ut multi non ex *Hispaniis* tantum, aut ex *Ulissiponensi* urbe, & *Portugalliæ* regno, sed etiam ex utraque *Germania* ad nos veniant: qui templum hoc, & Divi hujus Aram, & sanctas reliquias suppliciter venerentur, & colant, tanquam sanctissimi hominis sepulchrum. In cujus paterna, atque avita domo, rex *Portugalliæ* (ut audio) usque in præsentem diem honoris ergo, ex antiquo illius regni instituto *Ulissiponæ* suorum semper procerum concilium indicere consuevit. Ad hoc opus exornandum, ac perficiendum *Patavini* tunc singulis annis de publico ærario quatuor millia librarum, usque ad ab-

A solutionem operis liberaliter impenderunt. Anno autem Domini M. CCC. VII. opus illud perfectum est. At quinta testudo aliquot annis postea extructa fuit, de collatis in unum donariis, & oblationibus multorum populorum ibidem sua quotidie vota solventium. An. Domini M. CCCC. XXIIII. Nunc autem exornatur ei speciosissimum sacellum marmoreis imaginibus, mira arte, & studio elaboratis ejus miracula referentibus. In vestibulo hujus templi supra arcum portæ Occidentalis hoc carmen legitur,

MILLE DVCENTENIS VNO CVRRENTE
B TRIGENIS
ANTONIVS FRATER VENIT AD ALTA
PATER.
CVIVS AD EXEMPLVM SACRATVM VISITA TEMPLVM,
EXPIA NVNC VOTO, FOEMINA VIRQVE
NOTO,
NVNC REGNAT PLENVS, QVI VIXIT PAVPER EGENVS, 94
HISPANVS GENITVS, PADVAE TVLIT ESSE COLONVS.

C

De monasterio D. Francisci.

Extat item *Patavii* haud procul inde ab ea regione insigne templum D. *Francisci* superioribus annis ingeniosissime adauctum, cum latissimo, & commodissimo monasterio Fratrum minorum ibi religiose, & in voluntaria paupertate Christo servientium: qui tamen sunt juxta illud Apostoli dictum, *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*. Sunt item primo ab urbe lapide extra mœnia ejusdem familiæ, & ordinis fratres minores cum monasterio, & templo D. *Ursulæ*, dicatum olim pium hospitale peregrinantium. cujus reditus nunc additi sunt hospitali Lazareti ad effu- D gandum epidimiæ morbum comparato: nihilo minori sane pietate conspicuo.

De monasterio Eremitarum.

Consimili pietate in illis antiquis temporibus *Patavini* extruxere templum Eremitarum S. *Augustini* ex tignis pro ædificando prætorio comparatis: quæ cum minus idonea ad tantum opus reperta fuissent, a Republica eo deducta fuerunt. Est id sane templum magnum & speciosum, cui adhæret nobile monasterium à peregrinis monachis assidue frequentatum, qui undique eo stu- E dendi causa conveniunt: ubi divinis officiis, simulque studiis dant operam. Quo autem anno hoc templum erectum dicatumque fuerit, extat marmorea tabella, à parte Septentrionali ipsius chori his verbis insculpta:

CAPELLA HAEC FVNDATA FVIT, ANNO M. CC. LXIIII. PRIMO DIE MAII.

De monasterio Carmelitarum.

Conspicitur extra pontem molendinarium, ad portam *Caudam longam* perpulchrum templum una cum monasterio fratrum *Carmelitarum* F a *Patavinis* Deiparæ Virgini bis extructum. Primo quidem sub *Honorio* Pontifice Maximo anno M. CC. XII. translato inde exiguo virginum collegio, postea nimio nivium pondere pressum exorto non parvo terræmotu, nocte corruit: quæ proxima erat diei conversionis D. *Pauli*, anno M. CCCC. XCII. Postmodum vero partim super fundamentum, partim super novum addita sublimi testudine plumbea multo speciosius refectum est, quam prius fuerat ædificatum: additis aris fre-

frequentibus dextra lævaque inter se de excellentia certantibus.

De monasterio D. Pauli.

Juxta eundem pontem interius visitur templum D. *Pauli* olim antiquum xenodochium pauperum, & infirmorum: nunc recens cœnobium monachorum è familia servorum Virginis *Mariæ*: cujus reditus additi sunt hospitali Lazareti. Locus vero, & ædificium pauperculis monachis concessum: & satis apte reparatum.

De monasterio S. Mariæ *Servorum.*

Ejusdem familiæ intra portam Turricellarum à Septentrione extat templum, & laudabile cœnobium D. *Mariæ* Servorum ubi olim fuerant Ædes *Jacobi Carrariensis:* quo perduellionis reo à principe facto, penitus demolitæ fuerunt, & à *Fina Burzacharina Francisci Carrariensis* uxore postea in templum & monasterium conversæ.

95

De cœnobio Jesuatorum.

Extra pontem S. *Sophiæ* ab Oriente adest satis insigne cœnobium fratrum Jesuatorum religiosum sane templum cum horto amplissimo, quod olim ipsum xenodochium S. Spiritus fuisse comperimus: cujus reditus & facultates additæ sunt xenodochio Lazareti. Jesuitæ autem humiles homines sunt, sine ullo sacro ordine, & absque literarum disciplina idiotæ, qui in sancto vitæ instituto cum magna humilitate ostiatim victum quæritant: funebres lampades in exequiis defunctorum deferre soliti: & aquas destillatas ex cunctis herbis medicinalibus ægrotantium usui habere venales.

De prioratu S. Simeonis, *&* Judæ *nunc dicto S.* Francisci parvuli.

Nihilo dispari modo ab Oriente cernitur delubrum D. *Francisci* cognomento *Parvuli*, in quo resident duo tantum monachi, induti candidis vestibus, cum pallio secundum regularem institutionem, quæ dicitur *Humiliatorum.*

De collegio fratrum Alemanorum *nunc autem sacerdotum nominis Jesu.*

Occurrit juxta pontem *Pedochiosum* prope flumen ditissima Abbatia olim equitum *Alemanorum*: postea vero *Andreæ Lipomani* patricii *Veneti*, & Almæ trinitatis *Venetiarum* prioris, viri admodum religiosi, & in pauperes omnium liberalissimi: qui proximis annis cognita vitæ sanctitate sacerdotum novi collegii de nomine Jesu nuncupati, ex permissione *Pauli* III. Pontificis Maximi locum hunc illis cessit. Hic nunc erudiuntur pueri civitatis, gratis & in grammatica, & simul in fide, & dogmate vere catholico, ut imbibant simul cum rudimentis bonarum literarum, mores etiam Christianos, & orthodoxæ fidei documenta. Ab his ex officio audiuntur confessiones, & prædicatur Evangelium, & bene vivendi præcepta, atque exempla traduntur.

De cœnobio S. Salvatoris.

In eodem loco juxta urbis mœnia introrsus in ripa fluminis, ædificatur novum delubrum S. *Salvatoris*, cum amœnissimo viridario, muris undique cincto, impensis *Danielis Bragadini* patricii *Veneti*, cura & studio *Bernardini Scoti Sabini*, tunc quidem in collegio clericorum regularium domino

A serventis, nunc vero in collegium Cardinalium à Summo Pontifice Paulo IIII. ejusdem collegii autore acciti, & necessariis universæ fere Ecclesiæ negotiis præsidentis. De hoc tam insigni murorum circuitu, & cœptis tam præclaris quid futurum sit, aliis, & judicandum & scribendum relinquo. Nos interim optime speramus. Est ibi nunc perquam commoda, amœnaque & fabris habitatio, ad eorundem clericorum regularium usum & aëris mutationem, qui *Venetiis* in collegio S. *Nicolæ*, pie sanc̄teque degunt, ubi olim *Joannes Petrus Caraffa* Archiepiscopus *Theatinus* post rejectum Episcopatum, aliquandiu B humilis & abjectus in sancta, & spontanea paupertate tamdiu latuit, donec primo Cardinalis à *Paulo* III. creatus est: qui postea electus Pontifex Maximus *Paulus* IIII. dictus est, quem ad reformandum S. Ecclesiam à Deo, tanquam *Aaron* vocatum fuisse creditur. Vivat modo, & ut cœpit diu feliciter perseveret.

De vigintiquatuor cœnobiis Virginum.

Habet hæc civitas cœnobia virginum intra mœnia duodeviginti, extra vero in territorio sex, omnia fere satis magnis opibus & præ- C claris ædificiis ornata (quod est præcipuum) veræ honestatis opinione cunctis bonis probata. Omnibus autem supereminet, & ædificiorum magnificentia & sacrarum virginum numero, & divitiarum proventu monasterium D. *Stephani*, cui in audiendis confessionibus annos duodeviginti ex mandato Episcopi nostri præfuimus.

De templo & cœnobio S. Mariæ *montis* Ortoni *extra mœnia.* 96

Extructum est superioribus annis à fundamentis speciosum templum & insigne monasterium D ad radices montis *Ortoni* juxta fontem aquarum ferventium, ædificiis, donariis, & maxima adventantium quotidie populorum frequentia gloriosum, & admirabili auspicio, miro quodam initio Deiparæ Virgini consecratum. Etenim à partu Virginis an. M. CCCC. XXVIII. *Petrus Falzonius* homo rusticus ei loco vicinus, cum gravissimis cruciaretur ulceribus, & nulla medicorum remedia sibi proficerent, contulit se eò ad balneum juxta radicem montis, in quo quotidie plagas suas salutari aqua certis horis diei fovebat: adiensque interdum fontem alterum paulo inferius è subterraneo montis specu scatentem, illic E aqua gelida sese abluere, & potu reficere solebat. Huic ibi oranti ex improviso visa est offerre se virgo *Maria* supra omnem humanæ pulchritudinis formam speciosissima, à qua visus est moneri, ut sibi eodem loco templum extrueret, ubi tabellam sua insignitam effigie inveniret: & quod statim pristinam erat incolumitatem corporis accepturus. Quod ei in ipso temporis momento contigit. Is autem confestim & oraculum, & miraculum istud confidenter prædicare cœpit, & inventam Virginis imaginem cunctis ostendere, & incolumitatem sibi ab ulceribus repente redditam palam facere. Unde brevi ap- F probato per *Petrum Donatum Venetum* tunc nostræ urbis Episcopum, miraculo concursu populorum undique facto, magnisque atque innumeris indies frequentatis miraculis, templum construi cœptum est, & locus, qui prius incultus & sylvestris prorsus fuerat, amœnissimus factus. Subinde & sacra ædes speciosissima erecta, & monachis eremitanis insigne cœnobium fabricatum, & in hunc diem tanta populi frequentia, diebus singulis, & præsertim festivis, salutan-

tium, ac vota exſolventium celebratum, ut nullus in urbe, quantumvis ſacer locus adeuntium populorum frequentia, aut devotione ſit huic merito conferendus. Et idcirco hic à nobis locus iſte una cum auctore tanti operis merito celebratur.

De monaſterio S. Danielis *in monte.*

E Regione autem montis *Ortoni*, extollitur ſeorſum à cæteris collibus, collis amœnus S. *Danielis*, ubi ædificatum eſt ſpecioſum monaſterium in quo monachi honeſtiſſimæ vitæ ordinis Canonicorum regularium Sancti *Salvatoris Venetiarum* in regulari obſervantia, & vita ſancta morantur.

De monaſterio S. Joannis Baptiſtæ *montis* Vendæ.

In iiſdem *Euganeis* collibus excelſior cæteris, eſt mons olim *Veneris*, nunc *Vendæ* vocatus, admodum fertilis & amœnus: ubi pulcherrimum monaſterium monachorum montis *Oliveti*, cum ſpecioſiſſimo templo & magnificentiſſimis ædificiis, & jucundiſſimo cultu, quod quidem undique arridens, omnem regionem longe lateque ſpeculatur. Viſiturque ſæpe à compluribus, & præſertim in feſto Decollationis, D. *Joannis Baptiſtæ*, in menſe Auguſto: quo die oſtenditur ibi ſacer illius digitus, quo Chriſtum diſcipulis ſuis dum in terris ageret, oſtenderat, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Eodem item die à ſodalitio laicorum, quod *Patavii* in baptiſterio ſtatis diebus colligitur, devote viſitatur, à quo de more ibidem, pro eleemoſyna, panis, & faſeoli cocti diſtribuuntur cunctis accipere volentibus. Hic locus venerabilis eſt, & in officiis divinis ab illis monachis die noctuque (ut decet) religioſe frequentatus.

97 *De monaſterio* Riperiæ *extra mœnia.*

Idem fit ab ejuſdem familiæ monachis in vico *Riperiæ*, qui deorſum eſt in loco plano: ubi eſt & templum, & monaſterium perpulchrum: quod officiis ſacris, & Abbatiæ titulo ſupradictis cœnobiis par eſt: ſed opibus aliquanto inferior: ut vix perfecta obſervantia ſolita, præ paucitate monachorum fieri rite poſſit. Quocirca cum ejuſmodi familia *Patavii* in pulcherrima urbis regione, & admodum amœna nuper propter pontem, & portam nunc à fronte poſitam frequentiorem populi acceſſum habeat: ſunt qui non male conſulant ex duobus unum fieri monaſterium: & monachos qui *Riperiæ* commorantur ad S. *Benedictum*, *Patavium* transferendos: ut ſint qui in urbe populi frequentiæ in quotidianis ſacrificiis faciendis abunde ſerviant: id etiam optavit olim frater meus *Joannes Maria* hujus ordinis monachus quum adhuc juvenis œconomus Abbatiæ utriuſque fuiſſet, & omnium redituum prudentiſſime cognitionem habuiſſet. Id enim quod optarat, ſi diutius ſupervixiſſet, profecto ſibi ex ſententia ſucceſſiſſet. Contigit enim id de ponte, & porta curante *Joanne Baptiſta Rhamnuſio* x. virûm conſilii Senatus *Venetiarum* à ſecretis, quod conjecerat aliquando futurum. Obiit ille ſalutis anno M. D. XX. porta autem ab urbis præſidibus *Rhamnuſii* precibus aperta eſt, & amnis tranſitus lapideo ponte datus) anno natalis Domini M. D. LI. Verum poſtea ab eodem *Rhamnuſio* porta ipſa, *Andreæ Navagerii Patricii Veneti*, viri doctiſſimi, ac *Hieronymi Fracaſtorii Veronenſis* præſtantiſſimi poëtæ, æneis imaginibus una cum antiquorum Aræ pervetuſta dicatione

A ex ruinis *Salonæ* urbis *Dalmatiæ* eruta, diligenter exornata eſt. Pons ipſe effectus eſt vicinorum impenſa, ut ibi inſculpto hoc perbrevi epigrammate legitur:

DEBES VIATOR MVNVS HOC VICINIAE,
QVOD AERE PONTEM STRVXIT HVNC LIBENS SVO,
BREVIS PATERET VT TIBI IN FORVM VIA.

De Eremo Rhuæ.

Proximus *Vendæ* in iiſdem collibus *Euganeis* ſuB ſpicitur *Rhuæ* mons, qui annis proximis aſper, atque incultus, ac prope neglectus erat. Nunc autem poſtquam ab *Hieronymo Seſſa* Eremita *Camaldulenſi* doctiſſimo & ſanctiſſimo viro coli cœpit, illuſtratus eſt, & ibi perpulchrum delubrum conſecratum: domunculis ſeorſum ſingulæ ſingulis, cum hortulis eorum Eremitarum de more deputatis. Quæ omnia mira celeritate conſtructa ſunt, auxilio & favore bonorum, & in primis *Balthaſaris Mauri* patricii *Veneti*, nec non *Galeacii Bigolini* egregii viri, & non minus probitate, quam inſigni pietate conſpicui. Similiter & *Antonii Muſati* nobiliſſimi civis noſtri: C nec non & ope ſacerdotis admodum venerabilis *Aurelii Scapini* ab adoleſcentia mihi in hunc diem arctiſſimis conſuetudinis nexibus, & indiſſolubili amicitiæ vinculo colligati. Hic ergo locus horum ſtudiis, & favoribus, cultu, curaque ac labore eorundem Eremitarum ibi commorantium factus eſt aſcenſu facilis, frugibus fertilis, & amœnus aſpectu, ut ſit cunctis adeuntibus non mediocri admiratione ſpectabilis. Utpote qui nunc ſit tam jucundus, qui antea tam horribilis, nunc fructibus, & pridem ſpinis, & ſentibus oppletus: ac denique tam cultus, qui nuper deſertus, & inacceſſus fuerat. Reperta ſunt, tamen D ibidem antiqua veſtigia oratorii olim cœpti: cujus rei etiam publica monumenta hactenus in ſcriptis inſtare noſcuntur. Eſt ſiquidem in hujus vertice clivus apertus, & delectabilibus, latis & planis ſemitis circumcinctus, & à meridie cupreſſis, & ceraſis, caſtaneis, vitibuſque, & fructiferis arboribus ubertim conſitus. Hinc longe lateque proſpectus patens, undique ſpectantibus arridet: quatenus *Aurelius* noſter *Scapinus* nullibi melius quam illic ineffabilis Dei beneficia meditari ſe credat: & propterea ſibi & amicis, ære proprio ibi domunculam ædificavit, ut illic interdum pro libito procul à frequentia, in E ſolitudine libere valeat commorari, & vacare Deo. Hic autem modo Eremitæ eleemoſynis piorum hominum, & cultu telluris, quem propriis ipſi exercent manibus, ſatis dure quidem, 98 ſed tamen admodum pie tranquilleque in Chriſto vitam agunt. Hunc morem inſtituit *B. Romoaldus* anno ſalutis M. CCC. IV. ſub priori obſervantia *Camaldulenſis* ordinis revocatum.

De monaſterio S. Mariæ Carcerum.

Deſcendendum eſt modo è collibus in planum deorſum, & ditiſſimum monaſterium *S.* F *Mariæ* in vico *Carcerum* juxta *Atheſte* oppidum, referendum. Ubi templum, & cœnobium ſtat antiquiſſimum, prædiis, & prædialibus decimis locupletiſſimum, ubi olim reorum cuſtodia ex Carcerum nomine fuiſſe vulgo perhibent, at ego potius puto à carceribus equorum dici, qui inde in circo ſeu ſtadio de celeritate certantes, emittebantur ad curſum: quoniam ille locus carceres appellari ſolet, quo coërcentur equi, ne inde exeant antequam ſignum detur. Unde Cicero. *No-*

Nolim (inquit) *decurso spatio ad carceres à calce revocari.* Et id verisimilius est locum istum sic dici, quam carcerem fuisse noxiorum, qui in urbe intra mœnia ad terrorem improborum in medio conspectu hominum solet ædificari. Hujus autem cœnobii monachi sunt ex familia *Camaldulensium*, ibi religiose degentes.

De monasterio S. Michaelis Candianæ.

Extat quoque in agro *Patavino* XIV. ab urbe lapide, in vico *Candiano* in latis campis ad meridiem juxta valles insigne monasterium S. *Michaelis* Canonicorum regularium S. *Salvatoris*, *Venetiarum* divitiis, ac monachis, & cultu divino percelebre: cui pratum adjacet latitudinis mille & quingentorum passuum, muris circundatum ad equorum armentum pro tempore pascendum sine custode paratum. Est quoque ibi delubrum antiquum, & monasterium amplissimum primo ædificatum à nobili viro *Conone Calaonio*, ut ex hac inscriptione ibi reperta dignoscitur:

DOMINVS CONON DE CALAONE HVIVS MONASTERII CONSTRVCTOR ANNO DOMINI M.C.V.

Quod quidem monumentum anno Domini M. CCCC. XCIII. Canonici regulares ejusdem monasterii reparatores renovato templo, novo etiam lapide exsculpi curarunt.

De monasterio Carthusiensium.

Ad tertium miliare à Septentrione extra portam *Caudam longam* ultra *Brentam*, hac ætate ædificatum est amplum cœnobium *Carthusiensium* monachorum, titulo S. *Bernardi*: quod olim sub mœnibus juxta eandem portam stabat amplissimum: sed post bellum *Maximiliani* Cæsaris M.D.IX. in devastatione pomerii ad vicum *Aggeris* ultra amnem translatum est, & ibi quoque magnificentissime constructum, nondum tamen ad plenam operis consummationem perductum.

Piæ Ædes Lazareti.

Item extra mœnia ad mille & quingentos passus ab Occidente ultra ripam amnis, qui *Brentella* vocatur, ad pestis perniciem tollendam, ædificatum est insigne ædificium circuitu latissimo, murisque cinctum, ædibusque tricliniis, cubiculis, ac tectis undique concameratum ne comburi possit cum delubro, & ara ornatissima, & sacro cœmiterio. Quod quidem superioribus annis ex propriis reditibus reædificatum fuit, ac in eum locum repositum. Erat enim olim foris in suburbio juxta mœnia ad portam omnium sanctorum, in monasterio, quod olim dicebatur Monialium Sanctæ *Mariæ Fistumbæ*: quæ inde migrantes in monasterium Sancti *Stephani* intra mœnia cum suis reditibus transierunt: & Lazaretum (ut dicitur) ibi tunc amplissimum erectum fuit: quod postea una cum aliis suburbanis ædificiis ad muniendam urbem dirutum, & erutum penitus fuit: salutis anno M.D.IX. Hoc autem novum opus cum nondum ad summum fastigium pervenisset, anno M.D.LV. satis gravi pestilentia in urbe oborta, ineunte Augusto frequentius adiri cœptum est, & ægris, suspectaque tabe infectis repleri: ubi observatum est eo morbo infra trium mensium spatium utriusque sexus, & cujusque ætatis circa quadringentos eo morbi contagio periisse. Hujus autem annui reditus ad octingentorum aureorum summam ascendere plerique affirmant.

Xenodochium S. Lazari.

Est quoque ab Orientali urbis parte extra mœnia hospitium cum delubro *Lazaro* sancto dicato, affectis lepra, & ulcere quovis pessimo laborantibus præparatum, cui præficitur sacerdos ad curam animarum, & laicus, qui pro redituum modulo hospitandos, & alendos infectos lepra procurent.

Xenodochium S. Francisci.

Insunt præterea in hac urbe permulta pia loca, & collegia spiritualia maxime veneranda: in quibus principem locum tenet xenodochium S. *Francisci*, olim à *Baldo Bonifacio* cognomento *Plombino* cœptum anno M, CCCC. XXVIII. & postea à *Sibylla* ejus conjuge plene perfectum & indies morientium divitum legatis multo impensius locupletatum, & auctum. Hic assidue aluntur, & curantur infirmi adhibitis omnibus necessariis ad animæ, & corporis salutem. Hic atrium, & ædes amplissimæ, ubi insunt plurima lectisternia ad utrumque anni tempus præparata, Est & elegans officina aromataria, medicamentorum omnium instructissima. Hujus annui reditus tria millia aureorum nummûm prævalere creduntur.

De Collegiis Laicorum.

Sunt & alia XXVIII. collegia spiritualia hominum secularium, e cunctis ordinibus: quibus singulis singula sunt oratoria perpulchra, & aulæ amplissimæ, nec minus speciosæ, cum altaribus rite consecratis: ubi preces sacræque cæremoniæ pie ac religiose ad impetranda sanctorum suffragia, & consequendam facilius peccatorum veniam, statis diebus aguntur. Inter hæc autem quatuor præcipua sunt, quorum reditus pro exercendis pietatis operibus octo ducatorum millia transcendere dicuntur. Ex quibus autem quatuor, unum est collegium S. *Antonii* confessoris, alterum S. *Jacobi*, tertium S. *Mariæ* cognomento ab *Arena*, juxta templum Eremitarum: ubi adhuc Arenæ antiquæ vestigium apparet. Hic autem locus Arenæ olim erat speciosum theatrum, ubi spectacula publicitus edebantur. Hic area orbicularis antiquis parietibus ex lapidibus quadratis (ut vestigia ipsa indicant) circumdabatur. Hic introrsus delubrum est insigne, cum ædibus magnificentissimis, hortoque amœnissimo, olim *Ludovico Medierotæ* patriarchæ, modo *Fuscaræ* familiæ *Venetæ* usui domestico deputatis. Cunctis vero aliis sodalitiis secularibus, Charitatis schola, ditissima sane est, ac in primis frequens posita è regione templi D. *Francisci*, cujus reditus & proventus recte, pieque a secularibus viris ex omni ordine honestis, & probis annua vicissitudine procurantur. Qui quidem nunc beneficio piorum legatorum in tantam excrevere copiam: ut annuatim quinque millibus aureis æstimentur, & pluris, & omnia vel ad alendos pauperes, vel ad vestiendos egenos, aut matrimonio locandas inopes virgines, vel in eleemosynam XXII. sacerdotum, diversis in locis sacra facientium, quot annis accurate expenduntur.

De monte Pietatis.

Etenim quæ hactenus dicta sunt, & si admodum laudabilia certe sunt, laudabilior tamen esse videtur Pietatis mons: Quem anno M. CCCC. XCI. suadente B. *Bernardino Tomitano Feltiensi* ex sacra familia Minoritarum eximio concionatore, & viro nominis celebritate, doctrinæ præstantia ac

ac vitæ ſanctitate cunctis probato, favore & ope
100 *Petri Barocii Veneti* Epiſcopi *Patavini*, haud minoris ſanctitatis, ac pietatis viri. Qui quidem mons ad hunc diem auſpiciis populi *Patavini*, adeo cumulate adauctus eſt, ut triginta octo aureorum millium nummum ſummam tranſcendant: præter magnam pecuniarum quantitatem, quæ ibi vel ſponte à civibus, vel in ſequeſtris à privatis hominibus quotidie reponuntur. Hujuſmodi autem pecuniæ dantur mutuo indigentibus, ſub quocunque pignore. Verum pro fœnore, quod Judæi pro unoquoque centenario xx. annuatim exigebant. Mons Pietatis quinque tantummodo exigit, & id pro ſolvenda miniſtris, & operariis mercede, & pro expenſis aliis, quæ annuatim in ea re fiunt: ne quando ex ea impenſa peculii ſumma, quæ reperitur in ſorte, paulatim ex ea mercede deficiat. Hæc autem merces non exigitur niſi pro pignoribus ultra xxx. ſolidos: nam citra xxx. datur mutuum poſcentibus gratis. Id vero reſidui, quod præter operariorum impenſam ultra ſortem ſupereſt: totum in pauperes, & in pias cauſas erogatur. Partim vero pro locandis in matrimonium Virginibus civitatis, inter ſodalitia artificum quotannis ſorte ductis: partim Orphanis, & monaſteriis mendicantium, quatenus ex eo lucro fœneratitio (ſi ſic debet dici) nihil prorſus ſuccreſcit ſorti. Creſcit autem indies ſors, ex oblationibus piis, quæ ſingulis annis collatione facta per nobiles cives, & per omnia ſodalitia tam ſpiritualia, quam ſecularia in Paſchate publice fiunt. Quod ſane augmentum fere quotannis ad cccc. aureorum ſummam conſcendit. Summa autem expenſarum in cuſtodibus, notariis, aſſidentibus, cenſoribus, magiſtris, & aliis ejuſdem negotiorum miniſtris, ter mille, & quingentos aureos complet. Relegatæ ac penitus rejectæ ob id pie factum *Patavio* xxii. menſæ fœneratoriæ Judæorum: quæ eiſdem ex uſuris illicitis annuatim afferebant pluſquam xx. aureorum millia. Indicta eſt inſuper gravis mulcta, ſi quis eorum amplius ſub uſuris cuipiam fœneretur: quod decretum uſque in hodiernum diem feliciter ſtetit: & in poſterum (ut ſpero) ſtabit. Ærarium autem univerſale habetur ſub maxima cuſtodia in loco tutiſſimo juxta prætorium. Ædes vero ſeptem ſparſæ ſunt in media urbe, ubi erogantur ubique pecuniæ, & pignora ſervantur: quas ſingulas, ſinguli nobiles annuatim cum ſua familia inhabitant. In eo tamen cavetur diligenter ne quis ad id muneris aſſumatur, niſi idoneos prius fidejuſſores præbuerit, in omnem eventum malum reddendæ per eos omnimodæ talionis.

De Camera pauperum.

Habetur inſuper hic *Patavii* aliud pium ærarium in Epiſcopali palatio pro egenis ſubveniendis, licet parvum, Camera pauperum nuncupatum. Cui Epiſcopus, & duo ex civibus præſunt: à quibus ſacerdos præficitur rerum adminiſtrator: qui ſit moribus, & vitæ probitate conſpicuus, qualis nunc *Bartholomæus Caligarius*: qui ultra xxx. annos huic pio operi gratuito deſervit, & ſtudioſe procurat, ut ejus in dies proventus impenſius augeatur: qui nunc c. & l. tantum aureis æſtimatur præter pecuniarias mulctas ab Epiſcopo in coercendis clericis ſæpe illatas, quæ juxta Canonicas ſanctiones à reis, & convictis perſolutæ Chriſti pauperibus erogantur.

De Xenodochiorum numero.

Olim quando frequentius undique peregrini pro impetranda venia peccatorum *Romam* confluere conſueverant, ſingulis portis urbis, aderant duo Xenodochia: ſcilicet intra mœnia, & extra, ſicut & aliis quoque Oppidis & Vicis qua peregrinantium frequens tranſitus erat, ita ut eſſent numero xxiiii. nunc vero hoſpitia hujuſmodi pauca admodum ſunt, & quædam ad privatos uſus ſub falſo nomine prioratus converſa, & eo titulo, uti Eccleſiæ aliæ ſæpe ſolent, indignis commendata, præter quatuor ſcilicet S. *Antonii* de *Vienna*, S. *Leolini* ad Pratum Vallis, & S. *Crucis*, & S. *Jacobi*, quæ à collegiis ſecularium inſigni adhuc pietate ſervantur, & S. *Franciſci* quod legum Doctorum Collegio procuratur, ubi non mediocris ægrotantium numerus aſſiduus hoſpitatur, alitur, & curatur.

De illuminatis & converſis Mulieribus. 101

Eſt item locus D. *Magdalenæ* proximis annis dicatus apud S. *Sophiæ* Ædem, ut quemadmodum Virginibus locus datur, in quo ſeſe perpetuæ caſtitati devoveant: ita & corruptis, & proſtitutis fœminis non deſit peropportuna ab impudicitiis tandem ſuis ſeſe reſipiſcendi ſtatio: quo videlicet à Satanæ tyrannide Dei gratia liberatæ poſſint miſellæ fœminæ ſicut ad aſylum (ſi quando velint) liberè confugere, & ſeſe collocare in tutum, & ibi agnoſcentes errorem ſuum, valeant peractæ impudicitiæ perpetuam pœnitentiam agere. Hæ modo uſque ad quadragenarium numerum ibidem ſponte obcluſæ, labore manuum ſuarum, ac eleemoſynis piorum victitant: & edoctæ legere, orationibus & diurnis, & nocturnis pariter perſolvendis, pie ſancteque juxta ritum S. *Romanæ* Eccleſiæ conſtanter invigilant: ita ut nullis monachis quantumvis obſervantiſſimis, in his ſint merito poſtponendæ: quin & obſervantia, & pœnitentiæ rigore potius iſtorum quam plurimis præferendæ.

De Pupillis & Orphanis.

Nihilo minoris pietatis locus eſt in hac civitate in Vico Omnium Sanctorum, Pupillis, & Orphanis deputatus, ubi congregati pueri, puellæque omni parentum auxilio deſtituti, hoſpitantur, aluntur, veſtiuntur, & quotidianis eleemoſynis communiter educantur, quatenus ſuo labore, aut ſervitio alere ſemetipſos poſſint. Huic rei viri quidam probi ſingulari quadam pietate, ad hoc muneris ſuſcipiendum allecti, fideliter inſudant, & ejuſmodi pium negotium viciſſim adminiſtrant. Quod quidem opus inſtitutum fuit anno ſalutis M. D. XXVII. &, Dei gratia, uſque in hodiernum diem in melius perſeverat: & quum anno præterito abſumptæ incendio hæ piæ Ædes fuerint, in elegantiorem modo formam ſunt præſenti anno ita reſtitutæ, ut incendi rurſum minime valeant.

Piæ Ædes pro Infantibus expoſititiis.

Etenim inter omnia quæ ad pietatem Chriſtianam attinent, & quæ abunde à majoribus noſtris maxima cum civitatis laude hactenus excogitata fuerunt, & cunctis vehementer probata, ultimo fere loco dicere contigit, licet inter pietatis opera (ut arbitror) primum, & præcipuum locum teneant: id eſt inſignes, & ampliſſimæ expoſitorum infantium ædes, quæ merito DOMUS DEI appellatur: ubi tuto furtivi partus, & nothi, & clandeſtini clam noctu exponuntur. Et id quidem eſt veluti ſera, qua aditus ad infandam abortionis nequitiam, vitiatis ſæpe puellis occluditur, & occaſio tollitur ne filiorum ſuorum impiæ matres parricidæ aliquando fiant. Ii namque ſic in hoc loco expoſiti baptizantur, at-

que

A

que aluntur: vel à nutricibus, quæ ad hoc opus eo in loco perstant: vel ab aliis nutricibus, intra, vel extra mœnia habitantibus. Hujus annui reditus sunt circa quatuor millia aureorum, qui quidem à viris nobilibus, ac probis recte administrantur. Hic olim *Antenoris* tumulus repertus fuisse perhibetur, & simul librarum argenti plusquam XXX millia effossa, Anno salutis. M.CC. LXXIII.

De Præfectis Monasteriorum.

B

Laudandum quoque in eo est publicum studium, & pia *Patavinorum* diligentia, quod singulis annis creantur præfecti Ecclesiarum, & præsertim *D. Antonii* confessoris, ad cujus honorem pro gratiis impetratis multa præclara, pretiosaque donaria, auro, argentoque confecta à Christi fidelibus quotidie offeruntur, præter reditus reliquos, qui pro sartis, tectisque sacrarum Ædium quotannis in hos usus obveniunt. Hi autem duûmviri sunt, quibus præcipua cura est, ne ejusmodi reditus à propriis monachis, aut ab aliis improbis in alios deteriores forte usus vertantur. Certus autem proventus ejusmodi nunc est D. aureorum plus minus. Hos duûmviros, Arcæ *D. Antonii* Præsides consuevit civitas appellare.

De Schola publica Grammaticæ. 102

Probandum quoque maxime censeo affectum liberalem, & pium erga patriam, & cives suos *Annibalis Rugerii* juris utriusque consulti, & in foro aliquando clarissimi advocati: qui cum careret liberis, juris consultorum collegio hæreditatem suam hac obligatione reliquit, ut post ejus obitum institueretur Grammaticæ præceptor, qui esset & Græcæ & Latinæ linguæ peritus, quique doceret pueros adolescentes gratis, & pro mercede laboris jussit eidem præceptori annuatim aureos ducentos pro se & adjuncto sibi didascalo solvi.

CLASSIS. VI.

DE SANCTIS AC BEATIS ET DE Episcopis & viris insigni sacerdotio præstantibus.

PRÆFATIO.



ON me latet, quanto decori sit cuilibet civitati virtutis ac gloriæ clarissimorum civium suorum commemoratio, qui patriam suam rebus præclare gestis, & celebritate sui nominis illustrarunt: alii armis, alii literis: alii alio quopiam opere magnifico atque præclaro, vel belli, vel pacis tempore, ubique semper illustres. Cæterum nemo mihi præclarius de patria bene mereri videtur, quam qui eam sanctitate vitæ, ac moribus, & exemplis, piisque precibus, plusquam armis, aut literis ornant, instruunt atque defendunt. Qui quidem sicuti olim in terris, ita & nunc in cœlis pro suis civibus apud Deum fideliter intercedunt. Et ii quidem quanto rariores esse solent, tanto sunt præstantiores habendi. Atqui neque tales quidem nobis viri desunt, insigni sanctitate præclari: qui nostro huic volumini merito interserantur. Quare cum de his mihi hoc loco dicendum sit, ab iis primum initium sumam: qui prius & præstantius eximia vitæ sanctitate claruerunt. Quocirca sicuti primum ab Antenore Trojano, *quod* Patavinis *principium dederit, exordium sumpsi, ita nunc à* D Prosdocimo *præsentem classem merito ordiendam putavi. Qui licet* Græcus, Patavinis *tamen primus omnium Christianam religionem invexit, & Evangelicam doctrinam abunde hic, & circumquaque in vicinas civitates de fluento Christianæ pietatis effudit.*

De Divo Prosdocimo *Episcopo.*



ivus ergo *Prosdocimus* natione *Græcus*, nobilibus parentibus genitus, literarum studiis eruditus, à *B. Petro* Apostolo ad fidem Christianam conversus, & ex *Antiochia*, cum eodem *Romam* profectus: cum esset annos natus XX. tantæ constantiæ fidei, eruditionis atque continentiæ fuerat, ut *Petro* Apostolorum principi dignus

C

sit visus, qui nulla habita ætatis ratione Episcopus consecraretur, & *Patavium* in partes *Venetiæ* ad evulgandum Christi evangelium mitteretur. Is igitur urbem ingressus, illico crebris concionibus, & curandis infirmis, & effugandis dæmonibus occupatur. Admiranda tunc sane prodigia, & signa magna in nomine Jesu Christi summa populi admiratione peregit. Accersitus propterea, à *Vitaliano* civitatis principe, sive urbis præfecto, quem diu gravis ægritudo lecto ita detinebat afflictum, ut nullis remediis sanari posset, mox ut ad hunc ingressus est, audito

Christi nomine, protinus ab illa imbecillitate & ægritudine convaluit: de cujus salute omnes medici paulo ante diffidebant. Exinde suscipiens is
103 Apostolicam fidem ac religionem, cum uxore *Prepedigna*, ac tota fere civitate baptizatur: ædificavitque (ut fertur) tunc *B. Prosdocimus* Basilicam *S. Sophiæ*, ad Jesu Christi gloriam; qui Dei sapientia est: in qua sacerdotes ad rem divinam faciendam complures instituit. Inde pertransiens admirabili felicitate hoc idem facit, *Asili*, *Feltriæ*, *Belluni*, *Concordiæ*, *Opitergii*, *Altini*, *Tarvisii*, *Acceli*, *Atheste*, *Vincentiæ*, & in aliis vicis & oppidis circumjacentibus. Atqui tandem senio confectus ætatis suæ ultra XCIII. & c. annum progressus, VIII. Idus Novembris obdormivit in Domino. Vixit in Episcopatu annos XCIII. & menses V. dies XV. Corpus autem ejus jacet *Patavii* in Basilica *D. Justinæ*, in arcula marmorea sub terram defossa, in sacello ab *Opilio* patricio in honorem sepulturæ ejus extructo quod extat. Arca autem magna, quæ nunc ibi visitur, vacua est, & tumulatis ibi reliquiis sanctis imminet. Hoc autem audivi à fide digno monacho, qui eas se vidisse mihi testatus est, sancteque juravit.

De D. Maximo *Episcopo* Patavino.

Successit in Episcopatu II. à *D. Prosdocimo Maximus*, honesta sane ac nobili familia *Patavii* natus. Verum cum de hoc ipso *Maximo*, deque illis temporibus nihil certi sit nobis, de eo quoque nihil aliud pro certo affirmare possumus: nisi tantum conjicere illum sanctitate vitæ, facundiaque & eruditione cæteris præstitisse: is enim scripsit historiam de vita *B. Prosdocimi*, quam postea in incendio urbis periisse conjicio. Hæc autem quæ nunc habetur ab alio postea condita fuisse, ex stylo ipso & dictione cognoscitur. Quum nihil ergo aliud certi de eo habeamus, mirandam illam corporis ejus sacratissimi inventionem, nequaquam hic prætereundam putavi: ex qua facile dignosci potest, quantæ sanctitatis atque innocentiæ vir iste fuit: cujus reliquiæ tantæ curæ cœlestibus fuerint. Legimus igitur in antiquissimis fideque dignis monumentis anno salutis nostræ M. LIII. *Henrico* II. imperante, cum *Patavina* civitas in pravam hæresim cecidisset, & ob id anathematis vinculo multis jam annis constricta & obligata jaceret, evenisse ex divino consilio, ut *Bernardus Maltraversus* vir catholicus, eo tempore *Patavii* crearetur Episcopus, qui cum insignem probitatem una cum magna pietate haberet conjunctam, die noctuque nullo temporis spatio intermisso, deum superosque rogabat, ut oves sibi commissæ pastori suo & ovili dominico, & gregi catholico redderentur. Quod dum assidue facit, apparuit ei in somnis vir quidam facie venerabilis, amictus panno albo, dicens: Deum jam statuisse omnem pestem *Patavio* amovere: idque impetratum jam esse à Sanctis viris, quorum corpora intra *D. Mariæ* Virginis, & *S. Prosdocimi*, in templo *D. Justinæ* delitescebant: quæ olim ibi tempore *Attilani* excidii defossa fuerant. Hac visione perterritus Episcopus, diu hæsitans quid facto opus esset, tandem indicto jejunio, constanti fide ad orationem reversus, instantius rogare cœpit, ut quicquid id esset visionis, certius appareret. Secundo igitur super eadem re admonitus, nihil jam amplius hæsitans, habito clericorum conventu, & congregato populo, præmonstratum locum adiit, primusque ante alios accepto rastro fodere cœpit, cæteris illico opus hujusmodi subeuntibus: mox autem terra sic agitata, miram quan-
A dam odoris suavitatem spirare cœpit, subinde splendor exoritur, quo splendore singulos astantium admirabilis stupor invadit, atque interim lachrymæ lachrymis, & preces precibus, & clamor clamoribus commiscentur. Atqui tandem arca marmorea ferreis laminis circumcincta effoditur: quæ adhuc superest: & tabula lapidea his literis insculpta: MAXIMUS EPISCOPUS *Patavinus* II. *Julianus* Patricius vir nobilis, qui sanctos hos innocentes *Hierosolymis* huc apportavit: & Felicitas Deo consecrata. Contigit autem ad completionem tantæ rei eodem ferme tempore, *Leonem nonum* Pontificem Maximum natione
B *Germanum* in *Pannoniam* ad pacandos & firmandos in fide *Ungaros* proficisci, qui cum *Patavio* Dei nutu pertransiret, humaniter ab Episcopo & clero exceptus, ac honoratus, prout pontificia dignitas exigere videbatur, ad ædem sacram *Divæ Justinæ* deducitur, ut & ipse recentia miraculi tanti vestigia propriis oculis cerneret. Qui singula intuitus, & intimo corde rem complexus, eodem loco sacrosanctum Christi sacrificium celebravit, civitatemque ab anathematis vinculo 104
publice omnibus benedicens, absolvit: sancivitque ut deinceps, tam *Maximus* Episcopus, quam cæteri ibidem inventi pro sanctis colerentur: at-
C que ut præcipui, & tutelares *D. Patavinæ* civitatis haberentur. Quod & à populo firmatum est, & usque in præsens tempus ab Ecclesia *Patavina* servatum. Suscepit autem *Maximus* Episcopatum anno à natali Dominico C. XLI. Vixit in Episcopatu annos secundum aliquos XXV. & inde migravit ad superos.

De S. Daniele *martyre.*

Daniel martyr *B. Prosdocimi* Episcopi Levita, *Patavii*, licet *Hebræa* natus familia: cum constantissime Christianam fidem populum pa-
D lam, publiceque doceret, ab urbis præfecto comprehensus, inter lapideam & ligneam tabulas clavis ferreis confossus, hoc genere martyrii, inter cœlestes reliquos meruit habere triumphum. Anno salutis C. LXVIII. Hujus autem corpus aliquandiu fuit hominibus ignotum. Sed cum *Ulderichus* Episcopus *Patavinus* piis orationibus instaret, ut omnipotens Deus gregem suum, & universum populum *Patavinum* in vera Christi fide, & Catholica religione constantius roboraret: quod intervenientibus sanctorum precibus, facile consequi posse sperabat: accidit anno salutis M. LXIIII. ut cæco cuidam in *Hethruria* per
E quietem juvenis quidam levitico habitu indutus appareret, visum sibi pro mercede promittens, si *Patavium* pergat, & in Basilica *D. Justinæ* corpus *B. Danielis* martyris investiget, humi, haud procul ab Ara *D. Prosdocimi* conditum. Is ergo tanta mercede allectus, & de pollicitis nihil diffidens, *Patavium* statim contendit, & monasterium *D. Justinæ* ingreditur, remque omnem monachis exponit: rogatque ut per eos sibi liceat ea nocte, in templo in orationibus pernoctare. Annuentibus illis, noctu inter orandum per visum ostensus est ei locus, ubi quæsitus thesaurus defossus latebat. Quare mox ubi illuxit, Episco-
F pus accersitur, & populus convocatur, cæcus locum assignat, & fossoribus præest. Quid multis? humo nondum penitus effossa, parvo labore repertum, ac cognitum est, quod homines diu ante latuerat. Ibi namque martyris corpus constrictum inter duas tabulas, ligneam & marmoream suavissime, & ultra quam cogitari possit, mirifice redolens invenitur. Quo facto extemplo cæco visus redditur: & omnium ordinum homines, qui tunc forte aderant, miro stupore re-

replentur, laudantes, & benedicentes deum. Interim vero tantæ, & tam novæ rei fama per totam civitatem diffusa undique confluitur, & innumera miracula fiunt, & ita hinc precibus, hinc lachrymis, hinc gaudio, tota civitas agitatur. Locus autem subterraneus in hunc diem integer est: in quo venerabile illud corpus tam diu latuerat. Episcopus autem *Bernardus* postea cupiens his sanctis reliquiis exornare Ædem suam cathedralem: egit cum monachis, ut corpus illud eo transferendum concederent, & ne ingratus cuiquam videri posset, in præmium tam pretiosi muneris amplissima ruris *Lignarii* prope urbem prædia Abbatiæ remisit, quæ pridem ei ex paterna (ut dicitur) hæreditate contigerant. Interim vero non minus mirabile dictu accidit. Cum enim jam sacratissimi corporis translatio fieret, non sine densa concurrentis undique populi multitudine, illico ubi intra mœnia primum receptum est, sistunt ex onere supra modum pressi, & defatigati portantes. Hinc nec vis ulla, nec artes quantumvis ingeniosissimæ reliquum itineris perficere valent. Quocirca Episcopus cum universo populo tali facto perterritus nuncupatis suppliciter votis de construendo ibidem templo, sub titulo *S. Danielis*, statim progressus antea nescio quomodo inhibitus, facilis datur: nec ullum amplius obstitit impedimentum, quo minus in templum cathedrale corpus illud tanto miraculo repertum deportaretur, ubi ad hoc usque tempus feliciter quiescit. Celebratur autem hujus inventio tertio nonas Januarii: Translatio vero facta ad novam Capellam M.CC.XCV. fit tertia dominica Maji. Jacet nunc in arca marmorea, ubi informibus notis insculptum est hoc Epitaphium.

HIC REQVIESCIT MARTYR DANIEL LEVITA.

105 *De* B. Juliano *Patricio* Patavino.

De *B. Juliano* Patricio, quod & genere, & religione nobilis fuerit, satis superque per ea quæ superius scripta sunt fuisse dignoscitur. Is enim studio pietatis *Hierosolyma* profectus trium innocentium sanctissimas reliquias huc transtulit: nulli nec labori, nec impensæ parcens, ut patriam suam thesauro tanto, tamque pretioso ditaret. Vixit iste florente adhuc *Patavina* Republica diu ante urbis excidium. Ne mireris quæso lector studiosissime, quod hunc inter sanctos connumerem, cum eodem in loco, cum sanctis aliis inventus, à Summo Pontifice una cum reliquis inter Divos relatus fuerit.

De S. Syro Patavino *Episcopo IX.*

Post aliquot annos successit in Episcopatu *B. Syrus Patavinus*, Episcopus nonus: qui prædecessorum suorum mores imitatus, cum oves sibi commissas verbo, exemploque abunde pavisset, & multa perpessus amore Christi incommoda stetisset invictus, nec minus etiam, quam quisquam antea miraculorum splendore enituisset: merito & ipse moriens inter Divos relatus est: & templum illi in agro *Patavino* dicatum: à quo pagus adjacens, de ejus nomine hodie ab omnibus *S. Syri Villa* appellatur. Obiit autem anno salutis CC.II. Quo autem in loco corpus ejus jaceat hactenus ignoratur.

De D. Leolino *Episcopo* Patavino *XI.*

In eadem sede successit *B. Leolinus* Episcopus undecimus, obscuro forsitan loco natus: tanta tamen, & tam illustri sanctitate perfulsit, ut non immerito nunc à cunctis fidelibus honoretur. Extat ei sacellum sacrum juxta Pratum Vallis, ubi sepultus est, in arca lapidea: & nunc vulgo *Violinus* appellatur. Vixit in Episcopatu annos XII. quem susceperat anno Domini CC.XXXII.

De S. Hilario *Episcopo* Patavino.

Ad procurandam populi *Patavini* salutem *Hilarius* à Domino electus Episcopus fuit: qui & signis, & miraculis supra modum claruit, & ob id in numerum divorum relatus. Is quidem natione *Romanus* fuerat, sed factus Episcopus, tanquam *Patavii* regeneratus, visus est mihi ad decus civitatis: ut hic, sicut inter Episcopos, ita & inter *Patavinos* cives, sit merito recensendus, & eo magis quod in hujus honorem dicatum fuit ei celeberrimum templum juxta æstuaria *Adriatici* Maris, olim *Baduasiorum* Principum Reipublicæ *Venetæ* sepulchris insignitum, à quo postea usque hodie Vicus de hujus Sancti nomine *S. Hilarius* nominatur. Annumeratur is inter Episcopos *Patavinos* XVII. Defunctus est anno Domini CCC.XLVI.

De B. Savino Fontana *Episcopo.*

In hac Beatorum Classe merito connumerandus est *B. Savinus Fontana* à *Monte Silice* virtutibus & genere nobilis: qui quamvis magnis divitiis præstaret, tamen ob Christi amorem, fluxa & vana cuncta æstimans, spretis omnibus hujus mundi deliciis, Christi crucem complexus est: & Episcopus creatus, in tanta animi constantia, & carnis depressione, & vitæ sanctitate perseveravit, ut martyrio, & multis miraculis claruerit: & ubi e mundo migraverit, ab oppidanis, & ab aliis omnibus, in maxima veneratione semper habitus. Hujus corpus in *Monte Silice* in Basilica *D. Pauli*, in Arca marmorea collocatum est: & ejus Natalitia ibidem celebrantur. Quibus autem temporibus, & quale martyrium sustinuerit, & cujus civitatis Episcopus fuerit hactenus nullibi legimus. Custodia autem clavium, quibus hæ sanctæ reliquiæ clauduntur gentilitio jure debetur, *Cumanæ* genti, olim de *Fontana* nuncupatæ, antiquissimæ hujus oppidi familiæ.

De B. Severiano Daulo *Episcopo XXI.* 106

Cum *Venetiarum* urbis gloria toto orbe terrarum, longe lateque præfulgeat, non est fraudandus honore tam auspicatissimi cœpti auctor *Severianus Daulus* Civis, & Episcopus *Patavinus:* qui primum in ea urbe Deo Opt. Max. templum consecravit, nomine *S. Jacobi* Apostoli in *Rivalto* quod hodie quoque summo in honore ab omnibus habetur. Ibi enim tunc de more piis precibus deum exoravit, ut quicquid populus in templo fideliter petierit, impetraret. Quod ex eo manifeste apparet, quando hæc urbs, ædificatione fere novissima, dignitate tamen honoreque & gloria tantum præstat, ut non inter primas *Italiæ* tantum: sed & inter totius orbis civitates ab omnibus sine ulla controversia numeretur: ut jam de ea nunc merito idem dici possit: quod olim de *Roma Maro* dixerat, *Eclog. 1. vers. 25.*

Verum hæc ante alias tantum caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Atqui III. anno ex quo *Rivaltum* ædificari cœptum est, cum *Patavini* (ut refert *Joannes Baptista Egnatius* in principio fere de exemplis illustrium *Venetorum*) casas quasdam struxissent: nec templum alicui numini dicassent, quod neque de

loco, neque de sumptus ratione convenirent: Dei providentia factum est, ut repente ignis, ex architecti domo noctu erumpens, continuato incendio, quatuor & viginti domos absumpserit. Verum cum vis flammæ nulla humana ope, remediove extingui posset, *Patavini* ad preces conversi *D. Jacobo* templum vovent, si à tanta ignis immanitate, ac sævitia liberentur. Annuerunt piis votis superi, & statim *D. Jacobo* templum ædificatum est, quod adhuc summæ, ac venerandæ vetustatis extat, à *Severiano* (ut jam diximus) Episcopo felicissime consecratum. Fundamenta hujusce templi *D. Jacobo* apostolo. ex voto erecti jacta fuere Christianæ salutis anno CCCC. XXI. die XXV. Martii *Zosimo* Romano Pontifice *Honorio* imperante dedicatio celebrata sequenti anno eodem die per quatuor Episcopos, *Severianum Patavinum*, *Illarium Altinatem*, *Jocundum Tarvisinum*, & *Podium Opiterginum*. Cura vero felicis sacerdotis primum delegata, ac vetustate jam fere aboleta comperta sunt industria natalis regia Canonici *Cenetensis* qui electus plebanus M. D. III. templo in splendidiorem formam instaurato, ut ædificationis, consecrationis, instaurationis, & electionis monumentum posteritati relinquere, ac hoc marmore notanda curavit. *Severianus* ergo moribus, doctrina & vitæ sanctitate excellens, ita inter cives suos ea tempestate refulsit, ut unus ex omnibus fuerit, cujus consilio omnis fere civitas regeretur. Assumptus autem fuit ad Episcopatum anno salutis humanæ CCC. XXI. & fuit vigesimus primus in ordine, & vixit Episcopus annos octo, & in pace factus est locus ejus.

De B. Joanne Patavino *Episcopo XXIII.*

Non minoris sanctitatis, sed majoris infelicitatis à nobis, nunc referendus est *Joannes* Episcopus: qui cernens *Patavinam* civitatem, ex quo tempore in *Arrianam* perfidiam prolapsa fuerat, bis dirutam, ac incensam fuisse, supra modum doluit: quasi jam desperatis rebus omnibus quod tot cladibus, totque ærumnis affecta, nihilo efficeretur melior: statuit in *Metamaucum* oppidum quod quondam *Portus Medoacus* dicebatur, deserta *Patavii* cura confugere: ibique & summi Pontificis permissu feliciorem sibi sedem parare. Condidit hic ergo cathedralem templum, quod ibidem multo tempore perseveravit: donec scilicet ædificia cuncta assiduis tempestatibus maris labefactata, fatiscentibus jam fundamentis arenæ impositis, multaque vi ventorum impulsa, & fluctuum æstibus decussa, corruere: & à mari absorpta fuerunt. Quamobrem inde ad fossam *Clodiam* postmodum sedes Episcopalis translata est, quæ usque in hanc diem ibidem feliciter perseverat. Is fuit vigesimus tertius Episcopus anno Domini CCCC. LVIII.

De Nicolao Patavino *Episcopo.*

Vixit *Nicolaus Patavinus* in Episcopatu an. XII. Obiit autem an. Domini D. XVIIII. Quid autem is per hæc tempora fecerit, & quomodo vixerit, nulli annales nobis quicquam sufficienter insinuant.

107 *De* Beato Petro Liminiano *Episcopo* Patavino *XXX.*

Petrus quoque *Liminianus Patavinus* ad Episcopatum virtutum suarum gratia electus fuit, vir nobilis, & fidelis, & Dei amicus, qui a *Longobardis* gravissima mala perpessus est: tamen patienter cuncta ferens liberatus à malis omnibus A migravit ad Dominum Anno salutis D. LXXVIII.

De Tricidio Fontana *Episcopo* Patavino.

Non multo post anno Domini D. C. XIX trigesimus tertius Episcopus *Patavii* creatus est *Tricidius Fontana Patavinus* vir sapiens, & nobili genere natus: de quo, ut de cæteris insignibus viris, qui per ea tempora floruere, nihil nisi id tantummodo nomen comperi, & ejus sepulchrum: quod est in Cathedrali Ecclesia loco subterraneo dicto Subconfessione: ubi adhuc extat hoc epitaphium.

B HIC REQ. IN PACE TRICIDIVS EPISC. HVIVS
SANCTAE PAT. ECCL. SEDIS, QVI SEDIT
ANNIS XXVI. M. VIII. ET FVERVNT
OMNES DIES VITAE EIVS QVIBVS
VIXIT ANNIS LVI. M. IIII. OMNES
ROGO ORATE PRO REQVIESCENTE

De Beato Vitale *Episcopo XXXV.*

Magnum sane præbuit vere religionis exemplar *Vitalis* Episcopus *Patavinus*, qui obscuro quidem genere natus, sed clarus propria virtute ad apicem Episcopalis dignitatis meruit C sublimari. Is in sacratissima *D. Justinæ* Æde: quæ tunc Episcopatus juris erat, sepultus est an. Domini D. C. IX.

De B. Petro Picaurio *Episcopo LVIII.*

Interferendus est hoc loco *Petrus Picaurius*, Episcopus *Patavinus*, vir nobilis, & in fidei catholicæ negotio præstantissimus defensor: qui quum impia illa *Arrianorum* hæresis, adversus *Romanam* Ecclesiam fere per universam *Italiam*: & præsertim in hac *Transpadana* regione acrius debaccharetur: pro tuenda Christi Ecclesia: multas & enormes passus est ab impiis hæreticis per- D secutiones: quæ omnia, ut vir mitis, & mundi contemptor, per biennium patienter sustinuit. Atqui tandem biennali afflictione (tantisper enim vixit Episcopus) vitam sibi peperit æternam. Obiit anno incarnationis dominicæ D. CCCC. XXII. Post ejus obitum per annos XXX. vacavit sedes Episcopalis: & *Patavina* Civitas nullum gregi suo Pastorem per ea tempora certum habuit.

De Gauslino Transalgardo *sive* Capilistio *Episcopo LXII.*

E Post annos quinquaginta duos, ex quo Episcopalis sedes valde vexata fuerat, desinente tandem aliquanto persecutione infidelium Barbarorum, successit in Episcopatu *Gauslinus Transalgardus* vir nobilis, magnæque pietatis ac religionis, & sapientiæ singularis, qui summo studio, tum opibus, tum consiliis patriæ suæ adhuc jacenti, ubique præsto fuit: procuravitque ut populus, & clerus sibi commissus ab imminenti infidelitatis peste ad pristinam fidei puritatem resurgeret: & sanæ doctrinæ verbo, & propriæ sanctitatis exemplo in melius verteretur. Is inter reliqua suæ pietatis opera, quæ quamplurima F sunt, Templum *D. Justinæ*, tunc præcipuum Episcopi locum à *Longobardis* incensum, & funditus eversum, instauravit, auxitque, & locupletavit. Tandem ab initio sui pontificatus anno XII, & à partu virgineo C. M. LXXVIII. moritur, & cum magno omnium mœrore, & funeris pompa in eodem *Divæ Justinæ* templo sepelitur.

De Beato Bernardo Maltraverso *Episcopo LXV.*

Non minoris animi fuit *Bernardus Maltraversus Patavinus* Episcopus, nobili quidem loco natus, sed longe nobiliori animi constantia præditus, qui cum Ecclesiæ *Patavinæ* præesset, quæ ob suas obstinatas hæreses adhuc diro anathematis vinculo tenebatur (ut paulo ante dice-
108 bam) non ad desperationis profugium, sed spe plenus ad pietatis opera, & ad orationis remedium, animum contulit, die noctuque in pascendo grege sibi commisso, corpore æque ac spiritu vehementer intentus. Quare gratiam absolutionis primum à Deo Optimo Maximo deinde à Summo Pontifice divinitus impetravit. Huic enim, ut alibi diximus, cum de *S. Maximo* diceremus, nocturno tempore inter quietem apparuit *B. Maximus* ejus prædecessor dicens à se primum, & ab aliis sanctis à Domino esse tandem *Patavinis* horrendi sui flagitii veniam impetratam. Ex hoc ergo divino responso Dei Optimi Maximi & summi Pontificis *Romani* interventu civitas à tam diro anathemate liberata est, & populus ob manifesta miracula abnegata prorsus hæresi ad fidem rectam reversus, ultro *Romanæ* Ecclesiæ sese submisit. Hujus igitur tempore constantissime civitas *Patavina* in sacrosancta Christi fide confirmata est. Vixit Episcopus annis VI. excessit è vita anno Domini M. LIX. Hujus reliquiæ humi jacent in medio sacræ Ædis nostræ cathedralis, sub lapide imagine Episcopali insculpto cum epitaphio frequenti contactu pedum ita penitus deleto, atque absumpto, ut legi omnino nequeat.

De Sancto Bellino *Episcopo & martyre LXXI.*

Non videor mihi ab re facere, nec à proposito recedere si *D. Bellinum* martyrem hujus civitatis Episcopum, quamvis *Germanum*, brevibus verbis attingam. Is siquidem magis quam prædecessores sui Episcopalem hanc sedem cohonestavit, & auxit. Nam cum fideliter oves sibi divinitus commissas, fideliter ac summa sedulitate pasceret, & à lupis custodiret pastor ipse in lupos incidit, & crudeliter devoratus est. Qui quidem propter sanctissimos vitæ suæ mores, & miracula, quæ per eum post ejus mortem Dominus mirabiliter operatus est, in numero divorum à Summo Pontifice relatus, merito, in hunc usque diem à cunctis veneratur, & colitur. De hujus autem martyrio dicemus, ubi de *Thoma Capinigro* ejus interfectore dicendi opportune locus occurret. Passus est autem anno Domini M C.XLIX. sanctificatus ab Ecclesia Catholica in terris. M. C. L.

De Beato Crescentio Campi S. Petro *presbytero.*

Hic mihi deinceps juxta diversorum temporum ordinem de *B. Crescentio* viro sanctissimo dicendum videtur, qui quum ortus esset ex nobili familia Comitum *Campi S. Petri*, nihil de mundi honoribus nihil de sanguinis nobilitate sollicitus, ad veram Christianæ fidei religionem animum applicuit suum: & in Dei honorem ad sacerdotalem ordinem promotus est: non sicut nostræ tempestatis permulti solent, ob inanem quandam, ac brevi perituram gloriam: sed, ut ad serviendum domino gratior redderetur. Is siquidem ex propriis reditibus, partim Christo, partim sibi
A pro tenui victu, & vili amictu reservatis, de reliquo extrui jussit in Ædibus suis monasterium *S. Ceciliæ*, velatis Virginibus deputandum. Quod postmodum ob nimiam arcis vicinitatem dirutum fuit, & ad monasterium *S. Agathæ*, à Principibus *Carrariensibus* subinde translatum. Anno Domini. M. CCC. LXXIIII. Ædificavitque sacram Ædem *S. Lucæ*, ubi nunc conditus jacet, is sane fuit vir eximia vitæ sanctitate insignis: qui tum in vita, tum etiam post mortem aliquandiu miraculis claruit. Nunc vero vel præsidentium ibidem sacerdotum negligentia, vel quod hominum refriguit charitas, paucis notus est: & à
B paucis debito honore salutatus. Ædificavit autem utrasque Ædes sacras anno Domini M. XC. nec multo postea pro recipienda sui laboris mercede felix migravit ad superos.

De B. Jordano Forzzateo *Abbate.*

Nullo jure poterat indictus hoc loco præteriri Beatus *Jordanus Forzzateus*, vir magnæ pietatis, nec minoris excellentiæ, Prior Sancti *Benedicti Novelli* nuncupatus. Hujus etenim sapientia, & consiliis tota fere Respublica *Patavina*, ea tempestate regebatur: utpote ad quem (si
C quando de rebus magnis consultandum fuerat) tota civitas tanquam ad *Romanum* illum senem 109
Catonem, confluere solebat. Quocirca licet, & veræ pietati, & sanctæ religioni omni ex parte addictus esset: tamen propter auctoritatem, & singularem suam sapientiam, qua plurimum valebat, inter Senatores in Republica principem locum, & primos honores semper obtinuit. Is enim sibi in illis periculosis seditionibus in vertice montis *Meruli* castrum munitissimum sibi ædificavit: cujus etsi parva, tamen adhuc aliqua extant vestigia: quod nunc ad *Calciarum* familiam devenit. Erexit insuper duas Ædes sacras *Divo Benedicto*,
D alteram virginum: alteram monachorum: quibus ipsemet Abbas præfuit. Is etiam in nimia dissensione Reipublicæ & maximo totius civitatis tumultu, persuasit populo *Patavino*, ut sexdecim viri crearentur ex omni nobilitate constituendæ Reipublicæ causa: qui publicis rebus optime consulerent: & prudentissime præcaverent: si quæ forte insidiæ à quoquam tam intra mœnia quam extra in agro pararentur. Veruntamen haud multo post per hos ipsos sic præfectos pecunia corruptos, vel deceptos potius, urbs ipsa sub nomine *Friderici secundi* Imperatoris, *Acciolino* immanissimo Tyranno prodita est. Qui mox
E ex Vicario Imperatoris factus civitatis Tyrannus, misit *Bonacursium Forziateum*, qui *Jordanum* ad se accerseret. *Jordanus* autem quamvis sciret Tyrannum supra modum sibi infensum esse, & suspicaretur quod esset futurum: tamen cum jam esset confectæ ætatis, noluit turpi fuga vitæ consulere: sed dispositis rebus suis domesticis, intrepidus adivit *Acciolinum*: at illico à *Saracenis*, qui tunc sub *Acciolino* militabant, captivus in castellum *Tarvisinum* sancti *Zenonis* perducitur: & ibi arctissimo carcere tamdiu occluditur: quousque ab Imperatore eo carcere liberatus, *Bertholdo Aquilegiensi* Patriarchæ, in monachorum cœno-
F bio custodiendus datur: ubi admirabili patientia, jejuniis, & orationibus vacans, multo tempore degit: sed tandem inde clam abiens incognitus *Venetias* adivit, ubi pie ac sancte diem clausit extremum. Qui postea liberata patria, & occiso Tyranno *Patavium* translatus est: & vulgo cunctis probatus, nunc inter divos connumeratur. Hujus sepulchrum extat in Basilica sancti *Benedicti*, ubi integro fere adhuc corpore jacet, ab omnibus sanctitatis titulo decoratus. Inscriptum au-

A autem ejus ſepulchro ineſt hoc epitaphium.

TV IORDANVS ERAS GENEROSA EX STIRPE CREATVS
FORZATEA MERITIS, QVEM NOSTRA TVLERE BEATUM
SAECVLA: FECISTI HAEC DVO TEMPLA SACRI BENEDICTI,
REXISTIQVE ABBAS, TVAQVE ISTIC OSSA COLVNTVR.

Obiit anno M. CC. XXVIII. VII. idus Auguſti. Qui dies *Patavii* in Æde ſancti *Benedicti* à monialibus ſolenniter ſingulis annis, & ſumma cum veneratione, in beati hujus viri memoriam, B celebratur,

De Beato Stephano *Abbate.*

Inter beatos quoque annumerandum eſſe arbitror *Stephanum* Abbatem. *D. Juſtinæ:* qui ſe ſuo (ut ajunt) pede metiens, dum ſuæmet prudentiæ diffidit, veritus pro animi imbecillitate quicquam committere, quod vel animi ſaluti, vel Abbatiæ commodis aliquando officeret: ſponte Abbatia ceſſit, & contulit ſe in ſublimem montem *Veneris*, ſeu *Vendæ*: ubi in magna ſanctitate C reliquum vitæ tempus in ſolitudine eremitica tamdiu egit, donec ex hoc corporis ergaſtulo animam exhalavit: anhelans ad diu exoptatam, perennemque & meliorem patriam pervenire: verbum illud in ore frequenter habens; *Inquietum eſt cor meum, domine donec veniat, & requieſcat in te.* Obiit anno ſalutis humanæ milleſimo ducenteſimo quinto. Sepultus eſt ibidem in monte *Veneris*, in Æde ſancti *Joannis Baptiſtæ.*

De beato Arnoldo Cathaneo *Abbate.*

Sequitur & vitæ diſciplina, & calamitatum anguſtia, *Jordano* par, Beatus *Arnoldus*, & D ipſe Abbas *D. Juſtinæ*, vir (ut ajunt) omnium horarum, & tam in privatis quam in publicis rebus, æque ſtrenuus: qui licet ex nobili familia
110 *Cathanea* & regia ſtirpe Comitum *Liminæ* clarus eſſet: multo magis tamen virtute animi, & vitæ ſanctitate quam natalium generoſitate perfulſit. Is cum tam nobilis, & charus omnibus haberetur, impetravit à Republica *Patavina* pro monachorum utilitate foſſam juxta Monaſterium, cui præerat, effodi: & in ea moletrina fieri, admirabili artificio concinnata. Poſtmodum autem, oppreſſa Republica fugiens *Acciolini* Tyrannidem, primo *Atheſte* profectus eſt, deinde *Ravennam*, veritus, ne ſibi accideret, quod & E *Jordano*, & compluribus aliis viris religioſis: & illic clanculo à notis omnibus ſeſe ſubtrahens latuit uſque ad *Friderici* Imperatoris adventum: quem apud *Montem Silicem* ſupplex adiit: & ejus Curiam per duos menſes ſecutus eſt. Tandem intercedente Duce *Saxoniæ*, & Abbatiæ, & honori priſtino reſtituitur. Verum cum inſatiabilis, & impia Tyranni avaritia pati non poſſet tantorum redituum jacturam: ubi primum Imperator abſceſſit, Anno M. CC. XLVI. *Arnoldus* captivus in carcerem trahitur, & *Aſili*, quod eſt oppidum *Tarviſinum*, acerbe in vinculis affligitur: F ubi patienter ſuſtinens vincula, & carcerem per octo annos, tandem migravit liberatus ad Dominum, Anno Salutis M. CC. LIIII. ætatis vero ſuæ LXX. & ad eam uſque ætatem (quod paucis admodum contigit) in virginitate perdurans, & in omni virtutum genere claruit. Merito ergo hunc beatum appellamus & martyrum numero jure commiſcemus. Sepultus eſt in Baſilica *D. Juſtinæ:* ut ubi vivens non invenit requiem, ſaltem mortuus requieſceret. In eadem autem arca repoſitus fuit, in qua ejuſdem generis, & ejuſdem monaſterii duo alii Abbates, *Jacobus*, & *Odoricus* jacebant: ubi legitur hoc epitaphium.

INCLYTA GENS LIMINAE REGALIA STEMMATA QVONDAM
AEDIDIT ABBATES: QUOS TEGIT VRNA DVOS.
CHRISTE PRECOR IACOBVM COELO TVA LVSTRET APERTO
LVX: ET ODORICVS SIT SVPER ASTRA SIMVL.

De Jacobo Pedeligno *Abbate.*

Ceſſante autem poſtmodum Tyrannide *Acciolini*, ſuffectus eſt in locum defuncti Abbatis primus *Jacobus Pedelignus Patavinus* probatiſſimæ, atque innocentiſſimæ vitæ, qui Abbatiam diligentiſſime gubernans, & cultum religionis, & Abbatiæ facultates adauxit: obiitque tandem ſanctiſſime, & ibidem ſepelitur.

De Beato Luca Belludo.

Occurrit mihi modo non impari vitæ ſanctitate: ſed ex alia monachorum familia *Franciſcina* ſcilicet, B. *Lucas Patavinus*, ex *Belluda* progenie nobiliſſima, Arci *Placiolæ* olim munitiſſimæ dominans, quæ prius *Nicolai Dentis* fuiſſe perhibetur: ab *Alexandro Belludo* empta, & ad ejus poſtea hæredes una cum ſubjacentibus prædiis tranſmiſſa. Is autem *Lucas* diſcipulus fuit *D. Antonii* Confeſſoris: vir ſane doctiſſimus, & inter concionatores Chriſti præcipuus: parumque tum doctrina, tum moribus ducis, & magiſtri ſui certe diſſimilis. Vixit in paupertate, & admirabili quodam mundi contemptu, uſque ad ſupremum vitæ diem perſeverans. Adiit is aliquando *Anſidiſium Acciolini* Tyranni Vicarium, ipſum reprehendens, quod multa injuſte, & impie contra Eccleſiæ libertatem, tum aliis permitteret, tum & ipſemet faceret. Quamobrem graviter accuſatus apud *Acciolinum*, ea occaſione ipſe, & tota ejus familia proſcripta eſt: & univerſa ejus bona publicata. At Beatus *Lucas* interim à prædicatione deſiſtere coactus, die noctûque orabat pro ſalute patriæ, quæ penitus ab immaniſſima *Acciolini* Tyrannide afflicta, ac pene extincta jacebat. Quare apparuit ei tandem in quiete Beatus *Antonius*, prædicens ei poſt paucos dies ſuis precibus *Patavium* ab immaniſſima *Acciolini* crudelitate liberandum: quod (ut prædictum fuerat) vere contigit. Nam haud multo poſt, à legato *Romani* Pontificis auxiliantibus *Venetis* priſtinæ libertati civitas reſtituta eſt: & excuſſo graviſſimo ſervitutis jugo, pergrata, & 111
diu expectata pace donata. Scripſit is ſermones Dominicales laudabili doctrina, & documentis ſpiritualibus refertos: quos extare dicitur. Claruit ſuo tempore innumeris miraculis, & ſepultus eſt in marmoreo ſepulchro à parte ſeptentrionali, in Æde ſpecioſiſſima. D. *Antonii* confeſſoris: in ſacello D. *Andreæ* dicato: ubi comitum familiæ ſepulchra viſuntur: pater ejuſdem apparationis, & viri orantis imago ſcite expreſſa conſpicitur.

De ſancto Jacobo *Martyre* Patavino.

Jacobus Martyr ejuſdem ordinis fuit: ſed qua familia *Patavii* ortus ſit nemo vere dixerit. Conſtat autem eum de plebe fuiſſe, qui junctis ſibi tribus aliis ſociis, incredibili quodam Chri-

Christi amore succensus, statuit *Saracenis* verbum Dei, & veritatem evangelicam enuntiare: quibus cum per interpretem, qui sibi adhærebat, suadere cœpisset, ut deposito *Mahumeti* errore, & aliorum Idolorum impia superstitione, Christianæ fidei veritatem susciperent: cumque sæpe admonitus ut à cœpta prædicatione desisteret, nullatenus parere jussis voluit. Ignis enim quem in pectore gestabat, nullis monitis, nullo metu, nullis minis, nulla vi extingui poterat. Quocirca in urbe *Sarai*: seu, ut alii dicunt, in *Iseo Medicæ* regionis agro deprehensus, illico (ut erat vestitus) in ardentes flammas rapitur: ubi combustis vestimentis, ipse inviolatus permansit: retractusque nudus à flammis, oleo linitur, quo facilius arderet: rursum in ardentissimum ignem rejicitur. Dictu mirabile, neque flammæ voracitas, neque ardoris immensitas ejus corpori aliqua ex parte nocere valuit. Itaque postquam nulla flamma uri, aut superari potuit, capite obtruncatus est: atque ita una cum tribus sociis, & cum ipso interprete feliciter ad vitam veram à morte ista migravit: & brevi spatio in ea regione decurso, cælestem illam martyrii coronam à Deo in cœlis adeptus est, & hic in terris sancti martyrii nomine à *Benedicto* XI. Summo Pontifice una cum sociis jure meritoque decoratus. Natalis autem dies hujus celebratur in hebdomade sancta Paschæ feria IIII. Passus est autem anno salutis M. CC. XXI.

De Beato Antonio Manzone *peregrino.*

Eodem ferme sæculo vixit & beatus *Antonius* cognomento Peregrinus: qui quum ab ineunte ætate mundi illecebras cœpisset abominari, & amplecti cælestia, sæviente interim ultra modum *Acciolini* Tyrannide, non ut plerique alii vi aliqua coactus, sed sponte profugus relicta patria, pene totum orbem peragravit mendicus, ex alieno victitans, qui domi prius mendicos alebat de suo. Adiit itaque primum *Hierosolymam*, *Compostellam*, *Romam*, *Lauretum*, & alia loca fere omnia, quæ vel religio, vel alicujus Apostoli, aut præcipui cujuspiam sancti reliquiæ decorabant. Atque ita quod reliquum ætatis sibi supererat, ferme totum in itinere peregrinando consumpsit: victum quotidianum mendicando quæritans, non sine immensis corporis laboribus: atque interdum cum maxima animi molestia. Denique reversus in patriam ignotus aliquandiu in summa inopia, & calamitate duxit vitam, nunquam ante ultimum vitæ suæ diem à quoquam cognitus. Postremo lassitudo, inedia, & frigus intolerabile, eum in ægritudinem gravissimam deduxerunt: qua aliquandiu languens interiit. Ex chirographo autem post mortem tandem cognitus est, & quis fuerit, & qua ratione à suis agnosci noluerit. Erat enim ex *Manzia* nobili familia *Patavina*, sub Parochia *D. Petri* natus. Obiit autem salutis anno M. CC. LXVIII. III. KAL. Februarii. Claruit post mortem, multis, & magnis miraculis, licet ab Ecclesia *Romana* in sanctorum catalogum non fuerit receptus. Habitus est tamen eo tempore *Patavii* in summa veneratione, dicatumque eidem sacellum satis pulchrum, extra portam Porciliam: & municipali decreto statutum, ut solenniter stato die in ejus memoriam fieret solennis supplicatio, obseratis in tota urbe tabernis, indictaque omnibus in urbe, à quovis opere, servili cessatione: non secus quam si a summo Pontifice mandatum fuisset. Verum
112 cum indies magis, ac magis beatus vir miraculis clarescerет, *Patavini* à summo Pontifice poposcerant per legatos, ut ejus nomen in catalogo ascriberetur sanctorum. Qui respondit sufficere satis posse *Patavinis*, habere unum *Antonium* sanctificatum. Nec propterea tamen minus deinceps honori habitus est, quam prius, neque desitum est quin honoratissime eodem die Prætor, & alii cives solenni pompa cum vexillis artificum, & cum universo populo cereis candelis religiose procederent, ad salutandas sacras reliquias: tam in templo Monialium, ubi ipse jacebat: quam in proximo templo monachorum. Nunc autem cœnobio utroque diruto, Moniales intra urbem cum his sanctis reliquiis se receperunt: monachi vero ad alia sui ordinis monasteria *Venetias* transmigrarunt anno Domini M. D. IX. De eo autem legitur ibi hoc epitaphium:

HIC IACET CORPVS BEATI ANTONII PEREGRINI PATAVINI: EX MANZIORVM FAMILIA NATI, QVI OMNIA LOCA SANCTA VISITAVIT: ET DEFVNCTVS EST M. CC. LXVII. KAL. FEBRVARII.

De Beato Compagno *Abbate.*

Cum eodem ibidem in templo contiguo monachorum, pro Beato salutabatur etiam corpus Beati *Compagni*, olim præfati cœnobii dum staret primus Antistes: qui quod sanctissime vixerat, memoriam meruit sempiternam. Ostenditur autem per singulos annos corpus ejus penitus incorruptum in templo *S. Benedicti*, ubi Moniales præfatæ nunc resident, quousque alterum monasterium, aut factum, aut faciendum sibi comparent. De eo autem ibi legitur:

HIC IN HAC CAPSA IACENT OSSA, VEL CORPUS DOMINI COMPAGNI PRIMI PRIORIS. S. MARIAE DE PORCILIA: QVI OBIIT ANNO M. D. CC. LXIIII.

De Beato Damiano *Comite.*

Nihilo minori vitæ sanctitate floruit in sancta Dei Ecclesia Beatus *Damianus Patavinus*, ex nobilissima Comitum familia, ordinis Fratrum minorum: qui invidia improborum quorundam hominum aliquando falsi criminis insimulatus, ab ordinis magistro carceri teterrimo mancipatur. Verum ubi veritas facti divino Dei nutu patefacta in lucem prodiit: mox & integritas vitæ sanctissimi hominis, ex eo magis magisque illuxit. Quare tandem e custodia egredienti Monasterii Præpositus statim occurrit: qui tum primum veri conscius, & facti pœnitens, errori suo ab eo veniam postulabat: quod per imprudentiam injuste ei tantum intulisset opprobrium. At ille mira animi alacritate, utraque manu, anteriorem tunicæ partem expandens. *Ecce*, inquit, *Pater capax gremium ad recipiendas ejusmodi pro Christo calumnias, si quæ restant. Gratias tu quidem à me expectare debes, pro his afflictionibus, & tu veniam errori tuo à me postulas? quando ex eis sane tibi non accusator, sed debitor magis factus sum.* Ex eo itaque tempore Beatus appellari ab omnibus cœpit: tanquam unus omnium paupertatis amantissimus: & unicum vere humilitatis, & perfectæ patientiæ exemplar. Is sicut vivens, ita & moriens innumeris miraculis claruit. Obiit *Cremonæ* in magna opinione sanctitatis, & propterea 113
ibi in arca lapidea honorificentissime conditus & pro beato Christi milite, ibidem à cunctis colitur: nullumque fere nomen frequentius ibi in ore omnium est, quam Beati *Damiani*. Hujus sancti viri ad vivum delineata effigies intra speciosissimum templum *D. Antonii* confessoris, in secunda columna superioribus annis conspiciebatur, cæcorum, ac claudorum imaginibus, utpote mi-

raculorum indiciis undique circumcincta. Nunc vero *Petri Bembi* Cardinalis statua erecta est, & imagines illæ omnes omnino deletæ, altero forsan latere iterum reponendæ.

De Beato Marco *Jesuita.*

Nequaquam post hos aliqua ratione reticendus est hic à me Beatus *Marcus* Jesuita: qui quanto humiliori loco natus est in terris, tanto sublimiorem sortitus creditur locum in cœlis. Multa enim, & illa quidem mira de eo referuntur in quodam opere *De vita Beati Columbani Senensis primi*, Jesuitarum familiæ auctoris. Hi quidem in unum congregati sub obedientiæ norma sicut puri, & simplices Laici, tum mendicando, tum in exequiis defunctorum funalia deferendo, tum aquas medicinales stillando, victum sibi satis sufficientem parant. Ex his igitur *Marcus*, cujus hic fit mentio infimæ plebis homo, sublimis autem fidei cœnobita fuit: & is quidem sine literis (ut plerique omnes tunc temporis, ex ea congregatione) in maxima cordis contritione, Deo serviens, præ cæteris curam habebat domesticam, & præsertim hortuli, & vineæ: quam *Patavii* late possident. Attamen ad omnia ita paratus, ac promptus, ut nihil in eo à confratribus quicquam desiderari posset amplius. Accidit aliquando forte fortuna, ut præpositus quidam Prædicatorum Divi *Augustini*, illic apud hos ad prandium invitatus accumberet: qui amotis epulis, semotisque arbitris, dataque loquendi venia, cœpit de Dominicæ professionis merito copiose admodum, atque arroganter disserere, tacite exprobrans eis, quod professionem trium votorum, cum inter cœnobitas connumerarentur, publice palamque cum cæteris monachis solita non profiterentur forma. Ad id Jesuitarum præpositus homo idiota sane sed prudens, & dilectus Deo, argute respondit: *Vis*, inquit, *Pater, quoniam in hos sermones incidimus, utrum unus ex nostris fratribus, ita simplici quodammodo Deo oblatus, an comes iste tuus publice tria vota professus, superiori suo obedientiam exhibeat promptiorem?* Annuit rei ignarus ille quidem lubens. Tum Jesuita ad hunc nostrum *Marcum* quamprimum conversus, qui ibi forte accumbentibus ministrabat, ait: *Marce Frater hi sodales nostri frigent, in virtute sanctæ obedientiæ afferas huc eis cito è coquina nudis manibus ardentes prunas, ut confestim calefiant.* At ille haud cunctabundus (ut erat ad obedientiam promptus) nihil fore credens, quod fieri non posset, si sub obedientiæ præcepto mandaretur, festinus nihil hæsitans à coquina ad mensam ardentes prunas quamplurimas ambabus manibus junctis absque ullo sui detrimento aut læsione portavit: utrique eas porrigens ad frigus tollendum: quas iterum jubente præposito cunctis admirantibus ad locum, unde detulerat, reportavit. Hinc præpositus ille Dominicanus ultra modum obstupefactus comitem suum intuetur, quasi idem ei esset illico præcepturus. At ille cognita re nihil cunctandum ratus, quamprimum in hæc verba prorupit: *Pater reverende apagete, ne me jubeas tentare Deum: afferam si voles ignem, pro ut soleo, testula, non manibus.* At illi admirabundi ob tantum miraculum: hinc taciti intra se stupebant: hinc repentino comitis responso delectati, se mutuo inspicientes subriserunt. Hoc quidem magnum, & laudabile insignis obedientiæ exemplum fuit: sed quod sequitur, haud minoris patientiæ documentum. *Patavii* enim cum circumiret forum pro petenda eleemosyna (ut moris est) & salicis virgulta pro alligandis vitibus dari sibi à vendentibus amore

A Dei postularet: quidam rusticus irridens, *accipe tibi*, inquit, *manipulum ex fasce illo*, ostendens ei fascem alienum pro suo. At ille cujus erat, arbitratus eum sibi furtim sublatum, hominem insequens tanquam furem, baculo quem forte manibus tenebat, hominem innocentem percussit: qui nihil obmurmurans, projectis in terram virgultis, tacitus abibat, gaudens, quod pro Christi nomine, non solum furti contumeliam, sed etiam verbera suscepisset. Interim vero rusticus ille, qui insontem percusserat, cum vellet abjectas virgulas humo tollere, sensit brachium cum manu ita prorsus stupidum factum, ut nullatenus

B eo uti posset. Atqui tum demum admissi criminis admonitus, quod imprudenter quidem, sed 114
nequiter tamen commiserat, festinus virum Deo dilectum consequitur: & humi provolutus, supplex errori suo veniam dari poscit. Miseratus ejus Beatus *Marcus* oravit pro illo, ac statim pristinæ valetudini restitutus est. Vir autem Dei propere quanto occultius potuit inde trepidus sese subtraxit: multo magis suæ innocentiæ gloriam, quam falso objecti criminis ignominiam reformidans. Migravit is tandem ad Dominum multa senectute confectus in tanta opinione sanctitatis, ut omnis vicinia, quæ ad exequias ejus

C convenerat, & præsertim pueri, cadaver defuncti flexis genibus, ut fit in sanctis reliquiis honorandis, venerarentur: precantes, sancta ejus apud Deum intercessione defendi. Monachi autem congregationis *D. Justinæ*, qui nullius unquam hominis alterius funeri interesse solent, hujus sancti hominis exequias celebrarunt. Is humi in templo nominis Jesu, post minorem januam, quæ meridiem spectat sepultus est. Indignum sane videtur hominem tam Deo gratum, & beatitudinis nomine non immerito decoratum humi tanto tempore latere despectum, & non potius (ut par est) in sublimi loco erigi, ut à

D cunctis spectari, & debite honorari possit. Obiit hic *Patavii* circiter annum M.CCCC.XX.

De Beato Rorando *monacho.* S. Justinæ.

Rorandus *D. Justinæ* monachus licet admodum paucis ex nostris notus sit, vir tamen fuit omni laude cumulatus, & optimi ingenii, vitæque innocentissimæ, & reformandæ religionis monasticæ studiosissimus. Is una cum *Ludovico Barbo Veneto* Abbate instaurationem congregationis *Cassinensis* in Coenobio *D. Justinæ* ex ordine *S. Benedicti*, toto terrarum orbe celeber-

E rimo, *Patavii* tum primum fieri impense studuit: quæ modo à parvis initiis ita crevit, ut jam totam *Italiam*, imo totam *Europam* pervagata, innumeras Abbatias, olim extraneis diu male, & infeliciter commendatas, sub unam eandemque observantiam feliciter contraxerit. Quin denique & Cœnobium *D. Benedicti* in monte *Cassino* celeberrimum per tot annos præfectorum Tyrannide occupatum, modo hac ratione receptum est: & ad ejusmodi pristinæ observantiæ formam hac nostra ætate redactum. Opus sane pium memorabile, & non sine maximo Dei miraculo cœptum, administratum, & auctum. Us-

F que adeo (ut si mihi quod sentio effari licet) nullus monachorum ordo per hæc tempora perstat in antiquæ observantiæ robore fortior: nec quem majores, & digniores vitæ, & facultatum progressus hactenus sequuti sint: quippe qui nunc quasi Luna inter minores stellas noctu micat. Idque totum Deo, Optimo Maximo in primis, & huic Abbati *Ludovico Barbo* & sapientibus *Rorandi* nostri consiliis, piisque adhortationibus fertur acceptum. Atqui vero hi viri quantumvis magni,

gni, neuter sane quicquam profecisset, ad instituendam aliorum vitam; nisi suismet præ cæteris moribus, quæ facienda præceperant, prius ipsi feliciter adimplevissent: & assiduis precibus à Deo perpetuum regulæ præscriptæ vigorem impetrassent. Quocirca non sine ratione nobis hunc *Rorandum* cum cæteris beatis intermiscere hoc loco placuit. De his autem si quis latius audire velit, vulgatissimum librum legat, quem Elucidarium inscribunt: ubi hujus rei series pertractatur. Hæc autem omnia facta sunt, anno Domini M.CCCCIX.

De Beato Marco *sacerdote Sancti* Michaelis.

Sicut in hac tam sancta monachorum instauratione opera peropportune navata *Rorandi* monachi laudanda est, ita vaticinium *Marci* sacerdotis *S. Michaelis*, de hac ipsa re multo ante prævisa vehementer admirandum. Legitur enim apud eosdem monachos, quod cum auctor illius reformationis *Ludovicus Barbus* monachus, summæ doctrinæ, ac sanctitatis vir, sancti *Georgii* in *Alga*, qui locus est in mediis æstuariis, *Patavium* forte venisset, & in Divæ *Justinæ* Monasterio hospitaretur, salutatus ab hoc venerabili viro, dictis ultroque citroque plurimis verbis de improbo regimine ejusdem Abbatiæ, audivit divinum hunc hominem divino certe afflatu plenum sibi prædicentem, quod ipsemet infra modicum temporis spatium Abbas hujus monasterii futurus erat, qui collapsa omnia restituet, & se auctore
115 diffundetur hujusmodi monasticæ religionis censura per universam *Italiam*, & subinde in *Europam*, & *Africam*, longe lateque & ubique cunctis probata. Quæ sane verba tunc audientes non prophetice dicta (ut erant) sed commentitia, & futili ratione, per falsum quoddam augurium effecta fuisse credebant, & præsertim ipse *Ludovicus* quum paulo post alteri monasterio præfectus fuisset, & multo magis id falsum visum quod interim idem monasterium vacans à sede apostolica, monachis albis concessum fuerat. Nihilominus nunquam destitit verax sacerdos vaticinium suum iisdem verbis constanter asserere, & id futurum prædicere. Contigit autem *Ludovicum* ipsum tunc Abbatiam sibi delatam interim repudiare, & monachos albos, qui subinde intraverant, mox inde rejici, jubente *Veneto* senatu, ne eo scilicet contra morem Patriæ alterius coloris monachi inducerentur. Hinc *Ludovicus* in Abbatem omnium consensu eligitur, & *Romano* pontifice confirmatur, qui statim juxta beati sacerdotis oraculum ad illam vitæ perfectionem monachos deduxit, quam nuper dicebamus. Et ne temere sacerdoti nostro id revelatum fuisse credatur. Legitur hunc virum fuisse castissimæ vitæ, & pietatis eximiæ: qui una cum matre, & sorore sacram Ædem Divæ *Justinæ* quotidie visitabat, & magna cum pietate, & divino religionis cultu, quæ ibidem quiescunt, sanctas reliquias humiliter salutabat. Quamobrem & ipse quoque inter beatos, & divinos vates à nobis hic non immerito collocatur. Sepultus est in coemiterio Divæ *Justinæ* humi in atrio veteri cum beato *Rorando* monacho, & *Nicolao* Abbate, sub marmorea tabula, quæ extat adhuc epitaphio illius Abbatis insculpta.

De Beato Jacobo Ungarello, & Augustino Urbino *Minoritis*.

Non parvo, neque mediocri ornamento nostræ civitati fuit, *Jacobus Ungarellus* ex or-
A dine Fratrum minorum: qui sua excellenti doctrina & admirabili erga superos pietate, & acerrima contra hominum vitia insectatione, & efficacibus ad omnem virtutem adhortationibus: ita aliquando hominum corda perstrinxit, ita divino amore incendit: ut ignis ille nulla ratione à diabolo extingui posset. Ex quo mirificum beatitudinis nomen, in agro præsertim *Piceno*, ante exitum vitæ primum, & deinceps post obitum quam felicissime nactus est. Hic solerti diligentia, nec mediocri labore summæ Angeliæ libri contextum ita diligenter emendavit, ut ultra mille & quingenta vitia, cum ab injuria temporis,
B tum à librariorum incuria illata correxerit. Addidit insuper eidem doctissima scholia: quæ obscurissima quæque loca maxime illustrant. Cæterum cum ex hujus fluctuantis vitæ naufragio ad cælestem portum repentino cursu se adduci videret, priusquam extremam huic operi manum imponeret, *Augustinum Urbinum* ejusdem patriæ, & professionis virum, qui cum ab ineunte ætate, summa sibi amicitia intercesserat, ad se vocari jussit, cui provinciam hanc suscipiendam legavit: supplex rogans, ut revisendo, & supplendo rite emendatum opus peropportune ad communem utilitatem in lucem ederet. At ille na-
C viter profecto, & in primis curavit, ut opus haberetur ab omnibus erroribus emendatum: & in ipso operis vestibulo epistolam addidit non inconcinnam, neque inelegantem: quæ sane fundamenta collabentis ferme operis firmet, & muniat. Hic beatus *Jacobus* sepultus est in sublimi arca marmorea in Urbe *Forilivii*: ubi maxima reverentia pro Divo à cunctis honoratur & colitur.

De Francisco Zaghio *Presbytero.*

Hactenus de Sanctis & Beatis *Patavinis*, quos nobis aliena scribentium relatio notos red-
D didit: at nunc ex certa scientia, quæ scimus, quæ vidimus, quæ nosmetipsi observavimus, referemus. Grvissimo etenim animi mœrore me proximis annis affecit, importunus, ac simul immaturus optimi viri obitus *Francisci Zaghii* cognomento *Platea*, sacerdotis integerri- 116
mi: qui licet mihi esset ætate filius, & amore frater: tamen observantia, & veneratione veluti patrem semper colui. Hujus autem viri mores, ac totius vitæ integritatem, etsi sciam hic *Patavii* latius patere, pro merito tamen amicitiæ & ordinis sacerdotalis honore, statui hic præclari aliquid, piumque attingere de ejus vita, quo
E & nos, & simul posteri aliquem è recentioribus Christi ministris in seculo haberent, quem sibi quisque imitandum proponat. Etenim hujus indoles in ipsis pene incunabulis, non mediocrem probitatem visa est polliceri. Nam is ubi primum adolevit, pietatis amore succensus, quemcunque virum audierat, disciplina quapiam vitæ spiritualis excellere, quam primum reverenter adibat: non prius ab ejus consuetudine discedens, quam eum sibi amicissimum, atque conjunctissimum redderet. Neque, ut plerique solent adolescentuli, coætaneorum consortia unquam sectatus est: sed ut cani potius sensus, & senilis pru-
F dentiæ viri, seria tantummodo pertractabat, atque ea potissimum, quæ ad recte, pieque vivendi studia pertinerent. Atqui ubi per ætatem licuit sacerdos factus, quotidie maxima humilitate, & contritione cordis rem divinam faciebat: ut qui intererant tanta animi alacritate afficerentur, ut Angelum, & non tantum hominem se audiisse putarent: sacerdotium autem cui cura animarum impenderet, quæstus causa nunquam

petiit: quinimo nec oblatum quidem (etsi tenui patrimonio fulciretur) præ humilitate diffidens, quasi indignus, accipere unquam voluit: parvo contentus, & magnus Zelator paupertatis. Amicorum conviviis raro, sed nunquam nisi pudore coactus interfuit: ipse vero quum singulis annis, statis diebus, justa, ac parentalia matri defunctæ celebraret: invitatis aliquod ex amicis, adhibebat mensæ duodecim pauperes, è cæcis, claudis, & mendicis: quorum pedes lavabat: atque mensæ astans in omnibus, quæ necesse fuerant, accumbenti turbæ pauperum è re sua exigua, quantum satis esset, hilariter ministrabat. Insuper cum *Patavii* novum collegium mulierum è lupanari ad Christi pedes confugientium, erigi cœpisset, tanta solicitudine, tantoque studio hoc opus complexus est, ut nunquam quieverit, donec à ditioribus, & oratorium, & monasterium apud sanctam *Sophiam* piis suasionibus ex privata domo factum est: & *D. Magdalenæ* nomini dicatum: ubi modo circiter XL. mulieres spiritus sancti gratia illuminatæ è lupanari eductæ, & à diaboli manibus ereptæ, sub regulari disciplina sanctius, quam credi posset, degentes, Deo in sancta castitate, & maxima vitæ sanctitate, & pia paupertate deserviunt: ut de his illud vere dici possit, quod in Euangelio suo Dominus de perditissimis scribis, de Pharisæis, multo ante prædixerat. *Publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei: Factum est enim, ut ubi abundavit delictum, superabundaverit gratia.* Is ergo ex consilio collegarum spiritualium in hujusmodi piis operibus, eidem adhærentium, confessarius sacerdos datus est, duxque, pater, & præceptor. Is interim una cum suis collegis dedit illuminatis illis saluberrima vivendi præcepta, sub regula sancti *Augustini*: quæ primum ab Episcopo *Patavino*: deinde à legato apostolico, tertio ab ipso summo Pontifice confirmata, & approbata fuerunt. Dictavit is etiam opusculum sane divinum, sine ullo orationis fuco, suæ admirabilis, & corporis, & animi puritatis indicium, in quo novitia puella à seniore magistra, ab ipsis fidei incunabulis, usque ad summum conversionis, & totius religiosæ vitæ degendæ fastigium probe, pie, & sapienter adducitur. Sed nec id quoque silentio præteriri debet: quanto quamque æquo animo, aliquando vulnus in faciem illatum tulerit: eo quod puellam stupratam, quæ sponte ad hoc asylum pro adipiscenda castitate domo à matre, & à stupratore profugerat, neque parentibus, neque stupratori reposcentibus invitam tradere voluerit. Interrogatus autem postea, quem tunc vidisset, cum percuteretur, non nisi dæmonem se vidisse respondit. Æthiops enim erat qui eum percusserat. Brevi autem ab ea plaga sanatus, majori fidei ardore succensus non destitit ullo mortis metu, pristinis pietatis officiis inservire. Quinimo quasi lætari videbatur, quod pro justitia meruerit vulnerari: & excusso anteriori dente videri. Nemo eum unquam iratum vidit, nisi pro defendenda veritate. Vultus ei semper hilaris: visu tamen hebes admodum, ut non nisi cominus, aut per speculum oculare de facie quenquam agnoscere certo posset. Verum quum suspicaretur aliquando fore, ut etiam exiguus ille visus sibi amittendus esset, cum quadam fere lætitia referre solebat: tunc plus numinis in spiritualibus rebus se habiturum interius, ubi o-
117 culi corporis sibi exterius fuerint penitus obcæcati. Hujus sermo plurimus erat de Christi passione: de morte, de operibus charitatis. Nihil ex ore ejus otiosum: nihil scurrile, mundo ori hoc verbum frequenter inerat. *Accingamus nos fratres ad mortem, & ad reddendam de factis propriis rationem.* Erat is quidem erga singulos admodum officiosus, cunctis autem venerabilis. Nunquam frustra egrediebatur domo, & fere solus, neque negotia aliqua, nisi pia, solicitum, solertemque eum reddere poterant. Erat insuper in jejuniis frequens, in oratione assiduus, in divinis horarum precationibus dicendis ardentissimus: cibo parcus, verbis parcior: in suadenda salute animæ vehemens, fusus, luculentus, efficax, & gratus. Parentibus obsequentissimus, & in iisdem ægrotantibus assiduus, & sine ulla fere mora intermissionis assistens: cum amicis parum assiduus, nisi forte pro spiritualibus collationibus moraretur. Erat enim (ut diximus) sermone moderatus: & citra omnem adulationis suspicionem blandus: ostendens semper loquendi necessitatem, potius quam voluntatem. Mentiri vero, aut jurare prorsus nescius. Vestitus ejus pro dignitate sacerdotii, satis nitens, communis, & usitatus: ut nulla posset à quoquam aliqua singularitate notari. Castitatis vero tantæ, tamque approbatæ, ut ab ineunte pueritia ad hanc usque ætatem jam maturam, nunquam nec supicari quidem quisquam male de ejus pudicitia potuerit: quin potius vel ex ipso aspectu, & verbis, & operibus, præ se ferebat virginalem quendam pudorem, & internam animi puritatem. O beatam animam! ò beatum sacerdotem! ò beatum sæculum istud nostrum, si multi hujusmodi moribus præditi sacerdotes haberentur! qui etsi sæculares dicantur, tamen ut is modo, nihil de sæculi negotiis, sed de sua tantum, & de proximi salute curarent. Expectat hic fortasse quispiam post sanctissimos hujus viri mores, aliquod quoque miraculum à me referri: aut certiora sanctitatis signa hic in medium produci. Porro etsi mirabilia de hoc viro dicenda habeam, opportunius tamen in alium locum referenda esse duxi. Miracula autem quæ à quibusdam nimium curiosis quæri solent, hic nequaquam vulgaverim: sed pro maximo signo, ac prodigio id habendum censeo: quod in hoc nequissimo sæculo ejusmodi vir reperiri potuerit, qui & ob morum præstantiam, & animi candorem, & totius vitæ integritatem, omnium bonorum judicio recte dici, & vere credi possit esse Beatus: & inter Beatos merito numerandus. Cæterum ego hæc non ideo dixi, ut asseram hunc vel ex nostra, vel ex aliorum sententia referendum esse protinus inter sanctos: sed potius ut illius memoriam, ac mentis imaginem, & nobis, & cæteris sacerdotibus contemplandam proponam: & ut ejus exemplo & nos in hoc tam flagitioso sæculo, per terrena hujus mundi bona pie, casteque viventes sic pertransire conemur, ut non amittamus cælestia. Obiit is felicissime, nam susceptis omnibus Ecclesiæ sacramentis, veluti convalescens, levatus ab omni corporis dolore, hilari vultu, & ut incolumis solebat læto, valedicens parenti, & omnibus suis ab hoc sæculo, velut ex *Ægypto* in terram promissionis ab angelis deportatus est. Die XV. Julii, anno D. M.D.LI. ætatis autem suæ XLVI. sepultus in templo *D. Petri*, ubi proximo anno à sacris illis virginibus ultro fuerat ad quotidiana sacrificia celebranda prælectus. Hactenus quidem de viris sanctis, & beatis: reliquum est, ut de beatis sanctisque mulieribus pauca quoque dicamus: quæ non minus patriam nostram illustrarunt, quam mares: & primum de Diva *Justina* virgine & martyre dicendum est.

De D. Justina *virgine & Martyre.*

Legitur *Præpedignam Vitaliani Justini Patavii* præsidis uxorem, quum perquamdiu sterilis

lis fuisset, & prolem summopere desideraret, D. *Prosdocimi* precibus à Deo filiam impetrasse, quæ ab eodem Episcopo fonte baptismatis abluta, *Justinæ* nomen accepit: & ab eodem (ubi primum per ætatem licuit) in Christiana religione, & literis sacris apprime erudita est. Defunctis interim parentibus, cum jam virginitatem suam Christo consecrasset, spretis mundi hujus illecebris, assidue sacris jejuniis, & piis precationibus insistebat. Sed ecce denunciatur, adversus Christianos gravissimam persecutionem ubique fieri: quæ tunc temporis *Mediolani* potissimum, & hic *Patavii*, & tandem in universo terrarum orbe grassata est. Exierat enim edictum, ut quicunque confiteretur Christum esse Deum,
118 statim ad tormenta, & mortem crudelissimam raperetur. *Justina* autem nihil verita Cæsaris sævitiam in amore, & fide Christi constantissime perseverabat. Quare delata quod Christiana esset: dum aliquando ex prædiis paternis domum reverteretur in ingressu pontis curvi à cujusdam tyranni *Maximiani* militibus circundata, suspicans, se aut ad Tyranni nuptias, aut ad stuprum requiri è rheda qua forte vehebatur desiliit: & flexis genibus super marmoreum Pontis lapidem, Deum exorat, ut virginitatem, quam ei sancte dicaverat, pro munere gratissimo, ipse sibi illæsam servaret. Mirum dictu: cessit tunc genibus saxum, non aliter quam si mollissima cera fuisset: ita ut in eodem saxo utriusque genu vestigia manserint. Quod quidem saxum *Venetiis* ad hæc usque tempora in pariete templi Monialium Divæ *Justinæ* in regione *Castellana*, in facti memoriam publice summa cum admiratione conspicitur. Apprehensa igitur *Justina*, & *Maximiano* Præsidi oblata, profitetur palam se fidelissimam esse Christi ancillam: & id ita constanter affirmat, ut nulla vi, nullis minis, nullis blanditiis unquam potuit ab hoc suo sancto proposito amplius amoveri. Post multas tandem incassum minas, iratus judex eam gladio per pectus transfodi jussit: illa interim animam suam Domino intentis in cælum oculis, commendabat: & tandem post unius horæ spatium ab Angelis suscepta migravit in cœlum. Hujus postea corpus à D. *Prosdocimo* extra mœnia sepelitur: juxta campum Martium: ubi nunc est templum celeberrimum, & locupletissimum eidem dicatum, cum ingenti monachorum cœnobio: in quo quidem templo extat lapidea tabula ubi hæc ut inverso ordine, sic & inversa veritate leguntur: quando nec *Vitalianus* Rex fuerit, nec *Maximianus* ille Imperator tunc esset, sed tyrannus: quoniam *Maximianus* Cæsar imperavit circa annos Domini. CCLXXX.

TABELLA INVERSA HOC DICIT
HIC REQVIESCIT CORPVS BEATAE IVSTINAE VIRGINIS ET MARTYRIS XPI, QVAE FVIT FILIA VITALIANI REGIS PADVAE, ET A MAXIMIANO IMPERATORE GLADIO INTERFECTA, ET A SANCTO PROSDOCIMO SEPVLTA, POSTEA VERO A TITVLO CONCORDIAE BASILYCA IVSTINAE FVIT DICATA.

De sancta Felicitate *virgine Deo sacrata.*

Post hanc de sancta *Felicitate* dicendum occurrit, quæ in *D. Justinæ* templo cum *S. Maximo*, & aliis aliquando (ut ante diximus) reperta fuit: & à Pontifice *Romano* in numero sanctorum ascripta. Hæc creditur habitasse in solitudine in maxima vitæ sanctitate. Visitur enim in collibus *Euganeis* juxta *Titulum* vicum octo A passuum millibus ab urbe, in saxo cavernula, quæ adhuc nomen servat: ut vulgo *S. Felicitatis* oratorium appelletur: quod est prope Ædem vetustissimam *D. Antonii* Abbatis: à quo mons ipse quoque nomen accepit: Monachis *S. Justinæ* jampridem feliciter commendatum: & eorum curæ cum ejus emolumento commissum.

De Beata Margarita.

Beata *Margarita* anno Domini noningentesimo una cum tribus aliis virginibus è nobilioribus *Patavinis* seditiones & ingentes bellorum tumultus fugiens, B trajecit in insulam *Venetorum Majorbium*: seque ibi cum omnibus bonis monasterio donavit: 119 quod ibidem Deo Optimo Maximo dicaverat, sub nomine *D. Euphemiæ*. Quod quidem extat in hunc diem, & celebrem Beatæ *Margaritæ* memoriam repræsentat: quam claruisse ibi magnis olim miraculis ferunt.

De Beata Beatrice Athestina.

Dicendum est nunc de B. *Beatrice Athestina* re, & nomine sane Beata, ex *Atheste* municipio *Patavino* oriunda, & è nobilissima progenie C *Accii Estensis* ex secunda uxore filia, quæ licet in summis deliciis molliter educata fuisset: tamen spiritus sancti ardore succensa, ob amorem Christi, spretis omnibus hujus mundi illecebris, totam sese Deo ab infantili pene ætate dicavit: nullum sibi optans sponsum alium nominari, quam Christum. Et quamvis tam ob generis nobilitatem, quam etiam propter eximiam corporis pulchritudinem, à multis principibus nobilissimis præmature ad connubium exposceretur: illa tamen stomachata, & exosa penitus nuptiarum nomen, soli Christo desponsari se velle constanti animo respondebat. Brevi tandem tempore, utro D que parente orbata, multis precibus conata est exorare *Acciolum* fratrem suum, ut per eum liceret sibi sine ulla impensa dotis, sponsalia Christi suscipere: quem toto corde ardebat, & ad cujus nuptias omni mente, & spiritu anhelabat. Verum cum ille pernegaret: decrevit tandem é paternis ædibus clam fratre sese surripere: & *Salarolæ* Monasterium, quod parum inde aberat, occulto ingredi: seque cum sacris illis virginibus non indignam sociam in perpetuum Dei servitio obligare. Atqui metuens, ne qua forte vis, aut molestia sua causa illis ipsis virginibus ingrueret, vel à fratre, vel à militibus, qui in *Cerro*, & *Calaone* E vicinis castellis tunc præsidio stabant: usa est in ea re consilio *Jordani Forzatei* prioris S. *Benedicti*, & *Alberti* similiter prioris montis *Vinearum* magnæ auctoritatis hominum, & affinitatis vinculo sibi conjunctorum. Hujus quoque rei consciam fecit *Aloysiam* novercam fœminam prudentissimam: nec non *Michaelem* militem admodum strenuum, qui eo tempore *Accello*, seu *Montis silicis* oppido præsidebat: ut si quid forte gravius ab *Acciolo* fratre, vel à præsidio militari sacris virginibus immineret, una cum his prioribus furorem fratris quovis modo mitigarent: ac etiam (si opus foret) vim vi expellerent. Rebus F itaque omnibus ita dispositis, *Beatrix* amore Christi tota ardens, mutatis vestibus, à *Jordano* & ab *Alberto* viris religiosis, qui juxta condictum eam foris expectabant excepta: ab *Atheste* ad *Salarolæ* monasterium noctu honestissimo comitatu deducitur: ubi incredibili alacritate à virginibus illis suscepta, & vestalem habitum statim induta, sponso suo, quem tantopere concupierat, arctius copulatur. Tumultus interim repentinus in domo fratris exoritur: qui præ nimio furore

vix potuit retineri, quin monasterium adortus eam inde vi raperet: & Abbatissam cum virginibus male mulctaret. At hinc mater *Aloysia*, illinc *Michael* amicus, & consanguineus irati hominis furorem compescunt, ac tantisper astu *Jordani* ea res differtur, donec furor ille recens efferbuit. Verum tantum valuit *Beatricis* ac trepidantium sororum humilis, & assidua deprecatio: ut *Acciolus* quod tantopere prius abhorruerat, mox mutata mente probaret: & concepto sororis voto, unus omnium deinceps præ cunctis faveret. Anno igitur cum dimidio pia virgo assuescit ibidem omnibus monasticis documentis: sed tantopere pertæsa est tympanorum strepitus, tubarumque clangorem, incertosque militum clamores, qui ex nimia propinquitate locorum ibidem exaudiebantur assidue, ut non plane paternam domum prorsus sibi reliquisse videretur. Quocirca *Gemmulam* adire constituit, Monasterium à tali prorsus tumultu alienum: quod tunc temporis pulsis inde improbis monachis forte habitatore vacabat. Hoc igitur ex Abbatissæ & Episcopi *Patavini* consensu, una cum decem aliis virginibus, magno Matronarum numero comitante ingreditur, quarum unam fuisse legimus Beatam *Julianam Mantuanam* ex nobili familia *Ripæscomitum*: quæ postea *Beatricis* exem-
120 plum secuta, *Venetias* profecta destitutum similiter: S. *Blasii Catholdi* monasterium in *Judaica*, congregato ibidem Virginum collegio mirabiliter instauravit, auxit, ornavitque. Hujus sanctissimum corpus adhuc ibidem visitur, ita integrum, ut nihil desit: non secus quam si his proximis diebus è vita migrasset. Dictu certe mirabile, visu tamen mirabilius. Ibidem in ejus epitaphio, eam obiisse legitur. M. CC. XXVI. & postea transactis aliquot annis in cœmiterio ubi sepulta fuerat, repertam esse ita incorruptam, ut quicquid prius corporis viventi affuit, post tot annos sepultæ integrum manserit. Nostra ergo *Beatrix* (ut ad eam revertamur) vixit deinceps, quamdiu vixit, in laboribus, ærumnis, vigiliis, & acerbissimis corporis castigationibus. Strati autem vestimentorumque, ac omnis speciosæ supellectilis mollitiem, cultumque semper detestata, ac omnes prorsus delicias, & ciborum condimenta, omnino contemnens: nec pluris mundum, & ejus pompas faciens, quam fœdissima quæque mundi stercora. Huic humilitas, obedientia, castitas, assiduæ orationes, jejunia, divinæ meditationes, cælestes contemplationes, solæ deliciæ, & unicum gaudium ei semper erant. Nulla in ea arrogantia, nulla jactantia, nulla denique mundanæ nobilitatis, vel agnationis, aut cognationis amplius memoria. Divitiarum vero usque adeo contemptrix, & amatrix paupertatis fuerat, ut nihil potius optaret, quam interdum inopia, & egestate gravari. Dicebat enim nihil magis valere ad relaxanda virginum corda, & impellenda à spirituali fervore ad terrenorum amorem: quam rerum abundantiam, & superfluum abusum divitiarum. Quocirca, ut refert *Albertus* Prior *Montis Vinearum*, qui primus (ut audio) hujus vitam scripsisse perhibetur: Cum aliquando repertus fuisset nummus argenteus super altare, & nullus alius in toto monasterio foret reliquus: præcepit eum egenis dari, ne quæso dicens nummus iste splendidum nomen perfectissimæ paupertatis obnubilet, quam Deo promisimus: & is avaritiæ principium, & malum propagandæ cupiditatis semen apportet nobis. Hæc igitur tali sanctitate perfulgens post quinquennium: ex quo *Gemmulam* adierat, migravit ad Dominum. De signis autem, & prodigiis, ac vitæ, & mortis ejus, præter cætera, quæ de ea referuntur, hoc omnino reticendum non censui: quod paulo ante mortem dum inter reliquas virgines mensæ accumberet, ut cibum caperet: columba candidissima nunquam illic antea visa juxta manens: ubi quasi admirans, eam aliquandiu fixo oculo fuisset intuita, ultro evolavit: nec amplius unquam visa est. Hoc paulo ante obitum. Postea vero per longum temporis spatium observatum est: quod quoties aliquid novi *Estensi* familiæ, ex qua orta fuerat, immineret: toties multis ante diebus in sacello ejus exaudiebatur strepitus prægrandis, & corpus ejus quod de more supinum in sepulchro jacebat: in alterum revolutum latus reperiebatur. Quod quidem quid protenderet, non est hic nostrum quærere. Hujus autem rei memoria eo tunc sæculo observatæ & cognitæ, manavit ad posteros. Obiit autem annos nata tantum viginti: professa quidem, sed ab adolescentia nondum de Ecclesiæ more ab Episcopo benedicta. Sepulta *Gemmulæ* in templo sancti *Joannis Baptistæ* in arca marmorea, ubi hoc epitaphium:

HOC JACET IN TVMVLO PIA NOMINE VIRGO BEATRIX,
QVAE FVIT EX ANIMO DIVINAE LEGIS AMATRIX.
MARCHIO QVAM GENVIT ESTENSIS, ET AZO VOCATVR,
CONIVGE PATRE SATA SVBAVDIA CVI COMITATVR.
ISTA QVIDEM GEMMA: QVAE NVNC SVPER ASTRA RELVCET,
COENOBIVM FECIT: PER QVOD MONS GEMMVLA LVCET.
CVM FORET ALTA, POTENS, PROBA NOBILIS, ET GENEROSA,
CLARA, DISERTA, PLACENS, PRAE CVNCTIS ET SPECIOSA,
CASTA, MODESTA TAMEN, SAPIENS, ET MENTE PVDICA:
SE FACIENS HVMILEM, CAELI FIT REGIS AMICA,
QVAE QVANTO FVERIT IN MVNDO CELSIOR ISTO,
TANTO MENTE MAGIS FVIT HAEC OBNOXIA CHRISTO.
GEMMVLA MONS GAVDE, QVI TANTA FVNGERE LAVDE.
ISTIVS ET MORES, STVDEANT AEQVARE SORORES.
VT POST MATRONAM MEREANTVR HABERE CORONAM, 121
HOC QVOD FVNDAMEN POSVIT, FACIAT DEVS, AMEN.

ANNO DOMINI M. CC. XXVI. SEXTO IDVS MAII

De Beata Helena Enselmina.

Sequitur modo, paulo posterioris ætatis *Helena Enselmina*, ejusdem sane religionis proposito, cum beata *Beatrice*: sed amictu aliquanto dissimilis. Illa enim S. *Benedicti* regulam secuta, cuculam nigri coloris induit: hæc vero *S. Francisci* ordini addicta, ligneis socculis, funiculoque, & vili byrro, & crasso panno nativi coloris usa est. Beata ergo *Helena Patavii* è nobilissima familia *Enselmina* orta, à teneris (ut ajunt) unguiculis mundi vanitates exosa, anno ætatis suæ duodecimo ingressa est monasterium *Arcellæ* veteris, extra mœnia civitatis per quingentos passus, Septentrionem versus: cui Beatus *Franciscus* primum fundamenti lapidem jecit, & quar-

quartum monasterium fuit ab eo ordinatum: an-
no Domini M. CC. XV. Hæc autem cum esset in-
tegerrimæ vitæ, & purissimæ castitatis, & spi-
ritu sancto repleta, assidue jejuniis, & orationi-
bus, & contemplationibus dedita, & in meditan-
da Christi passione die noctuque intenta, corpus
suum supra modum affligens, reluctans invitum
spiritui (ut par est) obtemperare cogebat. At-
qui tandem diutino & gravissimo morbo corre-
pta, omnia patientissime tolerans, variis interim
& jucundis sese visionibus oblectans, divinitus
mente & animo consolatur. Ferunt enim diu
ante mortem per somnum fuisse præmonitam,
quod diutinam & permolestam ægritudinem in
corpore suo esset passura, & per eam tandem ab
hujus mundi ergastulo, ad beatorum emigratura
consortium. Acceptis ergo devotissime omnibus
Ecclesiæ sacramentis, confestim muta, & cæca
prorsus redditur. Atque ita demum, paulatim
omnes ejus artus tantus stupor invasit, ut nullo
modo se movere posset. Mirabile dictu. Vixit
menses tres absque cibo corporali, & cum vellet
ex obedientia, quam superiori debebat, aliquan-
do cibum sumere, ille statim per nares totus ef-
fluebat. Verum cum sic cruciaretur corpore,
auditu tamen, & sensu intelligendi valde polle-
bat. Habuit per id tempus admirabiles visiones:
quas longum foret, & perdifficile numerare. Ve-
rum mihi in omnibus his nihil tam admirabile
fuisse videtur, quam quod cum esset & loquendi
& scribendi officio penitus destituta, per nutus
tamen, & signa (mira res) visiones suas, & quæ-
cunque volebat sororibus ad id instructis, inven-
to quodam novo atque admirabili noverat pate-
facere, & describenda proponere. Signis enim
quibusdam cuncta literarum nomina exprimebat,
innuebatque interdum literas sibi nominari, si
quid difficilius videretur, quod non facile per
nutus à quoquam percipi posset. Permulta ita-
que & difficillima de cælestibus secretis retulit,
quæ adhuc extant, & quæ egomet vidi, & non
sine maxima admiratione perlegi. Migravit ad
Dominum, anno Domini M. CC. XXXI. pridie
Nonarum Novembris. Ætatis vero suæ anno
XXIIII. miraculis signisque coruscans. Hæc
modo corpore, jam tot annis defuncta, integro
visitur: & devastatis circunquaque suburbiis,
nunc intra mœnia recepta est in basilica Fratrum
Armeniorum in vico omnium sanctorum: ubi
nunc & templum ipsum adauctum est, & astru-
ctum amplum monasterium. Anno M. D. XX.
Quod nunc beatæ *Helenæ* vulgus appellat, dica-
tum virginibus, sanctitatis modo ac pietatis lau-
de probatis, prioribus monialibus ejectis.

De Beata Eustochia Patavina.

Novissimo loco in hoc nostro sanctorum, vel
sanctarum cathalogo referenda mihi modo
est Beata *Eustochia* monacha Divi *Prosdocimi*,
juxta muros urbis ad Occidentem: quæ quam-
vis sacrilego partu genita fuerit, utpote ex mo-
nacha, nihilominus, quod evenire raro solet,
122 hæc ut rosa pulcherrima ex asperis & pungenti-
bus spinis effloruit. Nam vix quartum ætatis
annum agens, aut occulto Dei judicio, aut po-
tius parentum (ni fallor) crimine, cæteris in
exemplum arripitur à pessimo dæmonio: cui us-
que ad extremum vitæ diem affligenda, atque
immaniter vexanda in interitum carnis tradita est,
ut spiritus salvus fieret. Verum cum dæmon ali-
quandiu latuisset, ubi primum detonsa monacha-
lem habitum induerat, cœpit in eam atrocius de-
bacchari, & eam tot tantisque molestiis agitare,
ut cunctis sororibus puellam decennem oppido
A formidabilem redderet. Verum quum dæmon
sæpius adjuratus parum obtemperaret, & nullis
posset exorcizationum remediis expelli, desitum
est postmodum adjurari. Ex quo *Mamon* iniquus
(id enim erat ei dæmoni nomen) acrius furere
cœpit, & eam vehementius turbare, ac uti vi-
ctor misellam ipsam duplo durius affligere, & sæ-
pe usque adeo verberare, ut sanguis è membris
undique efflueret: solitusque interdum eam, tri-
duanis quatriduanisque jejuniis, & tam longa in-
edia conficere, ut fere e vita ex inanitate alimen-
ti migraret. Atqui ipsa admirabili quadam ani-
mi constantia, & divino adjuta præsidio, omnia
B cacodæmonis tormenta, invicta animi patientia
superabat: licet vel ex eo magis atque magis in-
fensum sibi indies dæmonem illum pessimum red-
deret. Verum quanto ille infensior reddebatur
ei, tanto illa gratior efficiebatur Deo. Quocir-
ca diffidens iniquus dæmon suis tantum viribus
Eustochiæ constantiam expugnare, aliam lædendi
viam aggreditur, & occultis fraudibus totum
monasterium in eam concitare molitur. Accidit
enim, ut *Justina Lazara* virgo prudentissima, è
Misericordiæ monasterio, quod in contrata sanctæ
crucis prope pratum vallis est, ad D. *Prosdocimi*
cœnobium, ex mandato Episcopi duceretur, ut
C ejectis inde impudicis, novis & honestis virgini-
bus repleretur. Quæ mox ingressa, tanta ani-
mi & corporis ægritudine affecta est, ut nullis
posset medicorum remediis convalescere. Malus
interim dæmon, præstigiosa quædam diversis in
locis posita reperiri procurat: ut quoniam præ-
ter *Eustochiam* nulla ex prioribus monachis ibi
manserat, omnis culpa hujus maleficii in *Eusto-
chiam* conferatur. Suggerebat interim diabolus
singulis *Eustochiam* veneficam esse, & novam
abbatissam suis his veneficiis e medio tollere vo-
luisse. Quamobrem mandato Episcopi virgo in-
nocens, perinde ac in manifesto crimine depre-
D hensa, tetro carceri mancipatur, & communi ali-
mento, pane & aqua exceptis, interdicitur. Il-
lic autem miserabilis puella per tres menses variis
illusionibus, & impiis & dolosis suasionibus fru-
stra à diabolo solicitata, fortis invictaque per-
mansit. Quin etiam ipsi Abbatissæ, & plerisque
aliis, cui monasterii cura impendebat, idem spi-
ritus malus suasit adhortari eam vel nubere, vel
aliud quodlibet monasterium introire, pollicen-
do si horum alterum placuisset, ipsam non solum
veniam sed dotem etiam multo majorem acceptu-
ram, quam à parentibus accepisset. At illa u-
trunque sibi displicere confirmans, dixit: para-
E tam se esse longe graviora supplicia sustinere,
quam mentiri Deo, cui jam pridem se totam, &
corpore, & mente dicarat: licet interim sic in
corpore occulto Dei judicio à diabolo vexaretur.
Atqui tandem visa puellæ constantia, qua in tot
adversis rebus & aflictionibus in defessa patientia
perdurasset, carcere educitur, squallore & livo-
re repleta: quæ paucis post diebus aliquanto re-
focillata, mox choro, & divinis officiis; & hu-
mano consortio per omnia sicut antea redditur.
Quæ quidem etsi apud plerasque earum pristina
infamia laboraret: nihili tamen id faciens, indies
in austerioris vitæ instituto, immobili animi
F constantia perseverat, & assidue opprobria illata
æquanimiter tolerans, maledicentibus benedicit,
& supplex Deum pro calumniantibus orat. Fer-
tur tamen aliquando dixisse, in tantis malis nihil
gravius sibi accidisse, quam falsam illam impie-
tatis calumniam. Tantum autem ei in orando
studium fuit, tanta sedulitas, ut tunc etiam cum
ab immundo spiritu exterius in corpore vexare-
tur, interius mens nunquam ab oratione desiste-
ret. Tantus etiam mundi contemptus, ut cum
L 3 au-

audiret *Veneriis* regias nuptias *Catherinæ Corneliæ Georgii* viri clarissimi sororis, Reginæ *Cypri* maximis sumptibus, & omni magnificentiæ genere fieri, tantoque conviviorum apparatu, tantaque pompa chorearum, & tanto vestium splendore, ac gemmarum, & mundi muliebris omnis
123 generis, quanto fere nunquam alibi factum fuerit, subridens dixerit: Ærumnas, luctumque meum, & dolores, quibus assidue premor, omnibus iis gaudiis & voluptatibus non commutarem. Pro certo asserens, se in hac vita malle pro Christo angi gravissimis corporis cruciatibus, quam immensis hujuscemodi mundi gaudiis, & momentaneis voluptatibus brevi cum aliquo animæ detrimento potiri. Tanta denique hujus erat potus cibique parcitas, ut semel tantum singulis diebus sub occasum solis tantillum alimenti gustaret, quantum duntaxat ad tuendam vitam sufficeret: nec amplius quicquam. Quocirca cum natura satis robusto corpore, & facie valde formosa antea fuisset, subinde ex imbecillitate valetudinis adeo flaccida, adeo deformis & pallida facta est, ut quicunque eam prius viderant, mirarentur: & præsertim, quod adeo facta esset invalida, ut sine baculo progredi non valeret. Quare cognita tandem vitæ ejus innocentia, cœpit ab omnibus summopere venerari, & rumor qui de ea vulgo antea diffusus erat, in diversum mutari: quatenus quæ malefica aliquando habita est, jam sancta & innocens ab omnibus haberetur. Cæterum quum appropinquaret exoptatissimus interitus, ut liberata tandem ab illo spiritu nequam, libero corde immaculatum spiritum suum cæli Domino commendaret: postquam omnia sacramenta pie fideliterque suscepisset, accersita Abbatissa, & reliquis sororibus, prædixit horam mortis sibi jamjam instare. Quo dicto, mox illis præsentibus ultra modum durius & immanius ab immundo spiritu vexari cœpta est: adeo ut ipsa diceret, videri sibi in inferni pœnis positam esse penitus, atque ibi cruciari. Atqui mox fugato dæmone, & cessante jam omni furore, ut erat in strato sedens, immutata illico facie velut facta altera, vultu hilari, & mente integra, atque vere ab illo tandem iniquo & diro spiritu omnino liberata, alacris, & plena gaudio mox veluti leni sopore sublata, superatis malis omnibus, & obita morte, ad cælum feliciter evolavit: eo sane aspectu manente, ut non quidem mortua, sed ab omni prorsus infirmitate erepta potius videretur. Erat enim mirabili odore fragrans, læta facie, & quasi subridenti similis, ex quo tanto venerabilior cunctis in morte visa est, quanto prius in vita majori contemptui à cunctis habita: præsertim quod cum sorores aliquot, quæ de more exuta tunica lanea, defunctæ corpus lavarent, super mamillam ejus sinistram, qua parte proprior cordi est, nomen JESUS, ita carni impressum esse conspexerat, ut nullo pacto deleri, aut omnino tolli posset. Quod quidem miraculum idcirco ei evenisse creditur, quia tam frequenter dicere solebat: *Jesu fili Dei miserere mei:* ut id verbum dormiens & vigilans, sæpe nescia quid loqueretur, ex nimia consuetudine lingua proferret. Evenerunt & alia tunc diversa miracula. nam post mortem ejus multis mortalibus per intercessionem illius varia sanitatum genera impertiit Deus: & quotidie etiam nunc impertit. Cæterum (ut brevi me expediam) reliqua quæ de ejus miraculis referuntur, in præsenti satius prætermittenda esse duxi, quam per pauca dicere. Extat liber in eodem monasterio innumerabilium pene miraculorum, quem nuper cum maxima admiratione, & animi lætitia perlegi. Extat etiam libellus, de ejus vita, & lau-

A dibus à *Petro Baraccio* Episcopo *Patavino*. Scripsit quoque multa de eadem, Latino vulgarique sermone *Hieronymus Saligerius*, tunc illius monasterii confessionarius sacerdos vir doctissimus. Notum præterea magis fit indies hujus beatæ virginis nomen, tum ex miraculis, tum ex odore mirifico, qui ante & post effosso cadavere, ex subterraneo ipsius tumulo exhalabat. Quin etiam ad judicandum de hujus virginis sanctitate, ex eodem tumulo, in quo per quadriennium defossa jacuerat, statim ubi eruta primum fuit, limpidissima aqua scaturire cœpit: quæ in hodiernum diem statis diebus perseverat, ex cujus potu innumeri pene mortales è gravissimis ægritudinibus convalescunt: ut
B ego quoque de me ipso testari verissime possum. Ingressa est autem monasterium ætatis suæ anno VII. habitum monachalem induit anno decimo: professa est anno XX. debitum autem naturæ solvit annos nata XXV. anno autem nativitatis Domini M.CCCC.LXIX. Idibus Februarii.

Præfatiuncula transitionis. 124

Verum enimvero cum jam de sanctis ac beatis utriusque sexus, qui fide, pietate, & vitæ sanctitate nostram patriam illustrarunt, satis
C superque dixerimus, rursum de Episcopis, & insignibus prælatis dicere prosequamur: qui suo aliquo nobili facinore præclarum sibi nomen, & non mediocre patriæ suæ decus peperere.

De Petro Tergula *Episcopo* Patavino LXX.

Poterit recte hic primo loco poni præclarum opus *Petri Tergulæ*, successoris *Milonis* Episcopi, *Patavini*, consanguinei Reginæ *Berthæ Henrici* quarti. Is quidem ab eodem Cæsare comitatu *Plebis Sacci* donatus, primus (ut reor)
D Episcopus *Patavinus*, & Comes *Saccensis* cœpit appellari, & à fundamentis Ædem sacram ibidem extruere, & Archipresbytero & canonicis exornare: tantisque locupletare divitiis, ut ex eo vicus ille non *Saccisca*, ut prius, nec *Saccum*, sed per excellentiam quandam *Plebs Saccensis*, deinde ab omnibus vocitari cœpta sit. Noster autem *Petrus* Episcopus nihilo minori cura aut diligentia, quodcunque à prædecessore cœptum fuerat, magnanimiter, lubensque peregit. Quocirca in pavimento ante altare legitur, è tessellis, & opere vermiculato formatum hoc distichum:

PRAESVLIS EST TEMPLI FINITIO TEMPORE PETRI:
E MILO FVNDAVIT, VIR PRAESVL ET IMPERIALIS.

Is autem *Petrus* Episcopatum sumpsit, anno Domini M.C. Obiit autem anno M.C.XIX.

De Joanne Cacio *Episcopo* LXXI.

In hoc numero recensendus est *Joannes Cacius* nobilis, doctor & eques: qui ob eximias tum animi, tum corporis dotes, insignemque doctrinam, moresque probatissimos, Episcopus *Patavinus* creatus est, cujus extat marmoreum sepul-
F chrum in atrio apud templum maximum ad parietem baptisterii, hoc carmine insculptum:

QVI CVM PROLE SVA CINCTVRA FVLSIT EQVESTRI,
ET QVI SACRORVM CANONVM DOCTOR ERAT:
HIC JACET ANTISTES CACII DE STIRPE JOANNES,
CVJVS NOMEN HVMI, MENS SVPER ASTRA VIGET.

Obiit anno M.C.XLIX.

De

De Gerardo Pomedello, *seu* de Ponte *Episcopo* Patavino *LXXIII.*

Neque recte, aut jure aliquo hoc loco poterat laudabile illud *Gerardi Pomedelli*, seu *de Ponte* facinus præteriri, viri nobilis, & Episcopi *Patavini*: dignum sane quod æternæ memoriæ commendetur. Etenim cum inter *Tisonem Campi S. Petri* comitem, cognomento *Novellum*, & *Gerardum* ejus fratrem, & *Acciolinum secundum de Honaria* ejus avunculum, acerrima orta esset contentio, ac subinde periculosissimum bellum, occasione Arcis *Campreti*, qui vicus est in *Tarvisini* & *Patavini* agri finibus: & cum indies odia ingravescerent, & jam utrinque positis castris levibus præliis quotidie certaretur, adiit pius præsul festinanter & intrepide utraque castra: & cum jam instructis aciebus ad certandum starent, tantum valuit auctoritate & facundia sua, ut ambæ partes, sedato omni tumultu, & pace inter se inita, ab armis & à cæde, reposita omni interim controversia & contentione, pro Episcopi arbitrio terminanda discederent. Hunc legimus ab adolescentia, tam doctrina, quam vitæ integritate fuisse probatum, religioseque semper vixisse: atque ob id adhuc juvenem (quum minime putaret) magno populi consensu electum fuisse ex equite & doctore in Episcopum, anno salutis M.C.LIX. Vixit autem usque ad an-
125 num M.CC.XIIII. Ecclesiam suam, & universum populum, toto eo tempore in bona pace, & summa tranquillitate gubernans. Hujus tempore tertio reperta sunt in templo Divæ *Justinæ* sanctorum corpora, ubi multis jam annis propter infidelium rabiem rursum absconsa latuerant. Direxit is in melius clerum: & cum plurima fecerit, plurima etiam facienda mandavit, quæ nunc etiam in populo, & in clero ex consuetudine laudabiliter observantur.

De Jacobo Patavino *Episcopo LXXVI.*

Jacobus Paduanus (ut conjectare licet) humili loco natus est, quum familiæ nomine certo caruerit, virtute tamen tantum valuit, ut anno Domini M.CC.XXIX. propter solam ejus vitæ, & virtutum præstantiam in Episcopum eligeretur: quo tempore Respublica *Patavina* acre bellum cum *Veronensibus*, & *Acciolino Frederici* Regis vicem gerente gesserat. Is autem nobile *D. Antonii* confessoris templum solenniter consecravit. Obiit anno Domini M.CC.LVI.

De Joanne Baptista Transalgardo, *seu* Capilistio, *alias* Forzateo Patavino *Episcopo LXXVII.*

Meliorem sane fortunæ aleam jecit *Joannes Transalgardus*, quam reliqui ejusdem temporis cives, licet cum eisdem, & nobilitate generis, & auctoritate in civitate pariter emineret: quando solus ferme illis temporibus tam periculosis illæsus à tyrannica immanitate permanserit. Verum expulso tandem impiissimo *Acciolino*, vacante Episcopi sede, à legato summi Pontificis & à populo universo *Patavii*, Episcopus electus est, Anno M.CC.LVI. die III. Augusti. Is vulgo fertur præ cæteris semper egenis alendis operam dedisse, atque in tam insigni viro doctrinam & pietatem de præstantia invicem decertasse. Vixit in Episcopali sede annos tres & viginti, omnibus æque charus & dilectus. Is idem impetravit ab *Urbano IV.* Pontifice Maximo anno circiter M.CC.LXII. legum studium seu scholam omnium disciplinarum in hac urbe nostra jam antea (ut scribunt aliqui) à *Carolo Magno* primo institutam anno salutis octingentesimo: vel quod magis videtur verisimile, à *Frederico II.* Imperatore anno M.CC.XXII. diversis privilegiis, dignitatibus & honoribus exornatam. Quæ quidem omnia in hoc usque tempus summa cum laude firmiter perstant: non minus ad Episcopi *Patavini* quam ad gymnasii, & Reipublicæ *Venetæ*, & *Patavinæ* civitatis decus facientia. Obiit ille anno M.CC.LXXXIII. sepultus in templo Cathedrali, arca marmorea: loco, qui Subterranea confessio appellatur.

Epitaphium.

NOMINE BAPTISTAE PADVANVS EPISCOPVS ISTE,
STEMMATA FORZATVM, JVRIS QVOQVE NOBILE PRATVM:
GREGORII MORES, FAMAE SALOMONIS HONORES,
PROSDOCIMI VITAM, PATRIAM POSSEDIT AVITAM,
TER NONIS ANNIS, OBIIT, SED LVCE JOANNIS.
LVSTRA FERENS TOTO NVMERO CVM TER TRIBVS OCTO,
TALIA SCEPTRA TENET, POST HAEC SVA CORPORA PETRA.
CVI GEMINI DEMPTIS ANNIS DE MILLE TRECENTIS
ET TER QVINQVE, DEDIT COELVM, CVI MVNDVS OBEDIT,
QVAQVE DIE NATVS, SVPERA FVIT ARCE LOCATVS.

De Principalle *Comite Episcopo* Patavino *LXXVIII.*

Successit *Transalgardo Principallis* de Comitibus *Patavii*, vir integerrimus: qui anno M.CC.LXXXVII. in Episcopatum accersitus est. Vixit autem in eodem per quinquennium. Obiit autem M.CC.XCII. de quo cum nihil aliud certi dicendum occurrat, expediti ad alios transeamus.

De Joanne Anselmino *Episcopo LXXXIX.* 126

Anno M.CCC.LXXXIX. *Joannes Anselminus* Episcopatus curam suscepit, vir sane insignis, licet contrarius & in partes, aut factiones adversus principes *Carrarienses* ex animo semper foverit. Quocirca pulso *Galeatio* Vicecomite de *Patavii* principatu, & restituto civitatis imperio *Francisco Carrariensi* juniori, ipse quoque ejectus est, & in exilium missus: cujus sedes primum *Ugoni Ruoteto Ferrariensi* traditur, ac postea *Stephano* ejusdem *Francisci* filio, qui cum nondum legitimæ ætatis esset, administrator primum est appellatus, & exinde Episcopus.

De Stephano Carrariensi *Episcopo* Patavino *XCI.*

Non ab re mihi visum est, illustrem animi constantiam *Stephani Carrariensis* modo memorati Episcopi *Patavini*, hic perquam breviter referre, qui (ut antea dixi) *Francisci* principis *Carrariensis* filius erat. Is ubi deditum *Venetis Patavium* videt, & *Franciscum* patrem captivum in vinculis *Venetiis* detentum, profugus *Romam* profectus, à summo Pontifice honorificentissime exceptus est. Sed ubi propter suspicionem, suaderi nulla ratione *Venetis* posset, ut in pristinam sedem amplius admitteretur, neque pari modo Ste-

Stephanus induci ullis pollicitis aut precibus, ut, renunciato hoc ſacerdotio, alterum ſibi oblatum ſuſciperet, perſeveravit abſque ullis certis reditibus (quoad vixit) in titulo ac nomine Epiſcopi *Patavini*. Iſte dum eſſet in ſede Epiſcopali, latericiis fornicibus, paternis ibi inſignibus pictis, templum Cathedrale ſuo ære inſigniter exornavit, & D. *Stephano* aram dicavit: ſicut adhuc titulus inciſus atteſtatur, qui in ſubterraneo ſpecu conſpicitur:

HAEC SANCTO STEPHANO STRVCTA EST VENERABILIS ARA,
NEC NON FORNICES, TEMPLI REPARATIO FACTI:
CARRIGERO SEDEM STEPHANO PASTORE TENENTE,
QVEM GENVIT PATAVI FRANCISCVS JVNIOR HEROS.

Additio ad Stephanum Carrarienſem *Epiſcopum.*

Is etiam impetravit à patre aream amplam ante portam Orientalem, ex qua eſt cœmeterium conſecratum, ut conſtat ex inſcriptione, quæ ſuper columnam legitur.

M.CCCCI.

ILLVSTRIS PRINCEPS DOMINVS FRANCISCVS IVNIOR DE CARRARIA, DOMINVS PADVAE, &c. NATVS QVONDAM BONAE MEMORIAE MAGNIFICI ET POTENTISSIMI DOMINI FRANCISCI SENIORIS DE CARRARIA, OLIM DOMINI PADVAE &c. ANNO XI. SVI DOMINII COEMETERIVM HOC DONAVIT CATHEDRALI ECCLESIAE PADVANAE, TEMPORE VENERANDI VIRI DOMINI STEPHANI DE CARRARIA FILII SVI, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ECCLESIAE PADVAE ADMINISTRATORIS.

Idem quoque impetravit donari Epiſcopatui ſolum adjacens ab Oriente, ubi nunc amœniſſimus hortus viſitur: quod antea forum publicum fuerat, ubi ſues venales exponebantur. Obiit tandem *Romæ* aut alibi in titulo Epiſcopi *Patavini*. Cui ſucceſſit *Albanus Michael Venetus*, anno natalis Domini M.CCCC.VI.

De Petro Forzateo *Patriarcha.*

Poſt pontifices *Patavinos* merito mihi primus omnium *Petrus Forzateus Conſtantinopolitanus* patriarcha, tam vetuſtatis quam dignitatis ratione ponendus eſt. Floruit is anno à Chriſti natali CM. vir in omni virtutum genere excellentiſſimus: qui *Conſtantinopolim* legatus ad *Græcum* imperatorem à Republica *Patavina* miſſus, cum jam peracto negotio ad ſuos redire vellet, ob egregiam ejus in omnibus rebus agendis induſtriam, tranſmiſſo per alterum nuncium legationis tenore, coactus eſt ab imperatore in *Græcia*
127 commorari, ut ſe in ea præſertim valde adverſa fortuna, ſuis conſiliis juvaret, & cuncta etiam imperii negotia una ſecum tractaret. Hujus poſtmodum legatione imperator ſæpius uſus eſt, eo ipſo tam pro imperii, quam pro fidei negotiis, ad diverſos principes, quocunque opus fuerat, miſſo. Denique ad *Joannem IX.* Pontificem Maximum legatione functus, cum omnia ſtrenue fideliterque peregiſſet, in *Græciam* reverſus, defuncto patriarcha *Conſtantinopolitano* ſimul *Hieroſolymitano*, mox in eorum locum ſufficitur, & *Conſtantinopolis*, & *Hieroſolymorum* patriarcha, ſecundum ritum Eccleſiæ *Romanæ*, ſanctiſſime conſecratur. Quo officio ſancte & incorrupte aliquandiu functus, relicto ſummo de ſe deſiderio, è vivis exceſſit, & *Conſtantinopoli* ſepultus eſt, ea funeris pompa, quæ talem tantumque virum, illis regionibus, & ea præſertim tempeſtate, deceret.

De Petro Malfatto Patavino *Epiſcopo* Caſtellano Venetiarum *XIV.*

Per hæc fere tempora, anno ſcilicet M.C.LXXI. cum celebre eſſet ſanctitatis nomen *Petri Malfatti Patavini*, defuncto *Venetiis* Epiſcopo *Caſtellano*, olim *Olivolenſi* appellato, *Petrus Malfattus Patavinus* accitus eo, Epiſcopus in ea ſede collocatur: quæ nunc ex privilegio ſummi Pontificis de titulo propinquæ civitatis *Gradenſis*, patriarchalis ſedes effecta eſt: & qui præeſt, *Venetiarum* nunc patriarcha vocatur. Is autem Epiſcopus cum laude maxima, quoad vixit, per illa tempora difficillima, & diverſis hæreſibus ſcatentia, verbo & exemplo novam urbem, ea orthodoxæ fidei firmitate ſolidavit, quæ adhuc in ea civitate profecto, magis quam in alia quavis *Italiæ* (auſim dicere) perſeverat.

De Simone Paltinerio *Cardinale.*

Iiſdem quoque rationibus *Simon Paltinerius* ex *Accelo* municipio *Patavino*, alias *Monteſilice Romam* accitus à *Lucio III.* Pontifice *Romano* ad Cardinalatus honores evectus eſt: anno domini M.C.LXXXII. à quo poſtea in ejus gratiam, & inſigne, & cognomen accepit. Nam pro cygno, quem ſui gentiles prius pro inſigni ferebant, lucium piſcem poni voluit: unde poſtea vulgari cognomine dictus eſt Cardinalis *à Piſce*. Quid vero geſſerit tunc *Romæ* difficillimis illis temporibus, quando Pontifex ortis civilibus diſſenſionibus, acceptaque graviſſima contumelia, à *Romanis* urbem relinquere, & *Veronam* petere coactus eſt, parum pro comperto habeo. Obiit anno Domini M.CC.LXXVI. *Joanne XXI.* Pontifice Maximo. Hoc autem tantum in noſtris annalibus legitur, familiam *Paltineriam* exinde claram eſſe factam, & contra patriam de prodendo *Monteſilice* oppido *Patavino*, ſummo ſcelere, cum *Cane Scaligero* conveniſſe, à quo pendebat omnis Reipublicæ ſalus. Id enim *Piſcis Paltinerius* doloſe hoſti tradidit, & propterea mox tota ejus familia proſcripta fuit, & omnia ejus bona fiſco publice adjudicata. Legitur item in iiſdem annalibus, *Antonium Carmignanum Patavinum* una cum quibuſdam aliis civibus *Novellum Paltinerium* in media aula publici palatii immaniter trucidaſſe, quod is imperatorias partes ſecutus, inſidioſe cives à pontificia factione deterreret. Qui quidem *Antonius* non multo poſt in ultionem hujus cædis, & ipſe à *Cardino Capinacio* occiſus, audaciæ ſuæ pœnas luit.

De Jacobo Paduano *cum aliis Epiſcopis* Feltrenſibus.

Hic inter hos pontifices *Jacobus Paduanus Feltrenſis* ac *Bellunenſis* Epiſcopus, non immerito collocandum ſeſe offert: qui licet obſcuro genere natus, ſingulari tamen virtute & doctrina præditus, ita ſeipſum, patriamque illuſtravit, ut ea ætate nemo inventus fuerit magis idoneus, qui à ſummo pontifice *Innocentio VI.* & à populo *Feltrenſi* dignius illo, qui ei Eccleſiæ vacanti præficeretur. Is *Feltriæ* cum maxima honoris pompa, corpora invictiſſimorum Chriſti martyrum *Victoris* & *Coronæ*, de priori loco tranſlata, in arca marmorea præſente *Carolo IV.* Imperatore recondidit, anno M.CCC.LV. ut ibidem lapidea

128 pidea tabula indicat. Ejusdem quoque sedis Episcopi fuerunt, *Jacobus Casalius Patavinus*, ut in ejus sepulchro, gentis insigne demonstrat. Anno salutis M.CC.XC. Addas *Boniversum* decretorum doctorem, omnes sane insignes *Patavinos*, qui sola sua virtute, probitate, & vitæ innocentia, ad hujusmodi honoris fastigium conscenderunt. Cum his connumeratur *Albertus* à sancto *Georgio*, qui ordinis fuit fratrum minorum, & insignis theologus, & divini verbi facundissimus concionator: & tandem ob egregias animi dotes, à *Bonifacio IX.* in Episcopum *Feltrensem* electus est. M.CCC.XCII. Is autem postea hoc laudabili munere functus, post annos octo sui pontificatus obiit & ibidem sepultus est. De *Boniverso* autem (ut ad eum revertamur) legitur in catalogo doctorum collegii *Patavini*, eum decretorum doctorem fuisse excellentissimum. Hujus autem familiæ sepulchrum *Patavii*, in media Æde sancti *Laurentii* ante altare visitur.

De Petro Baonio *Episcopo* Tervisino.

Ex nobilissima Comitum *Baonii* familia multi præclari viri religiosi, nec pauciores bello præstantes prodierunt: quos infra suis locis refe remus. Inter hos autem vel maxime claruit *Petrus Baonius* in Episcopatum *Tervisinum* vocatus: qui sicut sui majores armorum disciplina in bello, ita ipse Christiana pietate in pace & morum sanctitate in cæterorum exemplum refulsit. Retulit autem mihi *Petrus Gauslinus Feltrensis*, antiquitatis & rei cujusvis præclaræ studiosus, se legisse in quibusdam antiquis monumentis, hunc sub *Urbano VI.* Pontifice Maximo in Episcopatu *Tervisii* floruisse. Anno salutis M.CCC.LXXXIX.

De Bartholomæo Vliario Patavino *Cardinali* S. Pudentianæ.

Eximia virtus, & sacræ theologiæ, scripturarumque divinarum scientia *Bartholomæum Vliarium Patavinum* humili, sed honesto genere natum, nobilem & illustrem reddidit: qui cum in Minoritarum familia vitæ sanctitate, & omnimodæ sapientiæ cognitione præstaret, à *Bonifacio IX.* Pontifice Maximo primo in Episcopum *Florentinum* cooptatus, ad apicem tandem cardinalatus ascendit, factus presbyter cardinalis *S. Pudentianæ* titulo pastoris. Anno à partu Virginis M.CCC.LXXXIX in quo ordine præstantissime sese habuit, cunctis quidem gratus, sed summo Pontifice etiam gratissimus. Verum postea difficilibus Christianæ Reipublicæ temporibus in *Siciliam* ad illius provinciæ regimen missus, in ea legatione *Cajetæ* XVI. Cal. Maji, M.CCC.XCVI. apud Minoritas ejusdem loci, & diem clausit extremum, & sepulchrum sortitus est. De hoc legitur apud *Sabellicum* Decade II. historiarum suarum, lib. VIII. & in historia *Romanorum* pontificum & cardinalium. S. R. E. *Onuphrii Panvini Veronensis*, eremitæ *Augustiniani*, viri hac nostra ætate in omni literarum genere præstantis, sed potissimum occultæ antiquitatis investigatoris egregii.

Epitaphium.

VNICA CARDINEI FVERAS QVI GLORIA COETVS,
HAEC TE PETRA TEGIT PATAVINIS MOENIBVS ORTVM.
ALMAS INTER NVNC ANIMAS LAETARIS OLYMPO.
MISSVS ERAS PARTES DEMVM LEGATVS AD ISTAS,
QVVM TIBI VIVACES MORS INVIDA SVSTVLIT ANNOS.
VNANIMIS QVICQVID CONDIGNVM MVNERE FAMAE
SCIRE DATVR, STVDIIS SVBLIMI MENTE LOCASTI.
LONGA TVVM MERITIS CLARVM PER SECVLA NOMEN
NON ADIMET SVPREMA DIES: TVA INVIDA VIRTVS
NVNQVAM MORTE CADENS, OMNI MEMORABITVR AEVO.

HIC IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS BARTHOLOMAEVS DE VLIARIIS DE PADVA DEI GRATIA TT S PVDENTIANAE 129 PRESBYTER, CARDINALIS PADVANVS, REGNI SICILIAE APOSTOLICAE SEDIS LEGATVS, QVI OBIIT DIE XVI. APRILIS, M.CCC.XCVI. IND. IIII.

De Ludovico Media Rota *Patriarcha* Aquilejensi, *&* *Cardinale* S. Laurentii *in* Damaso.

Pro ratione autem dignitatis, potiusque temporis, post hos æquum mihi visum est recensere *Ludovicum Patavinum*, nullo alio unquam cognomine usum, licet *Media Rota* aliquando dictus fuerit, obscuris quidem natalibus ortum, gestis autem rebus ultra quam dici potest, præstantissime illustratum: & multo sane majore animi generositate, quam sanguinis: atque robore potius corporis, ingeniique præstantia ad sublimia evectum, quam literarum, aut philosophiæ studiis, quibus aliquando impense in patria operam dederat: atque ita evectum, ut à pontificatu, parvo nescio quo rerum momento a *Paulo II.* deciderit. Is cum omnibus vitæ partibus satis honestus atque integer fuerit, tum in re militari perquam strenuus, magnique consilii, nec minoris etiam animi, bellorumque gerendorum artibus, victoriisque in primis assuetus: utpote qui plurima & difficillima bella insigni felicitate confecerit. Primum ergo artium liberalium, & medicæ facultatis studiis, & physicis disciplinis in patria imbutus, *Romam* petiit, ibique ab his prioribus studiis ad armorum disciplinam animum intendit suum: quando ea tempestate *Romæ* plus arma quam toga valerent. Quamobrem *Eugenii* Pontificis gratiam usque adeo sua militari disciplina promeruit, ut post multa præclare ab eo gesta, in demortui *Joannis Vitelli* locum universis Pontificiis copiis præficeretur: & cum iis in auxilium Reipublicæ *Florentinæ* adversus *Piceninum Philippi Mediolanensis* præfectum *Hetruriam* longe lateque vastantem missus, ubi tunc apud *Anglare Florentinorum* oppidum consertis cum hoste manibus, vi & astu *Piceninum* re ipsa magnum, ac alioqui invictum ducem vicit, fregit, fugavitque. Dimicatum tunc fuit per quinque horas utrinque acriter, acie neutrò inclinante. Atqui tandem *Ludovici* opera *Piceninus* accepto gravissimo incommodo, & amissis signis militaribus, magnaque utrinque strage edita, penitus profligatus abscessit, & iter per *Flaminiam* faciens, ægre ad *Philippum* reversus est. Liberavit itaque victoria hæc uno tempore apostolicam sedem à maxima calamitate, Pontificem à periculo, Urbem à metu, cives, oppida, rura & agros ab ingentissima ruina, ac peste pernicieque bellorum. Gratissima ob id supra quam dici potest, hæc victoria *Eugenio* Pontifici fuerat, & (ut *Platina* in vita ejusdem refert) *Ludovicus* ob id nemine reclamante in numerum Cardinalium digne meritoque ascitus est.

est. In eo ordine multa subinde gessit, quæ
non minus ducem fortissimum, quam & religio-
sissimum Christianæ Ecclesiæ præsidentem dece-
rent. Hujus autem apud *Eugenium* usque adeo
auctoritas valuit, ut nihil ille penitus publice
aut privatim ageret: quod non prius *Ludovici*
consilium approbasset. Is tunc unus omnia ad-
ministrabat, & (ut refert *Tortelius* in dictione
Camelus) ei ob singulare ingenium, summa pon-
tificatus, ac rerum omnium cura tradita fuerat.
Verum interim cum Pontifex Maximus *Patavi-
norum* fidei, quam in rebus arduis sæpe expertus
fuerat, supra modum præ cunctis fideret, vul-
goque *Patavinos* omnes, qui ad eum confuge-
rant, valde hilariter summo cum honore ac be-
nigne susciperet, seque eis liberalissimum exhi-
beret, tantus favor in tantam invidiam vulgo
cessit, ut *Romæ* mulionibus in proverbium vene-
rit, dum mulos agerent: *Eja villanus, si esses
Paduanus, fieres Papa, aut Castellanus.* Id vero
quod in *Patavinorum* invidiam dicebatur, nos
laudi, vel maxime, hic ascribendum putavimus,
quando non id vitio, sed honori maximo dan-
dum sit, quod à detractoribus ex invidia, aut
livore dicebatur. Etenim ut misericordia, &
pietatis miseriarum comes est, ita invidia & li-
vor, gloriæ assecla. Quum is ergo tantus apud
Pontificem Maximum haberetur, familiaribus
quibusdam instantibus, quo haberent, quem
Ludovici potentiæ possent objicere, *Petrus Bar-
bus* (ut scribit *Platina*) Pontificis nepos cum
eo Cardinalis efficitur. Cæterum Pontificem
tum palam dixisse ferunt, se duos Cardinales tunc
creasse, sed alterum meritorum gratia, alterum
vero consanguinitatis affectu. Electus est subin-
de *Ludovicus* noster *Aquilejæ* Patriarcha, anno M.
CCCC.XL. Ex quo postea tanta simultas inter hos
duos Cardinales orta est, ut in *Romana* curia
nunquam majori odio certatum fuerit. Ægerri-
me quidem ferebat *Petrus Barbus* primum sibi
130 locum apud Pontificem surripi, & sibi nepoti ex
sorore, ac *Veneto* patricio hominem alienigenam,
& obscuri quidem generis tam aperte præferri.
Quamobrem sub diversis Pontificibus inter se
mutuis odiis postea contenderunt, ut alter alteri
neque pepercerit, neque à maledictis unquam
cessaverit. Quocirca apud *Calixtum* III. Ponti-
ficem Maximum ita egit *Barbus* sua astutia dolis-
que, ut *Ludovicus* ejus acer æmulus, mitteretur
in *Turcas* suadens Pontifici, hominis amplitudi-
nem huic tantæ rei vel maxime convenire: quum
sæpe alias exercitus sapienter feliciterque ductas-
set, & ditionem Ecclesiæ ab hostibus constanter
eripuisset, & *Picenum* à *Francisco Sfortia* injuste
occupatum, vi & arte tutatus fuisset, & Eccle-
siæ quod inique ablatum fuerat, justo bello red-
didisset, & multa alia pene incredibilia gessisset:
eo quod esset unus omnium ea tempestate rei mi-
litaris peritissimus & felicissimus dux. Quæ qui-
dem etsi vera omnia & laudanda maxime: iniquo
tamen animo ab eo memorata fuisse creduntur,
ut eum interim *Roma*, & ab oculis suis, ea oc-
casione fugaret. Profectus itaque ad hoc bellum,
ita strenue sese gessit, ut, *Turcis* apud *Belgra-
dum* parva manu superatis & fusis, actum de cru-
delissimo tyranno tunc esset, si Christiani prin-
cipes, omissis intestinis bellis, & occultis odiis,
terra marique viam victoriæ, quam ipse osten-
derat, prosequi voluissent. *Turca* interim omis-
sa oppugnatione *Belgradi*, sedato impetu, quo
in Christianos tunc incensus ferebatur, *Constan-
tinopolim* protinus se recepit. Eo prælio cæsa
sunt ad sex hostium millia: commeatus interce-
pti, sexaginta tormenta bellica capta & abducta.
Reversus tandem *Romam* gestarum rerum gloria

A clarus, à *Calixto* Pontifice Maximo & à toto
Cardinalium collegio summo honore exceptus,
& mirifice collaudatus est. Item in eosdem *Tur-
cas* præfectus classis in auxilium *Rhodiorum* mis-
sus, plures *Turcarum* naves superavit. *Lennum*,
Taxum & *Nembrum*, multasque alias *Ægæi* ma-
ris insulas hostibus ademit, & interim non *Lyli-
ces*, quibus *Ceramanus* secundi apud *Turcas* ho-
noris imperabat, non *Ægyptios*, neque *Syrios*
quiescere ullo pacto sinebat. Verum defuncto
Calixto, dissoluta classe *Romam* revertitur, tota
Græcia in magno derelicta discrimine. De hoc
celebris fama extat apud omnes illorum tempo-
B rum scriptores, hunc inter militares duces, &
prælatos Ecclesiæ fuisse unum omnium clarissi-
mum. Neque quemquam movere debet, quod
Joannes Jovianus Pontanus eum apud inferos ga-
lero æneo candente coopertum luserit, & quod
ob ingentes opes malè audierit: quæ quidem de-
mum tam suis quam sibi forsan male cesserunt.
Exemplum id plane cæteris fuit, quanti facien-
da sit virtus, quæ eum ad tale tantumque digni-
tatis fastigium evexerit: & quantopere fugien-
dum sit vitium virtuti commixtum, quod ei &
vivo & mortuo tantopere obfuerit: quando ex
C ea divitiarum affluentia, & opum magnitudine,
ac rerum copia & apparatus magnificentia, &
superfluo luxu multos reges excessisse, nedum
æquasse creditur. Quin etiam (ut fertur) pri-
mus ex eo ordine fuit, qui (quod minime fa-
ctum velim) canes, equos & familiam ingen-
tem alere cœperit: quique primus convivio-
rum lautitias, supellectilia pretiosiora, regium
splendorem, & magnificentiam, & immodi-
cum lautitiarum cultum in *Romanam* curiam
invexerit, & *Romanos* cives jam in omnem desi-
diam collapsos, ad sublimiora reduxerit. Is *Cam-
pum Floræ Romæ* neglectum, atque in equorum
pascua redactum lapidibus stravit, ornavitque.
D Is ædes juxta Basilicam *S. Laurentii* maximo
sumptu instruxit. Præterea *in Sabello vetustissi-
mi nominis oppido* (ut Blondi historici verbis u-
tar) *à quo familiæ Romanæ nobile nomen fluxit:
monasterium, quod Honorius III. de gente Sabella
ibi ædificaverat, pene funditus dirutum, magna
instauravit impensa, ut sive monasterii, sive villæ
inter cæteras Italiæ amœnissimas inibi habitationes
haberet. Ductus aquarum instauravit, & demor-
tuæ urbi aliquam oppidi faciem reddidit.* Hacte-
nus ille. Is anno pontificatus *Aquilejensis* quar-
to, de *Forojulii* ditione quam *Veneti* obtinebant,
ita composuit, ut singulis annis ter mille aureos
E è publico fisco sibi & successoribus solverent, &
Turcarum cæterorumque hostium eo irrumpen-
tium impetus retunderent: quibus ipsemet pa-
triarcha suis viribus, absque auxiliaribus copiis,
atque inclyta *Venetorum* virtute resistere non va-
lebat. Is propterea anno M.CCCC.LXII. dona-
tus à patribus civitate *Venetiarum*, & creatus
Venetus patricius, appellatus est *Ludovicus Media
Rota*. Anno postea XXV. sui patriarchatus mo-
riens, hæredes sibi in thesauris, & pretiosa su-
pellectili reliquit duos è familiaribus suis & alu- 140
mnis, *Scarampos* appellatos, liberalis quidem, &
F pii fortassis ingenii. Sed tamen tantis fortunis ex
pontificia dignitate partis, prorsus indignos.
Quare *Ludovicus*, qui vivens in peragendis rebus
omnibus supra modum sagax ab omnibus habitus
est, in calce vitæ suæ ab illa sua prudentia inna-
ta defecisse videtur. Non enim (sicut quidam
scripsere) tantas divitias, tam amplum & copio-
sum patrimonium ita facile decidere in manus
privati hominis sperare debuerat: etsi tunc *Pau-
lus II.* Pontifex Maximus postquam ad pontifi-
catum assumptus est, cessante jam omni invidia,
&

& æmulatione, & antiqua odii omni causa sublata, volens ei vel maxime reconciliatus videri, potestatem ei testandi concesserat. At ubi mortuus est, immensas hujus opes aggressus, revocavit omnem testandi licentiam: merito damnans, quod is tantas facultates Ecclesiæ munere partas, non in publicos piosque, sed in privatos, paucorumque usus dispertiendas mandasset: & quod & ipsi crimen, & pontificiæ potestati scandalum, & sacro ordini sinistram famam afferret. Quocirca *Scarampos* ipsos eo usque in custodia detinuit, donec immensus *Ludovici* thesaurus è *Florentia*, & ab aliis locis *Romam* pervenerit. Ita postmodum cum bona pace, & quota hæreditatis parte incolumes dimissi sunt. In reliquis bonis immobilibus & prædiis, quæ excedebant quinque millia jugerum, hæredem habuit *Andream* fratrem, & *Franciscum* nepotem ab *Harena* appellatos. Qui postmodum per aliquot annos rerum suarum prodigi, exhaustis omnibus pecuniis, & absumpto, ne dicam devorato tam grandi patrimonio, non cessarunt prodigaliter consumere, quousque ingentia illa prædia cum amicis, affinibus, scortis, lenonibus, popinis, alea, lusibusque universa distraherent, & brevi miserabiliter omnem rem suam profunderent. *Harena* quoque ipsa (quod est vetustissimi amphitheatri nomen) à qua & ipsi cognomen acceperant, divendita, ad novas ædes construendas apud *Vinealium* vicum animum intendunt, ibique subterraneis arcubus, & imis tantum partibus ædium ædificatis, ubi ad prima lacunaria deventum fuit, deficientibus jam pecuniis, desitum est. Hic locus cum vicino vico nostra ætate ad monachos *S. Francisci*, ex piis legatis eorum, qui ea loca emerant in usus amplissimorum hortorum. Ædes vero ad infirmorum xenodochium devenere. Post hæc autem *Franciscus* pronepos patri aliquamdiu superstes, è tantis facultatibus in tantas dilapsus est miserias ac calamitates, ut à consanguineis victum (pudet dicere) mendicare cogeretur: & denique in hospitali *S. Francisci* urbis nostræ confectus senio, in summa egestate & ludibrio, ab omnibus quantumvis amicis & affinibus destitutus, miserabiliter vitam finivit, ac ibidem non sine summo dedecore mendicantium more sepultus est. Ecce quomodo amplissimæ facultates ditissimi hominis multo labore primum partæ, magna deinde cura aliquandiu servatæ: atque tantæ, & cuivis homini etiam laute viventi, ad mille annos sufficere posse viderentur, parvo admodum temporis spatio evolarint, & ad nihilum redactæ fuerint. Quid ergo de sacris ejusmodi sacerdotiorum opibus sperandum sit, ii quæso accurate, etiam atque etiam videant: qui omni pietate posthabita, tanto studio cumulare quotidie pecunias, & familias suas enixe ditare nunquam desistunt, & huic uni tantum rei incumbentes, insani prorsus redduntur. Vixit *Ludovicus* sub *Paulo secundo* paucos menses. Obiit *Romæ* M.CCCC.LXV. & cum summa pompa jussu pontificis *Romæ* in templo Divi *Laurentii* in *Damaso* tumulatus est. Sed quod hujus fortunis, ac rei familiari eventurum fuerat, idem & cadaveri ejus eo ipso quo sepultus est die evenit. Noctu enim effracto sepulchro, & annulo & veste exutus est. Hujus vero tumulus diu plane neglectus mansit: sed tandem *Henrici Hunis* liberalitate è marmore cum hoc titulo reparatur:

LVDOVICO PATAVINO PATRIARCHAE AQVIL. ALBANO ET DIVI LAVRENTII IN DAMASO. S. R. E. CANCELLARIO. QVOD ANIMI MAGNITVDINE ET SINGVLARI PRAEDITVS PRVDENTIA, CVM REM ROMANAM MVLTITVDINE HOSTIVM LABORANTEM LEGATVS AB EVGENIO IIII IN SPLENDOREM PRISTINVM ARMIS ET VICTORIIS VENDICASSET, NICOLAVM PICINVM APVD ANGLARIAM PROFLIGASSET. AGRVM PICENVM A FRAN- 132
CISCI SFORCIAE DOMINATV IN DEDITIONEM ROMANAE ECCLESIAE RECVPERASSET: TVRCAS SVB CALIXTO IN NAVALIBVS PRAELIIS CONTVDISSET: AVTHORITATEM ROMANI PONTIFICATVS LONGE LATEQVE PROPAGASSET: DOMESTICIS QVOQVE VIRTVTIB. CONSILIO, GRAVITATE, CONTINENTIA, PLVRIMIS DENIQVE IN OMNES BONOS LIBERALITATIS ET BENEFICENTIAE MONVMENTIS BELLICAS LAVDES ORNATIORES REDDIDISSET, HENRICVS HVNIS ARCHIEPISCOPVS TARENTIN. PONT. SACRIQVE SENATVS A SECRETIS, AERARII APOST. PRAEFECTVS, TANTAE VIRTVTIS IN LVCEM REVOCANDI CAVSA, QVOQVE VETEREM SVAM IN EVM OBSERVANTIAM HOC RECENTI PIETATIS OFFICIO TESTARETVR, HOC ILLI MONVMENTVM XL. AB EIVS MORTE ANNO SVA PECVNIA FACIVNDVM LOCAVIT: ANNO SALVTIS M.D.V.XII. KALEN. APRILIS. VIXIT ANNOS LXIII. MENSES IIII. DIES VIII.

De Francisco Lignamineo *Episcopo* Ferrariensi.

Sequitur *Franciscus Lignamineus* ejusdem ferme seculi magnæ auctoritatis vir, & in aula pontificia nulli sua ætate secundus, professor artium liberalium eximius, ac in omni disciplinarum genere doctissimus. *Feltrensis* primo, postea *Ferrariensis* Episcopus factus est. *Eugenio* Pontifici Maximo à secretis, doctrina, consilio, benevolentia, fide ita probatus, ut apud eum, locum sibi præcipuum sine contentione meruerit, & tam propter veterem benevolentiam, quam propter innumeras ejus animi dotes, illi ultra cæteros charissimus. Atqui haud multo sane post, nisi immatura obstitisset mors, erat judicio & opinione cunctorum purpura, & cardinea dignitate honestandus Hinc *Porcellius* poëta *Neapolitanus* dum se ei longo carmine commendat, his verbis utitur.

Cum decus, ô cleri, & Patavæ celeberrimæ gentis
Ipse scias superi, qua ratione juvant.
Namque sacer solus tripodas, & numina sentis
Delphica: sunt menti condita cuncta tuæ.
Ipse meas Francisce velis abducere curas,
Gratia sit vati, te duce Pontificis.

Et cætera quæ ibi in hujus laudem ab eo permira elegantia referuntur. Is multas legationes in varias provincias ad diversos Reges, summa cum laude Reipublicæ Christianæ, & honore, & gloria *Romanæ* curiæ feliciter obivit. Prioratum *S. Benedicti Novelli* cui præerat *Patavii*, monachis *Montis Oliveti* vivens gratis, lubensque addixit, eorumque bibliothecam optimis libris ornavit, ibique fornacem cum multis domibus ad augendos Abbatiæ reditus construendam suis imperiis curavit: ubi adhuc duobus in locis legitur hoc elogium iisdem plane verbis:

HAS DOMOS CONSTRVI FECIT CLARISSIMVS ARTIVM DOCTOR DOMINVS FRANCISCVS PATAVVS. EVGENII IIII. CVBICVLARIVS. EGREGIIQVE CIVIS LEONARDI DE LIGNAMINE FILIVS. ANNO M. 133
CCCC. XLI. QVO AB IPSO EVGENIO S. BENEDICTI PRIOR DESIGNATVS EST.

Obiit *Romæ*, & in vestibulo Ædis *D. Mariæ* cognomento *Novæ*, juxta *Pacis* templum sepultus: ubi legitur sub ejus statua hoc epitaphium:

FRANCISCO EXTINCTO PATAVINO ANTISTITE FELTRI,
ET QVONDAM MOESTAE PRAESVLE FERRARIAE.
EXTINCTVM HVMANO EST, QVANTVM VIRTVTIS IN VNO
CORPORE, NON TOTVS ORBIS HABERE QVEAT.

Repositus anno M.CCCC.LXII. III. Idus Februarii.

De Joanne Baptista Lignamineo *Episcopo* Concordiensi.

Hic rite modo subsequitur hujus frater *Joannes Baptista Lignamineus*, vir integerrimus, & undequaque doctissimus. Is & ob doctrinam moresque probatissimos, Episcopus *Concordiensis* creatus, pie ac religiose tali munere ac dignitate diu perfunctus est: cujus adhuc (ut audio) *Concordiensi* in templo complura monumenta visuntur: quæ cum probitatem, tum etiam pietatem affatim testentur suam. Missus autem legatus à summo Pontifice in *Hispaniam*, illinc expeditis feliciter Reipublicæ Christianæ negotiis, summam inde secum laudem reportavit. Tandem missus itidem ab eodem *Venetias*, dum publice in convivio Principis & Senatorum accumberet, quod statis diebus summo apparatu, maximis sumptibus, & omnium epularum copia principibus viris exhibetur, retardato tunc sibi præ pudore ventris onere, paulo post ex hujusmodi retentione morbo contracto extinctus est: ac *Ferrariæ* ubi propræsul fratris loco fuerat, frequentiusque residebat, in Basilica Cathedrali juxta altare majus cum hac inscriptione sepultus:

QVI QVONDAM HESPERIVM LEGATVS VIDERAT ORBEM
HIC BAPTISTA JACET: FRANCISCI ANTISTITIS ILLVM
HVC ILLEXIT AMOR FRATRIS: QVEM BORSIA PATREM
FERRARIA OBSERVAT: CONCORDIA PRAESVLE MOESTA EST
AMISSO: CIVE VRBS ANTENORIS INCLYTA LVGET.

De Blasio Lignamineo.

Legimus etiam *Blasium Lignamineum*, decretorum doctorem insignem extitisse: qui primum *Tortelii* insignis grammatici archetypum de Ortographia in lucem edidit quam emendatissimum impressoribus *Tarvisii* imprimendum. Unde postea illo tunc recenti impressionis invento, innumera tanti doctoris volumina emanarunt: quod quidem elegantissima ad illum nuncupatoria ibi epistola impressa docet. Atque hoc vel unicum tam benefici viri studium, omnibus eum vel maxime commendat. Nam ab illis ferme annis videlicet M.CCCC.LXIV. quibus impressionis artificium *Moguntii*, à *Joanne Cutembergo Germano* inventum est, is unus in primis illud ipsum inventum summa cura, ac optimis quibusque libris illustrandum curavit.

De F. Desiderio Lignamineo.

Propagari modo video *Lignamineæ* gentis decus in *Desiderio Lignamineo Hieronymi* filio ex prædicatorum fratrum familia, grammatices ac theologiæ eruditissimo professore, mihi & benevolentiæ, & studiorum vinculis conjunctissimo: quem morum innocentia, & literarum splendor ubique locorum vehementer illustrat: præsertim vero *Patavii*, ubi multis jam annis summa cum laude ad erudiendos clericos, sacras & mansuetiores literas profitetur. 134 Hujus studiosissimos juventutis labores *Creta* quoque celebratissima insula testari potest: ubi per decennium publice bonas literas docens, illius juventutem, & literis, & moribus in melius reformavit. ex qua re non solum laudem, sed etiam non modica vitæ suæ commoda comparavit: & inde rediens *M. T. Ciceronis* sepulchri faciem ex *Zacintho* allatam, *Italiæ* primus omnium impressorum typis affabre confictam noscendam dedit, & historiam novæ inventionis eleganti epistola ex abditis obsoletæ vetustatis tenebris explicavit, quam *Hieronymo Marcarello Veneto* canonico nostro *Patavino* viro doctissimo dedicavit, XI. Cal. Febr. M.D.XLVIII. Scripsit alia quoque multa scitu præclara, quæ adhuc supprimit magna cum laude mox suo tempore in vulgus edenda.

De Nicolao Trivisano Patavino *Episcopo* Cenetensi.

Non minus patriam *Trivisanam*que familiam, ac sacerdotium Episcopali dignitate, & incomparabili sapientia illustravit *Nicolaus Trivisanus* Episcopus *Cenetensis*, vir universæ *Italiæ* doctrina, moribus, & perpetua innocentia ac laude probatus. Claruit is *Romæ* sub *Innocentio VIII.* à quo propter incomparabilem ejus doctrinæ famam, ac religionis amorem, quo maxime florebat, honorificentissime accersitus, *Cenetæ* Episcopus electus est. Quo in loco aliquandiu residens, quum boni pastoris studium pie simul ac sapienter exercuisset, aram ibidem cum delubro ære suo exstruxit, liberaliterque dotavit, & in eo sepeliri voluit. Reliquum ætatis *Patavii* cum suis aliquandiu amanter exegit. Ast ubi cum in ultima senectute sancte obiisset, eo corpus suum delatum est, & in marmoreo sepulchro conditum: quod (ut dixi) in ipsa Æde Cathedrali *Cenetæ* non immemor mortis diu antea vivens sibi paraverat, cum hoc epitaphio:

NICOLAVS TRIVISANVS IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR, PRAESVL CENETENSIS VIVENS POSVIT, ANNO SALVTIS M. CCCC. XCII.

Post mortem vero insculptum est in sepulchro hoc carmen:

VITA, QVIES, SED NVLLA QVIES MORTALIBVS VNQVAM:
MORS EST VITA MAGIS, QVAM MIHI PARTA QVIES.

Vixit annos LXII. menses II. Obiit *Patavii* in domo paterna IV. idus Januarii M.CCCC.XCVIII. & inde quo diximus transvectus est, celebri exequiarum pompa: nec minus celebri illic postmodum tumulatus. Titulus autem *Cenetensi* delubro insculptus. Sacratissimis viris D.D. *Sebastiano* & *Antonio Patavino*, *Nicolaus Cenetensis* antistes, & *Antonius* Frater cognomento *Trivisani*, sacellum hoc suis impensis erexerunt, ornaruntque. Idem postea *Nicolaus* Pontifex condonatam XL. dierum salutatoribus pie veniam dedit IV. Non. Febr. quod juris gentilitii patronatus, patroni nuncupati perpetuo esse voluere, anno salutis & gratiæ M.CCCC.LXXXIV. Hujus nepotes ab iis nihil degenerantes, nunc & literis, & singulari probitate, atque impensa & structura speciosissimarum Ædium apud *S. Bernardinum*, non minorem patriæ, quam familiæ splendorem afferentium, patriam nostram vehementer exornant: maxi-

maxime autem quando ex iisdem parentibus septem ornatissimos fratres, & ex his tres doctores eximios ætas nostra videre potuit. Ex quibus *Bernardinus* philosophiæ professor *Salerni*, nondum lauream studiorum adeptus, publice dialecticen pro doctore defuncto professus est. *Petrus* autem *Venetiis* uxore ducta, & suscepta prole, in disertorum patronorum numero non postremus habetur. Adde *Ricardum* interim, qui in patria causis dijudicandis, & maxime consulendo, præclaram & ipse familiæ apportat gloriam.

De Jacobo Pediligno *Abbate* D. Justinæ.

Etsi forte subsequentium quispiam *Jacobum Pedilignum* Abbatem egregium anteriore ætate præcedat: facile tamen dignitatis ratio suadet, mihi eum hoc loco esse reponendum. Quod
135 enim de multis Abbatibus, & canonicis, & sacerdotibus dicturus sum, non ideo tantum dicam, quod ecclesiasticis honoribus præfuerint (licet vel hoc solum hominem illustrem reddat) sed quod eos aut doctrina, aut liberalitas, aut insignis quæpiam virtus tali honore dignos fecit. Etenim quo tempore patria nostra ex impia *Acciolini* tyrannide erepta est, sicut Deus Episcopum, ita & Abbatem Divæ *Justinæ* sibi optime providerat: quando is statim totius civitatis consensu à legato summi Pontificis Abbas electus fuit: vir sane probus & irreprehensibilis, atque virtute & religione omnibus omnium judicio præferendus. Qui quidem digne & laudabiliter toto vitæ suæ tempore in administranda abbatia, & in reparandis ædificiis ita strenue sese gessit, ut summa cum laude ex eo famam de se immortalem posteritati reliquerit.

De Galbertino Musato *Abbate*.

Hujus *Jacobi* successorem fuisse legimus *Galbertinum Musatum*, *Albertini* poëtæ germanum fratrem. Is enim poëta cum *Romæ* pro Republica legatum ageret, & esset summo Pontifici gratissimus, impetravit, ut *Galbertinus* frater locupletissimæ abbatiæ Divæ *Justinæ*, tunc forte vacantis præficeretur. Qui quidem postmodum cum ob animi generositatem, qua præditus erat, tum propter ingentes divitias, quibus ex Abbatiæ proventibus affluebat, in factionibus (ut erat tunc pessimus civitatis mos) cæteris longe præstabat: quanquam id eum ex injuncto officio minime deceret. Quamobrem in arduis Reipublicæ negotiis tanquam unus è privatis civibus cogebatur frequenter, vel invitus civili curiæ interesse: eo præsertim tempore, quo *Patavini* & *Veronenses* invicem excursionibus devastationibusque ad mœnia *Veronæ* vastando, & deprædando longe lateque cuncta vastarent. Et è converso *Veronenses* in agrum *Patavinum* ab alia parte irrumpentes, superato *Medoaco*, ad *Cortarodulum* licenter circunquaque per agros vagarentur, facturi indies majorem stragem, nisi opportune *Galbertinus Musatus*, una cum *Pagano Turreano* Episcopo collecto tumultuario exercitu, ex omni populo, qui reliquus in urbe fuerat, grassantes compescuissent, fugassentque, & agrum universum è prædonum manibus eripuissent. Anno M.CCC.XII. Is etiam cum *Paulo Dente* viro patricio, ac potenti contra *Carrarienses*, & præsertim *Marsilium* totius factionis principem conspirasse creditur. Quocirca *Carrarienses* superiores armis facti, adventante auxilio *Theutonum*, adversariis ab urbe pulsis, totum monasterium immaniter deprædati sunt. Aufugerat autem Abbas cum duobus filiis nothis, & *Vitaliano Albertini* poëtæ fratris filio. Poëta autem amicorum

A favoribus fretus, & si domi manserat, tamen ob fratris & filii crimen, alioqui innocens, per injuriam exul *Clodiam* relegatur. Atqui postmodum *Musati*, licet in patriam revocati, subinde tamen habiti sunt semper occulta quadam simultate *Carrariensibus* infensi. Inde factum, ut cum *Marsilius* à Republica princeps factus, *Patavium Mastino Scaligero Veronensi* tyranno dotis nomine tradidisset, eique sexaginta florenorum millia: jussu *Mastini* (ex *Marsilii* voluntate) comprehensus Abbas, & una secum comes *Esthinus* civis *Patavinus* auri ditissimus, & in vinculis conjecti tam diu carceris horrore affliguntur, quoadus-
B que decem librarum millibus sese redemerint. Talis tunc erat *Patavinæ* civitatis status. Is autem *Galbertinus* interea è custodia liberatus, Basilicæ Divæ *Justinæ* circuitum ampliavit, ornavitque. Transtulit idem ea tempestate sanctas reliquias *Beati Lucæ* Euangelistæ, olim ab *Urio* monacho è *Constantinopoli Patavium* allatas, honorificentissime in arcam magnificentissimam, opere mirifico, & materia maxime spectabili. In cujus rei memoriam leguntur hæc carmina ab eodem *Albertino* poëta (ni fallor) condita:

Hic bovis effigie, fidei certissimus index
Scriba Dei quartus, requiescit corpore Lucas.
C *Qui fuit Antiochi de nomine ab urbe vocata,*
Pictoris, medicique nova spectabilis arte.
Tempore post multo cum Christi lege fidelis
Græcia sanctorum servaret corpora multa.
Relliquiasque furens Cæsar combureret almas
Impius, & sacros cineres jactaret in auras.
Hujus honorandum capiens tunc corpus ab urbe 136
Nominis indiderat, cui Constantinus honorem
Urius, hanc profugus Patavi pervenit ad urbem,
Et sanctæ posuit Justinæ pignus in Æde.
Denique post Christi de sancta Virgine natum
Mille bis octenis, ter centum messibus actis,
D *Hoc posuit tumulo corpus venerabile sacro,*
Relligione nitens vir Galbertinus, amati
Augendi cultus studio memorabilis Abbas.
Gratia cui fratrem tribuit divina poëtam,
Atque pios mores, & sacras noscere leges.
Musatosque dedit claros cognomine cives,
Urbis honorato Patavinæ sanguine junctos.

De Zacharia *Abbate* D. Justinæ.

Collaudanda est hic quoque iudustria & ingenium *Zachariæ Patavini*, venerabilis ejusdem cœnobii Abbatis, cujus studio *Corrigiolanæ* paludes prorsus exsiccatæ sunt, & subinde ex-
E cultæ: ubi talis tantaque modo fertilitas longe lateque exuberat, ut quotannis abundantissimas fruges, & proventus nunc inæstimabiles apportent: & quum nullius antea frugis essent, modo tanto ibi cultu novalia illa vitium & arborum strigis ac viis, pontibus, aquæductibus villisque per multa passuum millia quaqua versus ubique arrident, ut in toto agro *Patavino* nihil videri possit pulchrius, nihilque optari felicius, nihil magnificentius, nihil denique quod ad antiquam illam ruris elegantiam & majestatem accedat ornatius.

De Antonio Casali *Abbate* Prataleæ.

F Ejusdem fere animi, ac consimilis exempli fuit *Antonius Casalis* nobili genere natus: qui promotus ad religionem monasticam, cum foret honestissimæ vitæ, Abbatiæ *Pratalea* in *Euganeis* collibus ab *Eugenio* summo Pontifice cui summa fuerat familiaritate conjunctus, præpositus est, simulque & *Patavii* monasterio S. *Urbani*: qui quidem non, ut plerique alii multi factitant, suis suorumque solum commodis inhiantes, quæ Dei

sunt pili faciunt, sed ut verum Christiani gregis pastorem decebat, & ad Templum, & Ædes, & quicquid opus fuerat reparandum, & pauperibus quicquid reliquum sibi supererat dispertiendum, mentem atque animum adjecit suum. Quare summa semper cum laude vixit, atque tandem mortem sibi jam imminere prædicens, in optimum vitæ suæ innocentissimæ testimonium, pie ac religiose, quo tempore prædixerat, migravit ad dominum: anno salutis M.CCCC.XLIV. Sepultus est humi in Basilica *D. Urbani* sub ornatissimo lapide, in quo effigies insculpta visitur habitu sacerdotali tiara & lituo ornata: ubi in saxo seorsum posito legitur hoc epitaphium:

INCLYTVS ANTONIVS STIRPS QVEM GENEROSA PRODVXIT
NOMINE CASALIS SVPERORVM FONTE REFECTVS,
ABBAS PRATALEAE PROLAPSAQVE CVNCTA REFORMANS,
DELVBRVM VRBANO DOTIS DECORE REPLEVIT,
FATIDICVSQVE SVI, MANET HOC SVB MARMORE CLAVSVS.
MILLE QVATERCENTIS DOMINI CVRRENTIBVS ANNIS,
ATQVE QVATER DECIES QVATVOR MENSISQVE NOVEMBRIS,
LVX TER QVINA FVIT, QVVM SPIRITVS ASTRA REVISIT.

De Cypriano Renaldino *Abbate*.

Non dispari vitæ sanctitate præditus offert sese nobis hic merito celebrandum *Cyprianus Renaldinus*, vir magnæ integritatis, maximique consilii: qui monachus factus *Cassinensis* familiæ D. *Benedicti*, ex reformata congregatione D. *Justinæ* ob animi præstantiam à summo Pontifice *Eugenio* accitus, permissione sui Abbatis *Romam* profectus est, atque ibi Pontifici Maximo in habitu, ac observantia monastica ita adhæsit, ut ei in assertionibus fidei, & animæ negotiis tra-
137 ctandis, perpetuus assessor, & regularis vitæ magister ubique præsto fuerit: cujus instituti ille, quamvis summus Pontifex tamen quantum per occupationes licebat, nolebat ulla ratione, aut occasione ullatenus oblivisci. Verum cum aut propter aëris intemperiem, aut animi potius molestiam, quod ægre & invitus extra cœnobium degeret, in longam & difficilem valetudinem incidisset: quum nullum potentius remedium ad convalescendum foret, ex consilio medicorum ad balnea *Patavina* recuperandæ valetudinis gratia destinatur. Quo sane tempore, cum forte vacasset Abbatia *Prataleæ*, ultro Pontifex Maximus eum ferme invitum in demortui locum Abbatem suffecit: qui cum alia hujusmodi sacerdotia hactenus constantissime recusasset, convictus tandem necessitate, propterea quod adire commode balnea absque fratrum suorum molestia melius non posset, pontificio muneri facilem sese præbuit. Atqui vero postquam aliquandiu ibi moratus fuit, & Dei gratia virtuteque balneorum firmiori aliquanto valetudini restitutus, defuncto interim Pontifice Abbatiam, quam quodammodo coactus regendam susceperat, ultro lubensque congregationi D. *Justinæ* statim reddidit: & ad suos monachos reversus, *Venetiis* apud *S. Georgium* majorem laudabiliter sub perpetuo Abbatis titulo sacris literis, & assiduis orationibus, & divinis contemplationibus intentus, aliquandiu ibi satis feliciter ac pie vixit, atque tandem cum summa animi tranquillitate, longa senectute confectus, ex hac peregrinatione recessit, ingressus æternam patriam, ubi felix beatusque deinceps est perpetuo permansurus.

De Placido Pavanello *Abbate & Episcopo* Torcellensi.

Ex eadem familia, & literarum doctrina, & vitæ sanctitate refulsit *Placidus Pavanellus*, & ipse *Eugenio IV.* Pontifice Maximo à secretis intimus consiliarius. Is ab eodem Pontifice monasterio *Vallis umbrosæ* præfectus, tunc temporis vetustate nimia, & situ, carieque ferme collapso, id quamprimum potuit restituendum, & monachos ipsos haud mora reformandos curavit ad pristinam observantiam regularem: quæ ibi usque in præsentem diem firmiter perseverat. Is postmodum ob doctrinæ præstantiam, & morum probitatem à *Calisto* Pontifice Maximo creatus est Episcopus *Parentinus*, & subinde *Torcellanus*. Atqui tandem, ut est hominis proprium, & ut sunt rerum humanarum vices, factus senex, *Torcelli* moritur, & eodem loco honorifice sepelitur. Sed (ut ex ejus loci incolis nuper audivi) superioribus annis, in reparando veteri templo ejus sepulchrum demolitum est, & epitaphium ex incuria Vestalium ibi commorantium, neglectum & perditum. Floruit circa annum natalis Domini M. CCCC. LXVI.

De Antonio Sulimano *monacho*.

Insignem quoque memoriam de se reliquit, ejusdem loci monachus *Antonius Sulimanus* nobilis *Patavinus*, qui ex bonis paternis, quæ sibi titulo hæreditatis obvenerant, *Patavii* amplas Ædes monachorum *D. Justinæ* dormitorium nuncupatum maxima impensa construxit. Nec eo contentus, persuasit etiam matri, ut ex dotalibus suis bonis speciosum illud quod hodie visitur *D. Justinæ* sacrarium ædificaret: quæ propterea ibidem sub lapide marmoreo sepulta jacet: ubi incisus hic titulus:

SACRARIO JACET HOC CLARA DE STIRPE LEONVM,
CONDI QVOD JVSSIT DOTE MARIA SVA.

De Augustino Bonfio *Abbate S.* Justinæ.

Post hos merito sequitur *Augustinus Bonfius*, ex novemvirali collegio *Justiniani* cœnobii Abbas bene meritus, & congregationis *D. Justinæ* visitator dignissimus: qui in visitationis itinere, *Brixiæ* tum fluxu, tum febrium maxima vi correptus, tanto tamen, & tam religioso amore affectus erat in Deum, ut deficere sese sentiens, voluit missam facere, & pro novissimo sacrificio, suis ipsemet manibus sacratissimi corporis, & sanguinis Christi accipere sacramentum. Rursum diebus aliquot elapsis, instante jamjam exitu de corpore, poposcit rursum aliena manu ejusdem sacramenti viatico præmuniri: quo accepto adhortatus fratres ad bene beateque vivendum, dulci 138
& prolixa oratione, spiritu anhelante in hæc verba prorupit. *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et post hæc vale dicens omnibus, ab hominum cœtu, ad angelorum consortium demigravit. De hujus viri integritate, & abstinentia, & facundia ad movendos audientium affectus: quantaque in gubernando prudentia, quantaque affabilitate, justitia, placabilitate in regendo, quoniam non est secundum propositæ brevitatis nostræ institutum, silentio pertransibo.

bo. Extat autem *Patavii* apud ipsos monachos, copiosum & satis elegans de hujus viri vita & transitu epitaphium, ex quo tota ejus vita dilucide, uti in speculo, cerni potest. Id reticendum non putavi, quod ibi legitur mirum in defuncto corpore, nihil pallor maciesve infirmitatis mutaverat faciem, sed ita dignitas quædam, & gravitas ora compleverat, ut eum non mortuum, sed dormientem putares. Obiit autem pridie Nonarum Octob. sub aurora, anno salutis M. D. XXXVI. ætatis vero suæ LXIIII. Ab ingressu monasterii anno XL. sepultus est in lapideo tumulo *Brixiæ*, in *D. Faustini* cœnobio.

De Placido Albanesio *Abbate.*

Et quoniam de Abbatibus sermo cœpit, addamus *Placidum Albanesium Patavinum*, qui factus monachus, vixit sanctissime, & ideo singulari patrum judicio Abbas & visitator electus: in quo munere obeundo ita se gessit, ut omnibus monachis, charitatis & humilitatis insigne exemplum præbuerit. Is ergo adeo mitis & placidus in omnes erat, ut corripere errantes volens, lachrymis & singultibus interceptus, puniendi verbum proferre non posset, quatenus compati magis subditorum erratis posse videretur, quam mederi. Quocirca tanquam ineptum ad hujusmodi officium, de consensu patrum à pastorali cura sese penitus abdicavit. Proinde adiit natale cœnobium, ubi sub titulo Abbatis, omnibus solutus curis, per multos annos degit sanctissime, dicans se totum Deo, cujus zelo quæcunque ad perfectionem religionis facere videbantur, in se retinens, exemplar regularis abstinentiæ sese cunctis exhibuit. Permulta quidem de hoc viro digna laude, in annalibus monachorum referuntur, quæ longum esset huc adducere. Id tantum referam, quod ibi legitur, ita enim scriptum est: *Erat is vir Dei simplex, justus, timens Deum: integritate singularis, humilitate conspicuus, pietate incomparabilis, omnium fratrum præcipuus amator, charitateque ac zelo Dei plenus:* & reliqua quæ ibi sequuntur valde insignia. Tandem senio confectus, per VII. dies cum morte colluctans, macie tandem inediaque consumptus, acceptis omnibus sacramentis, sanctissime ex hac vita decessit: anno salutis M. D. XXXVIII. XVI. Cal. Mart. ætatis LXXX. annorum: & ab ingressu religionis LX. sepultus est in cœnobio D. *Justinæ* humi sub lapide XII.

De Hieronymo Cathaneo *monacho.*

Hanc eandem viam & vitam, in eadem familia secutus est *Hieronymus Cathaneus*, sanctitate atque integritate morum cunctis probatus, Latinæ & Græcæ linguæ peritissimus, & in omni studiorum genere versatus: qui tum amore antiquitatum, tum pia animi devotione vehementer accensus, anno Jubilæi *Romam* ad incolendum de more à suis senioribus missus, haud multo post eo aëre læsus, vel quia venerat hora ejus, ibi religiose migravit ad Dominum. Scripserat (ut audio) eleganti stylo vitam *B. Prosdocimi*, & D. *Justinæ* martyris, & alia complura, quæ nondum mihi videre contigit.

De Prosdocimo Pignolato *monacho.*

Fuit & *Prosdocimus Pignolatus Patavinus*, ex ejusdem familia monachus, ingenio perspicaci, & disciplinis literarum perquam eruditus: qui in principio juventutis, militiæ spirituali nomen dedit: ubi (quandiu vixit) delectatus sacrarum literarum studiis, multa collegit, quæ ad animæ salutem pertinere videbantur. Scripsit de vitis quorundam monachorum sui ordinis, & alia quædam, quæ observantiam regularem continebant, & quæ sibi ad usum vitæ suæ facere visa sunt. Quæ autem ambitionis suspicionem afferre forte poterant, declinavit maxime, cella contentus, officiis divinis intentus: at in reliquis 139 consilio & prudentia, qua valebat ad usum & commodum monachorum, ubique præsto erat: & propterea ab omnibus observabatur, tanquam pater reverendus, licet Abbatis titulum non habuerit. Atqui tandem mortifera febre oppressus, præter omnium sententiam, prudentia tamen ministrantium, omnium sacramentorum fultus præsidio, obiit anno nativitatis Domini M. D. LIII. die XIX. Octobris, annos natus LX. sepultus sub IV. sarcophago monachorum.

De Joanne Abbatio *Archipresbytero* Patavino.

Inter illustres prælatos, & claros cives, merito celebrandus est *Joannes Abbatius* Archipresbyter *Patavinus*: qui præter alias innumeras animi dotes, liberalitate, ac singulari quadam pietate erga egenos & peregrinos, & vivens, & moriens vehementer affectus fuit. Is enim construxit, ditavitque xenotrophium insigne, intra mœnia ad portam S. *Joannis*: ubi sub porticu antiqui ædificii *S. Danielis*, hoc legitur epigramma:

PRVDENS, RESPLENDENS VIR NOBILITATE JOANNES,
CVJVS VIRTVTES CRESCVNT, VT FONTIBVS AMNES:
JVSTITIAE RECTOR, FATALI LEGE COACTVS
DECESSIT, MISEROS, TERRENOS LIQVIT ET ACTVS.
ABBATIS DICTVS FVIT ARCHIPRESBYTER VRBIS
PATAVII, CVJVS FAMAM BENE CONCINIT ORBIS.
HOC XENOTROPHIVM STRVXIT SANCTI DANIELIS:
EXPENSIS LARGVS, PERSISTENS, MENTE FIDELIS.
HOSPITIBVS DIGNIS DOMVS HAEC HABITANDA PARATVR:
QVAE DEVOTA DEO, SANCTO DANIELE DICATVR.

Fecit præterea alia legata innumera ad pias causas. Construi autem jussit vivens sacellum ubi erat olim arca *S. Danielis*, & ibi in medio voluit sepeliri humi, sub marmorea tabula, cum sui nominis titulo, anno natalis domini M. CC. XCV. Hæc translatio *S. Danielis* est illa, quæ postea in Ecclesia nostra quotannis celebratur. At nunc pro choro speciosius construendo, ipse quoque *Joannes* transportatus est in commune sepulchrum canonicorum, & sacellum ipsum dirutum, & à fundamentis effossum.

De Gabriele Capilistio *Cardinale electo.*

Magna cum voluptate nuper legi in genealogiis *Capilistiæ* familiæ, *Gabrielem* clarissimum jurisconsultum, ob insignem doctrinam, & eximiam religionem, anno salutis M. CCC. V. à *Clemente V.* Pontifice Maximo in Cardinalium collegium fuisse cooptatum: quod constare dicitur in archivo patriarchatus *Venetiarum.* Verum cum

cum ulterius nihil aliud de ea re compertum habeam, pergam ad alia, ne quid forte in nostro hoc volumine temere quicquam dixisse videar, quod manifestis rationibus probari non possit.

De Antonio Capilistio *Abbate & Canonico* Patavino.

Subnectam huic ejusdem familiæ virum præclarum *Antonium Capilistium* canonicum *Patavinum*, ac protonotarium apostolicum insignem: cui ob virtutum præstantiam, locuples Abbatia *S. Annæ*, quæ est apud *Citadellam*, fuit à summo Pontifice honorifice commendata. Hic fuit vir sane multiplicis doctrinæ, peritia admirabilis: industria & ingenio singularis, & ad optima quæque munia promptissimus. Is extra portam *Aggeris* prope mœnia in ripa amnis magnificentissimas ædes seu villam, opus sumptuosissimum ædificare cœperat, & magna ex parte perfecerat: quas per circuitum mille passuum & amplius, firmissimis muris instar urbis occluserat: ubi piscationes, & venationes, & aucupia, velut in aperto campo pro libito commodissime fierent. Ibi horti, & nemora, & viridaria omni fructuum genere consita, quæ vel delectent, vel pascant. Quæ quidem omnia funditus non multos post annos, ad arcendos longe à vicinis mœ-
140 nibus hostes, devastato circumquaque ad mille passus agro suburbano, cum aliis innumerabilibus & magnis ædificiis diruta & eruta funditus fuere. Ex illis ruinis extat basis ingens sub columna extra portam *Caudam longam*, quæ publice in memoriam victoriæ erecta fuit, *Patavio* ab obsidione *Maximiliani* Cæsaris liberato: anno salutis M. D. IX. Is edidit libellum de itinere suo in *Hierusalem*, unde tuto & prospere fuerat aliquando reversus: opus sane eruditum, & cunctis gratum. Obiit admodum senex, & in media Basilica Cathedrali humi sepultus est, ad Occidentalem partem, sub lapide rubeo: anno Domini M. CCCC. LXV.

De Antonio Campilongo *Priore S.* Leonardi.

Celeberrimi etiam nominis fuit olim sua ætate *Antonius Campilongus*, vir insignis, & sacrarum legum peritissimus, cui ob literarum scientiam, moresque probatissimos à summo Pontifice prioratus *D. Leonardi* commissus fuit: ubi etiam sepultus jacet ante altare majus, cum hoc titulo:

HIC IACET IN TEMPLO VENERABILIS VIR, DOMINVS ANTONIVS DE CAMPOLONGO, LEGIBVS IN SACRIS PERITVS, QVI ANNO DOMINI M. CCCC. V. DIEM CLAVSIT EXTREMVM.

De Nascibeno Calcia *Canonico* Patavino.

Pari laude celebrandus est hic *Nascibenus Calcia* canonicus *Patavinus*, suo tempore eximius decretorum doctor, sicut antea *Ludovicus* ejus pater clarissimus legum interpres: qui per multos annos publice docuit, & obiit senex, anno salutis M. CCCC. LVII.

De Francisco Alvaroto.

Ejusdem pene ordinis ac dignitatis floruit per ea tempora *Franciscus Alvarotus*, *Ludovici Patavini* patriarchæ *Aquilejensis* vicarius, & canonicus *Patavinus*, & in scholis publicis prudentissimus legum interpres, & domi forisque privatim & publice consulendo clarissimus jurisconsultus. Hujus auspiciis constructæ fuerant ædes juxta Ædem Cathedralem, cujus rei titulum adhuc stare videmus: sepulchrum ejus est in eadem Æde, in sacello *S. Georgii* humi sub statua exsculpta in marmorea tabula, cum hoc epitaphio:

HIC VICES AQVILEIA TVI QVI PATRIS OBIBAT,
QVI CLERI AC GEMINI GLORIA IVRIS ERAT:
HIC ALVAROTVS TEGITVR FRANCISCVS IN ARCA,
HEV QVANTVM PATAVI FATA TVLERE DECVS.

De Alvaroto *Comitis filio Canonico* Patavino *& protonotario Apostolico.*

Non minus clarus haberi debet ex eadem gente in eodem ordine *Alvarotus*, vir doctrina, & multarum rerum cognitione insignis: qui cum admodum juvenis in patrio gymnasio supra omnes coætaneos in legibus civilibus & pontificiis emineret, electus ad docendum sacros canones, accidit, ut orta seditione inter collegas ex æmulatione studiorum (ut fit) ad armorum præ- 141
sidia utrinque confugeretur: ex quo nefaria cædes *Francisci Freschi* secuta est, quæ cum ei imputaretur, ne tortoris eculeum adire cogeretur, præsenti magistratuum furori interim cedendum censuit, & *Romam* profectus est, ibique in curia versatus, in amicorum patrociniis aliquandiu sese exercuit, atque ita se gratum omnibus, & præsertim Pontifici & patribus reddidit, ut exorta occasione canonicus *Patavinus* factus sit, & protonotarius, & abbreviator Apostolicus, & multis insuper sacerdotiis ditatus. *Romæ* autem ita splendide, & munifice, ac liberaliter vixit, ut illic inter curiales primus semper sit habitus. Interim in patriam reversus, ubi aliquandiu moratus est, resignatis *Julio* nepoti suo sacerdotiis, iterum *Romam* ad *Leonem* Pontificem Maximum sibi valde familiarem amicum rediit: à quo insigni quopiam Episcopatu brevi honestandus fuerat, nisi eum mors præoccupasset. Defunctus *Romæ* quiescit ibi in templo Salvatoris ad Laurum: ubi legitur hoc epitaphium:

ALVAROTO EX ALVAROTORVM FAMILIA PATAVI. NOBILISS. HVMANI DIVINIQVE, IVR. CONSVLTISS. ET DICTANDIS LITERIS APOSTOLICIS ABBREVIATORI MAIORIS PRAESIDENTIAE VIRO ORNATISS. PATAVINO, AC ROMANO APOSTOLORVM PRINCIPIS CANONICO DIGNISS. MOESTISS. FRATRES IACOBVS ET FRANCISCVS POSVERE.

VIXIT ANNIS XLVII. MENS. X. OBIIT ANNO M. D. XVIII. V. CAL. OCTOBRIS.

De Georgio Alvaroto *Abbate.*

Verum quoniam in hunc sermonem de claris prælatis *Alvarotis* incidimus, non ab re esse putavi, hoc loco de magnanimitate animi, & pro affectu erga observantiam monachalem S. *Justinæ Georgii Alvaroti* Abbatis quod supra distulimus ab Abbatibus hoc loco inter prælatos referre. Etenim nihilo mea sententia minoris laudis iste meruisse videtur in tuenda his temporibus libertate sui ordinis monachorum, quam olim in illis primordiis *Rorandus* monachus, de quo supra mentio facta est, vel quivis alius in assiduo officio instaurandæ observantiæ regularis: licet is pro laude ejusdem servatæ, postmodum dedecus exclusionis passus sit, & pro tam pii conatus præmio, tantam & tam iniquam injuriam reportarit. Nam cum sibi per secretum nuntium fuisset indicatum, quendam è præsidentibus congregationis machinatum esse in libertatem monasticam favore summi Pontificis *Clementis*, & ad id

id venisse, & attulisse de ea re pontificium diploma in universo cœtu manachorum, comitiorum die (quod capitulum nuncupatur) in *Euganeo* colle *Pratalea* publicandum. Quocirca monachis congregatis, primum à præsidente palam in cœtu medio pontificium diploma revolutum est: tunc *Alvarotus*, qui prope cum præsidentibus consedebat, vir generosi animi, surgens statim extorto è manibus præsidentis diplomate, illud in præsentia patrum frustulatim discerpsit: atque inde abiens, à suis, qui foris parati stabant rei exitum expectantes, excipitur, & ad cognatos suos impiger in tutum sese recepit. Is ergo optimo zelo, virilique animo, & sancto ausu cum suo non mediocri periculo ac damno, dum credit ab impia tyrannide monasticam religionem eripere, ne rursus in improborum hominum prædam verteretur: proh pudor, vir innocens, & vehemens religionis amator, quamvis tunc omnium voce probatus, tamen ab ipsa, quam sperabat servare, familia perpetuo relegatus est, & turpi exilio mulctatus. Quare quod reliquum vitæ fuit, sine ullo amplius monachorum præsidio, privatim peregit, à cunctis tamen vir sapiens judicatus est, & abbas observantissimus, & de monastica libertate benemeritus semper habitus. Relegatus autem post annos circiter VIII. obiit, & honestissime cum majoribus suis sepultus est.

142 *De* Jacobo Leonissa, *Canonico* Patavino.

Verum ut rursum ad viros nostri ordinis revertamur, de *Jacobo Leonissa Patavino* Juris utriusque consulto dicamus: qui docuit & ipse in hoc gymnasio jus pontificium multos annos: factus autem Canonicus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, in *Romana* Curia aliquandiu honorificentissime versatus est, & à *Pio II.* Pontifice Maximo universæ *Flaminiæ* legatus à latere constitutus est. anno salutis M. CCCC. LX. & postea ad *Romanum* Regem nuntius, & exactor Apostolicus destinatus, utrobique sapientissime sese habuit. Atqui tandem in patriam reversus sacris literis incumbens, & ecclesiasticis officiis dans operam, tranquillissima senectute perfunctus est. Scripsit in studiis legalibus præclara multa, & præsertim consilia: quæ audio extare apud ejus pronepotem *Petrum Leonissam* Jureconsultum doctissimum. Obiit anno domini M. CCCC. LXXIIII. & sepultus in Cathedrali Basilica, sub lapidea tabula in qua nil legitur, nisi hoc duntaxat verbum. SACRUM.

De Georgio Buzacarino *Canonico* Patavino.

Ejusdem Ecclesiæ Canonicus, eadem ferme ætate designatus est *Georgius Buzacarinus*, vir nobilis, & insignis doctor: qui in *Romana* Curia diu honorificentissime versatus est: & missus à Pontifice ad varios & diversos principes nuntius, & factus canonicus *Patavinus*, & protonotarius Apostolicus, & aliis sacerdotiis auctus, ac denique in patriam reversus, vixit ac extremam usque senectutem Episcopo nostro *Petro Baroccio* summa benevolentia conjunctus. Quamobrem quod nulli alteri (quod sciam) præstiterat, astitit morienti, & laborantem postremo anhelitu, sacro sanctæ unctionis sacramento propriis linivit manibus: & de more illi obeunti bene precatus, pio boni pastoris, & amici hominis officio, non sine lachrymis perfunctus est. Cesserat is paulo ante mortem canonicatum *Bonifacio* nepoti, qui paucos annos supervixit, & *Venetiis* mortuus, instante bello, in eo ipso sepulchro sepeliri non potuit, quod patruo jam pridem in Ecclesia Cathedrali paraverat, ubi hoc epitaphium:

GEORGIO BVZACARINO CANONICO PADVANO IVRIS VTRIVSQVE CONS. PATRVO BENEDICENTISSIMO, IOANNES PATARVS, ET IOANNES FRANCISCVS EX BONIFACIO FRATRE NEPOTES. OBIIT M. D. II. VIII CAL. AVG.

De Nicolao Cando *præpo.* S. Sophiæ.

Itidem inter insignes prælatos recensendus est *Nicolaus Candus*, vir & literis & moribus præclarus: qui in *Romana* Curia honorifice omnem ferme suam traduxit ætatem: factusque est *Romæ* protonotarius Apostolicus, & *Patavii* præpositus *S. Sophiæ*, quæ olim (ut dicitur) fuit Ecclesia Cathedralis. Et quia Pontificibus *Romanis* admodum gratus fuerat, & sæpe pro sacro sanctæ Ecclesiæ negotiis in multas legationes ab eis missus, donatus fuit aliis etiam locupletibus sacerdotiis. Quocirca ab æmulis suis propinato sibi veneno vix mortem evasit. Quapropter diffidens deinceps aulicis, in patriam reversus est: & ne quis rursum ad ejus præposituras aspirans sibi insidias tenderet, sacerdotium *S. Sophiæ* quod in primis habebat suspectum, *Lucæ Bonfio* tunc juveni, non minus docto, quam probo, dignoque tanto beneficio cum retentione fructuum resignavit. Vixit postea *Patavii* (quamdiu vixit) in tranquillissimo otio literario. Obiit confectus senio, & ad *D. Augustini*, in sepulchro suorum honorificentissime sepultus est.

De Timotheo Mussato *canonico* S. Petri *protonotario Apostolico.* 143

Timotheus Mussatus Patavinus hoc quoque loco præteriri non debet: qui cum aliquandiu in patria studiis literarum operam dedisset, utriusque juris laurea coronatus, profectus *Romam* protonotarius Apostolicus factus est, & Apostolorum *Petri* & *Pauli* canonicus creatus. Is *Romæ* usque ad ultimam senectutem aulicam vitam traduxit, non admodum fortunate: utpote qui cum integritate vitæ, & literarum peritia omni honore dignus esset, nihil unquam inde emolumenti in patria sit consecutus, præterquam sacerdotium *D. Georgii*, quod postea monialibus *D. Jacobi* extra portam *Curvam* degentibus & propter suburbiorum ruinam eo commigrantibus cessit. Quod sane vel unicum factum præter cætera me movit, ut hujus viri memoriam perire non sinam, sed inter cæteros de patria benemeritos lubens interseram. Atqui admonitus tandem senio, & totus in canitie respersus in patriam rediit: ubi postea contentus unico servo, in paterno rure *Bugacii*, aliquamdiu solitariam & tranquillam duxit vitam, ibique mortuus est. Anno M. D. XXVII. die XXIX. Maji & in Basilica *D. Georgii* (ut par erat) honorifice sepultus.

De Bartholomæo Soldano, & Marco Ungario, *sacerdotibus memorandis.*

Inter alios præclaros viros non immerito hic mihi nominandus occurrit *Bartholomæus Soldanus*, *Patavinus* presbyter, vir sane doctus, atque eximia probitate, atque humanitate laudabilis, & vel ex unico hoc præsertim facto cunctis probatus. Nam sævientibus bellis, quum *Theophila Patavina* monacha, magnæ prudentiæ virgo *Montagnanæ* minus tutam sese esse cognosceret: ut sibi, & aliis quas secum habebat virgini-

ginibus, tutiorem locum ad habitandum pararet, petiit ab hoc humanissimo sacerdote templum cum ædibus *D. Bartholomæi*, cui rector præerat, sibi & sororibus suis ad monasterium faciendum dari. Annuit is cuncta lubens. Ubi postea infra paucos annos erectum est satis frequens & honestum monasterium. Eo autem defuncto, primus vicarius in demortui locum suffectus est *Marcus Ungarius*, & ipse presbyter *Patavinus* vir profecto maxime memorandus, doctus, castus, comis, pius, & in pauperes valde misericors & liberalis: atque denique (ut scriptum est) vir præstabilis super malitiam: cujus ordinationem commendabat morum integritas, integritatem vero morum mirifica solicitudo, & pius zelus animarum. Is autem mihi singulari amicitiæ, & mutui amoris, & longæ consuetudinis nexu ita conjunctus fuit, ut ab eo divelli, vel sic defuncto unquam neque animo, neque mente possim. Hujus tam singularis amicitiæ memoria vivit mihi in intimis præcordiis: & vivet hic, & in alio opere nostro edito de castitate, quoad & hoc & illud ipsum opus extabit. Et propterea à me una cum his sacerdotibus & amicis in eadem Basilica, ad parietem ingens saxum erectum est, ad perpetuam memoriam his insculptum notis.

MARCO VNGARIO PATAV.
HIC VICARIO
BERNARDINVS SCARDEONIVS
BARTHOLOMAEVS CALIGARIVS
AVRELIVS SCAPINVS
HOC SEMPITERNVM
AMICITIAE MONVMENTVM
B. M. P.
OBIIT ANN. NATVS LX. A CHRISTI NAT.
M. D. XLII. NO. APRILIS.

144 *De* Bartholomæo Sanvito *Archipresbytero* Barbarani.

Memoretur hic cum reliquis prælatis, & sacris viris alter *Bartholomæus Sanvitus* Archipresbyter *Barbarani Vicentinæ* diœcesis: qui etsi in humanioribus literis, & philosophiæ studiis haberetur doctissimus, nullum tamen quod sciam reliquit aliud sui monumentum, præter marmoream statuam, & legatum subscriptum ante aram sacratissimi corporis Christi in Æde *D. Francisci*, ubi sepultus est.

LEGATVM AD VERBVM
HVMANI GENERIS SALVATORI;

Cui quotidiana sacrificia, ac postridie solenni corporis Christi quotannis celebria persolvantur. Utque sibi quotannis justa anniversaria à die obitus sui auspicanda solenni sacrificio celebrentur. Utque Calendis Novembris postridieque nec non justa anniversariorum die, funalia bina, singula septem ponderum pro ara sepulchro apponantur. Quorum præstandorum ergo, Ædes in *Serlollii* vico plus minus CCM. æstimationis sodalitio tertii ordinis in hanc curam legavit: ex quarum pensione propterea in corporis Christi celebritate in usum luminum aurei, & semis, in justa anniversaria. Pro aris illuminandis tantundem pendito. Pro monachorum epulo in corporis Christi celebritate, & Justorum anniversariorum die singula. In eorundem vestiarium & sacra stragula ad aram insternendam aureos annuos idibus Octobris. Obiit is postea anno M.D.XXIX. die III. Januarii, & ibidem humi sepultus est, sub marmorea tabula ubi legitur:

BARTHOLOMAEVS SANVITVS ARTIVM
DOCTOR BARBARANI ARCHIPRES-
BYTER, AETATIS ANNO LXVI.

De Jacobo *à* S. Daniele *Presbytero.*

Iniquum plane arbitror oblivisci hoc loco nominis celeberrimi *Jacobi a* sancto *Daniele*, venerabilis Presbyteri & excellentis doctoris: qui literarum sacrarum scientia, & juris utriusque peritia, & morum probitate, longe lateque ævo suo maxime enituit. Quocirca accitus à *Venetiarum* Patriarcha, & à *Veneto* Senatu, ægre ac invitus ferme *Venetias* profectus, Patriarchæ vicarius constituitur. Quare *D. Jacobi* sacerdotio, cui *Patavii* præerat, alteri commisso, *Venetiis* deinceps commoratus est: qui præsuli ipsi ac Duci, & Senatui, & populo *Veneto*, ita gratus, ita venerabilis semper extitit, ut nihil fere minus ab eo ordine in omni re deferretur, quam ipsi patriarchæ. Fuit is multæ doctrinæ vir, magni consilii, summæ integritatis, castus, humilis, & super omnia æquissimus. Is autem præter proprii officii negotia tot undique externis judiciis premebatur, ut parum otii vel ad scribendum, vel ad perficiendum ea, quæ cœperat, sibi suppeteret: etsi audio eum multa scripsisse, quæ quidem prorsus latent: præterquam plurima consilia, quæ in quorundam manibus esse dicuntur. Præterea ita sibi parce ac duriter semper vixit, ut tot tantisque negotiis afflictus, cilicio tamen toto vitæ suæ tempore usus sit. Migravit tandem longa valetudine affectus ad dominum, maximo sui desiderio *Venetorum* Duci patribusque relicto. Vixit annos LI. *Venetiis* sepultus jacet.

De Joanne Ruberto *Canonico* Patavino. 145

Etsi multis nominibus nobis probatus sit *Joannes Rubertus* juris utriusque doctor, & Canonicus *Patavinus* una tamen præ cunctis aliis virtutibus sua in egenos largitas eum vel in primis dignum facit, ut hic in exemplum cæteris, sacerdotiorum dispensandorum mole gravatis, grandem illius in mendicos misericordiam imitandam proponam. Is enim singulis diebus quotquot in cathedrali forte templo sibi mane occurrebant, argenteolo nummo singulos donabat. Sportula hæc sane est laudabilior ac gratior, quam ea, qua quidam ambitiose & opipare cum parasitis, scurris, scortisque, & lenonibus invidiose abutuntur. Migravit tandem dierum plenus, subrogato sibi in canonicum *Hieronymo* nepote, viro sane probo, ac apprime morato, nec à patrui moribus longe dissimili. Hic quoque prætereundum non est, quod licet hujus funebris pompa (ut tantum virum decuit) magna fuerit: nihil tamen insignius in ea fuit, quam inopum ac mendicantium frequentia, & ejulatus pauperum publice palamque clamantium, se misellos dominum, & patrem, atque alumnum amisisse suum, nullamque sibi reliquam vitæ spem, actumque esse de sua salute, dicentium. Obiit quoque post aliquot annos, & *Hieronymus* ejus nepos, in satis viridi adhuc ætate, relicto sibi ex Pontificali indulgentia *Antonio Ruberto* fratris filio, qui post paucos annos florenti ætate letali febre correptus, intra paucos dies è vita decessit. Quare *Paulus IV.* Pontifex Maximus meæ in illum ante assumptionem Pontificatus observantiæ memor, reservata sibi à principio in pectore hujusmodi collatione canonicatus, post mensem, amotis aliis à possessione, qui alia ratione sese interim in hujusmodi jus insinuaverant, me unum ex omnibus absentem, ac nihil unquam tale cogi-

gitantem, admirabili pioque, & hactenus inaudito pene favore delegit: quem gratis sane alia cura mea aut impensa per legatum suum *Venetiis* residentem, in demortui locum voluit cooptari, non sine magna amicorum, & communi totius civitatis nostræ voluptate. LAUS DEO. Sepultus est autem *Joannes Rubertus* (ut ad eum redeamus) humi in medio templo cathedrali cum hoc epitaphio marmoreæ tabulæ insculpto:

IOANNES RVBERTVS VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR, CAN. PAT. GENERE CLARVS, VIRTVTE CLARIOR, PROBITATE RARVS, VERI DEI PIVS CVLTOR, AC DE PAVPERIBVS BENE MERITVS, FELICI VITAE INTEGRITATE POTITVS, HAC IN LINTRE IMPEDIMENTIS RELICTIS IN PARATVM ABRAHAE SINVM SE RECEPIT.

De Luca Bonfio *Protonotario Apostolico*, *& de* Bernardino *&* Paulo *nepotibus.*

Occurrit nobis & *Lucas Bonfius* Protonotarius Apostolicus sua tempestate *Romæ*, & ubique terrarum multiplici suarum virtutum ratione & nominis fama præclarus. Is humanioribus literis apprime delectatus, evasit & *Latina*, & *Hetrusca* lingua in dicendo præstantissimus. Propterea fuit unus omnium in omnes doctos officiosissimus. Coluit siquidem præ cunctis illustres amicitias: ita ut unus omnium amicorum locupletissimus haberetur. Præcipuum autem habuit, cui & à secretis erat, Cardinalem *Campejum*, nec minus *Petrum Bembum*, & *Jacobum Sadoletum*, ambos postea Cardinales. Addas & *Leonicum* virum doctissimum, à quo in ejus dialogis celebratur. Nec mirum quod iis sicut & aliis omnibus doctis charus esset: erat enim facundus, comis, facetus, aspectu hilaris, moribus, natura, & innata quadam suavitate jucundus. Hinc factum est, ut cum nulla ratione in *Patavinum* canonicum recipi posset (ut maxime optabat) favore amicorum adeo omnem (ut ajunt) lapidem vol-
146 vit, ut qui in canonicum novissimo loco admitti nequiverit, mox admitteretur supra cæteros in Decanum: quæ quidem dignitas est tertio loco post Episcopum constituta, & hanc dignitatem ipse summi Pontificis favore in Ecclesia *Patavina* primus instituit. Sed non diutius eam tenuit: nam ingravescente jam ætate *Bernardinum Bonfium* ex fratre nepotem sibi substituit, nihilo sane in omni laudum genere se minorem: qui ordinariam pontificii juris lectionem in patrio Gymnasio multis annis frequenti discipulorum consessu, & maxima cum laude, quandiu vixit, professus est. Obit anno M.D.LI. ætatis vero suæ XXXVI. Sed quia de hac familia sermo cœpit, nihilo minori gloria fulsit hujus frater *Jacobus* juris utriusque consultus in foro *Venetiarum*, ubi ad omne tribunal inter eximios patronos principatum obtinuit: ut esset ultra tria millia aureorum singulis annis sua eximia facundia lucrari solitus. Sed (proh dolor) eum juvenem adhuc immatura mors rapuit, septem filiis impuberibus relictis, qui & patrem & patruum (ut est illorum indoles) cito referant, & præsertim *Paulus Bonfius* Decanus noster, qui patruo in prædicta dignitate successit: ætate adhuc quidem juvenis, sed moribus & prudentia jam pridem senex, de quo posthac clarissima quæque sperare possumus, & qualia à majoribus suis solita sunt, præstari. Obiit *Lucas* anno salutis M. D. XL. die VII. Julii, depositus in Basilica *D. Justinæ* apud majores suos.

De Ludovico *Comite* S. Bonifacii *Canonico* Patavino.

Sequitur ex nobilissimo genere Comitum sancti *Bonifacii Ludovicus*, Canonicus *Patavinus* & Protonotarius Apostolicus *Leonis X.* Pontificis Maximi à cubiculo intimus, à quo Apostolicus nuntius sæpe missus est ad diversos principes, & præsertim ad Rempublicam *Venetam*, pro arduis quidem & difficillimis negotiis. Quibus in rebus, ut erat rerum gerendarum gnavus, & innata virtute animi, & corporis dignitate conspicuus, apud omnes omnia sibi ex voto feliciter contingebant. Is ergo suis virtutibus duos canonicatus, *Patavinum* & *Veronensem*, & præposituram sanctæ Crucis *Patavii*, & alia sacerdotia, & pensiones ab eodem Pontifice consequi meruit, quæ sibi æmolumentum quatuor millia aureorum afferre poterant: & nisi Pontificis mors obstitisset, ad summos quosque honores eodem anno ascensurus erat, sicut ore proprio Pontifex Maximus *Manfredo* illius parenti promiserat. Is autem defuncto Pontifice in patriam ad suos reversus, honoratissime, sed non diutissime vixit. Adhuc enim florens ætate, longa valetudine perplexus, nepotes suos ex fratre licet juvenes, indole tamen præstantissima præditos, sacerdotiis suis ornare constituit, & *Herculi*, qui erat major natu, resignavit canonicatum *Patavinum* & Prioratum sanctæ *Crucis*: Canonicatum autem *Veronensem* cum aliis sacerdotiis, adjecit *Manfredo*: qui in antiqua majorum suorum nobilitate florentes, sua humanitate, innataque probitate, omnibus sunt gratissimi. Obiit *Ludovicus* sanctissime, & cum summa pompa funeris in media Ecclesia Cathedrali, in majorum suorum sepulchro jacet, anno nativitatis Domini M.D.XLV. die x. Februarii.



147 # CLASSIS. VII.

DE CLARIS THEOLOGIS ET Sacrarum literarum cultoribus Patavinis.

PRÆFATIO.



OST classem divorum, qui admissi jam in cœlum, abunde Deo fruuntur, merito sequitur classis Theologorum, qui vel ob id maxime ad sanctos proxime videntur accedere, quod sicut perfecte, & vere illi Deum cognoscunt, ita isti certe per fidem, Deum ipsum mentis acie, licet in ænigmate, acrius contemplantes, & per intelligentiam scripturarum, quantum homini scire & comprehendere animo datur, Deum unicum, æternum, omnipotentem, infinitum, & in trinitate perfectum credunt, & nosse pro certo fidelissime profitentur: atque cæteros vere pieque monent, hanc eandem fidem, & hunc ipsum Deum, una cum sanctorum veneratione suscipere, & in eo proposito, firmiter constanterque perdurare. Quamobrem ut jam institutum ordinem prosequamur, hic post sanctos Dei, illustres Theologos merito subnectamus. Nulla siquidem est humanæ doctrinæ cognitio, quæ veræ Dei cognitioni comparari, nedum præferri aliqua ratione possit.

De Alberto Eremitano.



ICTURO itaque mihi deinceps de claris Theologis, & præcipuis Christi præconibus, primus statim sese mihi offert clarissimus & in omni scientiarum genere, & eruditissimus Theologus *Albertus Eremitanus*, *Ægidii Romani* discipulus: qui *Patavii* honestis ortus parentibus, summæ doctrinæ fama, patriam suam, & *Eremitarum* religiosam familiam, maxima cum gloria sui nominis illustravit. Is enim in *Lutetiæ Parisiorum* academia, primus omnium & philosophiam, & metaphysicam, & denique theologiam, summa discipulorum frequentia, longo tempore professus est. Interim vero ob celebritatem nominis, & eximiam ejus doctrinam à summo Pontifice *Romam* accitur, ut in euangelicis concionibus, & erudiendis populis, relicta *Gallia*, *Romæ* & in *Italia* deinceps versaretur, & euangelicam doctrinam ibi quoque longe lateque diffunderet. Quod quidem opus perquamdiu fideliter & studiose peregit: ita tamen, ut nunquam interea à scribendo destiterit. Is sane præstantissimus & acerrimus Ecclesiæ defensor fuit, maximusque Christianæ fidei assertor, & criminibus & criminosis maxime infensus. Eo siquidem loquente, audientium animis tam acres infligebantur aculei, ut nemo non delectari, & proficere ejus sermone vehementer posset. Inerant quidem verbis ipsius mellita quædam oris suavitas, & dulces hami, qui audientium corda ita ad se pellicerent & tenerent, ut cunctis audientium miraculo plane foret. Extant hujus viri sermones ad populum quam pulcherrimi: opus sane aureum, dignissimumque, ut ab omnibus legatur. Primus quidem fere fuisse videtur, qui hanc scribendi normam invenerit: quem postea veluti ducem in eo genere dicendi, ingens scriptorum caterva per tritum jam ab eo callum subsecuta est: unde tot jam hujus generis opuscula

A circunferuntur, ut in hoc genere nihil omnino desiderari jam à quoquam possit. Amplius fuit is sane vitæ continentissimæ: & ut literarum studiis, ita & morum integritate præclarus. Quod quidem maxime confirmant, quæ tum interpretando, tum docendo præclara sui ingenii posteris monumenta reliquit. Etenim Pentateuchum 148 insigni expositione interpretatus est, similiter euangelium Christi, & epistolas *Pauli*, & divinas sanctorum patrum sententias. Revocatus rursus in *Galliam*, obiit *Lutetiæ*, importuna sane morte, utpote qua una secum multa ejus divina opera, quæ in manibus habebat, intercepta perierunt. Decessit autem anno ætatis suæ XLVI. à natali vero Domini M.CCC.XXVIII. tertio Nonas
B Aprilis. In hujus viri memoriam, ad patriæ decus erecta est à *Patavinis* statua marmorea, in foribus prætorii ad septentrionalem plagam, cum titulo præstantissimo, literis aureis descripto, quas nimio jam situ consumptas, describere non potuimus.

De Matthæo Eremitano.

Per hæc ipsa ferme tempora, in summa nominis celebritate habitus est ejusdem familiæ *Eremitanæ Matthæus Patavinus*, maximus Theologus, & eximius concionator: qui ob doctrinæ suæ præstantiam, *Romæ* in *Vaticano*, ex *Clementis VI.* summi Pontificis mandato, honoris cau-
C sa ab Episcopo *Navariensi*, cathedra magistrali sacræ Theologiæ (quod paucis unquam contigit) in conspectu Pontificis & Senatus P. Q. R. solenni cæremonia publice decoratus est, ac multis privilegiis donatus, anno salutis M.CCCL. Quid autem exinde de tanto viro consecutum sit, aliis dicendum relinquo: ego reperire nihil aliud quicquam potui.

De Bonsemblante Eremitano.

Huic merito *Bonsemblantes*, frater uterinus *Bonaventuræ* Cardinalis de *Peraga* & ipse *Ere-*

Eremitanus annectendus est: vir adeo à *Francisco Petrarcha* in quadam epistola commendatus, ut si hoc loco referantur, quæcunque ibi in eo epitaphio dicuntur, vix alter profecto existeret, ex tot Theologis eo ipso, hoc in opere commendatior. Is enim dolens, dum *Bonaventuram Peraghinum* de fratris sui obitu consolatur, & quam lugenda esset tanti viri mors, edocet, *libro* XI. & *epistola* XIV. sic admodum flebiliter orditur: *Qualem (proh dolor) virum, quod sidus amisimus? loquor improprie & torrente rapior vulgaris eloquii.* Et ibidem paulo post, ait: *Ita vero me ille amet, cujus in amore felicitas vera est: ut ego viventium fama forte aliquos, neminem sibi, vel ingenio, vel eloquio, vel morum suavitate præferendum novi: quæ tanta illi inerat animæ, ut ab ipsius verbis & congressu, nunquam nisi lætior tranquilliorque discesserim: neque mihi unquam tam longa confabulatio secum fuit, quin cupidis auribus meis, atque animo sitienti, brevissima videretur. Erant enim inter verba illius hominis faces quædam blandæ & lucidæ, præter communem morem eorum, quos magistros dicunt.* Et aliquanto inferius ait: *Magna ille dudum gloria patriæ, magnum ordinis sui decus, & quidem eximium fuit.* Item paulo post de utroque fratre exclamat: *Felix Patavium, ubi geniti estis & nutriti. Nihil est enim, quod unamquamque patriam tam felicem faciat, quam suorum civium virtus & gloria.* Hæc ille. Hic ergo vir doctissimus (ut ibidem dicit) *Venetiis* obiit religiosissime. nam post oblationem sacri mysterii, statim, ut *D. Hieronymus de Blæsilla* ait, *subita morte, Davidicos psalmos anhelans, subtractus est.* Is quidem judicio bonorum ob sanctitatem vitæ, ita inter beatos annumerari jure potest, ut *Bonaventura* ejus frater inter martyres, etsi suo hoc barbaro nominis vocabulo, parum nobis arrideat Latine loquentibus: unde factum esse opinor, quod in tantis laudibus *Petrarcha* vocabuli insuetudine deterritus, nunquam *Bonsemblantem* ausus est nominare. Studuit is *Parisiis*, ibique magistralibus infulis, cum summa gloria honorifice decoratus est. Proh dolor, nulla hujus ingenii monumenta, nullum tantæ sapientiæ opus literis mandatum, extare cognoscitur. Obiit anno Domini M.CCC.LXIX. V. Cal. Novembris, annos natus quadraginta duos.

De Bonaventura Peraghino *Cardinali.*

Non est ab hoc albo, nec à fratre ulla ratione separandus *Bonaventura Patavinus*, olim è nobilissima & præclarissima gente *Paduaria*, at tunc dicta de *Peraga Patavii* natus. Floruit is inter *Eremitanos* concionator eximius, & acutissimus Theologus. Qui ob egregias animi sui
149 dotes, primo totius *Augustinianæ* familiæ generalis magister factus est, ac mox *Romam* accitus, ab *Urbano V.* summo Pontifice sub titulo sanctæ *Ceciliæ* presbyter Cardinalis creatus. Is fuit vir integerrimæ vitæ, & ecclesiasticæ libertatis patronus constantissimus: utpote qui nihil veritus sit, pro tuenda Ecclesiæ libertate *Francisco Carrariensi*, tunc civitatis nostræ Principi, sese opponere, & iniquis illius postulationibus, quanta poterat animi constantia, & vi rationis obsistere. Quamobrem *Carrariensis* vehementer commotus, procuravit per occultos sicarios (id enim plerique suspicati sunt) ut *Bonaventura* tantæ præstantiæ vir, *Romæ* impie & perquam nefarie occideretur. Is enim sagitta occulto per pontem sancti Angeli missa, immaniter transfixus occubuit: ita occulto, ut neque de homicida, neque de tanti sceleris authore, pro certo quicquam unquam sciri potuit. Hic *Francisco Petrarchæ* fuit

A amicissimus, eique arctissima familiaritate, & similitudine morum, literarum, studiorumque conjunctissimus. Quocirca cum idem *Petrarcha* diem clausisset extremum, *Bonaventura* noster nondum ad supremos honores promotus, in præclarissimo & frequentissimo illius funere, in collibus *Euganeis* peracto, in *Arquadi* vico, quo & Episcopus cum clero, & princeps *Carrariensis*, & universa Academia, & tota fere *Patavina* civitas, ad justa ei honorificentissime persolvenda convenerat, funebrem orationem habuit luculentissimam, tanto sane poëta, & tanta eruditissimorum virorum frequentia & expectatione dignissimam: anno domini M.CCC.LXIX. mense Julio. Hunc autem multa scripsisse, credere par est, cum esset in omni disciplinarum genere doctissimus, & tum in docendo, tum etiam in scribendo quam exercitatissimus. Verum, ut sæpe accidit, vel imperfecta ob improvisam mortem manserunt, vel cum longe à patria versaretur, in tanta rerum perturbatione, ab extraneis direpta, ac prorsus deperdita fuerunt. Attamen audivi, apud quosdam adhuc extare plerasque ejus orationes elegantissimas. Sepultus est *Romæ* in templo D. *Augustini*: ubi legitur hoc carmen.

C

Epitaphium Romæ.

HIC BONAVENTVRA EST QVI DOCTVS DOGMATE SACRO,
AVGVSTINE TVIS JAM PRAEFVIT ORBIS EREMIS
PADVA: POST SOLIO PROFECTVS CARDINIS INDE,
ANNI MILLENI DECIES SEPTEMQVE TRICENI,
ADDITO IIS NOVEM CHRISTI, REQVIEVIT IN VRBE:
CIVES CAELI ANIMAM SED POSSIDET OSSA SEPVLCHRVM.

D

De Marsilio Mainardino.

Marsilius Mainardinus cognomine, & patria *Paduanus*, professione vero monachus fratrum minorum, suo ævo habitus philosophus magnus: sed dum se Theologum maximum profiteri mavult, recedens ab Ecclesia *Romana*, quo altius sibi volare videbatur, eo profundius ad ima ruit. Prolapsus enim à recta fide, in impium dogma ab Apostolica Ecclesia damnatum miser impegit. Nam ad promerendam gratiam *Ludovici Bavari* Cæsaris, Pontificiis censuris à *Joanne XXII.* graviter oppressi, eo quod non esset legitime imperii diademate coronatus, & quod *Petrum Corboriensem* ordinis fratrum minorum schismaticum, Pontificem creasset, quem *Marsilius* ipse sectabatur una cum *Petro Corbariensi*, *Michaele Consenatensi*, *Bonagratia Bergamensi*, *Gulielmo Ochan Anglico*, omnibus fratribus ejusdem ordinis, claris viris. Is edidit de potestate *Papæ*, & Imperatoris adversus sacrosanctas universalis Ecclesiæ sanctiones, opus sane copiosum & acutum: sed sanctissimis conciliis inimicum, & catholicæ Ecclesiæ admodum infensum, sanctisque orthodoxorum decretis & constitutionibus prorsus adversum, utpote sophisticis potius, quam rectis & orthodoxis argumentis innitens, ac propterea ex censura Ecclesiastica, & pietate Christiana piis hominibus legi vetitum. Ad hujus autem argutias refellendas, scripsit nuper integrum librum *Albertus Pighius Campensis*, homo doctissimus in eo opere, quod *Ecclesiastica Hierarchia* inscribitur: ubi dicit, *quod hoc uno nemo diligentius vehementiusque, aut etiam copiosius cau-* 150

ſam ſecularis poteſtatis adverſus Eccleſiaſticam dignitatem egiſſe creditur, quam plane ſubvertere, & in nihilum redigere ſuo ingenio pro viribus conabatur. Hæc ille. Scripſit is hoc opus anno M.CCC.XXIV. ſub *Joanne XXII.* Pontifice Maximo, qui tunc in *Gallia Avinione* civitate reſidebat. Appoſuit ei libro titulum *Defenſor pacis.* Fuit homo Ariſtotelicus verius (ut *Pighius* ait) quam Chriſtianus, atque *Ariſtotelis* potius, quam Chriſti diſciplina eruditus. Hoc opus ab initio tumultus *Lutherani*, diutino & veteri ſitu ſqualllens, ex abditis erutum eſt, & blattis & tineis ereptum, atque è tenebris in lucem productum. Quanto ſatius ſane fuerat ab iiſdem vermibus conſumi penitus, quam palam in animarum perniciem, fidelium manibus volutari. Nunc hi libri elegantiſſimis characteribus in *Germania* excuſi, ubique circunferuntur: ne qua uſquam interim peſtis deſit, quæ incolumitati Eccleſiæ officere quicquam poſſit. Legitur in annalibus *Patavinis*, *Marſilium Patavinum*, ob præclaram omnium ſcientiarum diſciplinam, anno Domini M.CCC.XXVIII. aſcitum fuiſſe in Archiepiſcopum *Mediolanenſem.* Fuerit autem isne, de quo hic agimus, an alius quicquam ego pro certo affirmare non auſim. Porro (ut legitur) fuit iſte in omni doctrina præſtantiſſimus. Cæterum de hujus *Marſilii* Archiepiſcopi vita, moribus, geſtiſve, aut quid denique ſucceſſerit boni, malive in tam illuſtri civitate, cujus ipſe paſtor creatus fuiſſe dicitur, nihil adhuc certi (licet aliquando perquiſierim) ſcire potui. Suſpicor equidem (ſi conjectare de dubiis rebus etiam mihi licet) hunc illum eundem fuiſſe *Marſilium Paduanum*, cujus hic vitam attingimus, & ab Imperatore, & ab Antipapa fortaſſis electum: ſed ab Apoſtolica ſede, cui tantum ſuis illis argumentis detraxerat, minime confirmatum, ut vel ex eo ipſo facto ille cognoſcere certo poſſet, in ſpiritualibus omne imperium ſubeſſe Pontifici, & non Imperatori, neque abſque ejus conſenſu quicquam in Eccleſia Dei legitime poſſe fieri, neque rationabiliter diſpenſari. De hac familia apud *Eremitanos* eſt ſepultura, ubi legitur:

HIC IACET D. FRANCIS. DE MAINARDINIS.

JAM REQVIES SPERATA DIV CHARISSIMA
VENIT,
OSSAQVE JAM FESSA IN TERRIS SINT
MARMORE PRESSA.

De Ludovico à Flumine *Minorita.*

Fuit & *Ludovicus à Flumine*, ſeu *Bagelardus* Minorita, eximius philoſophus, & Theologus maximus, qui *Pariſiis* ſacræ Theologiæ operam dedit: ibi tum demum cum ſumma laude in eadem diſciplina ad magiſtrales honores promotus, *Patavium* rediit, & hanc ipſam doctrinam, quam acceperat in *Gallia*, in *Italia*, & præſertim *Patavii* facundo ore in templis & ſcholis publice promulgavit. Exinde quum doctrina, moribus, prudentia, & ſanctitate vitæ præſtaret, magiſter totius provinciæ Minoritarum omnium conſenſu creatus eſt. Rexit itaque delegatam ſibi provinciam prudentiſſime, ac magna cum laude, & populos uſque ad ultimum vitæ diem nunquam Dei verbum deſtitit edocere. Defunctus tandem in templo *D. Antonii* confeſſoris *Patavii* ante januam chori humi ſub marmorea tabula ſepultus eſt, cum hoc epitaphio, jam fere aſſiduo attritu pedum deleto.

RELLIGIO QVEM FLET FRATRVM VENERANDA MINORVM,
FLVMINIS A CLARA LVDOVICVM STIRPE CREATVM,
REGALIS PATAVI CLAVSIT MORS VLTIMA RERVM,
HVNC JAM MAJOREM PROVINCIA TOTA MINISTRVM:
PARISII CIVITAS SOPHIAE QVEM SACRA MAGISTRVM
FECERAT: HOC BVSTO CORPVS, MENS SISTIT IN ASTRIS.

De Galuano *Servita.* 151

Ejuſdem ferme profeſſionis, ſed alterius tamen fratrum familiæ, commemorandus hic nobis eſt *Galuanus Patavinus* ordinis *S. Mariæ* ſervorum, ſacræ Theologiæ profeſſor, & confeſſarius ſacerdos probatiſſimus. Edidit hic libellum, qui *Memoriale* dicitur *conſcientiarum*: ſimplici quidem & *Italico* ſermone contextum. Ita enim fieri decuit: quum is ſua illa doctrina, rudes homines magis, quam doctos in conſcientiæ negotio erudire procurat. Effecit autem hoc ſuo opuſculo, licet parvo, ut ſicut modo nobis de nomine, ita poſthac per nos etiam poſteris diutius innoteſcat.

De Nicolao Craſſello *Minorita.*

Si præſtantes ſacrarum literarum ſcriptores qui *Patavini* fuerunt, enumerandi ſunt, neſcio qua ratione *Nicolaus Craſſellus* Minorita præteriri hic ſilentio jure poſſit. Is enim acceptis prius in ſeculo de more doctoratus inſignibus, amore Chriſti accenſus, relictis omnibus, *Franciſcinam* religionem ingreſſus eſt: qui quum parum admodum voce, & lateribus ad concionandum valeret, Chriſtianæ pietati, & ſacrarum literarum ſtudio, docendo, conſulendo, ſcribendoque, & orando totum ſeſe dedit. Vidimus luculentum ejus opuſculum De gradibus affinitatis, & conſanguinitatis, cujus titulus talis eſt. *Brevis & compendioſus tractatus cognoſcendi gradus conſanguinitatis, & affinitatis per venerandum Patrem, fratrem Nicolaum de Padua, ordinis Minorum de obſervantia, canonum doctorem eximium.* Scripſit, ut audio, & alia quæ nos ignoramus. Hæc autem legi in bibliotheca *Matthæi Madii* doctiſſimi juriſconſulti & mihi amiciſſimi. De eo autem quid reliquum vitæ fuerit, parum compertum habeo.

De Nicolao Craſſeto.

Addendus huic alter *Nicolaus* ejuſdem ſane ordinis, fereque cognominis: ſed non ejuſdem obſervantiæ regularis: qui qualis, quantuſque fuerit, nihil præterea quærendum putavi, quam quod in infra ſcripto elogio continetur, quod eſt in medio templo *D. Antonii* Confeſſoris ſcriptum ſuper columnam ſub imagine Deiparæ Virginis partum ſuum adorantis: ubi & ipſe pictus in pariete conſpicitur, cui è manu pendet tabella ejuſmodi verbis inſcripta.

SVMMI TONANTIS, AC D. ANTONII CVLTOR EXIMIVS, NICOLAVS PATAVINVS, COGNOMENTO CRASSETVS, INQVISITOR AC CASTIGATOR SOLERTISSIMVS, HANC CHRISTI NATIVITATEM MENTE PIA FIDELISSIMIS DEDICAVIT: ANNO A NATIVITATE EIVSDEM M. CCCC. XCIII.

Dei igitur imago inviſibilis pudorem humani exordii non recuſavit poſt conceptionem, & partum, vagi-

vagitum & cunas, & omnes naturæ nostræ contumelias transcurrere. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui impendetur? Inenarrabilis adeo originis: unus unigenitus Deus, in corporis humani formam S. Virginis utero insertus accrescit. Et qui omnia continet, intra quem, & per quem archangeli tremunt, cælum, terra, & omnia hujusmodi elementa resolvuntur. Vagitus infantiæ auditur: qui invisibilis & incomparabilis est, non visu, sensu tactuque moderandus, pannis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolit, tanto se majoris beneficii obnoxium confitetur, quanto minus hæc convenerint Dei majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Id est assumptione carnis unius, membra universæ carnis incoleret. Hæc ibi.

De Petro Rido *Canonico Regulari.*

NON aliter quam *Crassetus* inter Minoritas enituit *Petrus Ridus* inter Canonicos regulares: qui cum doctrina valde præstaret, profiteretur que *Patavii* publice philosophiam, & artes liberales, in sacris concionibus *Jacobi Avogadri Bergomatis* ad meliorem vitæ semitam conversus,
152 una cum *Bartholomæo Romano* ambo eodem spiritus fervore accensi, Christi verbum per *Italiam* seminare constituunt: atque cum primum is *Patavii* forte cœpisset, tanto incremento divini illius verbi seges exuberavit, ut multi digni prælati, & excellentes doctores, & nobiles cives relicto seculo, ad meliorem itidem & ipsi vitam transierint. Quocirca tunc primum (ut legitur) & monachis *S. Benedicti*, & canonicis regularibus reformandæ religionis aditum patefecerant: de quorum numero fuit *Ludovicus Barbus Venetus*, & cum eo *Rorandus Patavinus*, ambo (ut superius diximus) authores observantiæ amplissimi monasterii *D. Justinæ Patavinæ.* Itaque supra modum his piis negotiis delectatus *Petrus Ridus*, pari sane studio, ut illi inter monachos: ita ipse inter canonicos regulares vehementer sua pietate profecit. Qui quidem cum & vitæ sanctitate, & doctrina, tam sacrarum literarum, quam etiam secularium reliquos longe antecelleret, factus est magister generalis reformatæ congregationis canonicorum regularium Divi *Augustini*: quæ ea tandem tempestate maxime florere cœpit, tertio milliari extra urbem *Lucanam*, in regione ab incolis *Frigionaria* nuncupata. Atqui modo hæc congregatio instaurata his authoribus, jam per totum fere orbem longe lateque diffusa, basis profecto solida, & columen totius religionis Christianæ facta est. Sive inspicias observantiam regularem, sive scripturarum scientiam, sive zelum animarum, sive denique divinam tam concionandi quam scribendi peritiam.

De Esaia Athestino, *Canonico regulari.*

IN eadem congregatione floruit ea ferme tempestate insignis vir *Esaias Athestinus*, qui commentarios disertissimos super Cantica canticorum edidit, quos sacris virginibus dedicavit. Quocirca in eis non *Latino*, sed *Italico* sermone usus est: suis vero monachis sanctorum vitas expurgatis fabulis eloquio *Latino* in choro ad usum quotidianum, ea, qua opus fuerat elegantia, legendas dedit. Quæ quidem à cunctis plurimi sane fiunt, & ab ipsis etiam canonicis, studiose, & cum summa delectatione, in hanc usque diem in choro officiose leguntur. Vir fuit sanctissimæ vitæ, & egregiæ doctrinæ, & tam suis quam
A cunctis, qui eum norant, sua lenitate & affabilitate charissimus. Fuit item (ut in Annalibus canonici ordinis legimus) corpore pusillus quidem, sed animo sublimi & magno, & inter censores ordinis unus omnium & æquitate & probitate præcipuus: qui tanquam stella matutina in mundo refulsit, & inter canonicos summa semper cum laude versatus est. Obiit *Venetiis*, dum esset monasterio *S. Mariæ* Charitatis præfectus.

De Seraphino à S. Daniele, *Canonico regulari.*

B DE *Seraphino* autem *à S. Daniele* ejusdem instituti canonico regulari & insigni adolescente, quid possum addere aut dicere elegantius? quam quod de eo *Matthæus Bossus* & ipse canonicus regularis in Dialogis & libellis suis, mirifice prædicavit: & præsertim in epistola XLVII. quam de *B. Seraphini* obitu inscribi voluit. Quam quidem totam hic modo in ejus laudem transcriberem, nisi me brevitatis ratio omnino prohiberet. Scribens enim *Bossus* ad quosdam præstantissimos philosophos, qui illius fuerant aliquando præceptores, de hujus hominis scriptis & eruditione ita præclare disserit. *Vestrum*, inquit,
C *erat, quicquid ille in Dialogis de ratione disserendi, & de præceptis philosophiæ protulisset in medium: meum etiam quiddam videbar agnoscere in eloquio dulcissimo, & facultate dicendi, quod me tradente, hæc humanitatis studia primum delibasset. Erant præterea multa in eo juvene, & ea præclara atque illustria: quibus à nobis non diligendus modo, sed complectendus & venerandus ab omnibus esset: summa religio, ingenii acumen, ad studia ardor, amor in doctos, mansuetudo in omnes, oris modestia, fandi suavitas eximia, indoles omnibus blandissima: corpus vero totum elegans & speciosum. Illum ita philosophia, & liberalissimis studiis florentem, &*
D *sanctimonia vitæ laudabilem, animi simul & corporis commodis omnibus utentem (heu hominum fragilis status, & cita & volucris ad interitum vita) unius pene diei languor extinxit.* Idem alibi *episto-* 153
la v. *ad Timotheum* de eodem dum viveret. *Noster*, inquit, *Seraphinus tanta virtute coalescit & surgit, ut laudem spemque de juvene oratio mea æquare non possit.* Ecce quomodo doctissimus ille *Bossus Seraphinum* hunc nostrum & viventem, & jam vita functum, facundia sua eleganter expressit, ut vivam pene, & corporis, & animi illius imaginem nobis ac posteris repræsentaverit. Qualis vero, quantaque invicem inter hos benevolen-
E tia fuerit, epist. XIIII. satis longa orationis serie ostendit. quæ omnia licet hic nimis forte longum esset referre, non tamen insuave est audire. Sed brevitati consulimus: quando hæc illic satis patent legere volentibus. Is ergo immatura morte præventus, egregia ac præclara nobis ingenii sui monumenta nondum absoluta reliquit, ut quivis ex superioribus jam dictis colligere certo potest. Floruit circa annos Domini M. CCCC. XC. & obiit, ut dictum est importuna & immatura morte, sed religiose & sancte.

De Ruffino Lupato *Minorita.*

F INsigne quoque & celebre nomen fuit ævo nostro *Ruffini Lupati* Minoritæ, quod in prædicatione sacrosancti Evangelii, sua sibi doctrina longe lateque in universa *Italia* comparavit: & propterea non est hic à nobis ullo pacto tacendus. Is enim præter humanarum divinarumque literarum peritiam, & vitæ sanctitatem, qua maxime præstabat, extitit etiam in Ecclesia Dei concionator egregius, tantaque in concionando fa-

facundia, & tanto aſſerendæ veritatis ſtudio in docendo, & in reprehendendis vitiis tanta acrimonia præditus, ut quam plurimos à peccatis ad pœnitentiam, & a ſecularibus curis & voluptatibus evocatos, ad tranquillam vitam, & verum Dei amorem & religionem deduxerit. Atqui tandem ab *Adriano* Pontifice Maximo Archiepiſcopus *Anconitanus* electus, quum eſſet tunc nimio concionandi labore attritus, & corpore invalido, ætate tamen adhuc robuſta, & indies pro Dei Eccleſia meſſem uberiorem pararet, hinc ab hominibus ad ſuperos feliciter demigravit, ut illius ſancti ſeminis fruges, quod abunde cum lachrymis in terris ſparſerat, centuplum in cœlo cum gaudio & exultatione demeteret. Obiit anno ſalutis M.D.XXII.

De Paulo Zabarella *Epiſcopo* Argolicenſi.

Neque hic reticendus eſt *Paulus Bonus* cognomento *Zabarella:* qui ab ineunte adoleſcentia religioni addictus, humanarum ſimulque divinarum literarum utrinque perquam eruditus evaſit, atque in ſacra *Eremitarum* familia maxime floruit. Erat enim Theologiæ diſciplina inſignis, & in concionando inter omnes ſui ordinis, ſuæque ætatis præcones longe primus. Is monaſterium Eremitanum, & ædibus, & porticibus ſua munificentia ſpecioſius exornavit. Creatus tandem Epiſcopus *Argolicenſis*, in *Patavina* Eccleſia, Cardinali *Cornelio* perpetuæ adminiſtrationis titulo commiſſa, Propræſulem (quoad vixit) in ſpiritualibus & in cunctis aliis rebus ſtrenue ſeſe habuit: ſed in eo præſertim ab omnibus præcipua laude commendatur, quod in dandis de more inſignibus in omni ſtudiorum genere candidatis, tanto ſemper eloquentiæ flumine, vel in ſubitis ſermonibus dicendo fluebat, ut ejus oratio melle dulcior, & omnibus admirabilis videretur. Ætatis jam provectæ ſcripſit ad *Clementem VII.* Pontificem Maximum. De reformatione Eccleſiæ, eleganter, & ſatis appoſite libellum, quem egomet legi. Reliquit item elegantes omnis generis orationes. Scripſit item in ſeptem Pſalmos enarrationem lectu digniſſimam. Huic multo ſane majori curæ fuit, in vita ſepulchrum ſpecioſum ſuo cineri, quam nomini ſuo per operum ſuorum editionem perpetua monumenta parare. Nam pulcherrimum tumulum, cælati operis ex marmore pario in Baſilica Eremitarum, in ſacello medio *Ovetariorum* familiæ, vivens fecit: ubi picturæ inſignes *Andreæ Mantineæ* pictoris ſua ætate celeberrimi à cunctis cum admiratione viſuntur. Obiit is anno M.D.XXV. die XXV. Julii. Addendum autem cenſui huic tam inſigni ſepulchro epitaphium, quod poſt ejus obitum *Franciſcus Savonarolla* poëta *Patavinus* cecinit: quando ibi mentio de ejus nomine nulla fiat.

Doctus adit cœlum facundo carmine Flaccus,
Et ſtella Euganei lumen uterque ſoli.
Nomen ad æthereum Patavi lux mittit olympum,
Romanæ princeps Livius hiſtoriæ.
154 *Paulus in eloquio, Corneli, numine cœlum*
Poſſidet, Aonias hinc ſacer hauſit aquas.
Quantum aliis igitur numeris, aut ore ſoluto
Antenor debet, tam Zabarella tibi.

De Bellino *Eremitano.*

In eodem monaſterio *Eremitarum*, ejuſdem profeſſionis, ac ætatis, atque diſciplinæ, eidem *Paulo* ferme par floruit *Bellinus* inſignis Theologus: cujus non modicæ laudi fuit editio, & correctio martyrilogii, quod olim cum præ ſua ra-
A ritate in choris tantum, & in conventibus publice legeretur, nunc hujus opera factum, ut ab omnibus legatur: & propterea merito ejus nomen, non tantum in illa prima impreſſione mille & amplius voluminum inſcriptum eſt: ſed poſtea quoque quoties hujuſmodi opus imprimitur, non niſi ſub *Bellini* Eremitani Theologi *Patavini* correctoris nomine publicatur. Itaque ejuſmodi pia martyrum memoria, cum nominis hujus immortalitate à poſteris ubique celebrabitur.

De Ambroſio Quiſtellio *Eremitano.*

B Glorioſiſſime hic *Patavii*, & ubique terrarum, inter eoſdem Eremitanos claruit noſtris temporibus *Ambroſius Quiſtellius Patavinus*, divini verbi præco mirificus, & in ſacris literis, philoſophiæ & theologiæ doctiſſimus: ac propterea in cunctis *Italiæ* ac *Europæ* gymnaſiis, ſumma in veneratione ſemper habitus. Verum diu moleſtiſſima correptus podagra, & debilitate pedum invalidus, à concionando deſtitit, & in patria, *D. Pauli* epiſtolas magna auditorum frequentia, primo explicare publice cœpit, deinde euangelium, tanta quidem ſuavitate ſermonis, tanta facundia, ut nemo audientium non vehementer
C obſtupeſceret. Sed tandem *Romam* accitus à *Nicolao Ridulpho* Cardinale, honorificentiſſimeque à ſecretis exceptus, *Romæ* publice quoque euangelium in frequenti hominum conventu, & cum maxima nominis celebritate, aliquandiu expoſuit. Ediderat antea in patria opuſculum nequaquam aſpernandum, adverſus philoſophos, qui aſſerunt, divinam ſcripturam nequaquam percipi poſſe, niſi ab his, qui bonam vitæ partem in *Ariſtotelis*, & aliorum philoſophorum lectione contriverint: quod *Franciſco Piſano* Cardinali & Epiſcopo noſtro dicavit. Inſuper lucubravit ſuper quartam *Sententiarum inſignem expoſitionem*, quatuor libris
D diſtinctam, & *De modo prædicandi euangelium.* Libellum quoque *De veritate Alchimiæ*, & alia pleraque tunc ibi *Romæ* conſcripſit. Electus tandem à ſummo Pontifice *Paulo III.* ad pacandam *Germaniam*, ab Eccleſia catholica diſſidentem, podagræ moleſtia plus ſolito implicitus, eo proficiſci non potuit. Obiit tandem ex eo morbo *Romæ*, anno M.D.XLIX. ibique ſepultus eſt.

De Chriſtophoro Paduano.

Vivit nunc in eadem familia, & in maxima nominis celebritate, *Chriſtophorus Paduanus*, ſummus Theologus, & vir omni virtute cu-
E mulatus: qui ob ſuam ſingularem probitatem & ſapientiam, quæ in tota *Italia*, & in toto ferme orbe Chriſtiano ſplendidiſſime lucet, ab omnibus ſuis monachis judicatus eſt unus omnium digniſſimus, ut eligeretur totius ordinis magiſter: ut qui ibi aliquandiu maximus procurator fuerat, eſſet deinceps præfectus maximus. Quod quidem munus apud fratres ter maximum habetur. Quod ei interim felix fauſtumque ſit, & ejus ordini, patriæque noſtræ laudi & ornamento.

De Peregrino Naſello.

F Vivit quoque in præſenti, multa jam ætate provectus *Peregrinus Naſellus Patavinus* ex eodem Eremitarum ordine D. *Auguſtini*, Theologus inſignis, ingeniique ac doctrinæ non vulgaris orator, & concionator egregius. Is vigintiſex aſſertiones, & dubia quædam obſcura &
implexa ſacræ ſcripturæ apertiſſime explicuit, & 155
reſpondit adverſus quadraginta & unum impios *Lutheri* articulos. Scripſit item de fide implicita, & explicita, & de informi, & formata, & de

de ejus origine causaque efficiente: & quomodo fideles exaltat, & reddit eos sapientes, ac juvat & roborat. Insuper de operibus exterioribus, breviter octo conclusionibus præclara quædam complexus est, in quibus hæreticorum nodos apud eos obscuros & insolubiles solvit, & in lucem promit. Quatuor quoque ex *D. Augustini* dictis apparentes contradictiones conciliat. Edocet de legibus humanis quantum & quomodo obligent: & *De potestate summi Pontificis & concilii* cum comparatione ad invicem. Scripsit *de Mahumeti secta. De salute Origenis*, nec non *de regno Christi*, & alia quæ egomet vidi & legi, & propterea hic in nostris hisce lucubrationibus non censui omnino tacenda.

De aliis ejusdem ordinis viris præclaris.

Felix profecto virorum clarissimorum proventus ejusdem ordinis, & ejusdem patriæ merito laudari potest: qui non solum monasterium unicum, aut unicam civitatem, sed *Italiam* universam illustrare merito posset. Nam, ut plerosque alios ejusdem ordinis cives nostros omittam, præter supra dictos celebratur hoc tempore eximius Theologus *Gregorius*, universæ religionis procurator, & concionator celeberrimus, quem obiisse audio anno M.D.LV. Supersunt autem complures alii, ac præter cæteros *Ludovicus Malatinus*, insignis Theologus, nunc senex Theologiam profitentibus præfectus. Superest item *Angelus Paduanus*, qui à *Lusitaniæ* Rege ad profitendam Theologiam accitus, illic nunc magno nominis sui splendore, & ordinem, & patriam suam vehementer illustrat. Item & *Raphael Paduanus*, quem *Papiæ* honestissimo loco residere audio, non sine patriæ gloria. Superest denique & *Matthæus Patavinus*, qui *Tarvisii* studentibus præest, Theologicarum sententiarum interpres doctissimus. Surgunt & alii juvenes, qui nihilo minora de se pollicentur.

De Hieronymo Magnano *Episcopo* Vestano.

Consequens est ut de *Hieronymo Magnano Patavino* breviter dicamus, qui dum super æquales suos in studiis literarum proficeret, spretis quæ homini perniciosam mundi curam addunt, inter Minoritas paupertatem *Franciscinam* professus est, ubi studiis sacrarum literarum intendens, evasit eximius Theologus, qui aliquando per universam *Italiam* præclarus divini verbi concionator, non sine magnæ probitatis opinione refulsit. Quæ quidem de eo habita vulgo opinio, ubi ad *Julium II.* Pontificem Maximum delata est, *Romam* accitus, in Episcopum *Vestanum* deligitur. Qui postea intermisso concionandi officio, *Roma* discedens, in patriam rediit, & deinceps sibi potius, quam gregi suo complaciturus, in otio literarum domi & in patria vixit. Hujus meminit *Leonicus in suis Dialogis*, ubi de precibus agit. *Aderant* (inquit) *mecum, cum alii plerique tum & Hieronymus Magnanus Vestanus Episcopus, vir & religione conspicuus, & literarum etiam studiis in primis clarus.* Hæc ille. Fuit is perquam familiaris *Jacobo Sadoleto*, nondum Cardinali, sed insigni eloquentia prædito. Scripsit (ut audio) quam plurima: edidit autem unicam (quod sciam) satis elegantem epistolam, ad *Adrianum* Pontificem Maximum excusam & appositam in fronte operis illius, sub titulo *Quodlibeti*. Obiit *Patavii* in bona senectute, anno salutis (ni fallor) M.D.XXVII.

De Antonio Tubeta *Episcopo* Atheniensi.

Longius vitæ spatium, & otium scribendi, & emendandi quod scripserat, absolutiorem facultatem præbuit *Antonio Tubetæ Patavino*, qui in hoc nostro gymnasio, & ubique locorum in *Italia*, & docendo, & disputando, & scribendo, usque ad ultimam senectutem primas semper in omni disciplinarum genere omnium judicio obtinuit. Hic à pueritia in conventualem familiam *Franciscinam* admissus, gradatim in omnibus studiis liberalibus tantum profecit, ut fuerit à prima fere juventute usque ad senium in dissertationibus philosophiæ & Theologiæ subtilissimus disputator, & sine controversia princeps Scotistarum suæ ætatis habitus. Edidit adhuc florente ætate, in ea re grave & perutile opus super duodecimum Metaphysices, quod in omnibus fere 156 Gymnasiis, præter cætera in ea re scripta, maxime collaudatur, atque frequenter ab universis scholasticæ Theologiæ studiosis atteritur. Scripsit postmodum contingentia rerum, super formalitates *Scoti*: & de intellectu agente. Quæ omnia impressa vulgo habentur. Interea vero invidia hominis virtutem semper comitata, cum multoties retraxit, ne ad summos quosque honores in ea familia (ut dignus erat) altius veheretur. Veruntamen cum Ecclesia *Romana* ejus opera plurimum indigeret, *Julius II.* Pontifex Maximus hominem jam senem, *Urbinatem* Episcopum creatum, *Romam* in concilium, quod præparabat, accivit, ubi multum sibi authoritatis & nominis acquisivit. Verum non post multos annos permutato sponte titulo Episcopi *Urbini*, reservatis sibi tantum reditibus, cum *Petro Bembo* amico suo, nondum Cardinali: non *Urbinas*, sed *Athenarum* Archiepiscopus deinceps est appellatus. Reversus tandem in patriam, post paucos menses confectus senio, & implicitus longo morbo, è vita decessit: anno salutis M.D.XVIII. Sepultus in Æde *D. Antonii* Confessoris juxta aram Virginis cum ænea statua ad ejus faciei similitudinem, ubi hoc epitaphium legitur:

ANTONIO TVBETAE PADVANO ATHEN. ANTISTITI, QVI PVB. METAPH. AN. II. ET XL. PROFESSVS EST, D. ANTONII PROVINCIAE ANN. SVPER XX. PRAEFVIT, PLVRAQVE AEDIDIT. AN. AETATIS ALTERO ET LXXX. NATVRAE CESSIT. HOSPITIVM HOC AD DIEM NVNQVAM REVERSVRVM.

Huic *Franciscus Savonarola* alterum cecinit epitaphium, quod hic apponendum duximus:

ORPHEA FAMA REFERT PISCES, VOLVCRESQVE, FERASQVE,
INFERNVMQVE CANEM CONCILIASSE LYRA.
PRISCA FIDES TACEAT, RAPTVS SVPER AETHERA PRAESVL
ID TVLIT ELOQVIO, QVOD TVLIT ILLE LYRA.
EXPVLIT HIC SOPHIAE SORDES, TENEBRASQVE FVGAVIT,
EXTANT INGENII PLVRIMA SCRIPTA SVI.
VNICA CEV PHOENIX VITAM SIBI MORTE NOVAVIT.
DIC ROGO PERPETVVM, QVI LEGIS ISTA, VALE.

De Hieronymo Salgherio *Presbytero.*

Annumerandus est his, *Hieronymus Salgherius* presbyter insignis, & vir magnæ integrita-

tis, doctus & caſtus: qui confeſſor datus ſacris virginibus *S. Proſdocimi*, ſolicite boni paſtoris officio uſus eſt, & præſertim in perſecutione *B. Euſtochiæ*, cujus cura præcipua fuit, ut ab improba vexatione dæmonis, à quo in tenera infantia arrepta fuerat, defenderet, & in Dei gratia conſervaret. quam quum diabolus occupando ſe vincere credidit, victus ipſe à virgine, & confuſus abiens, ſanctificatam reliquit, ut ſuperius in ejuſdem vita aperte narravimus. Is ergo hujus ſacræ virginis vitam, & *Latino*, & *Italico* ſermone ſatis diſerte compoſuit, cujus rei *Petrus Barocius* Epiſcopus *Patavinus* in ſermone de hac *Beata*, honorificentiſſimam mentionem facit. Quare merito hic inter ſcriptores, & claros cives noſtros virum talem intexuimus. Hic cum majoribus ſuis conditus jacet juxta parietem templi *D. Antonii* confeſſoris in prima porticu ad occaſum, ubi in ſaxo rhythmice hoc gentilitum epitaphium inſculptum legitur:

Hic de Salgeriis Jacobus Franciſcus honore
Pulveris exigui, vano monumenta decore
Conſtituit, clauſitque ſuos hoc marmore multos,
Quos aluit vivos, tegat ut domus una ſepultos:
Cum fluerent ſeptem decies & luſtra ducenta.
Chriſte Deus tecum requieſcant morte perempta.

157 *De* Bartholomæo Caligario *Presbytero.*

Quid modo dicam de *Bartholomæo Caligario* ſacerdote integerrimo, & viro ſumme probo, & in ſacris literis, ac cæremoniis Eccleſiæ peritiſſimo. Non enim video, cur arctiſſima amicitia, quæ mihi ſecum eſt, impedimento eſſe debeat, ut tam celebre hujus viri in hac urbe nomen, hic in tanto numero virorum præſtantium retractus aliqua ſuſpicione pertranſeam. Quis id non laudet? quod is *Patavii* primus cœperit ſingulis annis impreſſum edere indicem feſtorum, in uſum quotidianum omnium clericorum? Facit is quidem ſua induſtria & labore, ut omnis clerus *Patavinus* abſque errore & ſine cura in ſacris cæremoniis per totam diœceſin, cum Cathedrali Eccleſia poſſit unanimiter convenire. Nihilo quoque minori laude digna fuit illius diligentia atque doctrina, qua uſus eſt (cum ſit chori magiſter) in expurgandis antiquis Eccleſiæ noſtræ libris, ab erroribus pene innumeris: qui in celebrandis divinis, ita importune quotidie legentibus occurrebant, ut doctæ cujuſvis eruditi viri aures, nullatenus abſque moleſtia ferre poſſent. Quo quidem vel ſolo officio, ſempiternam nominis memoriam jure ſibi vendicavit: ſed multo magis etiam opere illo Latino, valde erudito, A quod pridem brevius, atque in re obſcura dilucidius præ cæteris, de Lunari ac Solari ratione ad ſanctum Paſcha rite celebrandum compoſuit: quod jam impreſſum eſt, & dedicatum *Romano* cardinali *Bernardino Scoto Sabino*, Archiepiſcopo *Tranenſi:* & deinceps *Placentino*, ut auctoritate *Pauli IV.* Pontificis Maximi aliquando in univerſa Eccleſia divulgetur, quo nova & certa ratio feſtorum mobilium, & præſertim ſolennitatis Paſchalis, ad ſolis ac lunæ curſum in Eccleſia Dei certior habeatur. Quam ſane rationem, propediem in poſterorum gratiam ab ipſo ſummo Pontifice in Eccleſia publicandam ſperamus. Quod maximi profecto momenti eſt, Chriſtianæque B Reipublicæ valde neceſſarium. Legimus ſiquidem olim ob eandem rem *Joannem de Monte Regio* Aſtronomum peritiſſimum, à *Xiſto IV.* Pontifice Maximo *Romam* accitum fuiſſe, & Epiſcopum *Ratiſponenſem* creatum. Nil tamen de ea re, quamvis maxime neceſſaria, hactenus immutatum quicquam fuit. Verum quum non mediocres in toto *Romano* Imperio perturbationes, ex ſubtractionibus dierum ad reſtituendum æquinoctium, ſecundum præfati *Joannis* ſententiam exoriri poſſent: is modo qua via huic malo facile occurratur, invenit, docens quo pacto illæ ſubtractiones citra injuriam & incommodum alicujus, invento ſuo locum darent. De vita autem & moribus, & reliquis rebus, quæ de hoc viro magna C cum laude dici poſſent, interim tacebo: ſcriptum eſt enim, *Ne laudaveris hominem in vita ſua. Lauda poſt mortem, magnifica ſecurum: lauda navigantis felicitatem, tunc quum pervenerit ad portum: lauda ducis virtutem, ſed quum pervenerit ad triumphum.*

De Hieronymo Quaino *Servita.*

Reſtat noviſſime nobis in hoc genere laudis, præcipua memoria celebrare *Hieronymum Quainum Patavinum* Theologum inſignem, & concionatorem eximium, ordinis *D. Mariæ* ſervorum: cujus ſermo in concionibus tanta copia & ubertate verborum ac ſententiarum defluit, ut D non eloquentiæ tantum fons ſcatens, ſed & flumen potius redundans orationis dulcedine, atque torrens repentinis ſententiarum imbribus concitatus eſſe videatur. Atque hinc nimirum fit, quod ex tam frequentibus auditoribus, qui eum ſequuntur, nemo ſatiari unquam poſſit, ſed quo magis quis ſermonem ejus haurit, eo properantius ad hauriendum recurrit. Alias de hoc alii fortaſſe alia & latius, ſed nobis hæc interim in vita ejus dixiſſe ſatis.



CLAS-

158

CLASSIS VIII.

DE CLARIS JURECONSULTIS Patavinis.

PRÆFATIO.



ACTENUS superioribus classibus dictum fuit, de antiquitate, & memorabilibus urbis Patavii *: & de priscis scriptoribus, ac poëtis, & illustribus civibus, qui illis antiquis temporibus* Patavii, Romæque *claruerunt, ac de vetustissimis monumentorum inscriptionibus, & de sanctis, pariterque de Episcopis & Prælatis, & Theologis insignibus: in hac modo classe de Jureconsultis simili ordine, & pari studio prosequemur, & præsertim de his, qui suarum virtutum ductu in altum provecti, tum disserendo & docendo, tum etiam scribendo, summa cum laude dignam sui memoriam posteris reliquerunt. Qua in re si quorundam modo vel sola nomina in nostris hisce commentariis legantur, id temporum potius injuriæ, quam alicui nostræ incuriæ tribuendum est. Illorum enim scripta posterorum negligentia, ad nostra usque tempora minime pervenire potuerunt. Contigit enim multis ex jurisperitis illis pervetustis, qui superioribus seculis ante* Bartholum *&* Baldum, *in ea disciplina summa cum gloria floruerunt: idem fere quod & priscis olim philosophis, qui ante* Platonem *&* Aristotelem *fuere. Nam licet quicquid isti scripserint, ab illis prioribus omne fere acceperint: nulla tamen eorum commentaria extare videmus, sed nuda ab his tantum nomina referri. Ita quoque accidit multis ex nostris civibus (ut de aliis sileam) qui olim tam hic in nostro gymnasio* Patavino, *quam alibi sua ætate juris peritia claruerunt: quorum scripta seu librarii defectu intercepta, seu ab aliis postea, qui eis successerant, impune compilata, & pro suis forsan in lucem edita fuerant.*

De Julio Paulo *Jureconsulto.*



NTER omnes autem præcipuos jurisconsultos, videtur merito principatum tenere *Julius Paulus Patavinus*, antiquus & illustris legum lator, & inter veteres juris conditores omnium celeberrimus: qui disciplina juris, & in legibus *Romanis* noscendis atque interpretandis, scientia, usu, auctoritateque apud vetustissimos Jurisconsultos eminentissimus semper habitus est: & inter *Papiniani* illius præstantissimi viri discipulos primus. Is cum esset & in philosophia, & in jure civili celeberrimæ atque notissimæ famæ, ob suam illam summam peritiam juris & æquitatis, accitus ab *Alexandro Severo* Augusto vel ut alii dicunt, ab *Aurelio Anton. Heliogabalo*, accepta potestate condendi juris, edidit innumeras leges, admirabili æquitate, & insigni elegantia præditas: quarum plures adhuc in frequenti usu apud peritos juris sunt, & quotidie revolvuntur. Hic præturam primum nactus, deinde per omnes dignitatis gradus, tandem ad consulatum ascendit, & postremo ad prætorii præfecturam, summum tunc apud Cæsarem locum. Et idem pari auctoritate, doctrina, officio, honoreque *Ulpiano* illi magno par fuit: numero autem scriptorum etiam superior. Scribit Ælius Lampridius *in vita Alexandri Severi, Julium Paulum, & Domitium Ulpianum* apud illum magno in pretio & honore semper habitos: & ambos assessores *Papiniani* fuisse, & condendo juri præfectos. Hic (ut refert *Po-*

A *litianus*) *Græco* vocabulo Coryphæus appellatus 159
est: quoniam quasi verticem legitimæ disciplinæ cum *Papiniano* tenuerit. Numerantur autem qui ab eo editi sunt libri, hi omnes. *Ad edictum* LXXX. *Quæstionum* VI. *supra* XX. *Digestorum* VIII. *Ad Plautium duodeviginti. Ad Sabinum* XVI. *Ad Leges* X. *Regularum* VII. *Sententiarum vel factorum* VI. *Sententiarum* rursum V. *Ad Vitellium* IIII. *Ad Neratium* IIII. *Fideicommissorum* III. *Decretorum* III. *De Adulteriis* III. *Manualium* III. *Institutorum* II. *De officio Proconsulis* II. *De Jure fisci. Ad legem Juliam* II. *Ad legem Eliam Sentiam* III. *Libros* præterea *singulares regularum.* Rursus *regularum*, & tertio *de pœnis Paganorum. De pœnis militum. De pœnis omnium legum. De usuris. De gradibus & affinibus. De Jure Codicillorum. De excusationibus tutelarum. Ad regulam Catonianam. Ad Senatus Consultum Orficianum. Ad Senatus Consultum Tertullianum. Ad Senatus Consultum Syllanianum. Ad Senatus Consultum Elegianum. Ad Senatus Consultum Libonianum seu Claudianum. De officio præfecti vigilum. De officio præfecti urbis. De officio prætoris tutelaris. De extraordinariis criminibus. De hypothecaria. Ad municipalem. De publicis judiciis. De Jure singulari. De secundis tabulis. Ad orationem D. Severi. Ad orationem D. Marci. Ad legem Velleiam. Ad legem Falcidiam. De tacito fideicommisso. De portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur. De Juris & facti ignorantia. De Adulteriis. De instructo & instrumento. De appellationibus. De Jure libellorum. De Testamentis. De Jure patronatus, quod ex lege Julia & Pa-*

Papia venit. De Actionibus. De concurrentibus Actionibus. De intercessionibus fœminarum. De Donationibus inter virum & uxorem. De legibus. De legitimis Hæreditatibus. De Libertatibus dandis. De Senatusconsultis. Hæc omnia noster *Paulus* scripsisse perhibetur. Sed ex tot ac tantis scriptis præter varias leges editas, quæ dispersæ in corpore juris habentur, extant duntaxat *Libri* v. *receptarum sententiarum, ad filium*: reliqua posterorum incuria perierunt. Floruit is circa annum Christianæ salutis CCXXX. Unde miror supra portam palatii juris sub ejus statua legi hunc fuisse coætaneum *T. Livii*, cum tanto annorum spatio inter se distare noscantur. Verius forte conjectant, qui dicunt *T. Livium* proavum huic *Julio Paulo* fuisse: & propterea consanguineum, aut conterraneum potius quam coætaneum scribendum esse. Cæterum pro his qui titulum nosse cupiunt, istum ipsum his addam: qui est sub ejus statua in ipsius fori janua, ad partem Aquilonarem.

PAVLVS PATAVINVS HVIVS NOSTRAE VRBIS DECVS AETERNVM, IVRISCONSVLTVS CLARISSIMVS: COAETANEVS T. LIVII HISTORICORVM PRINCIPIS, EA AETATE INTER LEGVM LATORES ADEO COELESTI FLORVIT INGENIO, VT LEGES INNVMERAS EDIDERIT, QVARVM NONNVLLAE DE APICIBVS IVRIS DIVINO QVODAM INTELLECTV CORVSCANT: QVEM SPLENDIDVM FAMA IMMORTALI, FIDIS OCVLIS POSTERITATIS, INSIGNI IMAGINE HIC MERITO DECORAMVS.

De Antonio Lyo, *seu* Lydio.

Arbitror enim inter Jurisconsultos antiquos, & illius ætatis primarios floruisse aliquando *Antonium Lyum*, virum doctissimum, cujus etsi nulla scripta extent, quod sciam, tamen ingenti mole sepulchrum *Patavii* in Æde *Divi Stephani*, cum hoc brevi elogio ibi inciso, magnam hujus hominis sapientiam, jurisque prudentiam indicare videtur.

160 *Epitaphium.*

IVRISPRVDENTIVM VERTICI ANTONIO LEO PATAVINORVM VIRO OPTIMO. OBIIT ANNO SALVTIS M. CC. VIII.

De Corado Sala.

Ex illo antiquo Jurisconsultorum numero fuisse conjicio etiam *Coradum Salam*, solertissimum juris interpretem: & sui temporis fidum ac præstantissimum patronum, cujus adhuc nobile sepulchrum extat in porticibus *D. Antonii* Confessoris, hoc carmine insculptum: quod respondente rhythmo non magis serio quam etiam lepide legitur:

SALA FVIT GENTI COGNOMEN, SAL NEQVE MENTI
DEFVIT: HEI FATO MINVVNTVR CVNCTA PARATO.
CORDA DVO GESSI CORADVS, INERTIA PRESSI,
ME FIDEI MERITVM LVSTRAVIT GLORIA LEGVM.
NEC SOLVS HIC PERSTO, DANIEL MIHI FILIVS ESTO
CONCLVSVS, TOTIDEM FVLTVS VIRTVTIBVS IDEM.

De Paganino Sala.

Floruit ex hac ipsa familia & *Paganinus Sala*, eximius Jureconsultus, & clarissimus legum professor. Scripsit multa, & consuluit cum *Baldo*, ut in ejus consiliis sæpe legitur. Is quoque in eodem sepulchro jacet.

De Benedicto Sala.

Idem tertio dicendum de *Benedicto Sala*, qui ex eadem gente natus, imitatus majores suos, evasit legum doctor eminentissimus: qui prælegit jus civile in patrio gymnasio publice multos annos, & habitus est interpres Juris civilis sua ætate clarissimus. Quid monumenti vero ex eo studio præter famam hanc doctrinæ, posteris dereliquerit, nondum quicquam ad aures nostras pervenit. Floruit autem circa annum. M. CCCC. XLV.

De Simone Engelfredo.

Nec *Simon Engelfredus* hic à nobis ullo pacto prætereundus est, & ipse valde antiquus: qui ex ærario *Acciolini*, cui ejus pater præfuerat (ut fertur) dives factus, *Bononiam* studendi causa profectus, maxima cum laude ibi Juris civilis lauream adeptus est. Qui postea cum aliquandiu legibus interpretandis tum illic, tum in patria laudatissime versatus esset, juvenis adhuc ob doctrinam ejus eximiam, & singularem comitatem, ibidem aliquando satis cognitam, à *Bononiensibus* prætor electus est: ubi eo magistratu honorifice functus, multis privilegiis & honoribus ornatus, in patriam cum maxima gloria à cunctis suis civibus valde desideratus advenit. Hujus gentile signum fuit, Dulcis cœlesti colore in campo rubeo.

De Bonicordo Valdezucho.

Floruit temporibus suis in eadem disciplina *Bonicordus Valdezuchus*, vir & juris doctrina, & vitæ simul probitate insignis: cujus instauratum sepulchrum extat cum præclaro elogio *Sabini Valdezuchi Pauli* filii doctissimi juvenis, & maximæ spei, & tantæ expectationis, ut ab omni civitate effuse deploratus sit, & præsertim à doctis. Ambo jacent in atrio *D. Antonii* Confessoris ubi legitur hoc epitaphium:

SEPVLCHRVM BONICORDI VALDEZVCHI IVRISCONSVLTI PATAVINI, SIBI ET SVIS, M. CC. LXXI. IDIBVS APRILIS INSTAVRATVM, EXCESSV SABINI PAVLI FILII ANNVM AGENTIS DECIMVMNONVM, A CHRISTI NATALI M. D. XLVII. XI. CALEND. APRILIS, QVI GRAECIS ET LATINIS STVDIIS TAM HVMANITATIS QVAM PHILOSOPHIAE SPECIMEN RARVM DE SE DEDERAT. 161

De Ziliveto & Bonjacobo Sanvitis.

Fuit etiam celebre nomen aliquando *Ziliveti Sanviti*, eximii legum interpretis, quem sequutus est *Bonjacobus* ejus nepos, nihilo minoris famæ, ac fortassis etiam majoris: cujus extant multi laudabiles tractatus in Jure civili, qui habebantur penes *Simonem Petrum Sanvitum*, & ipsum Jureconsultum, & ejus bibliothecæ successorem. Floruit autem *Bonjacobus* in hoc *Patavino* gymnasio circa salutis annum M. CCC. LXX. Hujus nobile sepulchrum visitur in pariete extra Ædem D. *Antonii* Confessoris, sub porticibus ad meridiem: ubi est statua è suggestu prælegentis doctoris, cum hoc elogio insculpto, quod quanta illius fuerit sapientia, plane indicat.

HIC DIADEMA TVLIT LEGVM VIR STRENVVS, ORTVM
CVI SANCTVS VITVS STIRPS GENEROSA DEDIT.

BON-

BONIACOBVS DIGNE MERVIT RE ET NOMINE DICI:
NAM BONITAS TOTVS PROPVLIT OMNE MALVM.
JVSTITIAM, RECTVMQVE PIVS DILEXIT HONESTVM,
INQVE FORO CVNCTIS ARBITER AEQVVS ERAT.
SED QVIA FATALI SVNT OMNIA DEDITA LEGI,
PRIVARIS TANTO PLEBS PATAVINA VIRO.
IMMORTALE POLO CESSIT: MORTALE SEPVLCHRO,
VNDE EMANARVNT, CVNCTA RELATA MANENT.

De Paulo Titulo.

Magnus quoque vir, & ob Juris peritiam sua ætate Jurisconsultus eximius habitus est *Paulus Titulus*: qui jacet in cœmeterio D. *Augustini*, ubi sepulchrum visitur marmoreum hoc tetrasticho incisum, quo ornatur maxime *Euganeus* collis: *Titulum*, quando ejusmodi elogium de alumno incisum, magnam ei gloriam comparavit:

DE TITVLO JVDEX JACET HIC SVB MARMORE PAVLVS,
JVRIS APEX, VRBIS CONSILIVMQVE SVAE:
QVEM VIRTVTE VIRVM NOSTRO DEVS EXTVLIT ORBE,
PRAEBVIT AT COELO NVNC MELIORE FRVI.

De Nicolao Plebio.

Idem sane dicendum est de *Nicolao Plebio*, quod proxime diximus de *Paulo Titulo*: qui & ipse ex monumento, & mole sepulchrali conjicitur fuisse insignis Doctor. Extat enim hujus sepulchrum in eodem cœmeterio cum hoc disticho:

VT TIBI VIVENTI DOMINVS TVA CRIMINA PARCAT,
PRO DE PLEBE ROGA NICOLAO JVDICE QVONDAM.

162 *De* Jacobo Antonio Stenno *seu* Malitia.

Extitit quoque per ea tempora legalis sapientiæ gloria insignis *Jacobus Antonius Stennus* seu *Malitia*: qui unus in primis habitus est sua ætate, & Jurisconsultus egregius, & in universa *Italia* orator clarissimus. Quippe qui in tuendis reis, præsertim in capitis periculo constitutis, fuit defensor acerrimus, & in agendis causis, & fungendis legationibus præ cæteris mirifice commendatus. Inde factum, ut cum in his esset occupatissimus, nullum aliud sui ingenii monumentum præter præclaram nominis famam, longe lateque diffusam, post se reliquerit. Hic vero, ut legitur, primus fuit, ad quem pervenit speculum juris civilis, sibi ab amico *Gulielmo Durando* illius operis auctore transmissum. Ex quo ei tantum accrevit nominis, tantamque apud omnes authoritatem est adeptus, ut ipse quoque propterea quasi alterum Juris speculum ab omnibus haberetur. Dictus autem *Malitia* fuit à villa in agro *Vicentino*, quæ ei forte ex dote uxoris obvenerat: ex quo & ditior, & clarior factus est, ac ab ea villa postmodum etiam *Malitia* nuncupatus. Vel, ut alii dicunt, ob cautelas, quibus præ cæteris in tuendis reis uti solebat. Eminet hujus sepulchrum aliquanto à terra altius in Basilica *D. Agathæ*, absque titulo, vestalibus illic residentibus tantummodo notum.

De Fabio Maximo.

Neque est hic omittendus Jurisconsultissimus *Fabius Maximus*, qui alias dicebatur à *S. Urbano*: quando (ut fertur) hic primus fuisse perhibetur, qui instituit ordinem collegii Jurisconsultorum eo more, qui & hodie quoque in conscribendis doctoribus observatur. Is, ut elogium sepulchrale ostendit, fuit vir celeberrimus, & magnæ existimationis, ac vere maximus. Cernitur hujus sepulchrum marmoreum in porticibus *D. Antonii* Confessoris in sublimi pariete ad meridiem cum hoc epitaphio:

FAMA, FIDES, GRAVITAS, CELEBRES IN HONORE LABORES,
ARCHETYPOS POST HVNC SOLLICITATE VIROS.
BLANDVS IS ORATOR, VATES, DOCTOR QVOQVE LEGVM
IN CVNCTIS FABIVS MAXIMVS DOCTOR ERAT.
VIRGO PARENS CAPIAS ANIMAM, DEVS OPTIME PARCE.

De Rolando Placiola.

Floruit admodum illis ipsis temporibus, tam in gymnasio literarum, quam in Republica *Patavina* administranda *Rolandus Placiola*: eo præsertim tempore, quo civitas ab immani *Acciolini* tyrannide jugo erepta, aliquandiu libera in summa tranquillitate vigebat: quæ perduravit usque ad tempora *Henrici VII.* Imperatoris, qui *Patavio* infensus, minis, dolis armisque immaniter sæviens, tollere libertatem Reipublicæ & subjicere sibi prorsus *Patavium* nitebatur, abrepta clam & per dolum *Vincentia*, quæ sub *Patavinorum* tutela ultra L. annos satis quiete & in pace permanserat. Quocirca *Rolandus* cum esset sincerissimi animi, ac disertissimus Jureconsultus, & orator insignis, senatoriisque & forensibus causis apprime exercitatus, & crebris legationibus ad diversos principes honorifice functus, ad hunc Imperatorem tam inique *Patavinam* Rempulicam infestantem missus, audacter & strenue pro rerum ac temporis ratione sese habuit. Verum de hac legatione, & de hujus hominis consiliis, & auctoritate in Republica & quam semper libere contra Imperatorem pro libertate sententiam dixerit, *Albertinus Musatus* poëta ei coævus, ac in ea legatione collega, *in annalibus de gestis Henrici Imperatoris* luculenter disseruit. Quocirca nobis brevitatem secutis, de hac re id tantummodo meminisse sat est. Is ergo quum præclaro polleret ingenio, quamvis in Reipublicæ negotiis esset magnopere occupatus: non destitit tamen, & in scholis civilia jura docere, & domi pleraque multa scribere, quibus & præsentes & posteros erudiret, & sibi immortalitatem nominis compararet. Hujus scripta apud multos adhuc reperiuntur, quæ & à *Baldo* jurisconsultorum principe, & à scriptoribus cæteris ob viri auctoritatem in suarum assertionum 163
testimonium honorifice referuntur. Is cum esset gratissimus summo Pontifici atque apud eum legationis munere fungeretur, tantæ fuit modestiæ, ut quum solicitaretur a fratre, & invitaretur à Pontifice, ut aliquam Abbatiam divitem impetraret, petiit solummodo simplicem clericatum: & interrogatus à Pontifice cur, cum sibi cu-

cujuslibet magnæ Abbatiæ vacantis optio daretur, petiisset potius exilem clericatum. Respondisse fertur: *Frater meus pro quo posco, non est pluris.* Hæc refert Zicco Polentonus *libro exemplorum* v. Non assentior quibusdam, qui summam illam *Rolandinam*, quæ scribarum continet disciplinam, huic ascribant, quamvis non desint scriptores, qui rem aliter tradant. Floruit is circa annum salutis Christianæ M.CCC.VIII. sepultus est extra templum *D. Antonii* Confessoris ad Occidentem in gentilitio sepulchro, ubi hæc epitaphia leguntur. Primum in fronte sepulchri:

ROLANDVS DE PLACIOLA PATAVINO VICO PATER GVIDONI FILIO CHARISS. JUVENI MAVSOLEVM, ET SIBI ET SVIS.

Item hoc distichum:

HVNC STATVIT PONI TVMVLVM MORS ATRA GVIDONI,
CVI STANS SEDE TRONI SVPERI DET GAVDIA DONI.

In base insculptum est:

ROLANDO ET AYCARDAE INDOLIS OPTIMAE, ROLANDINVS PLACIOLA FILIIS SARCOPHAGVM.

Supra pinnaculum sepulchri legitur hoc distichum:

PRAETER AMARE DEVM, CVM CAETERA DELEAT AETAS,
HIC SERE, QVOD PLENA POSTMODO FALCE METAS.

De Aycardino Alvaroto.

Inter antiquos jureconsultos collocandus est etiam *Aycardinus Alvarotus*, nobilis *Patavinus*, nec non *Alvarotus* ejus frater, & ipse iisdem studiis deditus: quando ambo familiam *Alvarotam*, simul ac patriam suarum virtutum fulgoribus illustrarunt. *Aycardini* autem consilia, quæ multa scripserat, adducit Grammaticus Neapolitanus *in suis decisionibus* XXXVIII. huncque appellat illustrem doctorem. Hi quidem fratres sicut fuerant in vita & rei & gloriæ communione participes, & in cunctis rebus semper unanimes: ita quoque post obitum elegerunt commune sepulchrum in basilica *D. Antonii* Confessoris: ubi legitur hoc breve epitaphium, cum titulo sequenti:

HOC AYCARDINVS SITVS ATQVE ALVAROTVS IN ANTRO,
INGENTES MERITIS TAM BREVIS VRNA CAPIT.

Ibi paulo inferius legitur:

HOS FRATRES EX VTROQVE PARENTE NOBILES GENERE DE ALVAROTIS AMBOS DOCTORES, ET QVI JVS CIVILE IN HOC STVDIO INGENTI GLORIA DOCVERVNT, VT VNVS QVONDAM ANIMVS, ITA NVNC VNVS TVMVLVS HABET. OCIIT AYCARDINVS M.CCC.LXXXII. DIE XXVII. AVGVSTI: ALVAROTVS VERO M.CCC. LXXXIX. DIE PRIMO OCTOBRIS.

164 ## *De* Jacobo Alvaroto.

Clarissimus juris interpres, & illustris scriptor cum his nobis recensendus est *Jacobus Alvarotus*: qui illustres hos præceptores habuit, in jure civili *Bartholomæum Salicetum*, in jure autem pontificio *Franciscum Zabarellam*: sub quibus (mirabile dictu est) quam brevi evaserit in utroque jure doctissimus, quamque auxerit & scribendo, & docendo civilis & pontificiæ sapientiæ decus & ornamentum. Scripsit enim præter alia egregia opera. In usus feudorum cum repertorio, opus sane præclarum, & à cunctis summopere commendatum. Quod ante quam ederet, frequenti Jurisconsultorum collegio doctrinalibus infulis ornatus, commodata ad id oratione lætus obtulit: ac postea opus illud omnium consensu summa cum gloria, & auctoris, & patriæ in vulgus emissum est, & certatim à cunctis receptum, & in multa exemplaria descriptum: nunc autem multoties impressum, patere vulgo omnibus potest. Obiit *Patavii* ætatis LXVIII. à Christi vero nativitate M.CCCC.LIII. Sepultus est in Basilica *D. Antonii* Confessoris in gentilitio sacello, ubi hoc epitaphium nunc legitur, licet olim aliud legeretur.

JACOBVS ALVAROTVS ALVAROTI F. CIVILIS PONTIFICIIQVE JVRISCONSVLTVS PRIVATIM AC PVBLICE IN RATIONIBVS FEVDORVM EMINENTISSIMVS, IN HOC DELVBRO QVIESCIT.

De Petro Alvaroto.

Addas huic & alterum *Alvarotum Petrum* nomine, clarissimum jure consultum, & in gymnasio *Patavino* in interpretandis juribus Doctorem eximium, & *Raphaelis Fulgosii* clarissimi viri collegam: qui composuit disputationem solennem, quæ incipit: *Exorto incendio Paduæ.* Celebratur is à *Bartholomæo Cepola*, & ab aliis scriptoribus pro excellentissimo Doctore. Scripsit etiam *commentarios super legem rescriptam paragrapho: Si pacto*, digestis. *De pactis:* qui jam impressi, & in vulgus emissi, summopere commendantur. Idem autem tum *Bononiæ*, tum *Patavii* per XXX. & amplius annos legit publice in maxima nominis celebritate. Itidem ex eadem domo claruerunt *Comes* & *Franciscus Alvaroti* ambo, summi ingenii, & eximiæ prudentiæ, & doctrina singulares: qui diu dum per ætatem licuit, tam in gymnasio in interpretandis legibus quam in civitate in providendis publicis negotiis admodum studiosi floruerunt, circa annum Domini M.D.X.

De Jacobo Alvaroto II.

Fulsit inter tot illustria suorum gentilium nomina jampridem *Jacobus Alvarotus secundus*, supra memorati *Comitis* sapientissimi viri filius, unus omnium doctrina, moribus, affabilitate & liberalitate maxime conspicuus, & in hoc nostro gymnasio aliquandiu juris Pontificii interpres clarissimus: cui ego aliquando in ea disciplina operam dedi. Cæterum in exorto bellorum tumultu, relicta patria, & ei vale dicens, cessit armorum furoribus, & *Florentiæ* primum, postea *Ferrariæ*, deinde & *Mutinæ*, per VII. & XXX. annos continuatis magistratibus & honoribus claruit. Tandem *Ferrariæ* adhærens, *Herculi* Duci charus, & à secretis ascitus, vita functus est, & cum maxima funeris pompa (ut decebat) *Ferrariæ* in Æde *D. Pauli* ordinis Carmelitarum cum hoc præclaro elogio sepultus:

JACOBO ALVAROTO JVRECONSVLTO ET EQVITI 165
CLARISSIMO. QVI CVM PER TRIENNIVM AD PRAETVRAM MAGISTRATVMQVE CONSILII JVSTITIAE EVOCATVS FLORENTIAE RESEDISSET, AB ALPHONSO DVCE FERRARIAE III. INVICTISSIMO IN EJVS CONSILIARIVM JVSTITIAE CONDVCTVS. CVM EJVSDEM INTEGRITATEM, AC IN REBVS PER-

PERAGENDIS DEXTERITATEM EXPERTVS ESSET, POST VARIAS LEGATIONES, AD OMNIA EJVS SECRETA CONSILIA ADMITTIT, RECVPERATAQVE MVTINAE CIVITATE, AD EJVS REGIMEN IPSVM PROPONIT: QVAM CVM PER QVINQVENNIVM CVM OMNIVM ILLIVS CIVITATIS MAXIMA SATIS FACTIONE GVBERNASSET, AB HERCVLE DVCE FERRARIAE ILLVSTRISSIMO IN SVVM COLLATERALE CONSILIVM INTRODVCITVR, QVI OPERA EJVS AD SVPREMVM VSQVE VITAE TEMPVS VTITVR, AC DEMVM CVM NIL ALIVD PRAECLARI QVOD IN TERRIS AGENDVM ESSET, HABERET, AD COELESTEM PROVINCIAM ADVOLAVIT.

CONSTANTIA VXOR, AC FILII PIENTISSIMI POS. OBIIT ANNO M. D. XLVI. MENSE JVLIO, AETATIS SVAE ANNO LXXIV.

Huic illustri viro *Jacobo Alvaroto* adhuc tres insigni nobilitate filii supersunt. Primus *Julius* canonicus *Patavinus* jam diu principis *Ferrariæ* apud *Gallorum* Regem legatus: cui (ut audio) est quam gratissimus, & propterea ab eo in *Gallia* Abbatia locupletissima donatus. Alter est *Paulus*, in Republica *Patavina* honoratissimus civis: & dicendo, & providendo, tam in ea re quam in cæteris pietatis operibus ubique promptissimus. Tertius est, *Comes* avitum referens nomen, qui *Ferrariæ* tum suo, tum paterno merito apud illum inclytum principem, totius nobilitatis honestissimum gradum tenet.

De Joanne Vigontia.

Sua quoque singulari doctrina illustris fuit *Joannes Vigontia*, legum Doctor eximius: & divini, & humani juris valde peritus, qui in judiciis forensibus, & in obeundis legationibus pro Republica magni etiam oratoris nomen obtinuit. Qui cum esset facundia, & innata dicendi gratia præditus, suo seculo habitus est præstantissimus orator. Is egit legatum sæpe ad summum Pontificem & ad *Romanorum* Imperatorem & ad diversos Reges & principes, & ad multas Respublicas *Italiæ*. Idem *Vincentiæ*, *Cremonæ*, *Florentiæ*, *Perusii*, summa cum laude & gloria prætor extitit. Veruntamen adeo alieni abstinens, & sui profusus semper & ubique fuerat, ut qui tot honestissimos ac locupletissimos gesserat magistratus (ut alter *Fabricius*) in magna rei egestate consenuerit. Atqui tamen *Ubertini Carrariensis* principis liberalitate nunquam destitutus est, quin in tenui re, per summam copiam, inter cives suos posset honeste versari, & (ut par erat) abundantem satis vitam agere. Obiit senex anno salutis M.CCC.XLII. & honorifice in sepulchro suorum, principis *Carrariensis* munificentia sepelitur.

166
De Bonzanello Vigontia.

Bonzanellus quoque ex eadem familia vir nobilis, facundus, & in pacis artibus, & bellicis rebus expertus, *Patavii*, & ubique terrarum clarus fuit, præsertim ob intimam amicitiam *Francisci Petrarchæ*, cui tanta necessitudine conjunctus fuerat, ut illum in secundis hæredibus scripserit: ex quo satis clarus etiam posteris redditur: sed multo quoque clarior factus est, tum ex compluribus legationibus, quas ad multos Reges & principes obierat, tum etiam ex arte militari, quam sub *Francisco Carrariensi* strenuissime ac magnificentissime gesserat. Quamobrem etsi doctrina juris, & eloquentia multum valuerit: ei tamen *Carrariensium* principum negotiis assidue occupato, scribendi quippiam præclari otium non fuit. De hoc quidem in *Patavinis* annalibus multa præclare gesta leguntur, & propterea

A hic à nobis modo recentiori nota immortalitati merito commendatur. Sepultus est una cum *Nicolao* fratre in Basilica *D. Antonii* confessoris, intra portam meridionalem, in arca marmorea, hoc insigni titulo:

NOBILITAS ANIMI GENERISQVE VIGONTIA MVNDO
NOMINA, QVI JACEO, CLARA DEDERE MIHI.
FIDVS CARRIGERIS, VIRTVTE, PROBATVS IN ARMIS
BONZANELLVS ERAM, QVANDO NECESSE FVIT.
B QVAE DOMVS HAEC? VBI TE INVENI CELEBERRIME FRATER
O NICOLAE: DOMVS NOS TENET ARCTA DVOS.
QVID SVMVS ASPICIAS GRADIENS HOC CALLE VIATOR:
RARVA MORA EST IN TE, CARNE FVTVRVS IDEM.
SEDIBVS ELYSIIS, VT DEXTERA PARTE LOCEMVR,
MENTE VELIS TACITA SOLLICITARE DEVM.

C
De Federico Vigontia.

Ex eadem familia ejusdem scientiæ splendore claruit quoque *Federicus Vigontia*, quem *Baptista Samblasius* impense laudat, & in *tractatu de studio legali*, pro virili sua eum immortalitati commendat.

De Thebaldo Cortellerio.

Nihilo minoris famæ fuit *Thebaldus Cortellerius Patavinus*, Jureconsultus, & orator insignis: & ipse *Carrariensibus* principibus æque fidelis, & admodum gratus: & ob suam facundiam, crebris legationum muneribus pene attritus. Atqui tandem ad *Urbanum V.* Pontificem Maximum à *Francisco* seniore *Patavinorum* principe *Romam* missus, peracto magni oratoris officio, gravissima febre correptus, ad summum honoris fastigium à summo Pontifice salutatur, quod perpaucis contigit: à quo accepta condonatione peccatorum suorum, *Romæ* sanctissime diem suum obiit extremum. Hujus ædes satis amplæ fuerant juxta regiam principum, egregiis titulis à *Carrariensi* principe in meritorum memoriam decoratæ. Quos postmodum titulos, expulsis *Carrariensibus*, uti Reipublicæ *Venetæ* acerrimis hostibus, è saxo prætor jussit exsculpi: ut nunc sola in erasis saxis vestigia maneant. Has ædes egregius vir *Guidotus Cortellerius* ex ea stirpe genitus adhuc possidet, vir amœnissimi ingenii, totique civitati multis nominibus gratus, & ea præsertim gratia, quod in dissolvendis maleficiis spiritibusque pellendis citra suspicionem magicæ superstitionis plurimum delectatur: atque ex eo mihi quoque amicus, & perquam familiaris. Sed, ut ad *Thebaldum* revertamur, ejus ossa in patriam relata cum magna funeris pompa conduntur in sacello speciosissimo ad id sibi ædificato in templo Eremitarum, juxta portam meridionalem, ubi ejus imago in pariete depicta est, & hoc epitaphium in lapidea tabula insculptum:

HVNC MORVM GRAVITAS SENSVS LEGVMQVE CORONA,
PRAEDIDIT HAEC TITVLIS QVEM TEGIT ARCA VIRVM: 167
CARRIGERAEQVE DOMVS LEGATO TVNC MORIENTI,

ET POENAE ET CVLPAE PAPA REMISIT ONVS.
QVEM PROCVL A PATRIA IMMITIS MORS ABSTVLIT VRBE,
SORS MELIOR PATAVO REDDIDIT OSSA SOLO.
TEQVE THEBALDE FLEAT STIRPS CORTELLERIA NATVM,
ORETQVE VT SVPERO GAVDEAT ALMA POLO.

Obiit anno Domini M.CCC.LXX. die XX. Augusti.

De Zilio Casali.

Zilius quoque *Casalis Patavinus* Jureconsultus egregius, in maxima celebritate nominis, in hoc gymnasio nostro *Patavino* jus civile professus est, & in foro summa eloquentia præditus, innocentissime versatus. Hinc censor Reipublicæ factus, in maximo honore, & in magna benevolentia apud omnes ordines fuit. Idem etiam fuisse perhibetur, qui una cum *Francisco Carrariensi* principe *Venetias* profectus, pro componendis pacis legibus inter *Venetum* Senatum, & *Ludovicum Ungariæ* Regem, qui *Tervisium* magno exercitu & maximis viribus acriter obsidebat, effecit tandem, ut compositis rebus, & soluta obsidione, Rex in patriam rediret, & *Veneti* civitate pacifice potirentur. Hujus hominis ossa conduntur in arca marmorea, in sublimi pariete posita ad vestibulum meridionalis portæ Ecclesiæ Cathedralis, hoc incisa epitaphio, anno salutis M.CCC.LXXXIII.

EXIMIVS DOCTOR LEGVM, VIRTVTIS AMATOR,
QVI SPECIE MORVM INSIGNI, ET CVLTVS HONORE
CONSPICVVS PATAVI CIVIS, PATRIAEQVE SALVTI
PROMPTVS AMICVS ERAT, CONSTANTI MENTE BONORVM,
HIC DE CASALI ZILIVS CVM PACE QVIESCIT.
MEMBRA SOLO, CAPITVRQVE POLO QVOD FVDERAT ILLIS.

De Baldo Bonifacio Plombino.

Magnus orator, & eximius Jurisconsultus, & acutissimus legum interpres habitus est sua ætate *Baldus Bonifacius*, cognomento de *Plombino*, qui *Francisco Carrariensi Patavinorum* principi gratus admodum fuit, & in arduis negotiis sæpe probatus, & præsertim in ea legatione ad *Galeatium* Vicecomitem principem *Mediolani*, à quo *Francisci* senioris patris in custodia defuncti corpus dari filio ad sepeliendum facundis precibus impetravit. De hoc autem cum alibi multa abunde referantur, ego tamen hac sola commemoratione contentus, addam id, quod & maximæ laudis apud mortales, & multo majoris meriti apud cœlestes esse certo scio, quod is primus fundavit insigne xenodochium sive hospitale *S. Francisci*, & ditavit: sed postmodum uxor ejus *Sibylla*, tum vivens, tum moriens multo & ornatius & locupletius, (ut inferius etiam dicetur) suis facultatibus ditavit.

De Francisco Cesso.

Quomodo sine gravi piaculo pertransire silentio possem *Franciscum Cessum*, eximium Jureconsultum, ac morum, & totius vitæ integritate conspicuum? qui quum præclara omnia, quæ ab homine provenire possunt, polliceri videretur, subita ac immatura morte præreptus, ingenii sui, quo maxime præstabat, monumentum aliquod præstare non potuit. Id enim indicare videtur ipse titulus sepulturæ, quæ est humi in primis porticibus *D. Antonii* confessoris, ubi licet pedibus contaminatum, legitur hoc epitaphium:

QVEM LEGVM TITVLABAT APEX, PRVDENTIA MVLTA,
ET MORVM GRAVITAS, HAC TVMVLATVR HVMO,
DE CESSO GENITVS, PATAVINA CIVIS IN VRBE,
FRANCISCVS MERITA SCANDIT IN ARCE POLVM.
SAEVIT IN HVNC MORS CRVDA VIRVM FLORENTE JVVENTA, 168
TAM SVBITI CASVS, QVI LEGIS, ESTO MEMOR.

De Joanne Ludovico Lambertatio.

Celebrem quoque fuisse suo tempore *Joannem Ludovicum Lambertatium*, demonstrat *Angelus Perusinus* frater *Baldi* celeberrimi Doctoris: qui in suis consiliis, hunc sibi in consulendo collegam fuisse testatur. Is habitus est sua tempestate primus omnium Doctorum gymnasii *Patavini:* & fuit eloquentissimus orator, & addidit juristarum collegio insignia statuta, quæ adhuc à cunctis inviolabiliter servantur. Quid autem aliud scripserit, ignoramus. Hujus marmoreum sepulchrum adhæret frontispicio Basilicæ domus Dei, ubi conspicitur ejus imago, & legitur hoc epitaphium:

M. CCCC.

ECCE LVDOVICI LAPIS HIC TEGIT OSSA JOANNIS,
PROTVLIT INSIGNIS QVEM LAMBERTATIA PROLES:
QVIQVE VTRIVSQVE TVLIT DOCTOR DIADEMATA JVRIS,
ORATOR MIRVS, FACVNDO TVLLIVS ORE.
OCCVBVIT PRIMA GEMINOS QVA LVCE SVBINTRAT
SOL, DECIES OCTO; POST ANNO LVSTRA DVCENTA.

De Francisco Zabarella *Cardinale.*

Consequens est, ut de *Francisco Zabarella* nobilissimo atque sapientissimo viro dicamus. Verum cum *Petrus Paulus Vergerius*, ejus discipulus ac familiaris, de ejus vita ac morte accuratissimam epistolam, seu epitaphium abunde conscripserit, statui ad majorem dictorum fidem, huc epistolam ipsam ad verbum transferre. Inquit enim: *Etsi hujus tam celebris viri memoria, minime cum lachrymis recensenda est, cujus ut fuit vita omnibus laudibus plena, ita debet esse ejus semper festiva jucundaque recordatio: tamen vel quod eo moriente, tanto lumine privatus est mundus, vel quod docti omnes, & quicunque aliquo virtutis genere valerent, tam benevolum patrem amiserunt, non potest forsitan usquequaque recentis obitus memoria absque dolore & lachrymis fieri. Nosti enim qui erat Franciscus Cardinalis Florentinus: nam & te plurimi faciebat, & diligebat in primis. Ego vero si privatim meum spectans incommodum dolerem, quo nescio an ullum gravius morte cujusquam accidere mihi in vita posset, arguendus non immerito à sapientibus fortasse viderer, qui mea causa dolerem. Nunc vero cum tam communis est ea jactura, ut nullus sit probus, aut virtutis particeps creditus, qui ejus expers existimari possit, si quis eam defleat, veniam fortassis lachrymis datura sit causa* com-

communis. Mihi vero, qui nec erumpentes in me lachrymas continere novi, nec reconditas extorquere, propositum est à lamentis continere, & quæ de illo mihi nunc occurrunt, tibi qui ejus plurima nosti, absque ulla significatione doloris explicare: præsertim cum inutiles sint lachrymæ, quando jam irreparabile damnum est. Lachrymas quidem, & eas non paucas funeri dedi: quoniam ita necesse fuit. Neque enim prorsus cohibere me valui: doloris reliquiæ, si quæ adhuc resident, quotidie rationis imperio diluuntur, benefactorum vero, laudumque memoria apprime perpetua manebit cum vita. Nam illius quidem syncerae mentis, recti animi, suavissimæ conversationis, atque integerrimæ vitæ, quæ mihi per tot annos inspecta sunt, non ante oblivisci, quam mei ipsius potero: non ante eas desinere prædicare, quam me vita deserere cœperit. Florentiæ illum primum novi ante XXX. fere annum, cum ibi studiorum causa versarer, ille vero canonica jura traderet: ubi tanti meriti æstimatus est, ut cum haberet urbs illa plurimos cives, viros præstantissimos, & quovis gradu dignos: tamen hunc alienigenam, atque admodum juvenem, vacante tunc forte Episcopatu, suis omnibus prætulerunt, & in pastorem
169 sibi elegerunt. Quod profecto tam egregium prudentissimæ urbis indicium, & si tunc effectu caruit (summus namque Pontifex ante oblatam sibi electionem, quæ de illo erat, alium jam præfecerat) gloriosius ei fuit, quam illi Episcopatum obtinuisse, qui adeptus est. Ex eo tempore postquam conversari cœpi, & perspexi penitus hominem, majore semper reverentia illum habui. Tanto enim erat ingenio, & tam excellenti virtute, ut cum omni loco, omni tempore se totum cognoscendum exhiberet, semper tamen indies, quo amplius tractabatur, eo major videbatur, & melior. Quamobrem interdum quidem ei domesticus fui, semper autem familiaris: & quem aliquando doctorem habui cum discendis juribus vacarem, eum mihi jugiter amicum optimum, & patrem amantissimum sensi. Romam autem euntem primum comitatus sum, quum tollendi hujus pestiferi schismatis causa consilium daturus vocaretur. Et tunc quidem (ut vulgo ferebatur) promotus fuisset Cardinalis, nisi Bonifacius nonus, qui Ecclesiæ præerat, pridem didicisset magis æstimare pecuniam, quam virtutem, quarum alterius inops erat, alterius opulentissimus. Quum igitur audire ille magis vellet, quo pacto stabiliretur ei Papatus, quam quo schisma de Ecclesia tolleretur, nec pateret via, qua in utrumque bene consuli posset, inutiliter actum est illud iter, quod magna expectatione susceptum fuerat. Totum subinde tempus usquequo denuo in Romanam curiam accitus est, Paduæ natali solo peregit: semper juris canonici professioni addictus, nisi quod interdum munus legationis ad magnos principes ob maximas causas jussu principantium obivit. Duo enim non solum diversa, sed etiam omnino divisa imperia urbs Patavii suo tempore passa est: ea autem de illius sinceritate semper habita est existimatio, ut quisquis esset rerum status, fides ei per maxima apud omnes haberetur, essetque semper unus in primis acceptus & charus omnibus. Quamobrem cum fuisset prioribus temporibus, officio quidem, ac dignitate proximus Episcopo, auctoritate vero & potentia etiam superior: postea mutato rerum statu, in Episcopum Paduanum electus est. Verum non minus laudis tributum est ejus prudentiæ, quod electioni renunciavit, quæ parere suspicionem Venetis poterat, quam justitiæ datum iis, qui eum elegerunt, quum nemo ex omnibus vel melior existimaretur, vel doctior. Et sane cum in cæteras doctrinas, tum maxime in juris prudentiæ studium, & longum tempus, & graves labores impendit. Unde non immerito principatum in ea re, consensu omnium doctorum hominum jamdudum obtinuerat, lateque supre-

A mus haberetur. Verum ne cum voce simul, aut vita, doctrinæ ejus magnitudo deperiret, & ne præsentes tantum, sed & absentes quoque ac posteros doceret, multorum magnorumque voluminum commentarios edidit, videlicet in Decretalibus, & super Clementinas, De horis canonicis, Consilia repetitionesque varias, & alia multa, quæ jam passim divulgata sunt, & habentur in pretio. Quum vero plurimum in docendo jura temporis consumeret, plurimumque in respondendo de causis, quæ ad eum ut consultum juris deferebantur, plurimum quoque in amicorum negotiis laboraret: tamen nullus ei labebatur dies, quo non & aliis quoque disciplinis aliquid impenderet operæ. B Quo studio effecit, ut nulla esset artium, quas appellant liberales, in qua non excellenter saperet, & docere posset: ita ut etiam in quibusdam earum eleganter opuscula scripserit. Naturali vero philosophiæ, & oratoriæ facultati accuratiorem operam dedit, hausitque eas plenius, quod in ea studio & ingenio pronus erat. Quamobrem de natura rerum acutissime disputare poterat, & omnia quæcunque vellet, acuratissime differere. Extant autem ornatissimæ orationes, & plurimæ, quas variis de rebus inter præsentes habuit. Itemque alio volumine elegantiores epistolæ collectæ, quas scripsit ad absentes. C Omnium vero libros oratorum, ac poëtarum, historicorum quoque, qui sunt apud nos cogniti, & habentur in usu, ita diligenter legerat, ut etiam familiares haberet. Nullius enim rei tam diligens fuit, quam temporis non amittendi. Itaque cum in somno totum (ut ita dixerim) tempus elabitur, & est status ille simillimus morti, nec nisi quantum naturæ satis esset ad incolumitatem corporis, indulgebat: de reliquis vero quæ inesse hominibus solent, ut honoris, ac laudis minime respuens fuit, quæ non magis præmia sunt, quam calcar & stimulus laborantibus ad virtutem. Itaque ab omni alia passione, & concupiscentiis carnis prorsus erat alienus, cæterosque, ut ita essent, prorsus sedulo 170
D admonebat. Nam ille quidem quum jura traderet, non minus in literis suos auditores, quam in bonis moribus, & quotidiana vita, ut cum honestate agerent, informabat. Cætera autem quæ sequuntur in eadem epistola de laudibus hujus præclarissimi viri, causa brevitatis pertranseo. In summa vero, docuit is publice jura diu *Patavii* & *Florentiæ*, ita discipulis charus, ut vix ullus unquam pater propriis filiis. Ex hujus schola multi Jureconsulti clarissimi prodierunt, & in primis, qui omnium maximus habetur, *Nicolaus* Abbas *Panormitanus*, qui tot volumina scripsit in jure pontificio, quot alius nemo. E Hunc ergo *Joannes Papa XXIII.* ut doctorum virorum patrocinio se muniret, ad se ascitum, primo in Episcopum *Florentinum* jam alias à populo *Florentino* electum (ut ante dictum est) deinde in Cardinalem æque *Florentinum* appellatum, promovit. Anno domini M.CCCC.XI. Is supra modum suarum fortunarum liberalis in omnes fuit, sed in miserabiles præsertim multo propensius ferebatur: nam ejusmodi homines in primis omni tempore summa cum pietate fovere consueverat. Concilii quoque tempore, prælatos inopes, quos diuturnitate moræ exhaustos norat, omni qua poterat ope sustentabat. F Domi quidem parcus erat, foris vero mutuum contrahens, ut aliorum indigentiæ supplere posset. Multos labores, pericula & peregrinationes, ultra omnes pro congregando concilio passus est. Nam hyeme media per Alpes, quæ *Italiæ* imminent, sedis Apostolicæ legatus, ad *Sigismundum* Imperatorem acturus de congregandi concilii loco, profectus est. *Constantiæ* tandem extincto schismate, concilii ipsius tempore, quum de certo & vero Pontifice creando ageretur, speratus & exspectatus à

cunctis ordinibus Pontifex, octogesimum annum ætatis agens mortuus est, & cum maximo honore exequiarum elatus. Et ne quid deesset officio eorum, quæ certando ab omni genere hominum in honorem funeris congesta sunt, *Sigismundus* Cæsar qui eum plurimi faciebat, venerabaturque, & vehementer amabat, cum efferretur, comitatus est funus, & eo die omnibus gestis usque ad extremum assiduus interfuit. Hujusmodi profecto exequiæ magno ei vel defuncto ornamento fuerunt: quum præsentia Imperatoris, & totius *Romanæ* Ecclesiæ tanta pompa elatus sit, quanta antea ejus ordinis vix quisquam fuerat. Supremus honoris calculus accessit laudator eloquentissimus illius ætatis *Poggius Florentinus*, qui de ejus laudibus habuit elegantem orationem, quæ extat, & in publicum edita ab omnibus legi potest. Obiit ergo *Constantiæ*, anno salutis M. CCCC. XVII. die VI. Novembris: sed postmodum à suis in patriam translatus, *Patavii* in templo maximo marmorea imagine sepulchro adscita, & sublimi tumulo divorum statuis eleganter ornato, ante beatæ *Mariæ* virginis aram magnificentissime nunc repositus jacet.

De Bartholomæo Zabarella *Archiepiscopo* Florentino.

Bartholomæus similiter *Zabarella*, excellentissimus & ipse juris interpres, & *Francisci Zabarellæ* Cardinalis ex *Andrea* fratre nepos, haud quicquam ferme patruo dissimilis, in quocunque virtutum genere conferas, hic post illum merito collocatur: qui utriusque Juris pariter consultissimus, in Gymnasio *Patavino* diu summa cum gloria Jus pontificium publice docuit. Postea vero *Romam* accitus, ibi cum maxima laude, & disputando & consulendo probatus, in Episcopum *Spalatinum* primo, & deinde in Archiepiscopum *Florentinum* promotus est. Et demum ab *Eugenio* Pontifice Maximo *Romanæ* curiæ Referendarius electus. Verum cum mox ad collegium summorum patrum esset ascensurus, morte importuna præventus, excitatam ex suis admirandis virtutibus expectationem omnium moriens frustratus est. Excessit è vita nondum senex, anno gratiæ M. CCCC. XLV. Ejus ossa ex *Sutrio* ubi mortuus est, *Patavinum* delata, cum patruo in eodem sacello collocantur. Vixit is quidem, quoad vixit, in illa tunc ætate, opinione hominum nulli sapientia aut probitate secundus. Vacavit sedes Episcopalis *Florentiæ* novem integros menses: cum non facile daretur; qui in ea sede tanto viro
171 succederet, suffectus est tandem *Antoninus* ille magnus clarusque miraculis & doctrina, qui innumera edidit librorum volumina: quem in catalogo sanctorum ascriptum universa nunc Ecclesia dicatis delubris & altaribus ob ejus innumerabilia in se merita, jure optimo veneratur & colit.

De Marino, & Marco Antonio, & Francisco Zabarellis.

Habuit hæc domus uno ferme tempore tres insignes Jureconsultos, *Franciscum* scilicet, & *Bartholomæum*, & *Marinum:* illos quidem sacros, hunc vero laicum: qui in consulendo de Jure, & interpretandis publice legibus, sua ætate habitus est doctissimus. Scripsit & is fortasse in his studiis aliquid, etsi ad nostram notitiam minime pervenerit. Extat magnificum hujus viri sepulchrum ex marmore, cum effigie dormientis insculptum, in templo *D. Antonii* Confessoris in pariete ex parte meridionali, ubi hoc epitaphium legitur:

DE ZABARELLIS VRNA HAEC TENET AMPLA MARINVM.
SVSCIPE VIRGO PRECES, ANIMAM IN TVA REGNA REPONE:
DA LEGVM ET CANONVM FESSAM TVTA ARCE MORARI.

Ibidem.

MARINO ZABARELLAE SENIORI JVRISCONSVLTO MAXIME MEMORANDO, OB IDQVE INDIGNO CVJVS SEPVLCHRVM TANDIV MALE NEGLECTVM IGNORETVR, GRATA POSTERITAS H. M. RESTITVIT. OBIIT ANNO M.CCCC.XXVII.

Ornat hanc quoque pari decore domum nunc *Marcus Antonius Zabarella*, clarissimi equitis *Joannis* omni cum honore mihi nominandi Filius excellentissimus Jurisconsultus, & publicus aliquando in hoc gymnasio nostro pontificii Juris interpres: qui & orator superioribus annis missus *Venetias* ad gratulandum novo principi *Francisco Donato*, habuit de more elegantem orationem, quæ postea magna cum illius laude in manus hominum edita pervenit. Verum quid is in posterum edendum paret, non est nostrum polliceri: ab eo tamen non nisi egregium quippiam expectandum est, quod se suosque majores æque deceat. Ad decorandam modo eandem familiam, expectatur quoque major ætas *Francisci Zabarellæ*, Archipresbyteri Ecclesiæ nostræ *Patavinæ:* qui adhuc admodum juvenis in eo ordine ita se habet, religione, moribus & doctrina, ut à suis majoribus nullatenus degener fore videatur. Faxit Deus, ut diu vivat, & rectius valeat.

De Ludovico Cortusio.

Non mediocri fama viget nomen *Ludovici Cortusii Patavini*, Jurisconsultissimi: qui sua ætate, veluti reconditorium Juris fuit. Hic præclarum opus, quod inscribitur *Repertorium Juris*, ingeniose, & non sine maximo labore omnium primus confecit: cujus adminiculo quivis Juris studiosus parvo negotio universas causas sub oculis, pro voto velut in tabella picta habere potest. Pro hoc autem invento, quantum ei debeant ejusmodi disciplinæ tyrones, ac plerunque etiam veterani, nemo ignorat: ea præsertim tempestate, & in illa maxima librorum penuria. Atqui modo, ex nova & artificiosa librorum imprimendorum inventione, locupletatis studiis, id opus ferme antiquatum esse omnino videtur: quando nunc ab eo, veluti ab uberrimo fonte innumeri pene in ea re indices in magna volumina, veluti rivuli majores in lucem prorupe- rint, & parvo nunc pretio comparantur. Scripsit præterea multa, quæ à paucis habentur, & inter cætera *Repet. super l. Imperium*, *l. Moræ*, 172
l. Edita, *l. Posthumo*, *l. Precibus*, & multas alias, ut scribit *Antonius Porcellinus.* Is enim fuit in hac nostra *Patavina* academia eximius juris interpres, & magni nominis vir, & ubique terrarum sapientiæ laude celebratus. Is moriens, contra communem mortalium morem, ex testamento interdixit suis propinquis lachrymas, & solitas funerum lamentationes, *Ennii* summi vatis exemplo: & quæcunque lugubria solent ad mœstitiam parari, abesse prorsus voluit, addita etiam ex legato gravi mulctatione hæredi, si id facere neglexisset. Contra vero pro his acciri jussit musicos, cantores, & citharœdos, & tibicines omnis generis, qui vario concentu una cum clero funeris pompam partim præirent, partim sequerentur usque ad quinquaginta: quibus singulis mercedem dimidii aurei nummi dandam statuit. Et quod

quod duodecim puellæ innuptæ, amictæ viridibus pannis, feretro subirent, usque ad templum, ubi se sepeliendum mandaverit: quæ omnes pariter de more lætantium, quæcunque vellent, modulantes alta voce concinerent, relicta singulis certa pecuniæ quantitate, dotis causa. Is sane ratus, quod *Thraces* olim, quorum institutum *Valerius Maximus* plurimum commendat: qui luctuosa puerperia esse putabant, & læta funera, quando illa initium laboris essent, hæc finis. Et idcirco (auctore *Macrobio*) defunctos ad sepulturam prosequi cum cantu plurimarum gentium instituta sanxerunt. Sepultus est in Æde vetustissima *S. Sophiæ*, centum funalibus incensis, & viginti integris dandis universo clero *Patavino*, qui longo ordine præcedebat, & cum eo omnis cucullatorum conventus, exceptis Eremitanis, quos testamento cavit, ne funeri suo ullo pacto interessent, ne sua fortassis illa (ut arbitror) nimia cucullarum nigredine, hilaritatem exequiarum interim funestarent. Obiit anno salutis M. CCCC. XVIII. XVI. Calend. Augusti. Extat hujus monumentum à læva templi ad Occidentem sublime in pariete cum hoc epitaphio:

ASTRA LVDOVICVS SCANDENS HOC MARMORE CLAVSVM
ME LIQVIT, BVSTVM, CARCER ET EJVS ERAM.
COGNOMEN PATAVI CONCESSIT CORTVSIORVM
STIRPS: LEGVM ET CANONVM DILVCIDAVIT OPVS.
AMBORVM MIRANDA JVRA VOLVMINE PARVO,
STANT ALPHABETO NOMINE NOTA SVO.
ERGO GALASIAE RADIET IN ZONA MARIAE.
FVNDE PRECES PIE.

De Otonello & Aloisio Discalciis.

Otonellus *Discalcius* sua ætate extitit jureconsultus clarissimus, & in legibus interpretandis Doctor peritissimus. Is principibus *Carrariensibus* summe gratus, & multis legationibus & honoribus à *Francisco* juniore decoratus. Hunc imitatus est ejus abnepos *Aloisius Discalcius*, doctissimus Jureconsultus: qui & ipse ubi publice in hoc *Patavino* gymnasio multos annos jura civilia cum summa laude professus est, *Venetias* profectus, ibi in eo foro ad omnes magistratus neque eloquentia in differendo, neque sapientia in consulendo, cuiquam cessit. Atqui senio ingravescente, in patriam reversus, *Antonium Discalcium* filium, insignem Jureconsultum, nihilo sane minoris famæ, *Venetiis* in eo foro sibi suffectum, & clientelæ, & præclari nominis hæredem reliquit. Ipse autem studiis amœnioribus (quatenus à consiliis litigantium, & à Reipublicæ negotiis vacare licebat) suaviter incumbens, eruditionem nepotum, & familiæ commoda studiose procurabat. Obiit anno a partu Virginis M. D. LIII. paulo post quam doctoratus insignia cum magna lætitia *Otonello* nepoti de more publice ipsemet dederat. Atqui etiam eodem anno infra sex menses defunctus est, & *Antonius* filius, cum maxima jactura *Veneti* fori, & patriæ, quum esset maximo utrique decori. Ambo sepulti cum antiquo *Otonello* humi in Basilica Eremitarum, ubi vetus hoc epitaphium visitur:

173 AVREA JVRA TVI REQVIES POSTREMA LABORIS,
LEGIS AMOR, VERI LVX, OTONELLE, SEQVACIS
CVJVS ERIT? PARITER GRAVIS HIC LAPIS OSSA VORABIT
CONSORTIS, ET TE, CVI NOMEN DISCALCIVS ERRAT.

SEPVLCHRVM EGREGII LEGVM DOCTORIS DOMINI OTONELLI DE DISCALCIIS, DE PADVA, IVDICIS EIVSQVE CONSORTIS, ET HAEREDVM SVORVM, CONSTRVCTVM M. CCCC. III. DIE XI. SEPTEMBRIS.

De Rambaldo Capivacio.

Maximi nominis olim fuisse comperio *Rambaldum Capivacium*, virum ingenti sapientia præditum, & peregregium jureconsultum, armorumque & militiæ peritia strenuum. Hinc factum est, ut cum *Florentina* Respublica perniciosis admodum seditionibus laboraret, & jam populo à Senatu disjuncto, multitudinis arbitrio Respublica ageretur, hunc sibi prætorem delegerit: qui magna sua sapientia, ausuque, & consilio, & eloquentia singulari, ita in ea re se habuit, ut quod videbatur à plurimis fieri non posse, unus quidem vel solus optime confecerit, ut scilicet Senatus, cum plebe summa concordia conveniret. Ei propterea ultra laudes & ingentia munera, *Florentina* Respublica in memoriam facti, pro insigni munere florem ei deferendum ad insigne proprium addidit: qui flos lapideus adhuc visitur in ædibus antiquis gentis hujus, intra mœnia civitatis, ad sanctum *Laurentium*: quas modo instauravit, & multo speciosiores reddidit, nobilis vir *Cardinus Capivacius*. Hujus autem præstantissimi viri sepulchrum cernitur in Æde *D. Mariæ* servorum cum ejusmodi epitaphio:

HIC SITVS EST INGENS DOCTOR RAMBALDVS VTROQVE
IVRE NITENS: VERI CONSTANS ZELATOR HONORIS,
MILITIAE SPECVLVM, VACAE CAPVT INCLYTA PROLES:
SVB CVJVS REGIMEN VOLVIT FLORENTIA PLEBEM.

De Bartholomæo Capivacio.

Bartholomæus similiter *Capivacius*, sua ætate insignis jureconsultus, & publicus professor legum fuit, magnique & ipse nominis in omnibus *Italiæ* gymnasiis. Scripsit in jure civili quædam scitu digna, quæ extare dicuntur. Consuluit olim cum *Baldo*, & *Paganino Sala*, illustribus jureconsultis, & ea ætate celeberrimis. Legitur hujus consultum contra *Ricardum Malumbram in volumine* III. *Consiliorum Baldi*, *consilio* CCCC. XIX. Floruit circa annum M. CCC. L.

De Prosdocimo Comite.

Refulsit etiam clari nominis splendore non in hoc tantum *Patavino* gymnasio, sed etiam in universa *Italia*, atque in tota plane *Europa Prosdocimus Comes*, ex antiqua & nobili *Comitum* progenie: qui dum pontificias sanctiones publice traderet, præclaram nominis famam tam docendo, quam scribendo est consequutus. Multa enim ingenii sui monumenta extant, quæ transmissa ad posteros, ubique leguntur. Edidit multos tractatus accuratissime in utraque facultate: & in primis tractatum differentiarum Juris civilis 174
& canonici, & De consanguinitate & affinitate, qui habentur impressi. Consuluit cum *Raphaële Fulgosio*, & cum *Paulo Castrensi* suis collegis: scripsit super *Sextum Decretalium*: & ab *Antonio Corseto* appellatur Doctor solennis, & ab *Angelo Ubaldo* vocatur famosissimus. Hic autem sepultus est in templo *D. Antonii* confessoris in sublimi sepulchro in parte septentrionali, in nobili sa-

ſacello majorum ſuorum, ubi & *B. Lucas* pariter requieſcit.

De Joanne Franciſco, & Gabriele & Joanne Frederico, & Bartholomæo, Capiliſtiis.

Huic merito ſubnectendus eſt præcipuum ævi ſui decus *Joannes Franciſcus Capiliſtius*, nobilis eques & comes, pontificii & civilis Juris peritiſſimus, & orator facundiſſimus: cui diuturna & eximia æmulatio per triginta tres annos, in *Patavino* gymnaſio fuit cum his collegis excellentiſſimis, *Paulo Caſtrio*, & *Jacobo Saliceto*, & *Raphaele Fulgoſio*. Huic præter docendi laudem multiplex etiam legatio accrevit claritudinem & gloriam, patriæ vero & familiæ peperit immortalitatem. Is namque in concilio illo celeberrimo cœpto *Baſileæ* anno M.CCCC.XXXI. pro *Venetis* primo, deinde M.CCCC.XXXIIII. rurſum pro *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, qui tunc ejuſmodi concilium multis de cauſis recuſabat, perquam inſigni legatione utrobique functus eſt. Ubi itaglorioſe ſe habuit, ut ea à Pontifice Maximo & à *Sigiſmundo* Imperatore in perpetuam tam magnificæ rei a ſe geſtæ memoriam, & equitatus & comitatus ornamentis, & præclaris muneribus una cum omni ejus poſteritate in perpetuum fuerit decoratus. Hujus viri præſtantiam *Platina* elegantiſſimus hiſtoricus in vita *Eugenii*, & ſcriptores plerique alii cum magna patriæ noſtræ gloria meminere. Is à Senatu *Veneto* miſſus eſt ad principem *Mediolani*, pro componenda pace, & poſtea iterum pro conſtituendis finibus: ubi glorioſiſſime & pro voto Senatus rem geſſit, ſeque utrique parti gratum admodum reddidit. Suſcepit is ex uxore nobiliſſima tres filios, non magis paternarum facultatum, quam virtutum hæredes, *Raphaelem* canonicum *Paduanum*, & *Franciſcum*, & *Gabrielem* jure conſultos inſignes. Quorum alter *Franciſcus* ſcilicet præter legalem ſcientiam, quam in hac *Patavina* academia XL. annos publice profeſſus eſt, poëticis quoque erudimentis, in quovis carminum genere valde excelluit. Legi enim ejus epigrammata, & elegias cultiſſimas. Cecinit quidem in eo genere pleraque admiranda felicitate: ita ut niſi docendo, & conſulendo, ac reſpondendo de Jure, ac multa etiam in ea civili facultate ſcribendo, ingenium occupaſſet ſuum, haberemus præter antiquos illos *Stellam Flaccum*, & *Voluſium*, novum, nec minus illuſtrem poëtam. Scripſit enim multa volumina in utroque Jure, præſertim in ſecundo Codicis, ut teſtantur *Bertachinus*, & *Baptiſta Samblaſius* ejus diſcipuli, & *Cepola* in ſuis conſiliis. Habentur ejus lectionum quatuor volumina. Huic frater fuit *Gabriël*, & ipſe egregius Juriſconſultus, & eques ac comes nobiliſſimus, & aliquando *Romæ* per aliquot annos ſenator illuſtris. Qui præter laudes cæteras, quibus in tota vita maxime enituit, ob *Bononienſem* præturam, quam magnificentiſſime geſſit, habitus eſt omnium illius temporis, tum æquitate, tum liberalitate maximus. Scripſit & is fortaſſe multa: ego autem id tantum ſcio, quod dum *Bononiæ* prætorem ageret (ut *Modeſtius Polontonus* ſcribit) collegit clariſſimorum virorum nomina in ea urbe jacentium, atque pro ſingulari illius urbis laude ad illorum memoriam celebrandam, literis, memoriæque mandavit. Excelluit ex ea quoque familia Jureconſultus eximius *Joannes Federicus*, Doctor & comes, quem legimus in conſiliis *Bartholomæi Cepolæ*, conſilio LIII. immortali memoria celebratum: & fuit præceptor *Bertachini* clariſſimi ſcriptoris, ut ipſemet *Bertachinus* fatetur in ſuo *tractatu de Gabellis*. Ejuſdem quoque diſciplinæ ſplendore refulſit & *Bartholomæus Capiliſtius*, Jureconſultus inſignis, qui vixit uſque ad decrepitam ætatem, & docuit in hoc gymnaſio *Patavino* annos XXXIII. & in Republica ſemper inter primos habitus. Obiit a partu Virginis M.CCCC.LIX. Hi omnes ſepulti ſunt in Baſilica *D. Antonii* confeſſoris in ſepulchro majorum ſuorum poſt aram maximam.

De Angelo Buzzacharino.

Magnæ fuit ſcientiæ & ſapientiæ *Angelus Buzzacharinus*, clariſſimus Juris interpres: qui *Patavinam* academiam (quandiu vixit) ſuis conſiliis & expoſitionibus illuſtravit, & ex eo in tota *Italia* fuit ea tempeſtate notiſſimus. Scripſit pleraque multa, quæ poſterorum negligentia, & injuria temporum (ut multis aliis ſcriptoribus ſæpe accidit) vel non habentur prorſus, vel ſi extant, ſub aliorum nomine (ut plerunque fit) ſuppoſita titulo ementito leguntur. Is in bona ſenectute ſcholas & forum declinans, humanioribus atque ſacratioribus literis ſeſe tradidit, & domi in eo tranquillo otio poſtea ſibi vixit, ab omni prorſus ambitione & cupiditate ſemotus. Hujus cineres conditæ ſunt in templo *D. Antonii* Confeſſoris in ſepulchro ſuorum ſub hoc titulo:

ANGELO BVZZACHARINO VTRIVSQVE IVRIS INTERPRETI EXCELLENTISSIMO, SALIO IVRECONSVLTVS FRATER POSVIT.

De Bernardo Buzzacharino.

Subſecutus eſt ex eodem genere *Bernardus Buzzacharinus*, vir maximi ingenii, & ſingulari utriuſque juris ſcientia præditus: qui in magna nominis celebritate, & hic in patria academia, & foris in univerſa *Italia*, tam Cæſareas quam Pontificias leges publice diuque interpretatus eſt. Quid autem in ea re ſcripſerit, nihil mihi hactenus conſtitit: & ſi multa fortaſſe ſcripſerit, quæ vel non edita vulgo ſunt, vel quæ omnino neſcimus.

De Arcuano Buzzacharino.

Succeſſit in iiſdem ſtudiis ex eadem gente hac noſtra ætate *Arcuanus Buzzacharinus*, juvenis ſummæ expectationis: qui in primis annis interpretandis inſtitutionibus præfectus, cunctis admirabilis fuit. Sed heu infelicem hominis ſortem, maxima jam de ſe ſpe concepta, immatura morte, cum maximo omnium mœrore à ſcholis, à patria, à ſuis, & à mundo denique ſublatus eſt: anno ſalutis M.D.XL. & ſepulchro inter ſuos majores conditus.

De Leone Lazara.

Leo *Lazara* vir fuit Juriſconſultiſſimus, & in gymnaſio *Patavino* eximius legum interpres, & Doctor ſuæ ætatis celeberrimus. Hujus ſapientiæ meminit *Angelus Caſtrius* in concilio L. Ejus ſcripta notariorum defectu, vel poſterorum incuria puto periiſſe: fama tamen illius ſingularis ſapientiæ viget, & immortalis exiſtit.

De Michaële Maroſtica.

Similiter eadem tempeſtate floruit clariſſimus legum interpres, *Michael Maroſtica Patavinus*, in Jure civili & pontificio peritiſſimus: de quo idem *Angelus Caſtrius* ſupra memoratus, in prædicto concilio celebrem memoriam dereliquit.

De

De Bartholomæo Bulleo.

Etsi, quod sciam, nihil memorabile scripserit *Bartholomæus Bulleus:* clarum tamen honore militiæ, & legum disciplina: & æquitatis sanctitate fuisse constat: utpote qui accitus à *Florentinorum* Republica *Florentiæ* insignem magistratum gessit. Is sepultus est in Æde *D. Andreæ*, ubi incisum est hoc elogium:

176 SEPVLTVRA EGREGII MILITIS, ET LEGVM DOCTORIS, DOM. BARTHOLOMAEI DE BVLLEIS. OBIIT EXIENS CAPITANEVS FLORENTIAE, M. CCCC. XXIII.

Legitur de hac familia, & de altero *Bartholomæo*, in atrio domini *Antonii* Confessoris hoc satis lepidum distichum:

NOSSE SEPVLTVRAM POTERIS SPECTANDO FIGVRAM
CORPORIS HVIVS REI DE BVLLIS BARTHOLOMAEI.

De Petro Barbobo, *seu* Sonzinio.

Non mediocris existimationis, sed inter præcipuos juris interpretes sui seculi, habitus est *Petrus Barbobus*, clarissimus jureconsultus. Scripsit super *Digesto veteri*, & *sexto Codicis*, quæ audio apud nonnullos extare. Hunc *Cepola* in suis Consiliis honorifice citat, & ejus nomen cum aliquo doctrinæ præcellentis elogio semper appellat. Docuit is publice Jus civile in patria annos viginti octo: claruit circa annum à Christi natali M. CCCC. LV.

De Paulo Dotto.

Paulus quoque *Dottus*, doctissimus Jureconsultus, hic in nostro gymnasio inter insignes Canonistas & Jureconsultos illustri fama sua ætate præfulsit. Scripsit enim in Jure canonico teste *Bartholomæo Cepola* multa digna lectu: & præsertim super *Decretales*, incipiendo à *Titulo De judiciis*, edidit magnum volumen, quod existimo apud multos extare, licet nondum (quod sciam) publice omnino vulgatum. Leguntur hujus subscriptiones in Consiliis *Raphaelis Fulgosi*, & *Raphaelis Cumani*, & aliorum doctissimorum virorum, quorum tempore floruit.

De Joanne Sanlazaro.

Scripsit etiam *Joannes Sanlazarus*, Juris utriusque doctor eximius, in *Titulum De judiciis digestorum*, quæ extare dicuntur. Prælegit in gymnasio *Patavino*, maximo scholasticorum consessu, extraordinariam ordinariarum juris civilis: & propterea olim ab aliis, & nunc à nobis hic non immerito celebratur.

De Lauro Pallazzolo.

Elucet adhuc clarum nomen *Lauri Pallazzoli Patavini*, qui Academiam, simulque & patriam mirum in modum suis inter legendum interpretationibus, & eruditis lucubrationibus exornavit. Edidit cultissimam *repetitionem in l. Pacta conventa*, digestis *De contrahenda emptione*, & quædem necessaria ad *tractatum Feudorum*. Item *repetitionem legis*, In quorum, digestis *De pignoribus*. Item *repetiit* disertissime *paragraphum Cæterum. Instituta de Successione agnatorum*. Insuper edidit præclarum tractatum, *Ut extantibus masculis fœminæ non succedant*. Qui quidem omnes tunc habentur impressi, & ab omnibus summopere commendantur. Alia quoque multa scripsit alicubi extantia: quæ aliquando fortassis edentur. Floruit anno Domini M. CCCC. XL.

De Francisco & Joanne Verzelesiis.

Franciscus quoque *Verzelesius Patavinus*, Juris utriusque consultus, scripsit super *Sextum & Clementinas insignes commentarios*, qui dicuntur extare. Simili quoque nominis gloria, floruit *Joannes Verzelesius* clarissimus & ipse doctor, qui ordinariam prælectionem Juris canonici, in eodem gymnasio cum summa scholasticorum frequentia diu prælegit, consuluitque cum *Cepola*, & habitus est doctissimus.

De Francisco Porcellino. 177

Ejusdem plane nominis atque professionis fuit *Franciscus Porcellinus*, egregius doctor, miles, & comes insignis: qui maxima celebritate nominis hic & in patria, & *Ferrariæ* publice Jus pontificium & civile docuit annos XXXVIII. & sæpe consuluit cum *Paulo Castrensi*, & *Bartholomæo Cepola*, ut legitur in eorum Consiliis. Edidit quoque *methodum De conficiendo inventario*, & insignem *tractatum de duobus fratribus*. Scripsit super *secundum Digesti novi:* & *super titulum Soluto matrimonio*, & *De verborum obligationibus:* & magnum *volumen Repetitionum*, *Tractatuum* & *Consiliorum*. Quæ omnia extare dicuntur: & partim etiam vulgo edita, & æneis characteribus impressa. Is fuit præceptor *Baptistæ Samblasii*, Jurisconsulti clarissimi, ut in tractatu *De privilegiis dotalibus honoris gratia* ipsemet *Baptista* commemorat.

De Antonio Porcellino.

Minime hoc loco hujus nepos *Antonius Porcellinus* silentio supprimendus est, & ipse equestris ordinis vir, & insignis Juris utriusque consultus, simulque orator clarissimus. Hic diu Cæsareas leges publice docuit. Et ad gratulandum novo principi *Venetiarum Andreæ Grito* orator electus, & ad Senatum pro pace cum hostibus inita: & ad Cardinalem *Pisanum* pro felici ingressu, ad *Patavinum* Episcopatum. Quas postmodum elegantissimas orationes non sine summa nominis gloria publicavit. Scripsit fortassis alia de Jure, in quo versatus est, quæ ob immaturam ejus mortem cum ipso pariter extincta sunt. Addidit in libello collegii Jurisconsultorum scholia quædam notabilia, & memoria dignissima. Vixit annos plus minus XL. Obiit M. D. XXIX. in Ædem *S. Georgii* in sepulchro majorum elatus.

De Angelo Castrio & Nicolao *filio*.

Noster item civis est, & *Patavii* auspicatissime natus, & educatus, & ingenua posteritate in hunc diem feliciter propagatus, *Angelus Castrius*, clarissimus jurisconsultus, eques, & comes, & advocatus consistorialis egregius: *Pauli* illius *Castrensis* viri clarissimi filius. Hujus consilia in universis gymnasiis, & in foro præ manibus doctorum ac advocatorum omnium quotidie volutantur: utpote, quæ in hujusmodi disciplina civilis sapientiæ, & in omnibus causis, præcipua rudimenta habere noscuntur. Huic filius *Nicolaus*, canonicus noster *Patavinus*, & ipse in utroque jure præstantissimus, ac paternæ virtutis prorsus æmulus, quum & *Bononiæ*, & *Papiæ*, & hic in patria demum in publicis scholis aliquandiu Pontificii juris scientiam magna sui no-

nominis gloria fuerit interpretatus. Is avo & patri æneas statuas in Basilica Servorum sanctæ *Mariæ*, magnificis titulis collocandas curavit: & si tantorum virorum memoriam è mundo ne Lethe quidem tota abolere unquam posset. Horum epitaphium inferius habetur in appendice hujus operis, in quo de sepulchris & epitaphiis externorum tractabitur.

De Michaele Miliaria.

Celebratur item inter eximios Jurisconsultos eximius utriusque Juris professor *Michael Miliaria*, vir acutissimo ingenio, & scientia non vulgari: qui publice in gymnasio *Patavino* multos annos civilia jura interpretatus est: quique in ea facultate præclara quædam composuit, quæ apud illustrem ætatis nostræ Jurisconsultum *Marcum Mantuam* adhuc extant, & ab eo non mediocriter commendantur. Tumulatus est humi in Basilica *D. Francisci* in sacello ad Occasum, elogio ita corroso, ut omnino legi nullo modo possit.

178 ## *De* Bartholomæo Gloria.

Nihilo minoris famæ extitit *Bartholomæus Gloria:* qui maxima eloquentia, & interpretandarum legum peritia præditus, à cunctis & sapientissimus Jurisconsultus, & facundissimus orator habitus est. Atqui is (ut refert Baptista Samblasius in *tractatu De legali studio adipiscendo*) ingenio fuit singulari, ac de suo sane gentilitio nomine merito *Gloria* appellatus: quando vel propria eruditio, quod nullis unquam divitiis consecutus esset, tale ei meritum nomen attulerit. Porro verisimile est, hunc talem tantumque virum egregium quidpiam sui ingenii monumentum reliquisse: sed aut suorum negligentia, aut sublatum furto, aut alio aliquo infelici casu periisse.

De Francisco Bradiolo.

Hoc autem amplius de *Francisco Bradiolo* pro certo dicitur, quod is quo famam suam cum docendo, tum consulendo multo illustriorem redderet, super *sextum Decretorum* doctissime scripserat, quod alicubi extat: licet quicquam aliud non habeamus hactenus pro comperto.

De Daniele Rido.

Anno à natali Christi M. CCCC. floruit *Daniel Ridus*, maximus Juris interpres, qui in hoc nostro *Patavino* gymnasio multos annos Jus civile publice docuit. Quid autem ex sua illa doctrina præter hanc famam reliquerit, non satis constat.

De Thoma Genuario.

Per hæc ferme tempora in eadem academia claruit eximia legum peritia *Thomas Genuarius:* qui longo tempore publice cum magna nominis gloria, in interpretandis legibus versatus, & in curia, & in foro, & in omni genere legalis doctrinæ præstantissimus, hic inter illustres Jureconsultos non infimum locum tenet.

De Antonio Santangelo.

Addas huic *Antonium Santangelum*, Juris utriusque consultum, & clarissimum legum & canonum interpretem, & in *Patavino* gymnasio, & in tota *Italia* celeberrimum. Docuit is annos XXXVI. floruit circa annum M.CCC.XXXV. Scri-

A psit super legem, *Si insula m. Digestis de Verb. obligatione.* Dictus est solennis doctor, sicut *Baptista Samblasius*, in tractatu *De legali studio adipiscendo* confirmat.

De Medio Comite.

Quam clari nominis in eodem studii genere futurus erat, si supervivere diutius licuisset, *Medius Comes*, è nobili illa *Comitum* familia ita nuncupata, elogium super ejus tumulum incisum indicat, quod est humi in templo Eremitarum: anno domini M. CCCC. III:

B HEV DECVS, HEV PIETAS VTRIVSQVE HEV GLORIA IVRIS,
HAC MEDIVS COMES DOCTOR SEPELITVR IN VRNA.
QVI SVA CLAVSISSENT SI TARDIVS HORA SORORES,
MAXIMVS ITALICAS FAMA VOLITARET IN VRBES.

Ex hac progenie fuit *Joannes Parisinus de Mediis Comitibus*, qui testamento fieri mandavit claustrum Cathedralis Ecclesiæ, sicut ibi in saxea tabula legitur: anno M. CCC. X.

C ## *De* Belforte Chechileo. 179

Commendatur etiam per ea tempora legum peritia, & insignis interpretatio *Belfortis Chechilei:* qui multos annos in patrio gymnasio Jus civile tanta cum laude exposuit, ut habitus fuerit optimus omnium sui temporis (ut eorundem vocabulo utar) textualis. Quid autem hic scripserit aut ultra fecerit, ignoramus.

De Antonio Sanlunardo.

D Claruit subinde sua ætate tam publice quam privatim, nôn mediocri fama celebratus *Antonius Sanlunardus*, jureconsultus in docendo elegantissimus, & in respondendo consultissimus: quem tantæ fuisse memoriæ fama est, ut fere leges omnes, & cum his glossas, & interpretationem super his scribentium ad verbum pene quum opus esset, memoriter referre posset. Quid vero ea tanta memoria effecerit, nihil nobis adhuc constare pro certo potuit.

De Joanne Prato.

E Est subinde hic modo à nobis *Joannes Pratus* inter Juris utriusque peritos non infimo loco ponendus: qui fuit interpres legum acutissimus: & multos annos non sine laude summa publice jus canonicum & civile prælegit. Scripsit quamplurima, quæ adhuc extare audio. Lecturam ejus super secunda Digesti veteris. Floruit circa annum domini M.CCCC.LIX.

De Christophoro Alexandrio.

F Hac eadem ætate Jureconsultus insignis, ac vir bonus, & probatissimæ vitæ fuit *Christophorus Alexandrius*, qui floruit circa annum salutis M.CCCC.LXX. Quid autem per ea tempora scripserit, hactenus nusquam legi.

De Antonio Turcheto.

Novi puer ac jam fere adultus *Antonium Turchetum* Jurisconsultum multo senio confectum, Juris utriusque consultissimum, & oratorem eloquentissimum. Qui & in scholis permultos annos docendo, & domi consulendo vehementer sua ætate præcelluit. Verisimile quidem est

est hunc, cum esset doctissimus, simulque eloquentissimus, aliquid omnino dictasse, ac studiorum suorum memorabile quippiam reliquisse. Sed quia ultimus gentis suæ fuit, interiisse arbitror quæcunque scripserat: præter consilia quædam, quæ extare dicuntur: & luculentam orationem, quam habuit missus ad *Nicolaum Tronum* novum ducem *Venetiarum* gratulatum, pro Republica *Patavina*, in qua tanta suavitate dicendi usus est, & tanta sententiarum gravitate, ut cum ea à cunctis quotidie ardenter exposceretur, coactus fuerit illam vulgo descriptam edere, ac impressoribus tradere, ut ab omnibus legi possit: cujus ego lectione mirifice delectatus sum, apprime testans, hunc vel maxime meritum, ut hic inter cæteros gymnasii nostri proceres locum haud infimum sortiatur. Obiit ultimo senio confectus, anno D. M.D.V. die XIV. Sept. & in templo D. *Antonii* Confessoris in sacello, & sepulchro majorum honorificentissime tumulatur.

De Petro *Stalpo.*

Non est ullo pacto honore debito fraudandus hic *Petrus Stalpus*, utriusque Juris professor doctissimus: qui præter alia, quæ fortassis scripserat, redegit in unum veluti acervum, & cum debito ordine diposuit *Singularia Ludovici de Roma.* quod studium ab omnibus certe, qui livore carent, mirifice commendatur.

De Joanne Baptista Samblasio.

Habuit etiam hæc nostra civitas inter tot illustres Jurisconsultos doctissimum virum *Joannem Baptistam Samblasium*, qui sua tempestate, & hic *Patavii* in scholis, & in foro, & foris in diversis *Italiæ* urbibus inter præstantissimos quosque viros ubique legali sapientia fulsit,
180 & tunc post mortem etiam multo amplius nominis celebritate resplendet. Fuit enim suis temporibus vir doctrina, ingenio & memoria pene singularis, discipulus quidem *Pauli Castrensis*, sed peritia pene æqualis. Extant ejus præclarissima monumenta, certissima sane indicia summæ hujus viri sapientiæ: ex quibus facile conjici potest, hunc unum nulli antiquorum, vel recentiorum jurisperitorum, aut in scribendo, aut in docendo, & in quovis studiorum genere posthabendum. Edidit pulchras repetitiones, & valde doctas, acutas, graves & copiosas. Item opus egregium *De privilegiis & dotalibus, in usibus Feudorum*, quæ assidue à cunctis jurisperitis præ manibus habentur. Insuper & *arborem effinxit super librum Institutionum Justiniani* valde ingeniosum. Scripsit & pulcherrimum tractatum *De actionibus, & earum natura. De differentia inter arbitrum* & *arbitratorem.* Item *quæstiones de Arbitris*, & *tractatum de Correlativis*, cum esset adhuc in studiis novus tyro, & tantum juris candidatus: anno scilicet ætatis suæ XXI. Composuit etiam *Repertorium ad consilia Angeli de Perusio:* & opus *De legali studio adipiscendo. De contrarietate Juris civilis* & *canonici*: & multas doctas *interpretationes in diversos titulos primi & secundi Digestorum veterum*: ac etiam super *primo & secundo Codicis*, & *duas centurias collectas contradictionum utriusque juris.* Scripsit præterea super *Decretis*, & super *rubrica Decretalium*, & alia denique multa, quæ partim apud plerosque extant, partim jam formis impressa apud omnes magna cum illius laude versantur. Reliquit insuper quædam fragmenta mutilata, quædam vix inchoata, ac fere tantummodo mente comprehensa: quæ si ad finem aliquando perduci potuissent, cunctis sane gymnasiis maximo usui fuissent. Sed (proh dolor) ea

A una cum auctore ejusdem procellæ naufragio perierunt. Is enim (dum esset *Brixiæ* assessor prætori *Dominico Trivisano*, equiti clarissimo, *Marci Antonii Trivisani* inclyti *Venetiarum* principis, qui proximis annis vita functus est, patri, ita oppressus est repentina apoplexia, ut amissa statim voce ne verbum quidem ulterius proferre potuerit. Scripsit tamen prudenter, vel sic affectus, manu propria testamentum, & uxori suæ (quia liberis carebat) substituit ex cognatione sua *Paulum*, & ejus fratrem *de Sartis* de vico *Peraghæ*. Quo facto, acceptis de more sacramentis, mortuus est: anno D. M. CCCC. XCII. VIII. Idus
B Februarii. Hujus nobile sepulchrum *Brixiæ* visitur in Æde *D. Agathæ*, ubi super portam sublimi loco hoc epitaphium insculptum legitur:

BAPTISTAE BLASIO PATAVINO, PONTIFICII CAESAREIQVE JVRISCONSVLTISSMO, PRAETORIO ASSESSORI AEQVISSIMO.
M. CCCC. XCII.

De Joanne Francisco Pavino, *Canonico* Patavino.

C Præstantissimus utriusque juris doctor & excellentissimus Theologus fuit *Joannes Franciscus Pavinus*, civis & canonicus noster *Patavinus:* qui tum docendo, tum consulendo in patrio gymnasio cum maxima nominis celebritate aliquandiu versatus, à summo Pontifice *Paulo II. Romam* ad honestissimum officium judiciorum sacri Palatii accitus est. Qui quidem gradus quam apertum ad summos quosque honores aditum præbeat, nemo ignorat: quando omnibus ferme constat, ex eo ordine doctissimis quibusque viris, ad præclarum purpurei galeri honorem breve & expeditum iter patere. Quod sane decus, & huic propter eximiam ejus doctrinam, & vi-
D tæ integritatem facile contigisset, nisi fata meritæ hominis virtuti adversa improbe obstitissent. Is autem permulta in Jure civili & pontificio scripsit disertissime, quæ edita ubique terrarum avidissime lectitantur. Inter cætera autem quæ extare scimus, legitur insignis *glossa super Extravagantes Joannis XXII.* ab omnibus quam maxime approbata. Edidit insuper *Decisiones Rotæ* à se diligenti studio collectas, & in volumen redactas. Insuper tractatum *De officio & potestate ca- 181
pituli sede vacante*: *De decimis*, *De charitativo subsidio:* & eximium consilium in causa B. *Simonis Tridentini*, ubi late de materia judicii crimi-
E nalis ex ea occasione disseruit. Circumfertur etiam impressum opus præclarum *Visitationum Episcopi.* Scripsit quoque relationem ad Pontificem Maximum *De canonizatione B. Bonaventuræ*, qua manifestissime ostendit, illum dignum fuisse, ut inter sanctos Dei, Ecclesiæ more referatur. Quæ quidem omnia impressa habentur. Item pleraque alia ingeniose commentatus est, quæ apud nonnullos extare perhibentur: & præsertim apud doctissimum jureconsultum *Ottonellum Pasinum*, ex ejus sorore pronepotem, qui habet tractatum super *Novellis Justiniani*, de quibus in commentariis suis *Berthachinus in verbo*
F *Liber*, ita dixit. *Liber Novellarum fuit ordinatus per dominum Joannem Franciscum Pavinum, auditorem Rotæ, cujus lecturam ipse mihi ostendit: sed nondum venit in lucem, & est mirabile opus.* Hæc ille. Extat etiam penes eundem *Pasinum* opusculum alterum, quod inscribitur. *Quodlibet in utroque jure*: eximium sane opus, pro intelligentia multarum difficultatum in multis legibus, & ad acuendum ingenium in omni legali disputatione. Hic tandem fato functus, *Romæ* decessit,

cessit, & ibidem sepultus est, in ara cœli, humi sub tabula marmorea hoc titulo insignita:

JOANNES FRANCISCVS PAVINVS, CANONICVS PADVANVS SACRI APOSTOLICI PALATII, CAVSARVM AVDITOR, ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR, ET JVRISVTRIVSQVE DOCTOR.

Visitur in ingressu portæ Orientalis *D. Antonii* Confessoris alterum epitaphium, humi in marmorea tabula sculptum: quod ipse parenti suo paraverat.

JACOBO PAVINO OPT. GENITORI JOAN. FRANC F. G. R. THEOLOG. DIVINIQVE AC HVMANI JVRIS CONSVLT. CANONICVS PATAVINVS, SACRI APOSTOLICI PALATII CAVSARVM AVDITOR: AD P. M. F. M. CCCC. LXVI. XII. SEPT. SENIO EXPIRAVIT, MALIS CEDENS, SVPERATIS ADVERSIS, F. D. I. VIXIT ANNIS LXXX.

De Alexandro Papisavio.

Nequaquam dissimili legum peritia præditus fuit *Alexander Papisavius*, vir nobilissimus: qui cum utriusque juris esset apprime studiosus, ut nobilissimæ familiæ, ex suo quoque studio famam adderet immortalem, nullis nec vigiliis, nec laboribus parcens, publice in gymnasio docendo, & domi assidue consulendo, in præstantissimum virum evasit: ita ut adolescens adhuc maxima quæque de se in ea facultate promitteret. Verum postquam diu docuerat, & multa scripserat, jam plane senex, & studia simul, & vitam deserere coactus est, suis interim gravissimum mœrorem, & patriæ summum de se desiderium relinquens. Obiit anno natalis Domini M.D.XXIX. ætatis autem suæ XXI. sepultus in antiquo sepulchro majorum apud Basilicam *D. Antonii* Confessoris.

182 ## *De* Marsilio Papisavio.

Eadem deploratione prosequendus est & hic *Marsilius Papisavius*, itidem jureconsultus excellentissimus: qui & ipse aliquot annos in hoc gymnasio docendo, & disputando, & scribendo maximam spem eminentis doctrinæ in posterum cunctis excitaverat. Sed (proh dolor) funesto illo ac pestilenti anno ab atra illa lue fere per orbem universum grassante, admodum juvenis, quum nominis immortalitatem sibi pararet, acerba morte extinctus est. Decessit anno Christiani natalis M. D. XXVIII. sua vero ætatis XLV.

De Francisco Papisavio.

Nihilo leviori luctu prosequendus est, & juris scientia, & generis nobilitate æque præclarus *Franciscus Papisavius*, vir Jureconsultissimus, ejusdem *Marsilii* frater, natu quidem minor, sed doctrina certe par, qui ex suo ingenio (ut fertur) multa scripsit consilia, postmodum suo tempore edenda. Edidit autem paulo ante obitum *de Monte Pietatis circa usurarum materiam*, quædam veluti studiorum suorum præludia, indicium certe maximum, quod si ei diutius vivere licuisset, editurus erat multo sane majora, & præstantiora prioribus. O spem fallacem! porro immatura mors omnia interrupit, & fecit, ut omnes boni, & præsertim sui vehementer angerentur. Obiit anno salutis M. D. LI. VII. Calend. Februarii, sepultus apud Basilicam *D. Antonii* Confessoris in sepulchro majorum.

De Joanne Baptista Rosello.

Celeberrimum plane reddit *Joannem Baptistam Rosellum*, non tam insigne nomen *Rosellæ* gentis, cui longa majorum serie, veluti hæreditaria peritia Juris contigit, quam quod & ipse juris peritissimus, atque eximius legum interpres fuerit. Quippe qui publice L. & amplius annos Jus civile in maxima scholasticorum frequentia docens: qui pro majori audientium profectu, contextum & glossas, *Bartholum* & *Paulum* tantummodo exponendo prælegisse fertur. Edidit quædam *consilia de sacro Monte Pietatis*, anno salutis M CCCC. XCIIII. quo tempore mos ipse primum institutus est. Scripsit & alia consilia nondum edita, & alia multa, quæ bellorum tempore direpta domo cum ipsa præda amissa fuerunt. Huic filius fuit *Rosellus*: qui humanioribus literis, & philosophia potius quam paternis atque avitis legibus delectatus est. De hujus laudibus habetur elegantissima epistola, qua ei emendata Cæsaris commentaria primo edita dicantur. Is studiosissime *Platonicæ* disciplinæ incubuit, & propterea celebri fama à cunctis magnus *Platonicus* habitus est. Horum celebre sepulchrum est intra Ædem *D. Antonii* Confessoris, ubi jacet cum cineribus suorum.

De Antonio Leonio, *&* *de* Jacobo, *&* Ludovico *ejus nepotibus.*

Accedit ad hos *Antonius Leonius*, Jurisconsultus egregius: qui aliquot annos in patria publice Jus civile professus, & habitus est & ipse (ut istorum verbis utar) optimus textualis, & in dandis consiliis præ cæteris maxime fidelis. Quid autem mandaverit scriptis, nescio. In eodem quoque gymnasio aliquandiu publice professus est *Jacobus Leonius*. Addas & *Ludovicum Leonium*, virum doctrina & insigni pietate præclarum: qui obiit anno Domini M.D.XXVII.

De Paulo Leonio.

Habemus nunc ex hac familia superstitem, & ætate florentem, atque insignem virum *Paulum Leonium*, qui adhuc admodum juvenis, cum Jus civile in patria publice doceret, *Salernum* accitus, in eo gymnasio per aliquot annos civilia jura docuit, cum maxima nominis celebritate, & certa spe melioris fortunæ. At nunc
Ferrariam vocatus, ab illustrissimo Duce *Hercu-* 183
le, summa ibi juris utriusque prudentia, atque æquitate judiciorum indies evadit illustrior. Edidit is anno Domini M. D. LVII. elegantem interpretationem, ac solennem lecturam in Rubrica & in lege prima, digestis *De verborum obligationibus*: quæ impressa est *Ferrariæ* charactere insigni, in satis justum volumen. Quod quidem opus laudatur maxime. Ita enim ibi, de eo scribit eleganter Alexander Sardus Ferrariensis. *Qualem* (inquit) *vix unum aut alterum sempiternis seculorum ætatibus invenies, hujusmodi est Paulus Leonius Patavinus, Jurisconsultus: homo præclara eruditione, doctrina perfecta, ingenio præstanti, animi candore, generis nobilitate, morum elegantia, vitæ integritate, atque magistratibus illustris. Is enim sua prudentia & fide, ex tot Italis jurisconsultis, inter summos ejus consiliarios delectus est ab Hercule Atestino Ferrariensium Duce* IIII. *omnium qui sunt, fueruntve sapientissimo, cui vel placuisse maxima laus est.* Et cætera, quæ in hujus laudem ibi diffuse lateque à *Sardo* referuntur. De eo quoque *Baptista Gyraldus* eleganter hos versus simul cecinit:

Candido Lectori.

Urbs Patavi Paulum genuit, qui providus olim
Romanis leges condidit innumeras:

Dum-

Dumque idem leges ſancit, dum jura reponit,
Edocuit certa pacta ligare fide.
Nunc dedit hæc eadem Paulum qui hæc ſcita prioris
Explicet, & reddat lumine clara ſuo.
Inclyta te urbs igitur gemino ſibi munere vinxit,
Quando tam celebres edidit una viros:
Quorum certa alter ſcriptis tibi jura paravit,
Illa alter fecit lucidiora die.

Idem.

Iſta Leo Paulus tibi dat monumenta Leonis,
Lumine qui aſpexit, quæ latuere diu.
Legum igitur cupias ſi cæca atque abdita adire,
Hunc lege: namque duce hoc cernere cuncta potes.

De Modeſto Polentono.

Celebratiſſimi quoque ſua ætate nominis fuit *Modeſtus Polentonus:* qui veſtigia *Xicconis* patris ſecutus, primo humanioribus ſtudiis impenſius operam dedit, deinde Juri civili & Pontificio: atque vivente patre, in utroque jure laureatus eſt, anno ſalutis noſtræ M. CCCC. XXXV. Is poſtea tam hic in patria, quam foris in tota *Italia* magnæ ubique exiſtimationis habitus, & equeſtris militiæ honore propterea decoratus: & ſicut plerique è noſtris doctiſſimis viris, Jus civile in hoc noſtro celeberrimo gymnaſio diu profeſſus eſt. Referuntur ejus conſilia à *Bartholomæo Cepola*, & ab aliis illius temporis ſcriptoribus, quæ nunc extare dicuntur. Scripſit etiam ſatis ornato ſermone *De ſepulchris illuſtrium virorum, qui Patavii tumulantur.* Quod opus dicavit *Gabrieli Capiliſtio*, equeſtris ordinis viro ac comiti clariſſimo: quod nunc reperitur apud nos, & à nobis à multis librarii mendis exterſum. Conceſſit plane naturæ valde ſenex. Hujus oſſa conduntur in Baſilica *Divi Joannis* in Viridario, ſub marmoreo lapide cælato cum doctoris effigie, & cum hoc elogio:

ALDA MATRONA PVDICISSIMA FRANCISCI BRADIOLI, IVRISCONSVLTI CLARISSIMI FILIA, MODESTO POLENTONO MARITO SVO DEFVNCTO, EQVITI INSIGNI, ET IVRISCONSVLTO EXCELLENTISSIMO, XICCONIS POLENTONI EXIMII ORATORIS FILIO, MONVMENTVM HOC FACIENDVM CVRAVIT VIVENS, ET SIBI TANTVM CVM COMMVNI ARA AD DIVINVM CVLTVM M. CCCC. XC. DIE XIIII. SEPTEMB.

De Joanne Jacobo Cane.

Nihilo minori laude celebrandus eſt *Joannes Jacobus Canis*, excellentiſſimus Iureconſultus, poëtaque & orator inſignis. Prælegit & is utrunque Jus, Civile ſcilicet & pontificium XLVI. annos. Scripſit *De injuriis, & damno dato*, vel *Repreſſaliorum* (ut ipſe vocat) *opus* præclarum. Item *de Executionibus ultimarum voluntatum:* & *de Tabellionibus:* quæ omnia edita divenduntur. Scripſit conſilia, & multas repetitiones, quæ privatim tantum manuſcriptæ apud literatos habentur. Edidit opuſculum elegans *De modo ſtudendi in utroque jure*, ſtylo admodum Latino. Cecinit ludos equeſtres carmine grandiloquo, & heroica majeſtate referto. Inſuper elegantem orationem habuit in ingreſſu *Petri Barocii*, Epiſcopi *Patavini.* Vixit annnos XL. obiit an. M. CCCC. XC.

De Petro Cane.

Huic ſuperſtes fuit *Petrus Canis* filius, qui & ipſe patrem imitatus, evaſit in utroque jure doctiſſimus, ac vir magnæ auctoritatis. Hunc ego juvenis publice in hoc *Patavino* gymnaſio decreta patrum interpretantem audivi. Obiit ætatis ſuæ anno LVII. ſalutis vero M. D. V.

De Franciſco Pellato.

Locum inter claros & celebres viros merito ſibi adinvenit ſuis virtutibus *Franciſcus Pellatus.* Nam cum hic in patria ſua in omni ſtudiorum genere evaſiſſet doctiſſimus, & præſertim in Jure civili, accitus eſt ab *Ariminenſi* principe pro jure dicendo *Ariminum*, præclaram *Flaminiæ* urbem: qui cognita mox viri prudentia, eum ſibi conſiliarium delegit. Quod quidem traductio epiſtolarum *Phalaridis* indicat, ei ſane à *Franciſco Aretino* uti viro illuſtri, & illius curiæ primario dedicata. Quare æquum mihi viſum eſt, ne ſolum me, vir aliquando in tanta luce poſitus, latuiſſe videatur, hic inter claros cives noſtros, vel hoc tantum nomine recenſere, cum is ibi in ea nuncupatoria epiſtola à tam præſtanti viro tantopere commendetur.

De Antonio Urſato, & Gaſpare *fratre.*

Floruit ſuperiori ætate præſtantiſſimus Jureconſultus, & orator elegantiſſimus, *Antonius Urſatus*, qui Jus civile in ſcholis publice per annos XXXIIII. doctiſſime profeſſus eſt. Scripſit interim egregium *Conſiliorum volumen*, habuitque quam plurimas elegantes orationes gratulatorias ad *Venetorum* Duces, & ad novos, & recenter inſtitutos Epiſcopos, & præſertim ad *Petrum Barocium*, quas typis impreſſas extare ſcio. Addidit is inſuper in Juriſconſultorum collegio ſtatuta quædam utilia, quæ à cunctis approbata, à cunctis etiam inviolabiliter obſervantur. Poſt hunc autem claruit & *Gaſpar Urſatus* ejus frater, 185 non minus doctus, aut clarus: qui & ipſe publice *Patavii* docuit Jus civile, annos XXIIII. & primus in ſerotinis lectionibus habitus eſt legum profeſſor, & orator magnus. Multa compoſuit, ſed per ea bella, quæ à *Maximiliano* Cæſare geſta ſunt, anno M.D.IX. cuncta perierunt. Atqui demum in bona ſenectute nobis ereptus, reliquit poſt ſe *Marcum Urſatum*, qui tamen pari gradu cum majoribus ſuis, ad eandem gloriæ metam properabat. Sed (proh dolor) jampridem valde immature à nobis demigrans, ex hac vita ſublatus eſt. Cujus mortem *Pyraneus* poëta egregius, edito in ejus laudem eleganti carmine, deflevit: quod impreſſum ubique legitur. Horum ſepulchrum extat apud ſacram Ædem *D. Antonii* Confeſſoris exterius ad Septentrionem, ubi legitur hoc epitaphium:

ANTONIVS VRSATVS DIVINI HVMANIQVE IVRIS FIDVS INTERPRES ET ORATOR INSIGNIS HIC IACET.

NOBILIBVS DE VRSATIS RESTITVTVM.

De Antonio Boromeo.

Antonius Boromæus equeſtri dignitate præfulgens, multiplici doctrina ſua dubitare me facit, utrum inter Theologos, an inter Jureconſultos potius debeat numerari. Æque enim in uno homine, & cognitio artium liberalium, & peritia Theologiæ, & juris doctrina coruſcant. Extant quidem ejus ſcripta grandia profecto ſenſibus, ſed humili compoſitione verborum contexta: neque (ut vellem) cultu Latinæ linguæ, & (ut nunc moris eſt) rethorum exornatione polita. Quod negligere viſus eſt, homo ſacris potius divinæ ſcripturæ literis, quam

quam secularis eloquentiæ lineamentis intentus. Scripsit contra *Judæos*, & edidit opusculum *De conceptione Virginis:* quod *Clypeum virginis* appellavit. Item *Testamentum Christi:* quæ omnia impressa leguntur. Dictavit & alia pleraque multa, quæ ad oculos nostros nondum pervenere. Hæc habui, quæ de literatura hujus nobilissimi viri dicerem. Obiit in satis viridi ætate, & in Æde divi *Pauli*, in spectabili sepulchro humi juxta altare majus tumulatus est, ubi legitur hoc epitaphium:

ANTONIO BOROMEO ILL. ARTIVM ET THEOLOGIAE EXCELLENTISS. EQVITI AC COMITI DIGNISSIMO MONVM. HOC LOMBARDA DE COMITIBVS VXOR, HAEREDESQVE POSVERE, ANNO A NATALI DOMINI M. D. VIIII. QVARTO CALEND. IANVARII.

186 *De* Antonio Zaccho.

Addas & his merito *Antonium Zacchum*, ætate quidem juvenem sed doctrina senem, & Jureconsultum insignem: qui cum legales institutiones in scholis publice profiteretur, quo erat cæteris professoribus ætate junior, ac loco posterior, eo & eloquentia, & singulari gratia anterior. Sed heu quod immatura mors summa quæque, quæ de eo sperabamus, tam cito interrupit, ut quæcunque in ea facultate per ætatem conceperat, cum maximo totius gymnasii mœrore una secum à medio sublata sunt. Vixit annos circiter XXV. Obiit anno M. D. V. pridie Calend. Martii.

De Francisco Facio.

Summa qualis cuique esse debet in præceptorem observantia, nequaquam sustinet, ut hic ingrato silentio involvam *Franciscum Facium*, sacerdotem *Patavinum*, juris utriusque consultissimum, præceptorem meum. Quem adolescens Pontificia jura in gymnasio nostro tradentem, mira cum voluptate audivi: atque tunc forte, cum ipse morte præoccupatus, & docere, & vivere simul destitit. Fuit is peracuti, ac perquam amœni ingenii, multæque memoriæ: tantæ vero, ac tam mirificæ gratiæ in exponendis Pontificiis legibus, ut scholæ vix essent capaces auditoribus: totque ibi qui ea, quæ ab eo dicebantur, describerent, ut non sane prælegere aut docere, sed dictare potius excipientibus videretur. Nam abstrusissimos quosque juris locos inter legendum ita rimabatur, atque implicitos nexus ita dissolvebat, ut quem ei in hoc genere laudis præferam, habeam neminem. Pronunciabat singula, ita dulci & suavi oris sono, ut mira quadam gratia omnium aures mirum in modum oblectaret: voce adeo gravi & sedata, ut in subselliis quicquid fere diceret, à multis scriptitando celeri exciperetur manu. Edidit inter legendum notatu dignum opusculum *De modo argumentandi, in utroque jure*: quod ego quoque eodem tradente mihi descripsi. Cœperat & communes juris regulas, cum exceptionibus exscribendas pari modo discipulis tradere: quæ quidem morte illius interceptæ sunt, una cum aliis multis, quæ propediem edenda paraverat. Is aliquando, & musica, & pictura cum otium à studiis nactus esset, plurimum delectabatur: antiquorumque characterum formas ita facile & speciose ducebat, ut nihil ea manu aut venustius aut pulchrius optari aut fingi posset. O! quam dolendus immaturus tanti ac tam præclari viri exitus, qui tot præclare cœptis, & non uni tantum ipsi perniciem intulit. Hæc vere immatura mors dici potest, quæ tot præstantes fructus, dum florerent, in ipso Vere decussit. Egregia sane doctrina viri, ingeniique præstantia, si diutius supervivere licuisset, multa nobis pollicebantur in ea facultate præclara. Formaverat siquidem natura in informi corpore speciosissimum ingenium, & animum formosissimum. Premebatur siquidem gravi gibbo, quo (ut sic affectis evenire sæpe solet) præmature extinctus est. Sacerdotium autem *Selmatiæ* plebis quo donatus fuerat, à *Marco Cornelio* Cardinali amplissimo, quem privatim docuerat, dum aliquando *Patavii* studii causa resideret, fratri reliquit suo. Obiit anno Christianæ salutis M. D. V. ætatis vere annorum XXX. Sepultus in atrio *D. Francisci* in majorum suorum sepulchro. De hoc viro extat funebris oratio elegantissima, & typis impressa, *Hermici Lusitani*, dicata *Ludovico Leonio Patavino* viro probo, & Jureconsulto excellentissimo, cum hoc epitaphio:

HIC EGO RELLIGIO CANOS RELIGATA CAPILLOS
MOESTA FLEO, NOSTRA HIC CONTEGIT OSSA LAPIS.
ILLIC ET VT CHARVM RAPVIT MORS TRISTIS ALVMNVM,
INJECITQVE AVIDAS IN MEA SACRA MANVS,
JVSTITIA INTERIIT, LATVERVNT JVRA, NEC VSQVAM
VICTIMA GRATA DEO SANGVINE TINXIT HVMVM.
FRANCISCVM FACIVM LVGET PIETASQVE, FIDESQVE: 187
LAETANTVR QVAMVIS SIDERA, TERRA DOLET.

De Augustino Facio.

Nihilo sane minor, etsi ætate posterior evasit frater ejus *Augustinus Facius*, qui & ipse literarum studiis vehementer intentus, & *Latina* & *Hetrusca* lingua pariter delectatus, ex sui ingenii præstantia jus quoque Civile ac Pontificium primis annis ita complexus est, ut admodum juvenis utrunque in scholis aliquot annos publice professus sit. Sed heu dolendum hujus gentis fatum, dum ille indies præstantior fieret, ac jus Pontificium edoceret, superstitibus utrisque adhuc parentibus, ut prius alter frater, è scholis, ac pariter è vita cum maximo omnium mœrore sublatus est. Sed quod præ doloso iniquæ mortis insultu, ambo perficere nequiverant, id sperabamus, ut *Pompejus* nepos qui nuper laureatus in lucem prodiit, felicius concessa sibi à Deo Optimo Maximo longiori vita præstaret. Sed & id falso: nam obiit ille anno M.D.XX. & apud fratrem sepultus est: is autem anno M.D.LIX. die VI. Augusti.

De Joanne Francisco Musato.

Claruit in hoc eodem gymnasio, & in iisdem studiis præclarus vir *Joannes Franciscus Musatus*, Juris utriusque consultus, & Pontificii interpres doctissimus: qui quum intermissis studiis propter bella exorta (*silent enim leges inter arma*) amotus à scholis, & ipse una cum multis aliis nobilibus *Patavinis* falso ad Senatum *Venetum* delatus, aliquandiu ex decreto Reipublicæ cum reliquis perduellionis reis *Cretæ* exulavit: mox cognita innocentia accersitus in patriam aliquot annos vixit. Sed per ea tempora minus libere in his studiis postea versatus, nullum (quod sciam) reli-

reliquit ingenii monumentum, quod eum alioqui clarum reddat, præter nomen, & ædes ad sancti *Jacobi* speciosas, ac hortum amœnissimum, magnasque opes, & laudatissimam filiorum ac nepotum propaginem: qui hodie non minus ad præstantissima quæque nati esse videntur, quam ipse olim fuerat.

De Aloysio de Ponte.

Novi ego adolescens *Aloysium Pontanum*, à quo audivi Juris Pontificii vespertinas lectiones, quousque à scholis ad forum *Venetiarum* profectus in præclara ille hominum luce egregius patronus, & facundus orator, simulque fidelis causarum defensor extitit: & si diutius vixisset, ut erat in scholis magnus, ita parvo etiam temporis curriculo, in eo foro futurus erat fere maximus.

De Petro Bagaroto.

Dicamus nunc de *Petro Bagaroto*, viro insigni, & Jureconsulto clarissimo, qui in academia nostra primas tenuit. Is multa scripsit, quæ posteris suis cognoscenda & imitanda reliquit. Huic fuerunt tres alii fratres insignes, *Bertucius*, *Antonius* & *Marcus* natu minimus, qui adhuc vivit, estque vir egregius, ac maxime clarus: utpote qui diutissime inter extorres patriæ in principum aulis versatus, sub *Maximiliano* Cæsare aliquandiu stipendia meruit: quique tandem certis conditionibus, à *Veneta* Republica in *Caroli V.* Cæsaris gratiam una cum aliis civibus in patriam restitutus, in nostra Republica negotiis, quamvis senex approbatissimus habetur. *Petrus* ergo (ut ad eum revertamur) quum *Veneti Ferrariensi* bello ab *Alexandro VI.* Pontifice Maximo anathematis interdicto prohiberentur bellum prosequi, & à Senatu *Veneto* super ea re à *Patavino* Jurisconsultorum collegio consilium peteretur, quid facto opus foret: ne *Veneti* eo anathemate ligarentur, aut conscientia territi à cœptis desisterent, aliis alia consulentibus *Petrus* omnium primus legibus & rationibus consuluit, appellandum esse à sententia Romani Pontificis ad concilium proxime futurum: cui totum collegium *Patavinum* se subscripsit. Quod fuit Senatui *Veneto* quam gratissimum. Quocirca *Venetias* accitus ad firmandum ejusmodi inventum, illic maxima tunc peste grassante, eodem & ipse morbi genere correptus, *Venetiis* interiit, anno M.CCCC. LXXXII.

188

De Bertucio Bagaroto.

Floruit item acutissimus vir ingenio, & Juris utriusque prudentia insignis, ætate nostra inter cæteros doctores clarissimus *Bertucius Bagarotus*: qui per multos annos luculenter Pontificium jus hic in patrio gymnasio interpretatus est, & in curia, in arduis Reipublicæ negotiis, inter primos semper habitus. Scripsit ille quidem multa, & multo plura scripturus erat, nisi infeliciter occupato *Patavio* à *Maximiliano* Cæsare, & intermissis literarum studiis, Marte supra modum furente, in ipsa urbis clade, bonis omnibus deprædatis, omnis quæ de ipso erat spes, & simul omnia ejus monumenta, longis lucubrationibus parata, una cum ipsius auctoris vita miserabili casu periissent: ita ut præter celebre nomen, quod nullis bellorum fluctibus, nullis turbinibus auferri usquam potuit, nihil sibi reliquum fuerit.

De Antonio Bagaroto.

Tertius inter hos celebrandus à nobis est *Antonius Bagarotus*, qui adhuc juvenis utriusque juris insula ornatus, ad interpretandum Jus civile in patria electus, in scholis, & in disputationibus ultra ætatem maxime profecit: sed exorto demum bello, inter *Maximilianum* Cæsarem, & *Venetum* Senatum (ut proxime dicebam) contigit, ut *Antonius* ob eum tumultum patriam deserens, *Maximilianum* sequeretur, & postea *Carolum* quintum: cui sane in magnis rebus, & in omnibus arduis expeditionibus adhæsit, ac præclaram operam præstitit, & ab eo propterea equestri munere, & magnis honoribus decoratus. Eum ergo sequutus in *Germaniam*, in *Ungariam*, in *Africam*, consiliarius, & comes in omnibus victoriis ejus ubique fuerat: missusque aliquando ab eodem ad *Fontem Rabi*, quæ civitas ab Imperatore ad *Gallos* defecerat, eam urbem suo consilio, & auctoritate Cæsaris imperio brevi restituit. Missus denique in *Italiam*, in urbe *Mediolani* factus est illustris *Alphonsi Davali* vice Imperatoris præfectus domus: cui tota illa civitas, uti alteri principi honorem & obedientiam ultro deferebat. Recedente autem *Alphonso*, invitatus ab *Octavio Phernesio Parmæ* principe, apud eum tantæ auctoritatis fuit, ut nihil ei defuerit ad principatum præter principis titulum. Is tandem ætate decrepitus, defunctus est anno salutis nostræ M.D.LV. X. Decembris: ætatis vero suæ LXXIX. *Mediolani*que honorificentissime sepultus.

De Antonio Francisco Dottorio.

Nostro ævo unus omnium, & nominis celebritate, & sapientiæ fama, tam in civilibus, quam in canonicis studiis præstitit *Antonius Franciscus Dottorius* præceptor meus: qui ad ultimum senium, veneranda canicie, & animo & corpore æque validus, docendo, respondendo & scribendo perseveravit. & si interim multis sæpe angustiis, & ærumnis aliquandiu depressus, afflictam traxerit vitam: nullis tamen adversis rebus, neque vigiliis, neque laboribus à studiis abduci omnino potuit. Vir fuit magnæ constantiæ, summæ integritatis, tantæque vigilantiæ in studiis, ut de tanta juris peritia, qua vel maxime præditus fuerat, non tam ingenio ipsius, quam indefatigabili potius studio, atque exquisitæ hominis solertiæ ferri acceptum debeat. Docuit juvenis Jus Civile *Ferrariæ*, ubi aliquandiu cum magna laude versatus est. Verum cum jam fama increbresceret, & nomen ejus inter juris studiosos, in ore omnium indies frequentius haberetur, ex decreto Senatus *Veneti* in gymnasium *Patavinum* honorificentissimo decreto accitus est: ubi 189
clarissimos quosque undique confluentes collegas semper habuit, cum quibus in literaria palæstra maxima semper cum laude & dignitate certavit: cum nullo autem laudabilius, quam cum *Philippo Decio* acutissimi sane ingenii viro atque doctissimo. Scripsit noster *Dottorius* ingentia prælectionum suarum volumina in utroque jure, ea aliquando editurus, nisi insania belli, totam ejus domum, ut plerasque alias præsertim nobilium cum omni supellectile & bibliotheca devastasset. Ad hæc etiam facit, quod is *Venetias* postmodum delatus, custodiæ mancipatus est: ubi pro summo beneficio, fuit sibi post multas ærumnas, & summam molestiam vitam impetrare. Atqui domum tandem reversus, rursum publice docere cœpit, atque interim pleraque scitu digna antiquis scriptoribus addere, videlicet *Panormitano* Abbati, & *Alexandro Tartagno*, & *Imolensi*, quæ habentur impressa, & *Antonii Francisci Dottorii* Additiones appellantur. Consilia quoque quam plurima ejus adhuc extant, quæ eum immortalitati commendant. Is tandem longo senio con-

fectus, reſpirandi gratia ſeceſſum quærens, in villam ſuam quam egregiam *Pernumiæ* habebat, ſeſe recepit, ubi paucis diebus commoratus, permaturo jam ſolutus ſenio, naturæ conceſſit. Inde vero *Patavium* delatus, cum digna funeris pompa in Æde *Bethleemitica* ad *Pratum vallis* ſub albo ſaxo repoſitus eſt. Vivens autem in ipſo pago *Pernummio*, propriis impenſis ſacellum erexerat, ſacerdotemque conſtituerat, qui quotidiana ibidem ſacra perageret. Docuit autem publice *Patavii* annos tres ultra quinquaginta: vixit annos LXXXVI. Obiit anno Domini M.D.XXVIII. die XXVIII. Julii.

De Bartholomæo Urbino.

Eadem ferme gloria, eiſdemque ſtudiis, ſed feliciori fortuna claruit per ea difficillima tempora *Bartholomæus Urbinus:* qui ſcholis contentus & foro, Rempublicam nullatenus attigit. Is fuit & Juriſconſultus eximius, & tum in exponendo jure Pontificio, tum in concionando (ſi quando opus fuerat) facundiſſimus. Docuit *Patavii* annos XXX. Multa conſilia interea compoſuit, & ea quidem præclara, quæ nunc extare audio. Exceſſit è vita plane capularis, anno M. D. XXVIII. die VII. Auguſti: ætatis vero ſuæ circa LXXX. annum.

De Hieronymo Juſto, *& ejus filiis.*

Non eſt tacendus hoc loco *Hieronymus Juſtus*, legum & decretorum doctor inſignis, vir ſane probus, vita, exemplo & doctrina præclarus. Floruit aliquando in *Romana* curia, à conſiliis, & auditor cauſarum *Joannis Baptiſtæ* Cardinalis *Zeni*. Docuit poſtea è ſuggeſtu in patrio gymnaſio annos fere XXX. conjugem accepit ſenectuti jam proximus, ſuſcepitque ex ea filias duas, quas nobiliſſimis viris honorifice in matrimonium collocavit: & duos filios nulla ſibi omnino ratione diſſimiles, alterum *Marcum Antonium*, & ipſum egregium Juriſconſultum, utpote qui jura civilia aliquandiu publice interpretatus eſt: inde poſtea forum adiens, ibi hactenus magna cum æquitate verſatur. Alterum vero *Bernardinum*, mihi ut nomine, ita & morum ſimilitudine, amicitia & ſtudiorum communione conjunctum, ut nihil utrique noſtrum conſuetudine mutua gratius aut jucundius eſſe poſſit. Is poſt hauſta bonarum literarum ſtudia exoſus nuptias, & domeſticarum rerum curam, literis ſacris incumbens, adulta jam ætate ſacroſanctis ordinibus initiatus eſt, & Archipresbyteratu inſigni Abbatiæ *Vangadiciæ* haud multo poſt ob integritatem ſuam à *Franciſco Lauredano* digniſſimo Abbate donatus. Atqui vero cum ſibi in ea re genius & natura prorſus ſua reclamarent, parvo contentus abrenuncians id muneris, alteri ſacerdoti æque digno omnem curam illius à ſe rejecit. Atqui modo à *Paulo IV.* Pontifice Maximo qui novit pro meritis probos viros extollere, hunc mihi, ut erat prius, in amore parem, ita nunc
190 junxit in officio & in honore collegam, impertiens ei honorabilem canonicatum in Eccleſia *Patavina*. De hoc quidem plura & majora dicerem, ſed quia is mihi magna familiaritate & benevolentia jungitur, vereor ne quæcunque de eo dixero, carere ſuſpicione non poſſint. Quanquam nullibi in univerſo hoc opere unquam committam, ut tantum cujuſpiam amicitiæ deferam, ut propterea vel in minimis quibuſque rebus ſinceritatem veritatis, falſitatis vitio contaminem. Obiit autem *Hieronymus Juſtus* octogenarius, anno Domini M.D.XXVIII. & ſepultus eſt in Æde *S. Georgii* humi in ſepultura majorum ſuorum.

De Lazaro Baldo.

Hic modo nobis *Lazarus Baldus* referendus eſt, qui ex *Atheſte* Municipio *Patavino* ortus, ſuo ſeculo glorioſa fama coruſcans, publice in gymnaſio *Patavino* diu docuit. Inde poſtmodum patrios lares aliquando reviſens, ibidem morte comprehenſus, migravit ad ſuperos. Sepultus eſt in Æde *D. Martini* cum ſuis majoribus.

De Antonio Baſſiano.

Neſcio qua ratione, quove potius pudore *Antonium Baſſianum*, juris utriuſque conſultum, hoc loco prↄterire poſſim. Hic enim ob eximiam juſtitiam, & inviolabile judicium, quo maxime præſtabat, XXV. magiſtratus juris dicendi in diverſis *Italiæ* civitatibus ſumma cum laude, & amplitudine nominis geſſit: quos in titulo ſepulchrali breviter incidi voluit, ubi in media Æde monaſterii ſancti *Petri* ſepultus jacet. Obiit ſenex anno M.D.XLV. menſe Februarii. Titulus vero ſepulchri hic eſt:

ANTONIVS MAGIVS BASSIANVS JVR. CONS. SIBI ET CATHERINAE CON. FIDISS. V. P. M. D. XX. SI VLTRA SCIRE CVPIS PATRIAM PATA. VERON. CREMON. RAV. VTIN. TAR. BERG. ROD. CREMAM PERCVNCTATOR.

De Antonio Trapolino.

Admirabilis vitæ in melius commutatio immortale peperit nomen *Antonio Trapolino*, illuſtris philoſophi *Petri Trapolini* filio. Hic cum eſſet ingenii perſpicaciſſimi, defunctis parentibus, belliſque ſævientibus, per omnem *Italiam* primo vagatus, ingenium quod ſibi optimum natura dederat, ad arma, ad aleas, ad ſcortationes, & id genus alia proclive convertit: ita ut profugus, & infamis prorſus ab omnibus haberetur. Sed tamen ceſſante bello, academiaque *Patavio* reſtituta, eo quo pollebat ingenio adjutus, & ab ipſa primæve parentum diſciplinæ memoria acriter caſtigatus, in ſe reverſus, & ſeipſum colligens, bonæ frugis perſonam, quam à principio in puerilibus annis à parentibus acceperat, rurſum induit, opportuneque deinde in ſtudiis & diſceptationibus ſeſe exercens, brevi infulis utriuſque juris ornatus, è ſuggeſtu ſtatim dignus eſt habitus, qui inſtitutiones in ſcholis publicis edoceret. quod quidem munus tanta gratia, tantaque diſcentium frequentia geſſit, ut nemo non audientium miraretur, & impenſius obſtupeſceret. Sed mors tantæ felicitati invidens, è vivis eum nobis, quum minime putaretur, eripuit. Obiit juvenis, illo infami anno M.D.XXVII. die IV. Septembris.

De Joanne Merico Cartulario. 191

Non eſt *Joannes Mericus Cartularius* ex hoc Juriſconſultorum numero ſegregandus, qui juvenis aliquandiu in gymnaſio patrio publica ſtipendia meruit. Sed è ſcholis ad forum tandem ea quidem pietate ſe contulit, ut nulli pauperi, qui ejus indigeret ope, patrocinium ſuum unquam negaret, pupillos & viduas non gravate & gratuito defendens. Verum cum alioqui in forenſibus cauſis ab opera mercenaria, ſe quantum licebat, abſtineret: multam tamen operam, & utilem, interim & amicis præbuit. Extant hujus prælectiones ſuper Inſtitutiones imperiales, & ſuper legem, quæ incipit *Diem defuncto*, digeſtis

De

De officio assessoris: ac *Repertorium Juris civilis*, & *duo Consiliorum volumina*. Quæ omnia penes *Melchiorem* ejus filium inveniuntur: qui & ipse annis proximis duodeviginti annos natus, publice in scholis super multis difficillimis juris quæstionibus, cum maxima omnium admiratione in utramque partem, per triduum acutissime disputavit: quibus quum interfuerim, hæc de illo dicere coactus sum, ac etiam vaticinari, hunc ipsum procul dubio (modo vita supersit) neque à patre, neque à majoribus suis *de Peraga* (ab his enim traxisse genus dicitur) ullo pacto degeneraturum. Obiit autem *Joannes Mericus* vir bonus & innocens suæ ætatis anno LXVIII. salutis vero M.D.XXXIII. sepultus est in atrio Eremitarum in antiquo majorum suorum sepulchro.

De Luca Salviono.

Cum ingenti fama *Patavii* in foro causarum suis temporibus regnum tenuit *Lucas Salvionus*, cognomento *Gallina*: qui etsi nihil (quod ego sciam) ediderit, in magnis tamen causis versatus, à cunctis, & Jurisconsultus magnus, & causidicus major, & patronus maximus habebatur, atque idcirco longe lateque notus, ac ditissimus effectus: qui exuberantibus pecuniis ædificavit magnas ac speciosas ædes apud Eremitanos. Atqui demum fortuna immutata post multas divitias partas, ob susceptum patrocinium in curia episcopali, victor causæ à tribunali rediens, letali vulnere percussus est, quo post triduum miser interiit, ætate ad senium vergente, sed viridi adhuc, ac plane robusta. Sepultus jacet apud *D. Francisci* Basilicam, sex filiis maribus, & duabus fœminis post se relictis, omnibus de facie enormi præsertim naso patri quam simillimis: è quibus duo sunt iisdem Juris civilis insignibus honestati, reliqui armis potius quam literis addicti.

De Bartholomæo Rorario.

Plurima laude dignum facit *Bartholomæum Rorarium*, oratorem & Jurisconsultum, celebris à principio forensis procuratio, & egregia in docendis tabellionibus doctrinalis elegantia: quam quidem per plures annos in gymnasio patrio, & legendo, & dictando tam suis quam alienis scriptis & ipse disseminavit, & aliis post se latius disseminandam paravit. Is enim locupletavit, & emendavit, ac diligenti studio suis præfationibus exornavit præcepta quædam Juris, quæ plurimum ad negotium forense conducere sibi visa sunt, & quæ ad procuratores, simulque ad scribas spectare videntur. Edidit item quæ *Joannes Crassus De judiciis*, & quæ *Hermanus* & *Odofredus de Formandis libellis*, & *de Actionibus* & *de Interdictis* summatim collegerant, ut quoquo modo scholaribus & studiosis juvenibus prodesset. Multis insuper additionibus adauxit *Jasoni Mayni* clarissimi Jurisconsulti interpretationes, eisque valde commodum adhibuit repertorium. Statuta quoque municipalia (ut constat) officiosissime scholiis & indice excoluit, & luculentius illustravit. Insuper, dum ætas tulit, tam *Latinis* quam *Etruscis* musis delectatus, à cunctis, non minus poëta, quam orator ac Jurisconsultus habitus est. Is unico filio quem mirum in modum diligebat, in ultima senectute orbatus, quasi civitatem & hominum frequentiam pertæsus rus adiit, ibique barba, & capillis demissis parvo contentus, vitam quasi Eremiticam duxit ibi in solitudine, ubi paucis annis moratus, senio confectus obiit, & in urbem evectus, cum majoribus suis sepultus est.

A

De Julio Bonocio *seu* Tolentino.

Julius ex nobili familia *Bonocia Patavii* natus, dimisso gentilitio cognomine, ab antiqua patria deinceps *Tolentinus* dictus est, & post hunc posteri omnes *Tolentini* appellati. Is enim in scholis per annos non paucos eximius Juris interpres fuit. Postmodum in foro quamdiu ei oculorum visus affuit, egregius patronus, & in multis præclaris civitatibus ditionis *Venetæ* prætorius assessor. Atqui tandem in ipsa senectute oculis captus, licet à foro abstineret, nullibi tamen deerat suis opportunis consiliis, quatenus eum vel sic cæcum, nulli fere secundum, in dandis consiliis, nec cui magis fideret, populus *Patavinus* haberet: quod vel ex ipso frequenti confluentium consultorum accessu, facile quisque tunc conjectare poterat. Quanto enim magis oculorum auxilio destituebatur exterius, tanto magis ingenii oculi perspicaciores reddebantur interius. Hinc factum, ut quæcunque sibi proponerentur, tum revolutis per alium libris, tum per semetipsum memoria repetita acutissimis explicarentur rationibus. Habentur passim pleraque ejus doctissima consilia: nullum tamen absolutum opus (quod sciam) in vulgus emisit. Obiit annorum plenus in ultima senectute, anno Domini M.D.XXX. vel circa. conditus in suorum sepulchro, in templo Eremitarum.

B

De Hieronymo Tergulino.

C

Non minus eruditum in hac civili scientia suis consiliis ac scriptis sese ostendit *Hieronymus Tergulinus*, tam Pontificii, quam Cæsarei Juris peritissimus: qui non minus erudite ac diligenter, quam superiores ejusmodi Juris interpretes per multos annos, quandiu per ætatem licuit, summa cum laude utrunque jus hic *Patavii* publice docuit. Edidit adhuc juvenis *expositionem dominicæ orationis*, nec non *salutationis angelicæ*, ex approbatissimis utriusque juris sententiis à se ingeniose collectis. Itidem *collectionem* studiosam *notabilium juris auctoritatum*, & egregiam *quæstionem de ornatu mulierum*: quæ omnia impressa ac divulgata leguntur. Reliquit ingens consiliorum volumen, quod morte præventus edere non potuit: ac etiam *Commentarios in jure super quatuor partibus ordinariis vespertinis*, in quatuor volumina distinctos: nec non aliud *volumen rerum notabilium tam in jure Canonico*, *quam Civili*. Item alios tractatus multæ eruditionis, ut est de *voluminibus canonum & legum*. *De privilegiis doctorum*, & *De approbatione & reprobatione in auctorandis illis*. Addidit ad tractatum *Joannis Andreæ De sponsalibus*, ac similiter *De matrimonio* perdoctas additiones. Scripsit libellum *De regimine hospitalitatis*. Præterea multos sermones *De eucharistia*, *De flagellis Dei*, & alios. Composuit etiam *testamentum Domini nostri Jesu Christi*. *Prognosticum seu indicium futurorum secundum jura*. *Paulinam* quoque *constitutionem De rebus ecclesiæ non alienandis* dissertionibus compendiosis explicuit. Addidit etiam difficilem disceptationem: *An fœtus in utero matris, dum timetur abortus, valeat à matre baptizari ad animæ salutem*. Hæc & alia multa extare scio apud *Bernardinum Tergulinum* jureconsultum nepotem ejus, & tam disciplinæ quam facultatum hæredem. Obiit repentina morte, dum domesticis choreis relaxandi animi gratia bacchanalibus diebus præsens in sella domi sederet: vel ob id fortasse supra cæteros felix existimandus, quod bene alioqui mori paratus, nulla diuturna ægritudine vexatus, è terrestri ista, ad cœlestem harmoniam summa

D

E

F

cum voluptate perducitur. Sepultus est in delubro *Magdalenarum Patavii* juxta burgum novum, anno M.D.XLII. IX. Calend. Martii.

De Carolo Guarnacio.

Paribus studiis, ac persimili mortis genere huic jungitur *Carolus Guarnacius*, juris utriusque consultus, & in hac nostra academia vespertinus juris interpres: qui lotus manus ad prandium, priusquam mensæ accumberet, morte occubuit repentina. Is adhuc juvenis tractatum
193 edidit de *Legatis*: & quæstiones *De verborum obligationibus*: quæ sane opera jam vulgata & impressa notissimum eum posteris reddent. Proh deum immortalem! (libet mihi hic exclamare) quantopere vita hominum fallax, quam brevis, quam incerta est quam sæpe contigit hominem & sanum, & lætum, & juvenem, & prorsus mortis immemorem, de improviso in momento temporis mori, ita ut neque de rebus suis, neque de animæ salute, illum omnino verbum facere liceat. Exemplo ii duo Jurisconsulti nobis mortalibus esse debent, ut accincti & parati semper inveniamur omnibus horis ad mortem: utque de se ipso prius & de suis quisque rebus ita disponat, atque ita vivat, tanquam esset eo ipso die, ac ea instanti hora moriturus. Sepultus est in templo *D. Georgii*, anno salutis M. D. XLV. d. Augusti.

De Georgii Caballino.

Georgius Caballinus sacerdos, & decretorum doctor egregius, multo tempore publice hic in patria jus Pontificium docuit. Sed quum in raucedinem gravem nimis incidisset, à prælegendo publice omnino destitit, & Cathedralis Ecclesiæ æditiuus sacerdos factus deinceps sibi vixit, usque ad annum M. D. XXVIII. Quid autem memoratu dignum interim scripserit, prorsus nescio. Sepultus est in eadem Ecclesia cum defunctis sacerdotibus.

De Ludovico Brayno.

Inter claros cives nostros, qui humanarum divinarumque literarum peritia præstiterunt, *Ludovicus Braynus* jure meritoque collocandus est: qui in gymnasio *Patavino* per aliquot annos, cum adhuc juvenili ætate floresceret, ordinariam canonum lectionem cum maxima nominis sui gloria professus est. Verumenimvero egressus scholas, postquam in multis magnificis civitatibus pie & innocenter præsulis vices gesserat, ad ultimum obiit in patria, relictis quibusdam in jure Pontificio commentariis, nequaquam spernendis, nondum tamen editis. Sepultus est in Æde Cathedrali, ubi multos annos sacerdos consecratus, divinis officiis, & orariis precibus de more inservierat.

De Vincentio Rubeo.

Etsi (quod sciam) *Vincentius Rubeus* nullum doctrinæ suæ monumentum posteritati mandaverit: minime tamen propterea indignum censui, ut si non suis, alienis saltem scriptis notus posteris redderetur. Quippe qui sua ætate, & in patria suis consiliis clarus, & in tota *Venetorum* ditione assessor multorum prætorum in jure dicendo unus omnium electissimus quoad vixit, semper fuit. Is quidem utriusque juris consultissimus per aliquot annos & ipse in patrio gymnasio Civilia jura publice docuit. Postmodum vero ad Reipublicæ negotia conversus, in ea re inter primos semper est habitus. Obiit anno M. D. XLVII. ætatis vero LXIII. desideratus in republica à cunctis.

De Marco Antonio Blanco.

Quod sine lachrymis effari vix possumus, commemorandus nobis est *Marcus Antonius Blancus*, eximius Jureconsultus: qui modo à cunctis, tam in foro, quam in scholis æque desideratur. Is quidem non in gymnasio solum *Patavino*, sed in universa *Italia*, ac in tota pene *Europa* doctrinæ fama, & scriptorum laude, ut vivens celebratus est, ita nunc mortuus à cunctis deploratus. Fuit is quidem in foro in defendendo facundissimus patronus, domi in consulendo fidelissimus Jurisconsultus: in scholis vero, & in explicandis criminalibus judiciis acutissimus inquisitor, itidemque inter legendum absolutissimus interpres. Edidit vivens præclarissimos tractatus, & luculentissima commentaria. Primo *De compromissis*, & subinde *De indiciis homicidii ex proposito commissi*, & *De indiciis*, & *conjecturis cujuslibet occultæ cædis*, *vel furti*. Quos quidem tractatus nemo non summopere commendat: eique ex confesso omnes docti certam nominis immortalitatem promittunt. Scri- 194
psit etiam consilia editione digna, & alia quæ nunc sunt *Venetiis* penes *Dominicum* fratrem: olim apud *Antonium* nepotem, utrosque jurisconsultos, & ejus bibliothecæ successores. Prodiit nuper post ejus mortem, in lucem *Dominici* fratris cura, *Practica criminalis*, *cum cautelis in defensionem reorum*: opus sane peregregium, & obviis ulnis (ut ajunt) ab omnibus studiosis exceptum. Obiit iste longa ac permolesta ægritudine, & diutino morbo confectus: cujus obitum patria, & universa academia graviter molesteque tulit. Sepultus est in atrio Basilicæ *D. Antonii* confessoris humi, sub lapide, cum hoc perbrevi titulo, quem apponi sibi testamento cavit.

MARCO ANTONIO BLANCO IV. VTR. DOCT. PATAVINO. VIXIT ANNOS L. OBIIT DIE VIII. OCTOB. M. D. XLVIII.

De Sigismundo Brunello.

Magnam etiam jacturam passa est nostra *Patavina* academia, in obitu *Sigismundi Brunelli*, qui & Cæsarei & Pontificii juris per multos annos eximius interpres fuerat. Atqui misera hominis sors dum ad summos quosque honores, & ad magnas divitias, cum celeberrima scientiæ fama, in universa *Italia* docendo, consulendoque pervenisset, mortifera febre correptus, ætate viridi è mundo decessit: atque ita quæcunque cœperat in utraque disciplina scribere, ut se posteris quoque notum faceret post mortem, sicut in vita cunctis fuerat, omnia interrupta & imperfecta reliquit. Obiit autem anno Domini M. D. XLIII. annos natus XLI. Sepultus est honoratissime in templo *D. Benedicti Novelli* in sublimi sepulchro cum hoc epitaphio:

MOESTA SIGISMVNDVM BRVNELLVM HIC CONDIDIT VXOR,
QVI QVONDAM SACRI GLORIA IVRIS ERAT.
QVEM PATAVI CANONES VIGESIMA BRVMA DOCENTEM,
ET STANTEM PRIMA VIDERAT IN CATHEDRA.

Aliud epitaphium Græcum.

Τὴν δὲ Σιγισμόνδῳ Βρουνέλλῳ λάρνακα τεύχεν,
Πατρί τε καὶ αὐτοῦ ὀψιγόνοις ἄλοχος.
Τὸν δὲ ἑρμηνευτὴν ἐνὶ πρώτῃ εἴσιδεν ἕδρῃ
Δημοσίᾳ κανόνων εἰκοστὴν παταβός.

De

De Naſcimbeno Pectenello.

Quanto libentius commemoraſſem inter vivos *Naſcimbenum Pectenellum*, Juriſconſultum egregium, & multos annos tabellionatus diſciplinam in ſcholis publice profitentem: qui dum ſumma quæque de ſe promitteret, præmatura morte præventus, omnem ſpem ſecum ſuſtulit. Nam quando maxime ei arridere fortuna viſa eſt, quod eum humili loco natum altius extuliſſet, tunc maxime ſic importune ſublato, & ei, & ſuis nocuit. Etenim quo tempore, & noſci, & extolli, & frequentari domi, & in ſcholis, & in foro, à conſultoribus, & clientibus, & ſcholaſticis vehementius cœperat, maligna febre correptus, infra paucos dies è vita deceſſit, ingentes lachrymas, & mœrorem maximum parentibus, amicis magnam moleſtiam, cunctis vero magnum ſui deſiderium derelinquens. Huic ſane Davidicum illud convenit: *Pauper ego ſum, & in laboribus à juventute mea: exaltatus autem humilitatus ſum, & conturbatus.* Is *Repertorium* edidit, & *Summarium* ingenioſum *ſupra omnia opera Matthæi de afflictis* ad publicum ſtudentium commodum: opus ſane legentibus utile, & auctori glorioſum, & quod vel ſic mortuo immortalitatem nominis parere certe poſſit. Vixit annos XXXIII. menſes VI. Obiit M.D.LIIII. ſepultus in Æde *D. Cantiani*.

195 ## De Hieronymo Campiſampetro.

Pari modo deflendus eſt hic à nobis *Hieronymus Campiſampetrus*, vir nobilis, & Juris utriuſque conſultus: qui adhuc juvenis, tum docendo, tum ſcribendo, doctiſſimo cuique Juriſconſulto, & quantumvis ſeni in quovis genere laudis conferri merito poterat. Edidit anno Domini M.D.XLVIIII. pulcherrimam *repetitionem, ſuper titulum de Teſtamentis ordinandis*: quæ modo excuſa formis, eum ubique terrarum celebrem facit. Anno quoque Domini M.D.L. impreſſa & in vulgus data eſt, ejuſdem elegans repetitio ſuper rubricam *De obligationibus*. Præterea electus annis proximis à Republica *Patavina* orator ad novum principem *Venetiarum Franciſcum Venerium* luculentiſſime peroravit, & ei de more pro patria congratulatus eſt. Sed (proh dolor) eo ipſo anno dum altercando minus caute ſeſe habet, caſu improviſo, à quo nunquam putaſſet, mortiferum vulnus accepit, ex quo poſtmodum inter paucos dies, acceptis de more ſacramentis, ex eo vulnere interiit. Cujus quidem interitum vehementer tota academia, & civitas univerſa deflevit. Obiit an. M.D.LVI. Idibus Aprilis, & honorificentiſſime apud *D. Antonium* Confeſſorem in antiquo majorum ſuorum ſepulchro reconditur.

De Joanne Baptiſta Atheſtino.

Edidit jampridem reverendus ſacerdos, & decretorum doctor egregius *Baptiſta Atheſtinus*, inſignem *Methodum de his, quæ Chriſti ſacerdotem neceſſario ſcire oportet*, mihi quidem olim ſatis probatam: licet poſtea vitio impreſſorum multum priſtini decoris amiſiſſe videatur. In hujus autem operis fronte legitur epiſtola noſtra, anno XVI. ante eam impreſſionem dictata: non ea ſane mente, ut ederetur, ſed ut amico familiariter ſuper ea re conſulerem. Atqui me inſcio poſtea prodiit in lucem, aliquantulo quidem deformior, quam quum à nobis exierat. Is obiit ſenio confectus & ſurdus, anno Domini M.D. LVIII.

De Marco Mantua Benavidio.

Dicturus deinceps de his qui clari ſunt, & adhuc in vita ſuperſunt, ſuſpenſus animi pendeo, & quo me equidem vertam neſcio: ſicut qui (ut ajunt) à fronte præcipitium, & à tergo lupum videat. Etenim ipſorum laudes ſine aliqua aſſentationis nota referri vix poſſunt: & contra præclara ipſorum nomina, ſine turpi alicujus occultæ invidiæ, aut ſimultatis ſuſpicione nequeunt præteriri: illorum præſertim, qui aut ſumma cum laude Jus ipſum in ſcholis publice profitentur, aut jam in lucem egregia ſui ingenii monumenta dederunt. Ego equidem neque aſſentator, neque invidus haberi à quoquam velim, ſed magis (ut prius dixi) patriæ ſtudioſus, ac meorum civium amantiſſimus. Cæterum ſi in alterutro peccandum ſit, malim plane falſo adulationis ſuſpectus cuipiam videri, quam aut invidus, aut malignus à quoquam impie judicari. Quis enim (niſi forte demens) *Marcum Benavidium* cognomento *Mantuam*, prætermittendum à me hoc loco jure exiſtimet? Cum jam me etiam tacente, ubique terrarum longe lateque immortale nomen ejus aſſiduo concentu præcinentis famæ reboet in auribus cunctorum? Quod enim gymnaſium ubique terrarum, non hunc ipſum ſibi vehementer exoptat? Quiſnam Juris ſtudioſus hujus præclaris monumentis jam publicatis allectus, ad eum audiendum, vel ab ultimo *Europæ* angulo non trahatur? Quiſnam è ſuggeſtu leges enarrat elegantius? aut ex tempore in corona hominum promptius diſceptat, & efficacius concludit & ſolvit? Edidit hactenus ingentia volumina, & ingentiora adhuc in ejus ſcriniis continentur. Impreſſa habentur ejus *Collectanea*, *Apophtegmata*, *Conſilia*, *Problemata*, *Topica*, *Iſagogicæ rationes ad tollendos argumentorum nodos.* 196 *Encomium ſacerdotii. Suaſoria legis Oppiæ ad compeſcendum muliebrem cultum. Scholia ad legem Precibus*, *Codice de Impuberum*, & aliis ſubſtitutionibus. *Centuriam praxis judiciariæ*, *contra tyrannum*, *contra blaſphemiam. Dialogum de Concilio. Obſervationum legalium libros decem. Polymathiæ libros* XII. *Enchiridium rerum ſingularium. Juris prælectiones in ordinarias lecturas matutinas*: & denique tractatus multos de rebus variis. Item plus quam *ducentos dialogos de variis ſenſibus divinarum humanarumque literarum*, ſcitu digniſſimos. *Locorum quoque communium libros tres. De illuſtribus Jureconſultis* egregium *volumen.* Inſuper Collectanea, & alia opera quamplurima, quæ ad nominis immortalitatem multo ſane magis ei conferre poſſunt, quam vel magnificæ ædes, quas magnis impenſis ſibi & fratri ſuo hactenus ædificari voluit: vel etiam quam marmoreus ille coloſſus intra ædes erectus, & ſpecioſiſſimum Mauſoleum, & pretioſa numiſmata, toreumata, & veterum imagines, ſigna, tabulæ, & alia antiqui operis ſupra privati fortunas animoſiſſime (ut de Cæſare dictum eſt) comparata. Quorum ſingula, nedum ſimul omnia, tanta, tamque inſignia monumenta, & nunc eum illuſtrem reddere, & in futurum ab omni nominis oblivione vendicare perpetuo poſſint. Excedunt hæc quidem omnia ſupra modum privatum ſplendorem: & habent præter ſapientiæ ſtudium, quandam etiam animi magnitudinem, quæ non modo hominis liberalis, verum etiam magnifici dici debeat. Atqui etiam eo ſane præſtantiora hæc ipſa habenda ſunt, quo ſtudiis adjuncta literarum, maximos quoſque honores ei arrogare merito valeant, & perpetuis monumentis ſubſiſtere. Sed reliqua pari honore digna pertran-

transeo, veritus tanti viri laudes (ut Horatiano versiculo utar *culpa deterere ingeni.* Tanti viri, & tantæ virtutis fama allectus *Carolus V.* Imperator maximus, hunc omnibus quibus potuit amplissimis honoribus, & magnificis titulis decoravit: & eisdem, quibus olim ab hujus prædecessore *Carolo quarto Bartholus Saxoferratensis* ornatus, in tractatu de insignibus, & armis jactabundus exultat. Conspicitur hujus Mausoleum insigne eximia mole in medio Basilicæ Eremitarum in pariete, pulcherrimis excultum imaginibus, ubi hoc epitaphium:

M. MANT. BEN. PATAVINVS JVRISCONSVLT. JO. PETRI F. EX PRAESENTIBVS FVTVRA PROSPICIENS, PRAETER CAETERA MONVMENTVM HOC S. V. P. C. MENSE MAJO M.D.XLVI.

Posset hic delicatior quispiam lector curiosius indagare, uter in ea re laudandus magis sit, an *Marcus Blancus*, qui neglecta cura sepulchri, tam exili (ut supra posuimus) elogio seorsum in porticibus *Divi Antonii* confessoris sepeliri voluit: an *Marcus Mantua*, de quo hic agimus, qui contra tanta impensa, cum tot speciosis simulachris, tam sublime Mausoleum vivens sibi erigendum curavit. Ab utroque sane licet diverso instituto, pari tamen gloriæ cupidine factum putandum est, quod minime improbandum censeo, in viris præsertim excellenti doctrina præditis: qui quidem inter præcipua hujus mundi bona, id potissimum collocandum existimant, quod in virtute positum est, cujus comes ac pedissequa semper est immortalitatis gloria. Fecerunt ii quidem sicuti *Plinius junior*, *Ruffum* & *Frontonem* viros sapientissimos, pari gloriæ cupiditate succensos,
197 sua ætate fecisse commemorat. Nam *Ruffus*, ut hic speciosum sibi monumentum extrui curavit: *Fronto* autem contra, ut ille neglexit. *Ambo*, inquit Plinius, *permagnum aliquid memorandumque fecerunt, & propterea illos non modo venia, verum etiam laude dignissimos esse judico, si immortalitatem, quam meruere, sectantes, victuri nominis famam supremis etiam titulis propagare nitantur.* Et in calce epistolæ ita concludit: *Meo quidem judicio* (inquit) *neuter culpandus est, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso licet itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos: alter dum mavult videri habuisse contemptui.* Hæc Plinius. Quare & nos quidem pariter de *Mantua* & *Blanco* dicere merito possumus, & curioso cuilibet iisdem rationibus satisfacere.

De Ottonello Pasino.

Etsi de claris viris, qui in vita celebres sunt, difficile & periculosum sit (ut proxime dicebam) præclari quidquam scribere, quod non ab improbis statim aliqua nota taxetur: non potui tamen me continere, quin & *Ottonellum Pasinum* inter tot claros utriusque Juris consultos annumerem: qui imitatus *Antonium Franciscum* patrem, & *Ottonellum* alterum patruum, Jureconsultos egregios, nec non proavunculum, *Joannem Franciscum Pavinum*, illustrem scriptorem, cum in principio juventutis impense legalibus studiis operam daret, adhuc candidatus juris Institutionum librum, in magna auditorum frequentia, aliquandiu *Patavii* publice interpretatus est. Postmodum in utroque Jure laureatus, electus est ad exponendum Jus pontificium in Sexto decretalium ad primum locum: & exinde ob eximiam doctrinam suam, notior factus, anno salutis M.D.XXII. ab *Orlando Carreto* Archiepiscopo *Avinionensi* auditor causarum constituitur. Inde à

A summo Pontifice *Adriano* ex *Hispaniis Romam* tum primum veniente in *Flamminiam* destinatus ad sedandas contentiones populorum multis ibi de causis exortas, in qua re ita strenue sese gessit, ut generalis præfectus totius *Flamminiæ*, seu *Romandiolæ*, & exarchatus *Ravennæ* in criminalibus factus sit, & *Cæsennæ* præpositus: qui *Verruculum* oppidum ab Ecclesia *Romana* abalienatum, in pristinam fidem restituit. Idemque arbiter electus, & judex in maximis controversiis cameræ Apostolicæ, & *Pandulphi Malatestæ*, ac inter illustrem *Franciscum Mariam Urbini* ducem, & *Cæsennensem* Rempublicam de finibus montis
B *Feldri:* ubi tunc in omnibus ita sapienter, & audacter sese habuit, ut ab *Adriano* Pontifice Maximo, *Romam* accitus fuerit, quo illum de universis rebus provinciæ certius erudiret. Qui quidem adeo sapienter ei omnia explicavit, ut & laudem & honores inde magnos ab eo esset accepturus, si diutius ei supervivere licuisset. Verum post mortem *Adriani* parum fidens quibusdam suis æmulis, statuit redire ad suos, anno scilicet M.D.XXV. quo tempore à *Patavinis* electus est orator ad XX. sapientes, super censu, & exemptionibus agrorum, de quibus *Venetiis* subtiliter agebatur. Idem postmodum M.D.XXXIII.
C ab illustrissimo *Urbini* duce *Francisco Maria* electus est auditor & consiliarius: à quo postmodum post mortem *Clementis septimi* vacante sede, missus est orator ad copulandum matrimonium inter *Guidobaldum Urbini* ducis filium, & *Juliam Camerini* ducis filiam, & hæredem: quo matrimonio feliciter & ex voto peracto, mansit *Camerini* præfectus. Verum dum obsideretur à *Paulo III.* Pontifice Maximo, in eo negotio multum laborans, orator *Neapolim* proficiscitur: ubi cum omnia studiose & sapienter egisset, tandem ex nimio labore doloribus vesicæ contractis, decrevit incolumitatis suæ rationem habere, &
D *Venetias* remigravit. Ubi aliquandiu in advocationibus principem locum tenuit: nunc autem senio confectus, in dandis consiliis tam in secularibus, quam ecclesiasticis causis unus omnium maxime præfertur: utpote non doctissimus solum, sed etiam exercitatissimus. Quare cum maxima nominis celebritate, & *Pasinæ* gentis gloria, in eo illustrissimo *Venetiarum* foro clarus 198
est, & cunctis gratus. Scripsit *Additiones super Novellis Justiniani* ad ea, quæ scripsit *Joannes Franciscus Pavinus* proavunculus ejus: quæ una cum plerisque aliis insignibus scriptis ejusdem *Pavini* cito est impressoribus daturus, & in pu-
E blicum editurus. Vivat modo, & bene & feliciter valeat.

De Pace Scala.

Merito hic & in hoc albo collocandus est Jureconsultus non obscuri nominis *Pax Scala*, cujus laudes vehementiorem quidem ac uberiorem à me stylum exposcere videntur, nisi consuetudine ipsa ac benevolentia, quæ mihi cum illo summa intercedit, admoneret, parcius mihi in illis esse elaborandum, ne amicitiæ plus quam veritati tribuisse videar. Verum is nec meo nec
F alieno quidem egebit præconio: sua enim voce efferetur, & proprio enitebit splendore: cumprimum quoddam nobile opus *De judiciali sapientis consilio*, quod sapienter quidem excogitavit, in lucem ediderit. Id spero opus omnibus non modo laudabile, verum etiam jucundissimum fore: tum propter quandam singularis doctrinæ præstantiam, tum propter rei summam utilitatem: quandoquidem ad sedanda litigantium jurgia, diffidiaque tollenda totum fere spectat. Ita fiet

fiet, ut qui inclyto Pacis nomine fuerit inſignitus, ne ſui diſſimilis eſſet, idem Pacis auctor extitiſſe, apud poſteros etiam prædicetur. Quod vero attinet ad præſentem gloriam, qua vivens fruitur, florente adhuc ætate, nemo eſt qui ignoret: conſtat enim quanta eloquentia, quanto ſtudio, quantaque fide in tractandis forenſibus cauſis præſtet. Hinc ex aliiſque pulcherrimis animi dotibus, præter inſignem morum ingenuitatem, adeo multos cives ſuos, nobilioreſque præterea exteros ſibi adjunxit, ut eorum, quæ ad colligendas hominum voluntates præcipue valent, nihil ei deeſſe videatur.

De Jureconſultis Patavinis *concluſio.*

Hactenus de civilis & pontificii Juris doctoribus *Patavinis*, qui in hoc noſtro gymnaſio vel noſtra vel majorum noſtrorum memoria floruerunt, ſatis (ut arbitror) dictum eſt. Neque enim ſpes aut animus fuit de omnibus poſſe dicere, cum fuerint hujuſmodi viri inſignes quamplurimi, & pene innumerabiles. Atqui modo nobis de his tantummodo dixiſſe ſit ſatis, qui præter laudem, quam ſua ætate in ſcholis & ſtudiis legalibus conſecuti ſunt, aut relicto quopiam ingenii ſui monumento, vel publica profeſſione famam ſui nominis vivam ac pervalidam poſteris reliquerunt. Sed quid modo non expectatur à *Baptiſta Panzeta?* ſacerdote integerrimo & canonum doctiſſimo, qui vocis exilitate impeditus, in ſcholis profiteri publice deſtitit. Quid autem non ſperatur ab his, qui nunc ſub utraque cenſura in hac academia *Patavina* publice profitentur? à *Petro* ſcilicet *Leonio*, *Federico Ruggerio*, *Antonio*, *Cataro*, *Caſpare Fabiano*, *Daniele*, *Blaſio*, *Hannibale Buzacharino*, *Philippo Octaviano*, aliiſque utriuſque Juris doctoribus *Patavinis*? Complures enim docti hujus diſciplinæ ſuperſunt, licet in ſcholis non ſint publice profeſſi: inter quos addi poteſt *Andreas Malatinus*, qui jam in lucem edidit adhuc candidatus *Additiones memorabiles ſuper Inſtitutiones imperiales*, atque

A *Digeſtum vetus*, & *Authentica*, & *Codicem*. Addas & *Antonium Taſſaram*, ſcribam inſignem, qui edidit librum copioſiſſimum *de Erroribus notariorum*: ſunt fortaſſis & alii. Sed metuo ne nimis longe progrediens narratio noſtra lectori præter ſatietatem, etiam faſtidium pariat. Inſunt itaque (ut breviter concludam) in collegio *Patavino* recenſiti doctores nunc amplius centum. Ex- 199
tra vero collegium æque docti, & æque cives, ſed non (ut pleriſque videtur) æque nobiles ultra XL. qui tanquam novi homines, vel quia ex plebe ſunt, in collegium ex novæ legis interdicto non recipiuntur. Quod tamen non omnes probant: cum & *Marcus Cicero*, homo novus *Romæ* conſulatu, & *Terentius Varro* ſordido loco
B natus, quæſtura, & duabus ædilitatibus perfunctus fuerit. Taceo interim quamplurimos id genus homines: qui etſi ex plebe fuerint, nihilominus inter nobiles à *Romanis* ſoleant laudabiliter recenſeri. Quandoquidem non tam locus & genus, quam magnanimitas animi, & ſplendor virtutis, nobilitare homines conſueverint. Sed de hoc ipſi viderint, qui non ex virtutis merito, ſed ex proſapiæ debito honores dandos putant. Quanto ſane ſecius, & fortaſſe rectius *Cato* ille morum cenſor: qui eam Rempublicam fore maximam felicemque dicebat, ubi claro loco nati, primas virtutum partes ignobilibus minime concederent, & plebei ordinis homines cum nobilibus & primariis, non de generis gloria, ſed de
C virtutum laudibus concertarent. *Antiſthenes Athenienſis* ſapienter dixit, *homines virtute præditos, fontem in ſe habere, ex quo nobilitatem ſibi affluenter hauriant. Certior* namque *habenda eſt* (ut ait Valerius Maximus) *nobilitas, quam ſibi quiſque ſuis virtutibus parat, quam quæ ex majorum tantum imaginibus cuique contingit.* Verumtamen quomodocunque res ſeſe habeat: nunc *Patavini* Juriſconſulti cives noſtri rite ab univerſo collegio approbati, & hujuſcemodi dignitate honeſtati, numerantur ultra centum & quadraginta: & indies, non ſine ſumma urbis *Patavinæ* gloria, creſcit numerus ejuſmodi ſapientium.

CLASSIS IX. 200

DE CLARIS MEDICIS ET PHILOSOphis Patavinis.

PRÆFATIO.

JURISCONSULTORUM illuſtrium qui ſe familiaſque ſuas, ac patriam ſapientiæ fama, & celebritate nominis exornarunt, ſatis copioſe pro rei propoſitæ ratione, à nobis mentio facta eſt: jam ab his cohibendus eſt calamus, & ad inſignes philoſophos & medicos transferendus: quibus noſtra civitas, ex quo philoſophia & res medica hic in Italia *laudi & gloriæ haberi cœpta eſt, ita ſemper excelluit, ut facultas medica ubi è* Græcia *profecta ad* Latinos *pertranſiit, hic primum in hac urbe conſtitiſſe, ac domicilium ſuum poſuiſſe videatur. De hujus autem civitatis genio, quæ præ cæteris urbibus tam claros ac præſtantes medicos in omni ætate ſemper habuerit, Albertus Germanus* in libro, *quem* De locorum natura *inſcripſit, prudenter animadvertit,* hoc eſſe proprium & peculiare Patavinæ civitatis, excellentibus medicis abundare. *Quod quidem ea arbitror loci ratione contingere, quam* Cicero *reddit, cum* Athenienſes *acutiores cæteris* Græcis *ſint: quod ſcilicet ſub puriſſimo cœlo, ac maxima aeris temperie illorum urbs ſita eſt. Id autem verum eſſe, quod de hac noſtra* Patavina *civitate dicitur, ex ingenti clariſſimorum medicorum numero aperte conſtabit: quos nos interea hic ſuo ordine recenſebimus.*

De Petro Apono.



RIMUS omnium qui rem medicam post multa secula in *Italiam* traduxit è *Græcia*, *Petrus Aponus* fuisse perhibetur, qui habitus est & veteris magiæ, & naturæ rerum, & medicæ artis unus omnium consultissimus: quod ex ejus sapientissimis scriptis ubique patet. Constat enim artem medicam (ut *Tortellius* asseverat) ab *Avicenæ* temporibus vilem, & nullius fere pretii in *Italia* per multa secula fuisse: utpote incognitam, ac prorsus obscuram *Latinis*. *Primus ergo inter Latinos, qui nobis conciliavit medicinam* (ut ille ait) *fuit Petrus Aponus, vir in omni ætate admirandus: qui tum in philosophia, tum in his, quæ ad medicam disciplinam spectant, diversas conciliando opiniones sua doctrina, habitus est omnium, qui hactenus fuerint, peritissimus, unde sibi à præcipuo opere, & à re ipsa conciliatoris cognomen adeptus est.* Hæc ille. Adnavigavit is quidem in illis imperitis temporibus in *Græciam* ad perdiscendas *Græcas* literas, tunc temporis ignotas prorsus *Latinis*: & ibi factus est (ut tunc erant tempora) tam *Græcæ* quam *Latinæ* linguæ satis peritus. Postmodum profectus *Lutetiam Galliæ*, mathematicis disciplinis operam dedit: in quibus tantum profecit, ut in patriam reversus, ex nimia scientiæ opinione (ut etiam de *Vergilio* quondam existimatum fuit) suspectissimus magiæ à cunctis haberetur. Quæ quidem opinio jam pridem populariter ita recepta est ab omnibus, & in tota *Italia*, ac ubique in orbe universo vulgari fama eousque percrebuit, ut adhuc vulgo sinistra hu-
201 jus rei de eo credulitas perseveret. Quin etiam circunferuntur libri quidam *De annulis*, & alia quædam (ut opinor) ei falso attributa. Est rumor publicus, extare *Patavii* opera quædam mirabilia, quæ ille ope dæmonum sit aliquando molitus, quod est prorsus fabulosum & falsum, licet pro vero vulgo jam sit acceptum. Nam is aliquando hæreseos ac necromantiæ à *Petro Regiensi* medico delatus est: factus ei inimicus, exæmulatione scientiæ & famæ, quod illi sicut & cæteris aliis in omni scientiarum genere longe præstaret. Et propterea bis contra ipsum inquisitum est in publico judicio per inquisitores hæreticæ pravitatis. Primum anno salutis humanæ, millesimo, trecentesimo sexto: in quo judicio ei patroni fuerunt clarissimi viri, *Lupatus* poëta, *Jacobus Alvarotus*, & *Petrus Altichinus*: & cum nihil probatum eo judicio fuisset, ab ejusmodi calumnia liberatus est. Post novem autem annos, videlicet anno salutis nostræ, millesimo, trecentesimo decimoquinto, rursum ejusdem criminis insimulatus, pendente adhuc judicio, mortuus est, & apud Basilicam Divi *Antonii* confessoris de more funebri pompa sepultus. Verum inquisitores id, quod præ manibus erat, judicium prosequuti, uti ex propriis scriptis convictum eum vel sic defunctum condemnarunt: præcipientes sub pœna anathematis Potestati, & præfectis Reipublicæ *Patavinæ*, ut ipsius cadaver effossum publicitus ureretur. Quod ubi auditum est, *Marietæ* ejus contubernalis opera, noctu ex tumulo in quo jacebat, sublatum furtim ad Basilicam Divi *Petri* in sepulchro fracto juxta fores absconditur. Verum cum inquisitores agere cœpissent, sub diris censuris, tam contra exportitores, quam facti conscios, Potestas & Respublica intercesserunt. Inquisitores vero, accensa nihilominus pyra, lecta publice sententia, uti in convictum pravæ hæreseos, damnationis ritu inanem illius sta-
A tuam palam in medio foro incendi jusserunt. Hinc est quod *Thomas Argentinus* scripsit, se vidisse propter hæresim *Petri Aponi* ossa *Patavii* in foro comburi: quæ tamen in ingressu templi Divi *Augustini* postmodum sub marmorea tabula condita esse creduntur. Eo enim translata fuerunt, & ibi sine ullo funeris honore, & absque ullo sepulchri titulo postmodum posita. De hujus autem fidei erga Deum extant adhuc tabulæ testamenti cum codicillo, quas egomet legi: ubi se catholicum esse fatetur, & credere verum esse, quicquid tradit sancta mater Ecclesia, & orthodoxa fides Christiana: & quicquid Apo-
B stolorum, aut *Athanasii* symbolo continetur. Hoc testamentum conditum fuit, anno incarnationis Domini, millesimo, trecentesimo sexto. Scripsit is quidem de omnimoda medicina: & ad *Joannem* vicesimum secundum Pontificem Maximum, de *Venetis*, & eorum remediis. Vertit è *Græco* in *Latinum* librum *Mesuæ*, & *Galenum De cholera nigra*, & *De regimine sanitatis*. Addidit multa ad problemata *Aristotelis*. Quantopere autem & in mathematicis disciplinis, & in astrologia præsertim excelluerit, vel ex eo constare potest, quod astrolabium planum in tabulis fieri eleganter ostendit, in quo horoscopus
C qua hora, quo minuto exoritur. Aperuit æquationes domorum cæli, & significationes imaginum, moram in utero matris, cum tractatu de nativitatibus: nec non horas inæquales ad quælibet climata mundi ingeniosissime supputatas posteris dereliquit. Item *De ægritudinibus corporis humani. De unctionibus. De syncope. De tumoribus mamillarum. De dolore stomachi. De emplastris. De vomitu & singultu. De siti. De appetitu mortuo*, & *De appetitu canino. De affectibus hepatis & splenis. De hydropisi. De doloribus & fluxu ventris.* Et denique de præcipuis hujuscemodi morborum remediis. Ediditque alia pe-
D ne innumera: quæ omnia habentur impressa. Effinxit insuper ultra quadringentas & amplius imagines diversarum rerum, artium & operationum, sitas sub duodecim signis cælestibus, & sub septem planetis, & duodecim mensibus depingendas in Juris foro, seu palatio *Patavii*, ad indicandum nascentium naturam, per gradus & nu- 201
meros. Quæ omnia habentur etiam typis impressa, & olim cuncta in ipso foro depicta videbantur, sed incendio aliquando sublata: nunc rursum eædem fere imagines per *Zotum* insignem pictorem restitutæ visuntur. Obiit autem *Petrus Aponus* anno M.CCC.XII. suæ vero ætatis LXVI.
E Huic unicus fuit filius, *Benevenutus* nomine. Patrem habuit *Constantium* notarium publicum ex familia rustica *Vici Aponi*: qui ante occidentalem portam sancti *Stephani* sepultus est, quæ nunc monachis tantum patet: ubi titulus olim fuerat insculptus, quem legi. *Constantius de Abano* notarius hic jacet.

De Joannino Sanguinacio.

Per hæc ipsa tempora vel parum ante, etsi nullum extet monumentum, viget tamen insignis memoria divini prope ingenii *Joannini San-*
F *guinacii*, medici *Patavini* celeberrimi: qui tantæ existimationis ætate sua fuisse perhibetur, ut pro confesso tunc temporis, & doctrina & experientia medendi cunctos medicos longe excelluisse credatur: utpote qui usque adeo calleret omnem disciplinam artis medicæ, ut non inspecta urina, nec exploratis prius brachiorum arteriis, ut cæteri solent, sed (quod mirabile dictu est) vel ex solo aspectu, ut ex vultus mutatione, omne genus ægritudinum, & habitum febrium, au-

augmentum, videlicet, statum & declinationem miro quodam judicio cognosceret, & morbum (quantum medico licebat) adhibitis salutiferis remediis cito fugaret. Insuper mores naturasque hominum optime callens, quicquid *Hippocrates* scribit, oportere medicum de ægroto posse dicere, dicebat: videlicet, quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura sequentur. Et hoc ex oris vultusque, ac ex totius corporis filo & habitu conjectare perquam scite noverat. Hinc puto eum ob tam insignem peritiam admirationi summæ omnibus fuisse, atque (ut de *Petro Apono* proxime dixeram) hæresis ac magiæ à *Franciscinis* monachis accusatum, *Romam*que ad causam dicendam pertractum: ubi cum se purgare sufficienter non valuerit, in *Melitam* insulam, quæ nunc *Malta* dicitur, in exilium perpetuum relegatus est. Hæc ego de tanta viri doctrina, apud probatissimos illius temporis scriptores legi. Quid autem in ea re scripserit, nondum inveni. Is dum in patria esset, & medendi disciplina floreret, intra portam sanctæ *Sophiæ* insignes tunc illius temporis ædes construi curavit: olim honoris causa à Republica *Patavina Joanni Sanguinacio* ejus patri dono datas. Obiit autem in exilio circa tempora *Acciolini* aliquot annos ante *Petrum Aponum*.

De Matthæo Roncalitrio.

Non omnino ignotus posteris esse debet *Matthæus Roncalitrius*, medicus & philosophus insignis: qui publice diu interpretatus *Aristotelem*, & postea *Galenum*, magnam in tota *Italia*, totaque *Europa* doctrinæ laudem consecutus est, ac ætate sua in academia *Patavina* principem locum tenuit. Quid autem scripserit, hactenus nihil comperi. Hujus sepultura est in templo Divi *Augustini*, ubi hoc epitaphium:

MIRVS ARISTOTELIS INTERPRES ET GALIENI,
INTERPRES LOGICAE GLORIA VICTA JACET.
IN CVNCTIS CATHEDRIS PATAVIS DECVS ISTE MATTHAEVS
DE RONCALITRO PHOEBVS IN ARCE NITENS.
CVM TRIBVS ASSVMPTIS VOLITABANT MILLE TRECENTI,
IN MAJI NONIS CONCIDIT ORBIS HONOS.

203 ## De Nicolao Sancta Sophia.

Celebratur à *Plinio Secundo* pro re maxime memorabili, quod in una familia *Curionum*, tres continuata serie oratores extiterint. At quanto majori celebritate digna res est, quod *Sancta Sophia* nobilis familia *Patavii* habuerit continuata serie septem philosophos, simulque illustres medicos, ut quasi prodigii loco haberi possit gentis hujus cognomen: quando sicuti *Sophiæ* nomine decoratur, sic etiam re ipsa in ea tamdiu perfusus *Sophiæ* splendor illuxerit. Quod enim proxime de genio *Patavii* dictum est, idem quoque de hac ipsa gente dici certo potest. Quandoquidem in ea domo res medica, seu familiaris, & hospita longo ordine illustrium medicorum tam diu familiariter diversari voluerit. O generosam stirpem! (libet exclamare) ex qua tanquam ex arbore quapiam frugifera, tale germen, & tanta sapientiæ ubertas tandiu pullulaverit. Exortus ergo ex hac gente primus omnium *Nicolaus*, vir sane in omni scientiarum genere, & potissimum in re medica consummatissimus. Fuit enim academiæ *Patavinæ* in ea facultate sua ætate facile princeps: cujus quidem nomen tunc per ea tempora celebre per universum orbem, longe lateque percrebuit. Huic duo filii ejusdem disciplinæ fuere, patri per omnia similes: *Marsilius* & *Joannes*, hîc à nobis proximo loco memorandi. Obiit autem *Nicolaus Patavii*, & sepultus est extra portam meridionalem Ædis Cathedralis, in arca sublimi, infra *Episcopium*: & templum: anno salutis M. CCC. L. ubi in tabula lapidea legitur hoc epitaphium:

QVI PIETATE NITENS, VIRTVTEQVE PRAEDITVS OMNI,
ET MEDICA MAGNVS DOCTOR IN ARTE FVIT:
HAEC TENET A SANCTA NICOLAI PETRA SOPHIA
CORPVS, MENS ADIIT CARNE SOLVTA POLVM.
TERTIA FINE DIES MAJI CVM VOLVERET ANNVM,
POST DECIES SEPTEM LVSTRA DVCENTA DEI.

De Marsilio Sancta Sophia.

Sequitur hunc jure meritoque *Marsilius* ejusdem *Nicolai* filius: qui omnes suæ ætatis homines, peritia rei medicæ, & philosophiæ, & in omni scientiarum genere ante alios valde claruit, suaque luce patriam hanc nostram, & omnem medicam disciplinam plurimum illustravit. Scripsit enim multa *De sanandis ægritudinibus* scitu dignissima. Composuit commentarios super aphorismos admirabili subtilitate, quæ ubique leguntur. Fuit is apud *Latinos* alter sane à *Petro Apono* (ut supra memoratus *Tortellius* refert) medicinæ illustrator eximius. Hujus scripta partim habentur impressa, & jam publice divulgata: partim (ut audio) nondum edita. Extat *opus Medicinæ practicæ in novum tractatum libri Rhasis ad Almasorem De curatione morborum particularium*, nunc primum *Haganoæ* impressum, anno Domini M. D. XXXIII. Is ob illustre sapientiæ nomen, anno Domini M. CCCC. II. *Marignanum* accitus, *Galeatium* ducem *Mediolani* extremum ferme spiritum trahentem (ut fertur) per aliquot dies ultra præscriptum (si fas est credere) in vita detinuit. Verum & ipse haud multo post *Bononiæ* dum ibi medicam disciplinam publice doceret, defunctus est, & ibidem sepultus in Æde *D. Francisci* cum hoc eleganti epitaphio:

VIVAT VT AETERNVM VITAE JAM MVNERE FVNCTVS,
HOC PRAESTAT VIRTVS, QVAE FACIT VNA DEOS.
SIC INVECTA POLO SVPERA MENS REGNAT IN AVLA,
VNDIQVE PER TERRAS, INCLYTA FAMA VIGET.
QVAE MORTALIS ERAT, JACET HIC PARS CONDITA, MAGNI
EXVVIAS ANIMI COLLIGIT VRNA BREVIS.
QVVMQVE PROCVL LATE RESONET SVA GLORIA, SAXVM
ACCIPIT EXIGVIS NOMINA MAGNA NOTIS.
MARSILIVS PATAVVS, CVI DAT GENS ALMA SOPHIA, 204
BONONIAE MEDICVS DVM DOCET, OCCVBVIT.

B. Scardeonius.

Id autem evenit ei, ut extra patriam moreretur, quod *Carrarienſi* principi parum gratus haberetur, quaſi ſecutus partes *Galeatii* principis *Mediolanenſis*, quum *Patavii* imperaret. Atqui poſtea ex pacis fœdere, patriæ redditus, tutius tamen deinceps ſibi *Bononiæ* quam *Patavii* liberales ſcientias profiteri viſum fuit. Hujus meminit *Baldus* in ſecundo volumine, conſilio c. XLVII.

De Joanne Sancta Sophia.

Alter vero *Nicolai* filius *Joannes*, *Marſilii* frater, patris & ipſe diſciplinam ſtudioſiſſime conſecutus, & philoſophiæ, & medendi ſtudiis ſe totum dedidit: in quibus tantum profecit, ut poſt parentem primas in gymnaſio noſtro omnibus ſuffragiis tenuerit. Edidit is volumen inſigne, quod *Medicina practica* appellatur, in centum & octoginta capita diſtinctum. Sed quoniam de hujus clariſſimi viri moribus & doctrina, in elegiaco carmine juxta illius ſepulchrum lapidi inſculpto ſatis abunde legitur, illud ipſum hic pro teſtimonio ſubnectemus.

Artiſta eximius medicinæ ritè monarcha,
Atque ſalus Patavi grandis & ampla jacet.
Ecce pater ſtudii, languentum cura Joannes,
Ortum cui celebris ſancta Sophia dedit.
Virtutis ſpeculum præfulgens, totus honeſtus,
Norma pudicitiæ, fidus amicus erat.
Expers nequitiæ, ſcelus oſus, regula vitæ
Hic fuit, ac omnis ſplendida cella boni.
Quicquid Ariſtoteles, Hypocras tulit, & Galienus,
Hauſerat: ac quicquid ſacra medella cavet.
Praxis vera fuit, totique ſalutifer orbi.
Cujus fama nitens permeat omne ſolum.
Hac terram juxta voluit ſepelirier urna,
Ut mitis natus, ſeque ſubeſſe patri.
Terra ſuum cœpit, cœpit ſibi debita cælum,
Perfruitur toto mens ubi ſancta Deo.

De Bartholomæo Sancta Sophia.

Subiit numero quartus poſt hos *Bartholomæus Joannis* proxime memorati filius, vir in omni diſciplinarum genere conſummatiſſimus: qui pariter & ipſe in academia *Patavina* & in philoſophia, & in medicinali ſcientia, ſuis temporibus principem locum tenuit. De eo quoque extat, in ſublimiori parte ſepulchri, hoc breve epitaphium:

QVEM DEDIT ALTA DOMVS SANCTAE PROPAGO SOPHIAE,
HIC JACET INSIGNIS PRAECLARVS BARTHOLOMAEVS.
HEV QVO LAPSA RVIT MEDICINAE FRACTA COLVMNA,
TANTI MORTE VIRI, PRO QVO FLEAT AETHER ET ORBIS.

De Galeatio, & Gulielmo *ejuſdem gentis.*

In iiſdem quoque ſtudiis clariſſimi evaſere, ejuſdem gentis *Galeatius* & *Gulielmus*, ambo in docendo, & medendo celeberrimi: quorum extant egregia monumenta, & præſertim *Galeatii*, qui ſcripſit *De febribus* præclarum opus, in quo nihil in ea re indiſcuſſum reliquit, aut quod à quoquam deſiderari, aut rectius dici poſſit. Obierunt ambo *Patavii*, & in ſepulchro majorum ſuorum ſepulti ſunt.

De Bartholomæo *juniore* Sancta Sophia. 205

A Videor mihi injuriam facere huic familiæ, ſimul & patriæ, niſi addam ſeptimum ex hoc ipſo genere virum præclarum: qui fuit alter *Bartholomæus*, ætate ſane noſtra, & ſtudiis philoſophiæ florentiſſimus: & in docendo, & in diſputando acutiſſimus: tantæque expectationis ac ſpei, ut ſi fata ad maturitatem cœpta ſtudia produxiſſent, abſque dubio, quod facile ex illis initiis conjectari poterat, non *Patavii* ſolum, ſed neque in tota *Italia* parem ſibi habiturus eſſe videbatur. B Mors autem, exoſa tantam unius gentis gloriam, non eſt paſſa tam magnifica cœpta ulterius progredi, & ad ſummam gloriæ metam pertingere. Extinctus eſt enim vir duodetriginta annos natus cum magno dolore univerſæ academiæ, & cum maximo ſuorum, ac univerſæ civitatis noſtræ mœrore. Obiit anno ſalutis circa M.D.XV. ſepultuſque eſt inter ſuos majores.

De Jacobo Dondo *ſive* Horologio.

Novum & admirabile per ea tempora *Horologii* opus, quod ſuper turrim nobiliſſimam in media civitate extare conſpicitur, *Jacobo Dondo* immortale nomen, & poſteris ejus cognomen C ſempiternum dedit: ita ut quæ *Donda* prius familia dicebatur, deinceps *Horologia* appellari cœpta ſit. Fuit autem *Jacobus Dondus* medicus, & aſtrologus longe clariſſimus, qui cum ingenio vehementer præſtaret, ſcripſit in utraque diſciplina præclara volumina. Extat ipſius celeberrimum *opus Aggregationis medicamentorum ad omnes ægritudines*, ubi remedia innumera collecta in unum veluti acervum congregavit: unde aliud quoque ſibi cognomen traxit, ut ab aggregandis medicinis non aliter quam *Aggregator* à medicis appelletur: ſicut *Aponus* à conciliandis repugnantibus medicorum placitis, *Conciliator* dictus D eſt. Edidit etiam opus quod extat *De modo conficiendi ſalis ex aquis calidis fontium Aponi*, non calore ſolis, aut ignis, ut communiter fit ex aquis ſalſis, ſed ex ipſius aquæ naturaliter caleſcentis tepore. Quod quidem ſal dulcius ſane atque nitidius multoque ſalubrius eſſe dicitur, quam marinum. Is etiam *Venetiis* aliquandiu commoratus, *de fluxu & refluxu maris* per ſingulos dies ſexta quaque hora, diligentius, quam quiſquam alius antea *commentatus eſt*. Colligit inſuper ex immenſo volumine *Ugonis Grammatici* expoſitiones omnium vocabulorum, admirabili E compendio, quod opus extat apud nos. Legitur ibi deſcriptum fuiſſe opus illud *Venetiis*, anno Domini M. CCC. LXXII. Adinvenit hic quoque primus (ut dixi) horologii opificium admirandum, quo non modo horæ diei ac noctis, ſed & annuus ſolis curſus per duodecim ſigna Zodiaci, & Lunæ menſtruæ aſpectus ſingulis diebus ſicut in cælo cernitur. Menſium quoque ac feſtorum dies, fabrili operatione *Antonii Patavini* ſolertiſſimi artificis, & acuto hujus ingenio aperte conſpici poſſunt: cujus operis ſingulæ converſiones idem efficiunt in Sole, & Luna, & præcipuis ſtellis errantibus, quod in cælo ſingulis diebus ac noctibus fieri videmus. F Hinc ergo (ut proxime dicebam) à tam nobili invento ipſe primus, antiquato priore cognomine, ab *Horologio* deinceps eſt appellatus: & poſtmodum tota ejus familia, quæ quidem *Patavii*, & honoribus, & divitiis, & viris præclaris in hanc diem ſemper floruit, atque in præſenti floret. Appoſitum autem fuit hoc Horologium ſuper turrim Palatii *Ubertini* principis *Carrarienſis*: anno ſalutis M.CCC.XLIIII. Idem autem multo poſt obiit

Pa-

Patavii, & sepultus est juxta Ædem Cathedralem in arca marmorea in excelso, exterius ad parietem baptisterii: ubi legitur hoc epitaphium:

ORTVS ERAM PATAVI JACOBVS, TERRAEQVE REPENDO
QVOD DEDIT, ET CALIDOS CINERES BREVIS OCCVLIT VRNA.
VTILIS OEFICIO PATRIAE, SAT COGNITVS ORBI:
ARS MEDICINA MIHI, CAELVMQVE ET
206 SIDERA NOSSE,
QVO NVNC CORPOREO RESOLVTVS CARCERE, PERGO:
VTRAQVE NEMPE MEIS MANET ARS ORNATA LIBELLIS.
QVIN PROCVL EXCELSAE MONITVS DE VERTICE TVRRIS
TEMPVS, ET INSTABILES NVMERO, QVOD COLLIGIS HORAS,
INVENTVM COGNOSCE MEVM GRATISSIME LECTOR,
ET PACEM MIHI, VEL VENIAM, TACITVSQVE PRECARE.

De Joanne Dondo, *seu* Horologio.

Præcipuum quoque patriæ decus, & ævi sui fuit *Joannes Dondus*, illustris philosophus, & medicus, & mathematicus præstantissimus: genere quidem & origine *Patavinus* ut pater, casu tamen quodam *Clodiæ* natus, quod tunc forte ibi *Jacobus* pater in ea urbe medicum ageret. Extat hujus præclarissimum opus, tribus voluminibus distinctum, lineisque & figuris mirabili arte signatum; ad conficiendum planetarium: ubi cursus cælestium signorum, libratis ponderibus facile metiantur; sicuti horarum: ut jam antea pater ejus fecerat in Horologio suo. Vidi primam partem apud *Galeatium Horologium*, civem præstantiss. Hujus operis titulus est, *Planetarum Joannis de Dondis civis Paduani*. Hujus operis tres sunt tomi, in quorum primo est doctrina componendi planetarium; in quo capita numerantur XXV. Reliquos duos extare audio apud alios ejusdem familiæ alumnos. Iste autem *Joannes*, *Francisci Petrarchæ* amicissimus fuit, eique summa consuetudine ac familiaritate conjunctus. Qui quidem *Petrarcha*, & si ex invectivis suis in medicum, medicos odisse videbatur: ad hunc tamen prolixas epistolas scripsit, atque consilia, quæ pro recuperanda salute ex ejus scriptis ab eo sæpius acceperat, impense laudat. *Misisti* (inquit) *plenam fidei epistolam, plenam solicitudinis, plenam artis, quam professus es: cui* (*quantum ego arbitror*) *nihil adderet Hippocrates, nihil demeret; nihil mutaret. Quin etiam ille tuis consiliis acquiesceret, cujus è fontibus hausta sunt, cum horum ego quoque nescius, & contemptor, in multis tamen ratione victus acquieverim.* Hæc ille. Alibi quoque de hujus viri præstantia, ac mutua necessitudine ita scribit. *Mihi* (inquit) *est hic Patavii inter alios unus, qui nisi eum medicina tenuisset, iturus erat ad sidera, tam celsi, tam capacis est ingenii: mihi vero tam amicus, ut vix ipse mihi sim amicior.* De hac autem sua benevolentia reddit etiam manifestum testimonium in suo testamento, in quo reliquit huic quinquaginta aureos, pro emendo sibi parvo annulo. Scripsit eleganter is *De fontibus calidis agri Patavini, & de causa caliditatis*: quæ in lucem exierunt. Insuper multa sapienter excogitavit de natura aquarum, & qua naturali virtute præstent, & quibus morbis medeantur, & quæ in ea re potissimum observanda sint. Atque hæc omnia tam erudite, ut addi ab alio quicquam melius, aut æque bene vix possit. De hoc *Michael Savanarola* ubi de balneis montis *Grotti* disserit: *Joannes* (inquit) *de Dondis vir religiosus in quodam tractatu De causis caliditatis balneorum Patavinorum, & De natura harum aquarum, ita scribit: Quondam bonæ memoriæ genitor meus, & imaginator, & inventor subtilis primus suo ordinavit ingenio, & artificioso opere, quo pacto ex his aquis coagularetur, seu congelaretur candidissimum sal, ut ex mille libris aquæ, una salis conficeretur. Struxit ibi propterea novas ædes, à quibus modo balneis ipsis inditum nomen est, Casanova. Juxta quem locum parva extat lacuna, ubi sal copiosius conficiebatur, eo quod ibi aquæ essent prioribus salsiores. Id autem fiebat Carrariensium principum favoribus, pro commodo civitatis.* Hæc ille. Hujus quoque viri præstantiam *Blondus* historicus, & alii ejusdem temporis scriptores, honorificentissime prædicant. Sepultus est autem ad portam Orientalem Basilicæ Cathedralis in ingressu canonicæ in arca marmorea, ubi hoc epitaphium legitur.

TVMBICA SIC CELSVM CONCLVSIT PETRA IOANNEM:
QVEM DONDIS SATVM GENVISTI CLAGIA LYMPHIS.
AST ANIMVM MEDIO SEPARARVNT NVMINA IANO.
HIC REGVBANS PATAVI SVPREMAQVE SIDERA 207
TERRIS,
CAELICIS HIC SEPTEM CONFECIT MYSTICA STELLIS.
PRAETERITI DOCTOR RENOVANS HIC SANGVINIS VMBRAM,
PHILOSOPHVS, RHETOR, MEDICVS, MORTALIS IN ORBE
OPERA TERRENIS LIQVIT SVPER AETHERA SCANDENS.

M. CCC. LXXX. die XXVII. Septembris.

Gabriel Dondus *sive* Horologius.

Hujus *Joannis* frater fuit *Gabriel*, & ipse doctissimus medicus, & egregius philosophus: qui eximiis præmiis *Venetias* vocatus, ibi in curandis ægris ita præclare se habuit, ut alter *Hippocrates* ab omnibus haberetur: & ex ea nominis fama fuit toto orbe notissimus. Extat & hujus marmoreum sepulchrum juxta arcam fratris, cum hoc epitaphio:

QVEM TEGIT ISTE LAPIS SPECIOSO SANGVINE CAESVS,
EX CLVGIA NATVS, VENETA DEFVNCTVS IN VRBE,
NVNC REQVIESCIT HVMO DE DONDIS GABRIEL ISTA,
PAR PATRIBVS FVIT MEDICORVM GLORIA VIVVS,
MORIBVS HIC NVLLI CESSISSET, LECTOR, HONESTIS,
ITALIAE POPVLIS VENERANDVS DOGMATE MVLTO.
NOMINA MAGNA TVLIT, MERVITQVE SEPVLTVS AMARI.
CORPVS SAXA TENENT, CAELVM MENS INCOLIT ALMA.

M. CCC. LXXXVIII. XIX. Octobris.

De Jacobo Arquadio.

Commendatur in re medica (ut in *Patavinis* annalibus habetur) mirum in modum doctrina & ingenium *Jacobi Arquadii Patavini*; qui

qui floruit *Carrariensium* principum temporibus: A
cujus fama impulsus Episcopus & illustris princeps *quinque Ecclesiarum*, incurabili morbo laborans, ex *Ungaria Patavium* ad hunc virum profectus est, à quo paulo post inexcogitatis & novis quibusdam remediis, ab jam deplorata ægritudine liberatus, & pristinæ saluti redditus (*Arquadio* primum multo auro & regiis muneribus donato) in patriam summa cum alacritate revertitur. Quid autem hic in ea re scripserit, aut qualia monumenta reliquerit, præter hanc immortalem famam medendi, penitus ignoramus.

De Petro Pernumio. B

Nihil fere diversum à superiori exemplo, legitur de *Petro Pernumio*, medico sui seculi excellentissimo: qui quum in re medica *Patavii* cæteris & curando & docendo præstaret, missus fuit ad *Franciscum Carrariensem* seniorem, qui arcta custodia à *Galeatio Mediolanensi* principe tenebatur: quasi hic unus sua arte hominem mortifero morbo laborantem, senioque confectum, & jam morientem posset ab inferis revocare, cum juxta Ovidianum illud:

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum. C

Nam tunc quum *Franciscus* ipse laboraret in extremo spiritu, & nullis humanis indigeret amplius remediis: sed expiationibus tantum & benedictionibus, ac spiritualibus sacramentis, pio sapientis medici consilio sanctificatus & inunctus, Christiano more mox liber à custodia & simul ab hac vita decessit: Anno à Christi natali M. CCC. XCV. De *Pernumii* autem vita aut morte nil aliud hactenus quod dicatur habemus.

208 Jacobus à Sancto.

Clarissimi quoque nominis fuit olim *Jacobus* D
cognomine *à Sancto*, vir in omni scientiarum facultate mirificus: & si nihil penitus ad aures, vel ad oculos nostros de eo pervenerit, præter nomen ex insigni statua & egregii tituli inscriptione illius sepulchro apposita: ex qua non possumus non conjectare, hunc virum fuisse, tam doctrinæ gloria, quam morum elegantia suo ævo præstantem, & in re medica, & omnibus doctrinæ studiis, & præsertim philosophiæ clarissimum. Hujus monumentum extat apud Basilicam *D. Antonii* Confessoris, sub porticibus ad Meridiem his versibus insignitum:

EXIMIVS DOCTOR MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE, E
RVPE SVB HAC JACOBVS DE SANCTO DICTVS HVMATVR.
VIR FVIT HIC JVSTI CVLTOR, SINE COMPARE PRVDENS,
SOBRIVS ATQVE PIVS, VITA PERFECTVS HONESTA.
OCCASVQVE SVO SVA QVAEQVE RELIQVIT EGENIS,
HANC ET DOTAVIT MAGNIS PROVENTIBVS ARAM.
PRO HVJVS EXEQVIIS CELEBRANDIS QVOLIBET ANNO F
AEQVE SVO DEBET TORQVES LVCERE SEPVLCHRO.
CVMQVE ET MILLE QVATER CENTVM LABENTIBVS ANNIS
DENA ET SEPTENA JVNII, VIR CLARVS OBIVIT.

De Benedicto Galmarello.

Quod proxime de *Jacobo à Sancto* diximus, idem pene dicendum videtur de *Benedicto Galmarello*, insigni medico: cui ex omnibus literarum studiis, quibus maxime suo ævo floruerat, hoc tantum extat nomen, quod hæret injunctum cineribus apud eandem Basilicam *D. Antonii* Confessoris.

PHILOSOPHVS DOCTOR MEDICA CELEBERRIMVS ARTE,
SVBJACET HVIC BVSTO VIRTVTVM DOTE CORVSCVS,
DE GALMARELLIS BENEDICTVS NOMINE, REQVE
TOTVS JVSTITIA, TOTVSQVE MODESTIA VIXIT
ADVERSIS CONSTANS, PERAGENDIS MAXIME PRVDENS:
VTQVE SVAS CELEBRENT FRATRES HI QVOLIBET ANNO
INFERIAS, ISTI LEGAVIT PROVIDVS ARAE.
HIC CORPVS, MENS ASTRA COLIT, SVA CANDIDA FAMA
VIVET, ET A NVLLO TENEBRIS DAMNABITVR AEVO.

De Nicolao Monsilice.

Illis quoque temporibus, extitit fama celebris, & experientia, & doctrina medendi probatus, *Nicolaus Monsilicis*, chirurgus insignis, & ipse hic à nobis inter claros medicos merito numerandus: cujus sepulchrum extat apud *D. Antonii* Confessoris Ædem, cum hoc epitaphio:

MONTE SATVS SILICIS, MEDICINA DOCTOR ET ARTIS
CHIROGICAE DOCTOR NICOLAVS ORIGINE NOTA.
FILA SVAE VITAE, CVM REPPERIT ATROPOS VRNAM
HANC SIBI, QVA RECVBET DEFVNCTVS CORPORE, LEGIT.

De Nicolao Rido.

Nec est hic ullo pacto prætereundus *Nicolaus Ridus*, vir undequaque doctissimus, & quibusque medicis, ac etiam poëtis suæ ætatis merito conferendus. Decantavit is multa quidem carmine, & præsertim prognostica metrica ægrotantium, ut scribit *Jacobus Forolivienfis* in Commentariis super Aphorismos *Hippocratis* libro primo. Scripsit quoque alia multa, quæ temporum injuria ut pleraque alia perierunt.

De Jacobo Zanetino. 209

Maximum philosophum ac medicum fuisse constat *Jacobum Zanetinum*, quippe qui per multos annos in hac academia *Patavina* Physicam summa cum gloria professus est, & in re medica idem præstitit, quod antea ejus pater in Grammatica & Rhetorica. Utriusque tumulus visitur apud Eremitanos, hoc insignitus elogio:

SACRVM EXIMII, ET FAMOSI ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS M. JACOBI DE ZANETINIS DE PADVA PHYSICAM PADVAE ORDINARIE LEGENTIS, FILII OLIM BONAE MEMORIAE M. ZANETI HONORABILIS GRAMMATICI, ET RHETORICAE PROFESSORIS

M. CCC. LXXXVIII. VI. SEPT.

De

De Antonio Cirmisono.

Addamus huic *Antonium Cirmisonum*, civem nostrum excellentissimum medicum: qui in hoc *Patavino* gymnasio diutius, & (quoad vixit) principem locum tenuit, utpote vir omni scientiarum genere præstantissimus, tunc ea ætate, & philosophiæ, & rei medicæ princeps habitus. Is dicitur fuisse *Savonarollæ* medici excellentissimi præceptor. Scripsit in ea facultate plurima volumina luculentissime, quæ passim per universum orbem divulgata leguntur: & præsertim *Saluberrima consilia adversus omnes ægritudines, à capite usque ad pedes*, & *De urinis*, aliaque multa scitu dignissima. Hic primus (ut fertur) Jurisconsultorum more inter legendum, casum in terminis, auditoribus suis formare consueverat: qui mos ab eo diductus, in hanc usque diem, in scholis à plurimis observatur. Extant & alia (ut fertur) hujus viri præclara monumenta, quæ nec ad manus nostras, nec ad notitiam vulgi hactenus pervenerunt. Obiit *Patavii*, & elatus ad Ædem plumbeam *D. Antonii* Confessoris, ibi jacere dicitur.

De Leonardo Bertopalea.

Inter hos quoque non immerito numerandus est, excellentissimus chirurgiæ professor *Leonardus Bertopalea*, cujus doctrinæ præclara monumenta, in toto terrarum orbe probantur. Scripsit enim *De chirurgia*, & *super Canonem quartum Avicennæ insignes commentarios:* & *De aquis conficiendis, ad pellendas ægritudines maxime idoneis:* & pleraque alia, quæ nunc impressa typis, assidue studiosorum hujusce disciplinæ manibus teruntur. Quædam vero adhuc latebras fovent, & apud paucos reperiuntur: quæ forte aliquando ex privato in publicum commodum venient, ut esse possint sicut & reliqua cunctis communia.

De Sigismundo Polcastro.

Admirabilis sane fuit, ac pene incredibilis *Sigismundi Polcastri* in omni disciplinarum genere præstantia: quæ illum & clarum & immortalem reddit. Is enim pene puer ita liberalibus disciplinis est imbutus, ut valde adolescens artium & medicinæ titulis decoratus fuerit: qui mox ad profitendam philosophiam, & ad docendum publice, quæ didicerat in hac academia *Patavina* cunctis prælatus, ingenti laude quinquaginta & amplius annos, tum scribendo, tum docendo, tantum sibi nominis acquisivit, ut ex diversis provinciis discipuli frequentes ad hujus sicut olim
210 ad *Socratis* scholam undique confluerent. Tantæ vero auctoritatis apud omnes habitus, ut quicquid assereret de re medica (ut de *Pythagora* dictum est) absque alterius testimonio pro comperto à cunctis haberetur. Testantur præter cætera, divinum viri hujus ingenium, tum ea quæ de humido radicali subtilissime disseruit, tum quæ in opere Galeni acutissime commentatus est. Edidit insuper in quæstione *de Actuatione medicinarum* laudatissimos *commentarios*. Difficile dictu est, quantum luminis, & in explicandis difficillimis nodis, & in inveniendis novis rationibus rei medicæ posteris præbuerit. Hinc tantum sibi existimationis & nominis acquisivit, ut undique magnis propositis præmiis ab *Italiæ* principibus, uti alter *Hippocrates*, adiretur, & magnis muneribus donaretur. Is autem in senectute, quatuor filiis brevi tempore infeliciter orbatus, septuagenarius ad suscitandam sibi prolem, uxorem secundam duxit, ex qua (quod mirum fortasse vi-
A debitur) ei tres filii nati sunt: quorum primogenitum *Antonium* doctrinæ infulis utriusque juris censuræ vidit de more ab ejus præceptoribus decorari. *Hieronymum* vero ipsemet philosophica laurea cum summo gaudio tremulis præ senectute manibus exornavit, & obortis præ lætitia lachrymis tenerrime exosculatus est. Post hæc autem non diu supervixit. Nam vitæ satur, ubi nihil sibi in vita lætius speraret, mortem lætus lubensque expectans, migravit ad superos: annos natus nonaginta quatuor. Sepultus est in Basilica Eremitarum in ingressu ad lævam in sepul-
B chro gentilitio cum progenitoribus suis.

De Michaele Savonarola.

Constat autem eadem tempestate præ cæteris, & doctrina medendi, & sapientiæ fama floruisse *Michaelem Savonarolam*, physicum doctissimum, & virum equestris ordinis *Hierosolymitanorum* insignem. Is multa de re medica scripsit: quæ jamdiu impressa, ab omnibus in maximo habentur pretio, & summopere commendantur. Inter cætera autem edidit *Introductionem practicæ medendi:* & *opus ad componendas medicinas* maxime idoneum, propter quod hunc virum in pri-
C mis omnes fere aromatarii, & medicinæ studiosi consuevere in ea re, uti ducem magistrumque sectari. Hoc opus dedicavit *Sigismundo Polcastro* coævo suo: qui tunc inter physicos, uti is inter practicos uterque princeps habebatur. Edidit præterea *Canonicam de febribus*, & *De pulsibus*, *De urinis*, *De egestibus*, *De vermibus*, *De omnibus balneis*, & *De mineris eorum*: videlicet alumine, sale, nitro, cinere, calce, gypso. Separatum vero de XXIV. *Italiæ*, *Deque usu vitalis aquæ*, & quomodo conficiatur: *Deque mirabili ejus virtute ad conservandam sanitatem*, & ad diversas ægritudines curandas: & denique *De omni-
D bus rebus, quæ ad usum medendi pertinent*, & quæ cunctis medicis scitu necessaria fore putabat. Quæ singula impressa leguntur. Edidit insuper illustre *Physionomiæ speculum*, quod postea *Theodorus Gaza* homo sane *Græcus*, sed tam *Latine*, quam *Græce* omnium eruditissimus, à *Latinis* ad *Græcos* transtulit: quod sciret *Græciam* ea disciplina carere, arbitratus id quod erat, hæc non parum frugis *Græcis* suis, nec sibi parum gloriæ allatura, si unde medicæ artis ad *Latinos* prius exiit inventum, modo hominis *Latini* inventum aliud novum ad *Græcos* traduceret. Iste etiam
E (ni fallor) primus edocere cœpit, quibus potissimum salubres forent tepefactæ *Aponi* fontis aquæ epotæ, ad tollendas multas ægritudines, quemadmodum in agro *Veronensi* aquæ *Calderii*: sicuti in eo volumine in quo de balneis agit, mihi innuisse videtur. Is ergo ob tantæ præstantiæ famam, à magno principe *Estensi* ingenti mercede *Ferrariam* accitus est: cui adeo charus gratusque fuit, ut innumeris ejus & civium *Ferrariensium* beneficiis muneribusque devinctus, nequierit postea inde recedere: quinetiam posthabito natali solo, & patriæ desiderio, ea civitate do-
F natus, illic sibi suisque domicilium fecit, ubi *Savonarola* familia postmodum propagata est: utque olim tantum *Patavina*, nunc etiam *Ferrariensis* habeantur. Ex hac gente, vel etiam ex hoc forsan parente prodiit vir omnibus seculis 211
admirandus *Hieronymus Savonarola*, religiosæ familiæ *Dominicanæ* sacratus: qui singulari doctrina præditus, in sacris concionibus sua admirabili facundia, tanta opinione sanctitatis aliquando *Florentiæ* fuit, ut in numero divorum, vivens adhuc publico populi consensu haberi visus sit: & quod futura multa prædixerat, divino afflatus spi-

ſpiritu crederetur. Atqui tandem cum multa liberius ſcriberet, & publice palamque veſana declamandi licentia, è ſuggeſtu mordacius in *Alexandri VI.* Pontificis Maximi vitam moreſque diceret, quæ poteſtatem Pontificis in dubium vocare videbantur: neque vellet interdictus à ſacris deſiſtere, neque à prædicatione hujuſcemodi ceſſare. Oborta interim ob id cum monacho *Franciſcano* ſuper ea re de doctrina veritatis, mortifera contentione, ignis experimentum utrinque proponitur. Verum cum is fornacem incenſam una cum illo pro utriuſque juſtificatione (ut convenerant) ingredi recuſaſſet, redditus eſt repente falſitatis ſuſpectus. Et qui hactenus ob eximiam doctrinam, approbatamque continentiam, atque incredibilem facundiam, in ſumma omnium admiratione fuerat, mox mutata ſorte, & converſo in contraria ſtudia vulgi favore, illico comprehenſus, & contumeliis affectus, ac quæſtionibus extortus, fato, neſcio quo ſuo potius quam crimine damnatus, laqueo prius ſuffocatus, & deinde flammis combuſtus, miſerabile ſpectaculum oculis omnium in foro medio *Florentiæ* præbuit. Mente vero ita firma & intrepida, tantaque animi conſtantia ſemper fuit, ut tunc vel ſic moriens, non minus quam antea vivens multis venerabilis fuerit: & quicquid venerationis prius vivo aliquando delatum, idem fuit poſtea & mortuo cumulatiſſime redditum. Quatenus ut in ejus morte nihil æque admirarentur homines, quam quod Deus permiſerit, talem tantumque virum, tali exitu vitam finire feliciori fortuna dignum. Reſtat adhuc tamen in eo populo hujus viri incredibilis opinio ſanctitatis: & multi ſunt, qui uti martyris indigna nece peremptì è rogo ejus cineres collectos, in hunc diem ſumma cum veneratione conſervent. De eo *M. Antonius Flaminius* hoc cecinit carmen:

Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus,
Relligio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Sed ut ad medicum noſtrum redeamus, obiit ille *Ferrariæ*, anno ſalutis humanæ M. CCCC. XXXI. Primo autem ſepultus eſt in templo *D. Mariæ in Vado:* quo nunc à fundamentis eruto, ut ſpecioſius erigatur, oſſa ejus in peninſulam translata ſunt, & in Æde *D. Georgii* ſine titulo (ut audio) repoſita. Addamus huic ex eadem gente & *Albertum Savonarolam*, philoſophiæ & ejuſdem artis medicæ profeſſorem: in cujus funere nepos ejus *Franciſcus Savonarola* hoc edidit epitaphium:

HIC SVNT ALBERTI CINERES, MENS ERRAT IN VMBRIS
ELYSII SVPERIS ASSOCIATA CHORIS.
ELOQVIO CLARVS, MEDICA CLARISSIMVS ARTE,
VIXIT, HONOS PATAVI SAVONAROLA FVIT.

De Bartholomæo Campo.

Qualis & quantus fuerit philoſophus ac medicus, quantumque in omni diſciplinarum genere excelluerit *Bartholomæus Campus*, & ſi ejus lucubrationes negligentia ſuorum uſque ad noſtra tempora non perdurarint: titulus tamen & ſtatua, quæ in ſepulchro ejuſdem cernitur ſupra januam Baſilicæ *Divi Cantiani*, viri hujus excellentiam aperte declarant, & multo etiam apertius aſcripta carmina, quæ ibi in marmorea tabula ſic exſculpta leguntur:

ECLIPSATVR APEX MEDICINAE, LVX MEDICORVM
HIC EXTINCTA JACET, CELEBRI GRAVITATE VERENDVS
BARTHOLOMAEVS ERAT, GENITVS COGNOMINE CAMPO: 212
FATO HVJVS DESERTVS AGER, VIDVATVS APOLLO,
ET STVDIOSA TRIBVS MIXTIM SVA DAMNA QVERVNTVR.
ACCEDAT QVERVLIS HVC POSTERA PLANCTIBVS AETAS
HVNC TANTVM LVGERE VIRVM, QVI MENTE QVIESCIT
CVM IOVE: STET TITVLIS VIVAX SVA FAMA PER AEVVM.

De Bartholomæo Montagnana.

Ubi quæſo non eſt audita celebris fama & illuſtre nomen *Bartholomæi Montagnanæ*, phyſici doctiſſimi, qui tum in philoſophiæ, tum etiam in medicæ artis ſtudiis parentum noſtrorum memoria ita claruit, ut eo tempore non immerito primus omnium profeſſorum artium liberalium, ubique terrarum, ab omnibus haberetur. Peritia namque ejus tanta fuit, & tam excellens medendi ſtudium, quod ei tum ex doctrina, & ingenio ejus præſtantiſſimo, tum ex magiſtra illius artis experientia obtigerat, ut à cunctis ſane quaſi *Galenus* alter in mundo revixiſſe putaretur: quatenus ad eum ex longinquis oris undique *Patavium* aut pro ſalute impetranda, aut pro conſiliis ægrotantium habendis aſſiduus concurſus fieret: non ſecus quam olim ad *Æſculapium*, inventorem ac divinum præſidem medicinæ. Quod quidem ultra trecenta conſilia ſuper omni morborum genere, ab eo edita, teſtantur. Quæ omnia ſane jam decies typis excuſa, ubique per univerſum orbem diſperſa leguntur. Etenim ſi is tantum ſtylo in ſcribendo valuiſſet, quantum ingenio, doctrina & arte valuit in medendo, profecto ſub judicio cujuſcunque rei medicæ periti, neque *Galeno*, neque *Avicennæ* in curandis ægris, vel in dandis medicinarum præceptis, ulla ex parte ceſſiſſet. Defuit illi quidem *Latinæ* elocutionis elegantia, & ornatus dicendi: qui modus tunc loquendi non inſcitiæ hominis, ſed temporis vitio aſcribendus eſt, quando bonæ literæ in his diſciplinis prorſus neglectæ jacebant. Scripſit poſt *Savonarolam De ſeptem balneis agri Patavini tres tractatus*, ut ex his aquis quæ capiti, quæ pectori, quæ juncturis, & quæ denique ſtomacho proſint facile noſci poſſint. Scripſit & *De compoſitione & uſu medicinarum.* Edidit inſuper *Antidotarium* valde neceſſarium, & forte plura alia, quæ neſcio. De eo autem hoc doctiſſimi quique uno ore confirmant, hunc unum in bonis authoribus rei medicæ præ cunctis aliis diligentius verſatum eſſe, atque cæteris medicis, qui in ea re ſcripſerunt, in ſimplicium medicaminum notitia longe præſtare. Floruit is circa annum incarnationis Dominicæ M. CCCC. XL. Extat hujus ſepulchrum apud Eremitanos, cum hoc elegantiſſimo epitaphio:

HEV MISERVM MORTALE GENVS, NVNC CLARVS APOLLO
OCCIDIT, ET MEDICAE MAXIMVS AVCTOR OPIS.
O QVOTIES VITAE CRVDELI A FVNERE RAPTOS
RESTITVIT, DOCTAS APPLICVITQVE MANVS.
HIPPOCRATES CESSIT MEDICVS, DIVVSQVE MACHAON,
HINC ET CORONIDES, PHYLIRIDESQVE SENEX.
BARTHOLOMAEVS EO EST DEFVNCTVS FVNERE, QVO NON
GLORIA, SED TANTVM MEMBRA SEPVLTA JACENT.

De

De Bartholomæo Montagnana *posteriore.*

Celebrandum hoc quoque loco sese nobis offert alter *Bartholomæus*, & ipse in publico gymnasio nostro clarissimus medicinæ professor, ejusdem sane familiæ, nominisque & cognominis, cum superiore: qui etsi non tanta fortassis medendi experientia valuerit, at certe ingenio par fuit: stylo autem & politioribus literis (prout ætas nostra exigit) multo etiam præstantior. Scripsit enim eleganter & docte consilia tam reparandæ quam conservandæ sanitatis scitu dignissima. Legi ego in bibliotheca fratris mei *Jacobi Scardeonii* physici, elegans exquisitissimumque
213 consilium ejus manu scriptum de morbo *Gallico*, ad illustrem principem, & Cardinalem, & Proregem *Ungariæ*. Extat etiam tractatus ejus admodum insignis, *de pestilentia* ad *Adrianum* Pontificem Maximum, apud *Marcum Antonium* ejus nepotem, excellentissimum Chirurgiæ doctorem. Ex quibus facile conjici poterit, quid de reliquis existimandum sit, quæ ab eo scripta quidem sunt, nondum tamen edita. Accitus tandem *Venetias*, ibidem in maximo pretio habitus, obiit senex post partas multas divitias, anno salutis M. D. XXV. die II. Maji, & ibidem sepultus est.

De Petro Montagnana.

Adnectendus est hic etiam ex eodem municipio *Petrus Montagnana*, philosophus magni nominis, & medicæ artis peritissimus, & de re medica optime meritus, qui pleraque egregie scripsit: inter quæ extare vidimus opus perquam celebre, in quo picturis & imaginibus interiora hominis, ita in apertum produxit, ac sub omnium oculis posuit, & optimis expositionibus singula quæque ita declaravit, ut jam nihilo sane minus per hæc ipsa sic efficta vere desecta artuatim animantium membra, ac patefacta, notiora esse ullatenus possint. Quod quidem opus medici omnes plurimi faciunt. De hac ipsa re plerique postea diffusius atque apertius, hæc eadem & alia ejusmodi multa effinxerunt: hujus tamen inventum fuisse comperio. Edidit etiam alterum opus *De agnoscendis urinis* breve admodum, sed optimum, & nihilo minorem de ea re disciplinam complectens, quam oporteat. Addidit iis quædam sancta præcepta de vulneribus, & ulceribus, & de cunctis læsionibus humani corporis, & de eorundem remediis, & de modo & ratione curandi. Quæ quidem omnia præ nimia sui utilitate, ut interim quicunque Chirurgia delectantur, instrui facillime possint, etiamsi *Latinis* literis careant: pro communi modo in *Italiam* linguam versa sunt, ut studiosissimus quisque artis hujus erudiri, & Empiricus evadere facile possit.

De Joanne Antonio Lidio.

In eadem re medica, & in omnium artium liberalium disciplina tantopere sua ætate enituit *Joannes Antonius Lidius*, ut ei tunc non gymnasium & patria solum, sed tota etiam *Italia* medendi palmam daret. Et præsertim inclyta *Venetorum* civitas, quæ sæpe consulto Senatus & principis decreto, ut constat publicis literis quas legi, *Venetias* ad difficillimas ægritudines Senatorum & virorum principum curandas, unus omnium in primis in scholis vocatus est: & jussu prætoris eo cum magna existimatione missus, & illic ut *Æsculapius* alter honoratissime exceptus: & tunc præcipue quum anno salutis M.
A CCCC. LXVI. *Venetiis* omnes fere nobiles mortiferis febribus, quasi peste laborarent, & pauci evaderent. Mirabile dictu, paucis diebus paratis ad id morbi genus salutaribus remediis, sævissimam illis pestem quamprimum fugavit, & pristinam restituit universæ civitati salutem. Ex eo inde valde honoratus, & multo simul auro donatus ad suos reversus, in tanta opinione sapientiæ, & medendi peritiæ fuit, quoad vixit, quanta in tota *Italia* quivis alter. Quid vero scripserit, cum tanta medendi arte præstaret, nescio. Quod evenit fortasse, quia quotidianis solicitudinibus ægrotantium pressus, non potuit ejusmodi scri-
B bendi curis vacare: velut plerique multi factitant, non curavit. Floruit circa annum Domini M. CCCC. LXIIII.

De Paulo Bagelardo *sive à* Flumine.

Occurrit ejusdem professionis & artis ilustris doctor *Paulus Bagelardus* ex nobili familia: quæ antiquato priori vocabulo à *Flumine* postea nuncupata est: vir admirandæ doctrinæ, & omnium liberalium disciplinarum peritissimus: qui sua tempestate in academia nostra sine ulla controversia, primatum tenuit. Is enim adhuc
C juvenis philosophiam docens, maximam opinionem futuræ sapientiæ tunc omnibus excitatam minime fefellit. Fuit enim studiosissimus, & 214
laborum per omnem vitam suam tolerantissimus. Scripsit quamplurima, nobis autem nihil de his constat, præter tractatum *De ægritudinibus infantium* minime spernendum, ad *Nicolaum Tronum Venetorum* ducem: quod quidem opus primo *Venetiis*, & rursum proximis annis *Lugduni* impressum habetur. Moritur anno à natali dominico M. CCCC. XCIIII. provectæ jam ætatis, & sepultus in porticibus *D. Antonii* Confessoris in sepulchro majorum.

D
De Bartholomæo & Francisco Novaliis.

Addamus hic clarissimis istis medicis *Bartholomæum* & simul *Franciscum Novalios* fratres, & medicos excellentissimos, qui in hac civitate nostra per multos annos felicissime, & philosophiam, & artem medicam docuere: & multa scripserunt in ea facultate, quorum notitiam *Petrus Novalius* eorum nepos & hæres, fere solus habuit: & propterea inter præcipuos hujus civitatis medicos, dum viveret, & ipse semper est habitus. Floruerunt illi quidem circa annum Domini M. D. sepulti sunt in sepulchro majorum
E apud *D. Franciscum.*

De Nicolao Comite.

Nuper cum essem prope diem editurus in lucem nostra hæc Commentaria, allatum mihi fuit insigne opus Astrologiæ, eximii astrologi, philosophi, & oratoris, & equitis, *Nicolai ex comitibus Paduæ*, quod ad filium scripserat, ubi eleganter quicquid de ea re dici aut sciri potest, brevi compendio disertissime complexus est: concilians opiniones diversas sapientum astronomorum, non modo antiquorum, verum
F etiam novorum. Quæ omnia in octo distinguit capita. Primo *de Qualitatibus temporum sub modo & forma generali*, sub qua particularia in temporibus originem sortiuntur. Secundo *de Aëris alternationibus in anno contingentibus.* Tertio *de iisdem contingentibus in mense.* Quarto *de his quæ in die contingere possunt.* Quinto *de occurrentibus in hora.* Sexto *ponit mansiones Lunæ certificatas, ad tempus præsens in hac arte recte observandas*, à quibus pluviæ, imbres, venti, & aliæ

aëris impreſſiones produci apte poſſunt. Septimo docet *ex hac aſtrorum ſcientia cognoſcere dictas impreſſiones aëris*, imbres, & pluvias, & diverſas tempeſtates per ſigna circa Lunam, & per Cometas, & alia prodigia in aëre apparentia: ac per actus quorundam animalium quæ id præſentiunt. Poſtremo *agit de ſignis ad cognoſcendos terræ motus, & peſtem futuram, & aëris corruptionem.* Et inter alia multa colligit notatu digna de epidemia, & peſte: de fertilitate, ſterilitate, & annonæ caritate imminentibus. Opus ſane editione (ut mihi videtur) digniſſimum, quod extat penes *Paulum de Comitibus* ejus ſucceſſorem, mihi ab *Alberto* hujus *Pauli* filio ad legendum accommodatum. Is cum eſſet vir clarus, & in rebus publicis ſapiens haberetur, à *Florentinis* in Prætorem accitus eſt, ubi æquiſſime & liberaliſſime ſeſe habuit: ſed quum fidejuſſiſſet pro *Strociis* patriciis ejus urbis primariis, in maxima ſumma pecuniæ vendere coactus eſt poſſeſſiones ſuas. Quocirca vixit poſtea in *Monteſilice* otio literarum deditus, uſque ad mortem. Deceſſit autem ann. M.CCCC.LXVIII. & ibi ſepultus eſt in Æde *D. Franciſci* humi ſub lapidea tabula rubea.

De Petro Carrerio.

Non eſt hic merita gloria defraudandus *Petrus Carrerius* ex *Monteſilice*, medicus præſtantiſſimus: qui ſcripſit opuſculum *de Venenis*, tanquam appendicem & additamentum iis, quæ de ea re ediderat olim *Petrus Aponus*, phyſicus illuſtriſſimus, & id quidem breviter: ſed nihilo minus fere apte ſubtiliterve, ac docte, quam is ipſe quem imitatus eſt. Ex quo manifeſte ſatis conſtat, quantæ doctrinæ, & quantæ præſtantiæ in re medica habendus ſit. Additus & annexus modo ab impreſſoribus eſt hic liber *Petro Apono de Venenis*. Scripſit fortaſſe alia, quæ nondum ad notitiam noſtram pervenire potuerunt.

215 *De* Petro Trapolino & Franciſco *Filio.*

Non ſine magna animi moleſtia memorandus eſt hic mihi *Petrus Trapolinus*, philoſophus ac medicus maximæ auctoritatis atque præſtantiæ: qui philoſophiam & theoricam rei medicæ *Patavii* diu publice profitendo, celebre nomen ſapientiæ per omnia fere *Europæ* gymnaſia, longe lateque diffudit. Verumenimvero fatum adverſum, & inimica fortuna (ſi malus eventus fortuna, nón caſus potius appellandus eſt) in cauſa fuit, ne tantæ de ſe expectationi ſuis aliquando monumentis in publicum emiſſis, deſiderio omnium ſatisfaceret, & patriæ ſimul ornamentum ſummum (ut expectabatur) afferret: quando ſimul & mortis neceſſitas, & domus direptio, uno eodemque ferme tempore ei importune, infeliciterque contigerit. Quo enim die *Patavium Maximiliani* Cæſaris imperio ceſſit, mortuus eſt: poſt diem vero quadrageſimum, quo *Venetus* Senatus feliciter urbem recuperavit, viſus eſt ſecundo mori: quandoquidem integræ ejus lucubrationes & conſummatiſſima opera, quibus ſane ab omni poſteritate, perpetuam nominis immortalitatem expectare poterat, una cum fortunis omnibus, *Venetorum* militibus prædæ fuerint. Atqui vero tanti philoſophi, tantique viri fama, vel ſic hoſtiliter ſurreptis ejus monumentis, ſi non ſuis, ſaltem aliorum ſcriptis, qui ab eo didicerunt, honoris cauſa ſæpius recenſita memoria perpetuo eſt duratura. Edidit adhuc juvenis, opus *De reſtauratione humidi radicalis* ad Dominicum Cardinalem *Grimanum*, & hoc vel ſolum
A opus (quod ſciam) typis excuſum fuit. Reliqua vero ex ea deprædatione, paſſim direpta & perdita deſiderantur. Quidni deſiderentur? cum arti medicæ & mathematicæ inſignem gloriam ex eo detractam omnes clamitent. Talis tantuſque is mathematicus fuit, ut ſine controverſia profecto primas in ea facultate, quatenus in vita permanſerat, ſemper habuit: neque exinde unquam defuere, qui *Patavium* ex ultima *Britannia*, *Hiſpania*que, & *Gallia* ad eum audiendum cupidiſſime convenirent. Audivi autem à *Nicolao* fratre ejus doctiſſimo viro, aliquando adinventum eſſe quodpiam ejus volumen *Florentiæ*, à
B *Franciſco Trapolino* ejus filio, viro clariſſimo, & diligentiſſimo paternæ diſciplinæ æmulo, tunc ibidem publice profitente: qui cum de eo recuperando ſtudioſe ageret, *Romæ* immatura & ipſe morte ſublatus eſt, & ab hoc cœpto, ſicut & ab aliis omnibus vitæ officiis ſimul deſtitit. Vixit autem *Petrus* annos LVIII. ſepultus eſt *Patavii* in Baſilica Carmelitarum humi ſub lapide, cui inſculptum eſt hoc epitaphium:

PETRO TRAPOLINO DE VICO AGGERIS NOBILI GENERE NATO, PHILOSOPHO ET MEDICO CE-
C LEBERRIMO: QVI VIXIT ANNOS LVIII. DIES XX. ET MARIAE EIVS VXORI.
ALEXANDER FILIVS ET M. ANTONIVS, ET PETRVS PIISSIMI, PARENTI OPT. AC MAIORIBVS SVIS VIRIS CLARIS, QVI HIC SEPVLTI IACENT, ET SIBI SVISQVE OMNIBVS POSVERE:
ANNO SALVTIS M.D.XLIII.

De Nicolao Paſſaro *ſive* Genua & Marco Antonio *filio* & Nicolao *nepote.*

Nihilo minoris gloriæ & auctoritatis floruit per ea tempora *Nicolaus Paſſarus*, cognomine *Genua*, medicus *Patavinus* celeberrimus,
D qui & ipſe per multos annos publice in hac noſtra academia profeſſus, celebrem diſcipulorum concurſum medicæ diſciplinæ ſtudentium ſemper habuit. Sed tandem ad ſenium vergens, dimiſſis omnino hiſce prælegendi officiis, ad practicam pro civium ſuorum ſalute ſeſe contulit: quod 216
quidem munus feliciter ad ultimam uſque ſenectutem gratus ſemper, & jucundus cunctis præſtitit. Quid vero interim ſcripſerit, novit *Marcus Antonius* filius, qui iiſdem ſtudiis & præſertim philoſophiæ patrem æmulatus, adeo profecit, ut nunc unus omnium, in univerſo orbe terrarum, princeps Peripateticorum hujus æta-
E tis à cunctis habeatur: & in *Ariſtotele* interpretando, ſimulque *Averroe* enarrando, non in patrio tantum, ſed in cunctis gymnaſiis principem locum tenet. Quocirca ab eo deinceps magni ac præclari quidpiam, ex abditis philoſophiæ, cum maxima expectatione à cunctis ſperatur. Vivat modo & valeat. Obiit autem hujus pater *Nicolaus* (ut ad eum revertamur) *Patavii*, & ſepultus eſt in Baſilica *D. Joannis* in viridario, ubi hoc epitaphium:

NICOLAVS PASSARA DE GENOVA PHILOSO-
F PHVS ATQVE MEDICVS V. ET SIBI ET BARTHOLOMAEAE VXORI OPTIMAE SVISQVE EX EA LIBERIS, SVISQVE POSTERIS DEINCEPS OMNIBVS LEGITIME DESCENDENTIBVS.
V. P. M. D. XXII.

Sperabamus nuper *Nicolaum* alterum *M. Antonii* filium, vitæ, & paternæ philoſophiæ, & fortunarum omnium hæredem: qui quidem pene puer *Latinam*, & *Græcam*, & *Hetruſcam* linguam optime callebat: ſimulque erat in arte muſica, manu, voce, fidibus, flatuque feliciter eru-

eruditus, & in omni sane virtutis palæstra bonis avibus exercitatus: adeo ut is præ ingenio omnium liberalium artium capacissimus, non solum se paternam gloriam consequuturum, sed & longe superaturum polliceri videretur. Sed heu misera mortalium sors, quænam esse possunt tam certa promissa, seu sperata in homine bona, quæ nos frequenter non fallant, non mutentur, non deserant. Hinc credo non omnino falsum esse illud poëticum dictum:

Si quid amas, cupias non placuisse nimis.

Et illud quoque admodum verum esse, quotidiana experientia docet: *Summis esse negatum stare diu.* Longissima is ægritudine consumptus, obiit anno D.M.D.LI. ætatis vero suæ XX obitu quidem cunctis, sed præsertim parenti (quamvis philosopho) non philosophice, sed, ut parentem mitissimum decebat, valde lachrymabili.

De Bernardino Sperono.

Pari ferme nominis celebritate, & nihilo minori rei medicæ scientia claruit cum *Trapolino* & *Passaro*, *Bernardinus Speronus*, eximius medicus: qui quanti nominis fuerit, hinc vel maxime apparere potest, quod *Leo X.* Pontifex Maximus ejus fama pertractus, summo studio & maximis præmiis hominem ex patrio gymnasio accitum *Romam*, ei & se, & salutem suam potissimum commendavit: ubi in summa nominis amplitudine & gloria, quandiu ipse pontifex vixerat, permansit. Postmodum in patriam reversus, non multo post tempore, & ipse jam senex, & morti proximus, a docendo destitit, & totum sese curandis suorum civium ægritudinibus dedidit. Quid autem interim scripserit, hactenus intelligere non potui. Obiit senex anno M. D. XXVIII. sepultusque est in Ecclesia Cathedrali in sacello suorum, ubi hoc epitaphium:

BERNARDINO SPERONO, ALVAROTO MEDICO NOBILISSIMO BARTHOL. ET SPERO. ET IVLIVS FILII PIETATIS, ET ERVDITIONIS ERGO.

217 ## *De* Hieronymo Amulio.

Non mediocri sane gloria & laude inter oratores, philosophos & medicos celebrari merito debet *Hieronymus Amulius:* qui *Patavii* in gymnasio patrio publice & philosophiam, & medicinalem disciplinam cum maxima laude diu professus est: qui tum docendo, tum disputando, tum dicendo ubique præ se tulit magni philosophi & oratoris nomen, & præsertim in ea oratione, quam in principio suorum studiorum (prout moris erat) de laudibus omnium disciplinarum, in corona omnium doctorum, & universæ academiæ publice in templo habuit. Nihilo quoque minori facundia, imo potius majori, in funere summi philosophi ac medici *Petri Rocabonellæ* peroravit. Audivi ego eundem quoque pro collegio medicorum in ingressu ad Episcopatum *M. Cornelii* Cardinalis, mira verborum eloquentia, ac sententiarum gravitate dicentem. Alias quoque multas ejus orationes prætereo, quas egomet ipse legi, quæ illum non magis philosophum & medicum, quam oratorem & rhetorem fuisse testantur. Scripsit quoque & Latina & materna lingua, carmen cultissimum, quod libenter vidi & legi. Succedit huic modo *Lombardus Amulius* ejus filius, quondam philosophus tantum, nunc & Theologus: qui admodum juvenis a Senatu *Veneto* ad docendam philosophiam electus, docuit aliquandiu in maxima auditorum frequentia, & cum maxima laude. Cæterum post mortem patris sepositis philosophiæ studiis, ad Theologos & Ecclesiæ doctores per otium sese convertit. Quid autem sint hæc nobis studia paritura cum ingenio multum valeat, incertum est: maxima tamen quæque de eo nobis speranda sunt. Jacet *Hieronymus* in Basilica *D. Antonii* Confessoris in sepultura suorum.

De Joanne Petro Benevidio *cognomento* Mantua.

Nec in postremis censendus est, insignis medicus *Joannes Petrus Mantua:* qui sua ætate ea medendi peritia præstitit, ut in hac urbe nemini in medendi arte cederet. Ex quo sine invidia honeste multas sibi divitias, cum summa rei medicæ gloria cumulavit. Veruntamen majoris gloriæ sibi arbitror fore, quod duobus ex se genitis filiis, *Marco* disertissimo Jurisconsulto, & *Joanne Andrea* insigni medico familiam suam *Benevidiam* propagaverit, & succrescentibus nepotibus mirum in modum patriam nobis exornatam reliquerit. Is enim ubi ambos ad summos quosque gradus professionis, quemque suæ pervenisse conspexerat, ætate confectus, domi aliquandiu invalidus, divinis orationibus, & spiritualibus meditationibus aliquandiu vacans, in maxima felicitate, deficientibus paulatim viribus, lætus migravit ad Dominum, anno Christi natalitio M. D. XX.

De Vincentio Muscheta.

Merito quidem tam inter claros oratores, quam inter claros medicos referri potest, & *Vincentius Muscheta:* quem novi fuisse excellenti doctrina præditum, atque in re medica valde clarum, atque ob hoc in patria & in diversis aliis civitatibus notissimum, & nihilominus etiam in habendis orationibus funebribus, dum per ætatem licuit, exercitatissimum. Obiit virenti adhuc ætate anno Christi M. D. XXIX. sepultusque est honorifice humi in templo *D. Augustini*, ubi incisum sepulchrali lapidi extat hoc epitaphium:

ELOGIVM CLARISS. MEDICI VINCENTII MVSCHETAE.

CLARVS APOLLINEA VINCENTIVS ARTE SEPVLTVS,
AD STYGIAS MISERVM Φαρμακ TRAXIT AQVAS.
INVIDIT SVPERIS FVRVAE DEVS ARBITER AVLAE,
HVMANI GENERIS PROH MALA CONDITIO.

De Hieronymo Urbino. 218

Pervagata fama, & incorrupta vox recte judicantium de virtute & doctrina *Hieronymi Urbini*, facit, ut nullo pacto eum tacitum prætereamus: quippe qui primo suæ ætatis flore, in scholis publice prælegendo diutius sese exercuit. Atqui tandem non admodum natu grandis, sed tamen ætate provectus, ablegata schola, ad afferendam opem ægrotantibus, tam feliciter sese transtulit, ut nemo fere graviter infirmus *Patavii*, sive is dives sive pauper, convalescere posse videretur, nisi ipso prius *Urbino* medico accito. Is enim tam benignum, tam facilem, tamque jucundum sese cunctis præbebat, ut merito ab universis non tantum civibus, sed etiam ab omnibus sacræ religionis familiis, unus omnium expeteretur. Adde quod tanto erga cives suos amore tenebatur, ut nullis unquam precibus flecti, aut pollicitis allici potuerit, etiam cum a *Venetorum* Senatu invitaretur ut migraturus *Patavio*,

Venetias incolendas trajiceret. Hoc autem maximum in eo fuisse existimo, quod cum nunquam avaritiæ nota quapiam laborarit, summas tamen opes arte medica sibi & suis acquisiverit, patrimoniumque quam maxime auxerit suum. Ædificavit insuper juxta macellum ædes speciosissimas, sibi suisque & urbi nostræ magno decori. Atqui tandem ad extremam senectutem medendo perductus, cum sæpius decrevisset à labore desistere, atque id maxime cuperet: sibi tamen urgentibus amicorum precibus quiescere à cœptis non nisi per mortem licuit. Senio igitur confectus, cum primum acri febre se affectum sentiret, accersito sacerdote (rarum in nostra ætate pietatis Christianæ exemplum) dum adhuc sanæ mentis esset, illi pandens quicquid deliquerat, & Ecclesiæ debitum solvit, atque ita, prout vere Christianum decebat, ab omni labe criminum expiatus, migravit ad superos, anno Domini M.D.XLII. III. Non. Novembris, sepultusque est in primo statim ingressu Basilicæ *D. Francisci* cum progenitoribus suis: ubi & sibi & posteris quietis locum vivens diu antea præparaverat.

De Antonio Gazio.

Quis sine notabili quopiam tacitæ simultatis vitio, indictum pertransire posset *Antonium Gazium*, nostra tempestate physicum peregregium? & in scribendo sane felicem: sed in ipso medendi opere, præsertim in patria, ubi pauco tempore permansit, non admodum fortunatum. Scripsit adhuc juvenis multa in re medica præclare: neque postea à scribendo destitit, quoad vita superfuit. De eo vivente adhuc *Simphorianus Camperius*, ubi de illustribus medicis disserit, ita honorifice scribit: *Antonius Gazius Patavinus, medicus in philosophia egregie doctus, in sacris literis non mediocriter eruditus, ingenio subtilis, eloquio clarus. Scripsit opus insigne* De conservatione sanitatis, *Corona florida merito appellatum, anno ætatis suæ* XXVIII. *Vivit usque adhuc sub Venetorum dominio, multa & præclara componens.* Hæc ille. Quæ autem postea ea fuerint, quæ composuerit, non mihi adhuc satis constat. Audio tamen in bibliotheca *D. Francisci* libros ejus haberi, ubi sepeliri voluit. Nam postquam diu peregre profectus, per diversa gymnasia vagatus est: tandem in patriam reversus, haud multo post non admodum senex febre correptus occubuit. Extat hujus fictilis statua olim à se cum à patria recessisset, posita ad Basilicam *D. Augustini* in porticibus supra antiquum majorum suorum monumentum: sed post aliquot annos reversus, cum non invenisset eam occlusam, ut ipse reliquerat, sed patefactam, & manu etiam mancam, monachis illis (ut opinor) iratus, ex testamento cavit, ne ibi apud eam statuam sepeliretur, sed in Basilica *D. Francisci*. Obiit anno Domini M.D.XXVIII. III. Non. Septembris.

219 *De* Baptista Leonio.

Gravem jacturam doctrinæ fecit academia philosophorum in morte *Baptistæ Leonii*, tam Græce quam Latine doctissimi, & philosophi, & oratoris facundissimi, ac in omni literarum genere, & præsertim philosophiæ disertissimi. Is in gymnasio patrio adhuc juvenis, aliquandiu *Aristotelis* summi peripatetici summus interpres fuit, & *Reginaldo Polo* viro doctissimo, postea illustrissimo Cardinali in his studiis præceptor, ut in epistolis *Petrus Bembus* ad ipsum *Polum* aperte demonstrat. *Nicolao Leonico* (inquit) & *Baptistæ Leonio* doctoribus tuis, viris doctrinæ optimis, & præstantissimis hominibus salutem velim impertias meis verbis. *Roma* IX. Calend. Januarii, M.D.XXVI. Sed, proh dolor, is anno deinde proximo mortuus est, & in Æde *D. Augustini* in sepulchro suorum conditus. Quæ vero tam præstantis doctrinæ suæ indicia posteris dereliquerit, præterquam præsentis ævi famam, nullum, quod sciam, monumentum aliud extare videtur. Is enim juvenili ætate sublatus est, & si quid cœperat, imperfectum una cum auctore prorsus interiit.

De Dominico Senno.

Magni profecto nominis sua tempestate fuit in Chirurgica arte *Dominicus Sennus*, qui nova quadam curationis via citra sectionem aut ustionem, adhibitis quibusdam remediis, difficiles morbos sæpius sanare consueverat: propterea nihilo minoris famæ fuit in Chirurgia, quam ex supra memoratis quivis in Physica fuerat. Sed opinione multorum, in herbarum cognitione cunctos præcelluit. Etenim ab ineunte ætate ea re impensissime delectatus, in herbario negotio ita profecit, ut eo uno tunc in tota *Italia* nemo præstantior haberetur, principatumque in eo omnium judicio teneret. Quippe qui non tam ex libris variam herbarum virtutem, & vim conditam noscere voluit, quam ipsas quoque herbas studiose perquirere & inspicere, ubicunque reperiri poterant. Sæpe enim hujus rei gratia peregre per montes & colles, eas curiosissime indagatas & inventas servabat. Meminit hujus viri diligentiæ *Nicolaus Leonicus* in suis dialogis. Ubi enim De divinatione tractat, cum de viculo sancti *Zenonis* juxta asylum loqueretur, sic ait. *Hic collis* (inquit) *salutiferis herbis vestitur, quas Dominicus Sennus nostræ ætatis* (ut scitis) *inter herbarios præstantissimus, certissimos & præsentaneos habere effectus, mihi sæpissime affirmavit. Solet enim harum inveniendarum gratia huc ad nos sæpissime accedere.* Hæc ille. Adinvenit is quidem, etiam nova quædam unguenta, ac mitius quoddam curationis genus, quo seorsum ab aliis Chirurgis uti solebat, admodum salutare. Fuere in ea re huic duo præcipue discipuli, *Joannes Antonius Platus Leonicenus*, & *Vincentius Scardeonius* frater meus: qui quidem eandem cum illo viam medendi secuti, ejus peritiam, ac medendi disciplinam constanter observant, habenturque jam uterque præceptori persimiles, licet *Leonicus* interim, cum sit senior, à *Scardeonio* pro præceptore, quam pro condiscipulo potius habeatur, & ab eo ut est animi gratissimi semper, dum vixit, sit uti pater (ut par est) ubique atque in primis honoratus. Obiit autem *Sennus* passione calculi septuagenarius, an. Domini M.D.XXXI. die XXVIII. Octobris. Qui cum masculini generis posteritate careret, nepotem ex filia *Nicolaum Genovam* sibi fecit hæredem. Sepultus est autem in æde *D. Joannis* in Viridario, ubi hoc epitaphium:

DOMINICO SENNO IN EA MEDENDI ARTE, QVAE MANV EXERCETVR ATQVE IN COGNOSCENDIS HERBIS NVLLI ANTIQVORVM POSTPONENDO, QVI NIC. GENVENSEM INCOMPARABILI BENEVOLENTIA COMPLEXVS, CVM EO, QVAM CVM SVIS SEPELIRI MALVIT. VIXIT ANNOS LXX. H. P.

Alterum quoque epitaphium à *Francisco Savo-* 220
narola licet non ibi positum, hic mihi addendum
videtur.

SEN-

SENNVS APOLLINEA NVLLO MINOR ARTE QVIESCIT
DOMINICVS, PATAVI MAXIMA POMPA SOLI.
QVICQVID APVD PRISCOS HEROS EPIDAVRIVS HERBIS,
AVT CHIRON POTVIT, SENNVS AD ASTRA TVLIT.

De Angelo Bolognino.

Claruit in hac ipsa arte Chirurgica, & *Angelus Bologninus* ex *Plebe Sacci* municipio *Patavino* vir magni ingenii, & in ea parte rei medicæ, quam ab opere manuum Chirurgiam Græco vocabulo appellamus, peritissimus. Is aliquandiu artem hanc publice *Bononiæ* docuit: sed parvo contentus, & otio patrio delectatus, in patriam sese recipiens, intra municipii sui fines postmodum sese continuit: & quamvis dignis stipendiis & honoribus, à multis civitatibus vocaretur, patrium tamen solum quamvis tenue, cum quacunque nobili civitate commutare neglexit. Edidit opus non aspernandum, *De cura ulcerum exteriorum*. Scripsit & *De unguentis communibus*, & *De morbo Gallico*, ad *Franciscum Gonzagam*, principem *Mantuanum*: quæ sane omnia, primo *Venetiis*, postmodum & *Basileæ* impressa fuerunt, anno Domini M.D.XXXVI.

De Hectore Pyrgotile.

Hector *Pyrgotilis* marmorarii præstantissimi filius, cum ab ineunte ætate, & Græcis & Latinis literis satis dextra Minerva proficeret, in clari nominis famam in toto gymnasio illico ascendit: sed paupertate gravatus, simul etiam quod fuit lingua in detrahendo reliquorum famæ aliquanto liberiore præditus, paucis gratus, nunquam potuit emergere, ut à privatis lectionibus ad profitendum publice, plurium suffragiis admitteretur. Tandem anno Domini M.D.XXVIII. quum *Patavii* sævissima pestis fureret, ex hac luce migravit: cujus bustum mœstissimus pater hoc epitaphio manu propria cum multis lachrymis exsculpto decoravit, marmorea tabella ibi in Æde *D. Joannis* in Viridario, à parte Septentrionali parieti imposita.

Virtuti æquales annos quia Parca putavit,
Te rapuit juvenem, dum putat esse senem.
Pectore servabas memori, crinitus Apollo
Ad medicam quicquid contulit unus opem.
Sed quia temporibus superis neque subdita virtus,
Hector eris, donec lumina solis erunt.

Vixit annos XXIX. Men. VI. obiit die ultimo Aug. M.D.XXVIII.

De Alexandro Dottorio.

Gravis & acerba fuit patriæ mors *Alexandri Dottorii*, humanarum literarum, philosophiæ, ac rei medicæ doctissimi professoris: qui si ad caniciem perdurare potuisset, tum docendo, tum exercendo rem medicam maximo erat, & familiæ, & patriæ, & Academiæ nostræ ornamento futurus. Sed inexorabilis & importuna mortis ministra *Atropos* tam gloriosæ texturæ invidens, ante diem vitæ illius fila prærupit, atque dum ordiretur, tela succidit. Obiit enim ætate admodum juvenis, scientia, & experientia, præter ætatem valde senex. Migravit anno Domini M.D.XXXIII. *Franciscus Savonarola* hoc tetrasticho illius obitum decoravit:

Per varias rerum caussas, medicosque labores,
Sollicitans Phœbum, carmine, voce, lyra,
Doctor Alexander naturæ cedere fatis
Cogitur: hinc vitam fata dedisse puta.

A

De Ludovico Carresio, *sive* Toseto. 221

Difficilis ac permolestus collega in altercationibus philosophicis aliquando fuit clarissimo medico *Speroni* in hac nostra academia, *Ludovicus Carresius*, cognomento *Tosetus*, exili quidem corpore, & perhumili statura, sed acuto & præalto ingenio. Erat enim eximius philosophus, & in mathematicis disciplinis doctissimus: natus *Patavii* obscuris parentibus ipse tamen redditus est propria virtute clarissimus. Is in juventutis suæ primordiis publice *Ferrariæ* philosophiam
B diu professus est: eo præsertim tempore, quo academia *Patavina* per aliquot annos militaribus armis, & crebris bellorum tumultibus oppressa, à solitis disciplinarum studiis prorsus cessaverat. Atqui demum ea restituta, ac in pristinum morem reformata, accitus est quamprimum *Tosetus* in patriam, ea stipendii summa, quæ *Patavino* dari poterat, tunc ex præscripto maxima. Is autem paulo avidior ad rem, quam philosophum decere videbatur, cum præter propriam industriam nullum patrimonium sibi foret reliquum, nunquam queri destitit, nunquam Senatum, & gymnasii moderatores solicitare cessavit; quoad
C auctum sibi stipendium fuit ultra præscriptum, & præter inimicam *Patavinis* professoribus legem. Itaque deinceps exemplo hujus pro cujusque merito additum est cuique ex præcipuis prælectoribus augmentum usque ad ducentos aureos plus solito, quos longa & importuna molestia, à *Veneto* Senatu primus consequutus est *Tosetus*. Is (ut ego aliquando ab ipsomet audivi) odiosum sibi esse dicebat, quod *Patavii* natus esset, cum ibi pejoris esset conditionis civis, quam extraneus. Fuit is inter disputandum supramodum aculeatis maledictis facetus, lingua mordaci, nulla pudoris omnino, aut gravitatis habita ratione:
D ita tamen urbane, & (si dici potest) moderate, ut à scurra prorsus differret. Scripsit & in vita edidit de tribus doctrinis, opus præclarum, atque alia quædam (ut audio) non minus insignia. Hujus autem statua ex suggestu juventutem docentis, posita est juxta limen Basilicæ Divi *Augustini* interius cum hoc titulo:

LVDOVICO CARRESIO, COGNOMENTO TOSETO, VIRO ACVTO, ET PERFACETO, ET IN PHILOSOPHIAE MEDICINAEQVE STVDIIS ITA EXCELLENTI, VT IN EARVM PROFESSIONE FERRARIAE PATAVIIQVE PRIMAS DIV OBTINVERIT,
E SVI P. VIXIT ANNOS LXXVI. OBIIT ANNO DOMINI M.D.XXXIX. DIE XI. OCTOBRIS.

De Hieronymo Tirabosco, *sive* Coradino.

Admodum lachrymosa contigit superioribus annis mors *Hieronymi Tirabosci*, cognomento *Coradini*: qui cum esset excellentissimus philosophus, ac optimus medicus: & (ut erat omni humanitate redundans) sicuti publice Theoricam medicinæ in scholis profitebatur: ita ægrotos adiens, auditores suos inter eundum Practicam similiter edocebat: & ob id (quæ erat hominis pietas) libentius pauperes gratis, quam multa
F mercede divites visebat, discipulorum caterva semper comitatus. Ex quo quanto ille gratior omnibus fuerat, tanto tristior cunctis fuit immaturus & inexpectatus ejusdem obitus. Acer erat & acutus in disputando, & expeditus, & admirabilis in docendo: in curandis ægris maxime fidelis, & in ægrotos pauperes opera sua promptissimus & in dandis eleemosynis liberalissimus. Migravit quidem in ipso ætatis flore, longa profecto senectute dignissimus. Multa fortassis studio- 222

ſe poſteris relinquenda moliebatur: ſed morte præventus, ea ipſa, una cum corpore pariter dereliquit. Obiit anno M.D.XXXVI. pridie Non. Maji: vixit annos XLIII. Sepultus eſt in templo D. *Joannis* in Viridario, in ſublimi ſepulchro ab Oriente, cum hoc titulo:

HIERONYMO CORADINO PHI. EXCELLENTISS. AC MEDICAE FACVLTATIS PROFESSORI: QVI ET HOC IN GYMNASIO, SVMMA CVM LAVDE DOCENS, ET HAC IN VRBE MORBOS SVMMA CVM CHARITATE DEPELLENS, EAM MVLTOS ANNOS EXERCVIT. PETRVS FRATER, AC JVLIVS PETRI FILIVS, IISDEM INSIGNIBVS ORNATVS, ID SVI IN EVM AMORIS MONVMENTVM EXCITANDVM CVRARVNT.

Legitur quoque alterum epitaphium, à *Franciſco Savonarola* editum:

QVICQVID ARISTOTELES NATVRAE SEMINA PONENS,
COELITVS ABSTRACTIS CONCIPIT ESSE SVIS:
QVICQVID APOLLINEIS HEROS EPIDAVRIVS HERBIS,
ET QVICQVID MEDICA CYNTHIVS ARTE TVLIT:
VNVS APVD PATAVOS TIRABOSCO SANGVINE DIXIT,
QVI JACET HIC MVLTO NOMINE HIERONYMVS.

De Hieronymo Tolentino.

Non recedat hinc à nobis longius alter *Hieronymus* è nobili familia *Bonaſcia*, cognomento *Tolentinus*, qui hic publice primum Phyſicam docuit, & poſtea in curandis ægris reliquum vitæ ſpatium conſumpſit: idque non ſine magna nominis celebritate. Exceſſit ab hac vita, anno ſuæ ætatis LVIII. Salutis vero M.D.XLIV. XII. Calend. Sept. nec potuit quam forte ſperabat propriis lucubrationibus aliter ſibi nominis immortalitatem parare. Jacet in templo Eremitarum, in ſepulchro majorum.

De Antonio Soncino.

Eadem ætate & in ſcholis docendo, & in civitate medendo, floruit *Antonius Scipionis Clementis* filius: qui ſeipſum in alienam familiam in qua fuerat educatus, adoptavit, & ex *Clemente Soncinus* appellari maluit. Is licet oratoribus mediocrem operam dediſſet: tamen & philoſophis, & medicis ita ſtuduit, ut nulli ex philoſophiæ, aut medicinæ profeſſoribus ſuæ ætatis poſterior haberetur: diuque hic medicinam, philoſophiamque publice in magna audientium attentione interpretatus eſt. Verum ab *Ungariæ* Rege ægrotante accitus, apud eundem aliquandiu moratus eſt. At Rege priſtinæ valetudini reddito, multis muneribus, multoque auro donatus, *Patavium* tandem rediit: ubi feliciſſima medicinalis ſapientiæ opinione refulſit, quandiu præ valetudine ipſi rem medicam exercere contigerat. Atqui tandem neſcio quo diutino languore correptus, quam in aliorum morbis opem ferre ſolebat, eam ipſe ſibi præbere non potuit. Viridi adhuc ætate interiit, anno Domini circa M.D.XXXIX.

223

De Gaſpare Gabrielio.

Enituit etiam perquam ſingulari doctrina inter philoſophos & medicos hujus temporis *Gaſpar Gabrielius*, philoſophiæ, humanarumque li-

A terarum doctiſſimus: qui in *Ferrarienſi* gymnaſio, publice philoſophiam, & diſciplinam medicam XII. annos profeſſus eſt: ſed per otium ſtudiis humanioribus delectatus, tam carmine, quam ſoluta oratione multa ſcripſit in eo genere cultiſſima. Verum tandem ad patriam reverſus, ut clarum eruditionis ſuæ documentum daret, inſigne opus edidit ad nobilem virum *Hieronymum Obicium Patavinum*, in quæſtionem vulgatam *Hieronymi Bonipetri* illuſtris medici, *De materiæ imminutione in principio morbi*. Ubi multis rationibus & argumentis ad ea, quæ probare intendit, quam abſolutiſſime uſus eſt. Quo quidem opere B tam ingenioſo culto, acuto & eleganti, cum adhuc ætate valeret, alia multa æque præclara, in reliqua vita nobis polliceri videbatur: ſed accitus interim medicus ad *Portum Gruarium*, ubi haud multo poſt maligna febre correptus, ad ſuos *Patavinum* delatus, intra paucos dies ex eo morbo deceſſit, M.D.LIII. die XXXI. Julii. Sepultus eſt honorificentiſſime in Baſilica *D. Antonii* Confeſſoris in ſacello *D. Claræ*, in ſepulchro ſuorum. Vixit annos LVIII. men. I. dies XII.

De Hieronymo Stephanello.

C Addamus his *Hieronymum Stephanellum*, virum eruditiſſimum, philoſophiam, & rem medicam XX. annos, ſumma cum laude publice in hoc gymnaſio profeſſum: cujus opera in curandis ægris corporibus, nunc à cunctis ſummopere deſideratur. Heu importuna & improba mors, quæ hominem tam gratum, tam deſideratum, in tam viridi ætate nobis ſurripuiſti: ſpolians patriam ſuo decore, ægrotos ope, gymnaſium diſciplinis: uſque adeo ut ex unius hominis fato orbata pene Academia videatur, & ſi non penitus extincta, propter aliquot adhuc ſuperſtites viros doctiſſimos. Jacet is in Baſilica S *Michaelis*, D cum hoc epitaphio:

HIERONYMO STEPHANELLO DOMINICI F. PAT. QVI DIVINO QVODAM JVDICIO, TVM REM MEDICAM EXERCENDO, TVM PHILOSOPHIAM ANN. XX. IN HOC GYMNASIO MAXIMA OMNIVM ADMIRATIONE PROFITENDO, ADEO DE OMNI GENERE HOMINVM PROMERITVS, VT DIEM FVNCTVS, NON SVIS MODO CIVIBVS, SED VNIVERSAE ITALIAE, EXTERISQVE GENTIBVS, AETERNAM SVI NOMINIS MEMORIAM RELIQVERIT. OBIIT SALVTIS ANNO M.D.LIIII. AETATIS SVAE LIIII. MARIANVS FRATER PHILOSOPHVS ET MEDICVS P.

E

De Franciſco Bonafide.

Obiit proximis diebus *Franciſcus Bonafides*, vir celebritate nominis, & omni doctrina, fide, & vitæ probitate conſpicuus. Hic primus herbariam diſciplinam in hoc gymnaſio noſtro publice profeſſus eſt, atque hujus ſuaſu hortus amœniſſimus intra mœnia, *Veneti* Senatus decreto publice poſitus: ubi conſitæ medicinales herbæ, undique perquiſitæ hujuſmodi diſciplinæ 224 ſtudioſis ſub oculis ponuntur. Inſignem etiam tractatum edidit *de Pleuritide curanda*, adverſus *Curtium* medicum celeberrimum: qui quidem F valde approbatur, & jamdiu *Venetiis* impreſſus ubique legitur. Scripſit inſuper nondum divulgata multa librorum volumina, in tres tomos diviſa: quæ *Venetiis* ab excellenti collegio Phyſicorum approbata ſunt, & ut libere ab impreſſoribus excudi poſſint, impetratum. Primus tomus IV. volumina continet: Commentarios ſcilicet in librum Ariſtotelis *De ſtirpibus & plantis*. Secundum *De nominibus ad hiſtoriam plantarum pertinentibus*. Tertium *De nexu utriuſque mundi*. Quar-

Quartum *De semestri partu.* Quintum *De disceptatione orta inter Ant. Fumanellum, & Bartholomæum Civanum*, medicos *Veronenses*, de vino invicem decertantes: quorum Judex *Fracastorius* fuit. Sextum *De nomenclatura simplicium medicamentorum.* Septimum *De ponderibus minoribus*, *& grano.* Tomus secundus describit primo *finem artis medicinalis*: in secunda vero parte tractat *de duplici ratione componendi simplices medicinas.* Tertia est *expositio Canonum universalium, cum modo curandi Spasmum.* Quarta pars continet *modum intelligendi gradus medicinarum* secundum *Dioscoridem.* Tomus tertius est (ut supra diximus) *de Pleuritide cum expositione Theurematum*, seu *Canticorum Avicennæ:* & an medicina sit scientia, vel ars: & *De sex rebus non naturalibus*: *De practica medicinæ.* Cœpit & alia multa: sed oculorum lumine destitutus, ac cæcus prorsus factus, senioque extremo, & angustia rei familiaris comprehensus, ad optatum portum, cum his mercibus suis vivens applicare non potuit. Atqui vero quia fuit vir integer vitæ, scelerisque purus, ut de eo nihil dici aut excogitari omnino possit impium, & cæcitatem, & inopiam patientissime tulerit, pro certo eum nunc fato functum, ad æternæ salutis portum pervenisse speramus. Is autem jam senio confectus, & oculis captus, de morte assidue cogitans, hoc ipsemet sibi epitaphium præparavit:

AERIS AD AETHEREAS SONITUM DUM SURGET AD AURAS,
HAC BONA FRANCISCUS DORMIT IN AEDE FIDES:
MATERIEM MEDICAM DOCUIT QUI ANTENORIS URBEM,
QUAE LECTA IN TOTA NON FUIT AUSONIA.
CUJUS OB AUSPICIUM VENETUM RESPUBLICA JUSSIT,
UT FIERET MEDICIS HORTUS, UT ALCINOI,
DELITIAS NECTENS OCULIS, VIRIDEMQUE MINERVAM:
QUIQUE FORET PATAVI GLORIA, SPLENDOR, HONOS.

Obiit anno Domini M.D.LVIII. die XV. Febr. & sepultus est in Basilica *D. Francisci* in sepultura Laicorum fratrum tertii ordinis: vixit annos LXXXIIII.

De Ludovico Pasino.

Quid de *Ludovico Pasino* primum referam? qui cum tam philosophiam, quam rem medicam, aliquandiu publice docuisset, à *Francisco* Duce *Urbinate*, & exercitus *Venetorum* Imperatore accersitus, medicam ibi artem gloriose magna cum laude exercuit: quo defuncto ad suos rediens, inter præcipuos hujus civitatis medicos vivens annumeratus est, & post mortem nominis fama ubique celebratus. Is siquidem citra omnem invidiam, & peritia literarum, & nitore cultus, & morum elegantia, & omni virtutum genere semper emicuit. Insuper antiquitate delectatus, (quod est doctissimi cujusque viri proprium) & vetustissimis vasis, & lucernis effossis, & æneis sigillis, seu statiunculis bibliothecam suam omni librorum genere locupletem, tanto studio exornavit, ut nihil jucundius videri posset. In ejus laudem *Livisinus* poëta elegantissimum carmen cecinit: cujus etsi meminisse jucundissimum esset, ne tamen nostrum hoc volumen plus æquo accrescat, omittendum putavi. Edidit proxime *de balneis Patavinis* ultra cæteros insignem librum jam typis impressum. Similiter adversus pestem *Venetiis* M. D. LVI. sævientem, emisit salubre consilium: quo sicuti viventibus notissimus fuerat, ita apud posteros etiam post obitum perpetuo immortali fama vigebit. Obiit ille, dum hæc scriberem, in bona senectute. Nam febre & pituita oppressus, 225
acceptis expiationibus Ecclesiæ, valde religiose migravit, &, ut decebat, honorificentissime sepultus est in Basilica *S. Joannis* Viridarii ornatissimo sepulchro cum hoc epitaphio:

VIVIT ANIMA MEA, CINERES IN HAC URNA IACENT DONEC OSSA, CUTIS, NERVI, ET OCULI REVIVISCANT INCORRUPTI. DEUS OMNIP. PER EZECH. PROPH. VII. LUDOVICUS PASINUS, PHILOSOP. ET MEDIC. ACUTISS. SIBI VIVENS CONSTITUIT. UXOR VERO CUM FIL. MOESTISSIMI EXTULERE.

OBIIT OCTOGESIMO ET ALTERO ANNO M. D. LVII. XI. CAL. SEP. DIE D. H. IX.

Edidit alterum epitaphium clarissimus prætor *Patavinus Bernardus Georgius*, quod hic ascribendum duxi:

PHILOSOPHUS JACET HIC LUDOVICUS MAXIMUS ILLE,
PASINO CELEBRI SANGUINE PROGENITUS:
EGREGIE DOCTUS, MEDICAQUE PERITUS IN ARTE,
CREDITUS A CUNCTIS AEMULUS HIPPOCRATIS.
FILIUS HUNC TUMULUM PARITERQUE PIISSIMA CONJUNX
EREXERE, VIRO HAEC, NATUS AT IPSE PATRI.
HUC QUI TE CONFERS LYMPHAS INSPERGE SACRATAS,
AC PRO DEFUNCTO QUAESO PRECARE DEUM.

De Oddo Oddo.

Splenduit pari modo inter præcipuos philosophos, & rei medicæ doctores in *Patavino* gymnasio, *Oddus Benedicti* medici clarissimus filius, *Oddæ* familiæ, & patriæ magnum decus: qui sectator *Galeni*, unus in primis omnium habitus est in disputando acutissimus dialecticus, in præcipiendo doctissimus philosophus, in enarrando sapientissimus interpres, in medendo physicus excellentissimus. Scripsit *de Cœnæ & Prandii portione*, utrum expediat fieri parciorem, erudite sane, & eleganter libros duos, qui nunc secundo cum paraphrasi *Petri Toseti* impressi sunt, *Lugduni* an. M. D. XXXVIII. anno autem antequam è vita decederet, edita fuit in lucem *Apologia* I. *libri pro Galeno*, ubi suscepto patrocinio, *Galenum* ab accusatoribus suis diligenter tuetur. Editurus erat propediem alterum quoque librum, ea facultate cultissimum, ut in ejus Apologiæ principio *Marcus Oddus* filius & ipse philosophus insignis promittit. Obiit *Oddus* anno Domini M. D. LVIII. suæ vero ætatis LXX. sepultus honoratissimo funere in Basilica *S. Danielis* cum suis majoribus.

De Francisco Frigimelica.

Deflendus est hic à nobis modo *Franciscus Frigimelica*, vir nobilitate generis, & omnium liberalium artium cognitione præclarus, & inter omnes illustres medicos sua ætatis unus omnium illustrissimus: quippe qui per XL. ferme annos in gymnasio patrio & philosophiam, & disciplinam

nam medicam, tanta nominis celebritate edocuit, ut in universa *Europa* per omnes urbes, & per cuncta gymnasia, & per universas provincias ejusmodi præstantiæ fama ubique vagaretur. Opinio autem experientiæ & doctrinæ ejus tanta fuit ubique terrarum, & tantis sæpe præmiis à
226 Principibus *Italiæ* pro præstandis remediis accersitus, ut patria ipsa sæpe opem frustra desideraverit absentis, & præsertim eo anno, quo à *Julio III.* Pontifice Maximo magnis pollicitis *Romam* accitus fuit. Ubi infra paucos menses, bis in procreandis Pontificibus Maximis *Marcello*, & *Paulo IV.* in conclavi una cum *Joanne Maria* fratre mansit, & donatus postmodum à *Paulo IV.* magnis muneribus, bona cum venia in patriam ad suos valde exoptatus advenit. Is (ut mihi ipsemet sæpe retulit) multa scripsit in arte medica, quibus quoniam ipse sibi scripserat ad erudiendos scholasticos suos, nondum eis imposuerat extremam manum, ut ea in lucem ederet, & posteris perdiscenda relinqueret. Hæc tamen, ut audivi à *Joanne Bono* philosopho ejus discipulo, & ex sorore nepote, & bibliothecæ successore, ad XXX. tractatus elucubravit, de omnibus fere morbis, & de simplicibus, quæ omnia penes se esse confirmat. Ex quibus aliquot eum aliquando editurum esse speramus, ut auctorem ipsum ut nobis, ita & posteris notum faciat. Vixit annos LXVIII. Obiit anno M. D. LVIII. præclaro funere elatus ad templum *D. Augustini*, & funebri oratione decoratus, quæ impressa habetur, & una cum *Antonii Frigimelica* fratre philosopho, & de patria optime merito, qui relicto exercitio medendi, totum sese ad Reipublicæ regimen contulerat, sepultus est cum hoc epitaphio:

GEORGIVS FRIGIMELICA IACOB. PARENTI OPT. FRANC. MEDICO CLARISS. ANT. ET PETROMARIAE FRATRIB. SIBI SVISQ. OMNIB. POS. ANN. M. D. LIX. M. APR.

De Hieronymo Saxonio.

Pertransire nullo pacto debeo, quin etiam viventes commemorem, & in primis *Hieronymum Saxonium*, olim mihi in elementis dialecticæ præceptorem: qui *Ragutium* ad medicandum magno stipendio accitus, destitit tunc publice profiteri. Atqui inde post aliquot annos in patriam reversus, totum medendi studio sese addixit usque in hunc diem, quando longa jam senectute gravatus, paucos potest visere ægrotos. Is etsi nihil edidit (quod sciam) à cunctis tamen, & domi, & foris habetur magnus philosophus & medicus, per omne ævum merito memorandus. Huic duo filii sunt superstites, alter philosophus *Ludovicus*, successor paternæ disciplinæ, alter autem *Franciscus* Jureconsultus, & insignis causidicus, qui scripsit idiomate *Hetrusco* acutissima quadam inventione *de insignibus Venetorum*, qui hactenus *Patavii* præturam gesserunt, & laudes palatii *Patavini*.

De Paulo Crasso.

Inter omnes doctos pollet nunc *Paulus Crassus* philosophus & medicus clarissimus, & tam Græcæ quam Latinæ linguæ disertissimus, & publice in scholis eruditissimus medicinæ professor, & privatim in curandis ægris magister peritissimus. Is superioribus annis edidit *Anatomiam*, seu de humani corporis Fabrica *Theophili Protospatarii*, quam de Græco in Latinum sermonem transtulit: similiter & præclarum *opus Arethæi* Græci medici excellentissimi. Atqui deinceps
A præstantissima hujus viri eruditio superstite vita longe nobis majora promittit, quæ sibi ipsi certum perpetuæ immortalitatis nomen acquirant. Huic quoque *Celsus* filius est haud degener, & in iisdem studiis à patre publice philosophiæ laurea coronatus.

De Bernardino Tomitano. 227

Animi pendens, & incertus perquamdiu fui, quonam nostrarum classium ordine æque omnibus dignum, ponerem *Bernardinum Tomitanum*, illustrem ætatis nostræ oratorem, & poëtam, celeberrimumque dialecticæ disciplinæ pro-
B fessorem & philosophum, jamque & medicum insignem. Incertus (inquam) diu steti, an scilicet inter clarissimos suæ professionis viros, cum jam elenchos *Aristotelis* doctissimis atque ingeniosissimis expositionibus, additionibusque illustraverit: edita super his doctissima introductione, & insigni methodo diluendorum paralogismorum: An potius inter poëtas, & oratores, vel *Hetruscæ* linguæ cultores celeberrimos? Utraque siquidem lingua plurima ab eo edita sunt, quæ nulli certe veterum scriptorum invideant. Atque hic quoque rursum in dubium vocor, *Latinis*ne, an *Hetruscis* enumerem? & utris scriptio-
C nibus præstantiorem censendum putem? cum utrinque eum valde præstare ejus elegantissima monumenta testentur. Cæterum quoniam philosophia, cæteris artibus liberalibus, & Latina lingua vernaculæ sine dubio præstare creditur, studiorum præstantia mihi persuasit, ut hic inter philosophos & medicos potius, quam inter poëtas & oratores reponam: quandoquidem utrobique nobis merito occurrat insigniter memorandus. Nuper edidit *de Venetorum laudibus* carmen, quod inscripsit CORYDON, elegans sane & percultum, & concinna *de Diis marinis fictione*
D jucundum. Edidit & una pariter *de Reginaldi Poli Cardinalis amplissimi laudibus*, quod CLINICVS inscribitur, summa gravitate & concinnitate mirabile. Insuper emisit in publicum, sermones *de elegantia Hetruscæ linguæ*, ubi tribus libris eleganter disseruit de Rhetorica, & poësi, & de omnibus quæ ad bene dicendum poëtam aut oratorem habere oporteat. Hæc in præsenti: sed cum adhuc ætate vigeat, multo plura & majora speramus. Faxit DEVS ut diu vivat, & valeat.

De Christophoro à Lignamine.

E Associandus est his *Christophorus à Lignamine*, vir & philosophiæ & rei medicæ peritissimus, qui nunc *Venetiis* & antea philosophiam diu publice in patria professus est. Edidit nuper super difficillimum prologum magni *Averrois* in libro *De Physico auditu absolutissimam expositionem*, quæ formis impressa ab omnibus magna cum admiratione perlegitur. Quid autem præterea paret (ut in nuncupatoria epistola ad *Sebastianum Foscarenum* polliceri videtur) magno desiderio expectamus. Haud longo intervallo hunc plerique alii sequuntur, & in primis *Baptista Balneatus*, qui philosophiam in scholis publice profi-
F tendo, ac sapienter medendo, se jam cunctis tam scholaribus quam civibus vehementer probat: & licet juvenis, philosophum tamen & medicum præstantissimum agit. Similiter sunt & alii modo quasi tyrones philosophiam publice profitentes: *Hieronymus* scilicet *Capivaceus*, *Augustinus Brognarius*, *Albertus Botonus*. Sunt & alii multi philosophi & medici *Patavini* peregregii, qui & si publice non profiteantur, sunt tamen doctissimi: quos prolixitatis tædium devitans, aliis cele-

celebrandos relinquam, quando vel sola commemoratio nominum longa nimis & permolesta videri potest. Constat enim universum philosophorum collegium ex civibus *Patavinis:* ultra L. A & totidem fere sunt candidati, quorum multos suis præceptoribus ingenio & doctrina cito pares fore speramus.

228

CLASSIS X.

DE CLARIS GRAMMATICIS, *Rhetoribus, Oratoribus, Historicis, ac Poetis Patavinis.*

PRÆFATIO.



H*ACTENVS quam breviter à me dici potuit, persecutus sum de claris medicis, & philosophis* Patavinis, *quorum nomina merito sunt immortalitate donata: deinceps autem, quia de priscis abunde dictum est, restat dicere de recentioribus poëtis, atque scriptoribus; qui humanioribus præcipue studiis delectati,* Græcis *ac* Latinis *literis claruerunt: quique tum scribendo, tum etiam docendo per totum vitæ tempus hisce studiis mancipati, claros se & æterna memoria dignos fecerunt. Quæ quidem studia tametsi hoc nostro ordine, ita per classes digesta, aliis scientiis videantur postposita: nemo tamen aliarum scientiarum professoribus iccirco plus deferendum existimet, quod nostra ætate ob pravam & inveteratam consuetudinem, philosophus & Jureconsultus, Grammatico ubique præcedant. Si enim æqui rerum æstimatores esse velimus, absque dubio Grammatico & Rhetori primas partes deferemus: quandoquidem ab his sane studiis cæteræ disciplinæ proveniant, sicut à fontibus amnes, & à parentibus liberi: & ut denique cuncta creata à proprio semine in suo quæque genere propagantur. His enim literis atque doctrinis ad perdiscendas reliquas disciplinas, & ad percipiendam sapientiam, erudire nos, & instruere animos nostros maxime atque in primis oportet, quando (ut ille ait) nihil aliud sit eloquentia, quam copiose loquens sapientia. Et iccirco hujusmodi studia ab humanitatis nomine humaniora merito nuncupantur, quod totam hominis vitam politioris humanitatis cultu (si recte colantur) optime exornant. Hæc quidem Pueritiam informant, Adolescentiam erudiunt, Senectutem oblectant: nec unquam nisi per mortem ab homine separantur. Hæc nobis in prosperis sunt ornamento, in adversis perfugio, in omni eventu solatio. Hæc si domi maneas, delectant, si peregrineris, non impediunt, si rusticeris, non deserunt: tibi denique, semper in otio & negotio præsto sunt, suo semper, & ubique comitatu jucunda. Et quod omnium maximum est, hæc etiam post obitum, nomen nostrum sempiterna memoria ab injuria oblivionis eripiunt, mortalemque vetant (ut dixit poëta) invisæ occumbere morti. In his autem studiis præcipui sunt, Grammatici, Rhetores, Oratores, Historici & Poëtæ. Istorum enim studia humanum genus plurimum cultioribus suis præceptis informant, habentque quoddam commune vinculum: & inter se, quasi cognatione quadam, & necessitudine, & nexu aptissime cohærent, mutuoque conveniunt. Auctorum autem hujusmodi & Græce, & Latine tam nostratium, quam externorum, innumera pene sunt monumenta: sed nos hic tantum de* Patavinis *nostris, quorum extat recentior memoria, breviter attingamus, quum superius de antiquis & priscis illis satis dictum fuerit.*

229

De Arsegnino *Grammatico.*



INTER primos post restauratum *Patavium*, quorum extat apud nos memoria, qui & docere & scribere adortus sit, fuit *Arsegninus*, cognominatus *Paduanus*, Grammaticæ & Rhetoricæ tunc professor eximius: qui primus omnium in illas tenebras lumen quoddam intulit, B & rudi illa ætate olfacere visus est bonas literas, & suo ævo hoc dicendi genere claruit. Scripsit enim illo adhuc rudi seculo, non insulse omnino regulas dictandi, quas *Quadrigam* appellavit, eo sane tempore minime aspernandas: & si nunc quæ ibi dicuntur, stomachosiori cuipiam videri possint rudia admodum & incompta: utpote quæ vitio temporis, sapiant illius ætatis sordem, & eruditionem vernaculam, nec videantur inter nostræ ætatis politiores literas, aut gratia aliqua,

aut eruditione præstare. Sed nos eam barbariem illi prorsus seculo merito imputandam ducimus, quæ extinctis penitus bonis literis, tunc ubique dominabatur impune: non autem homini, tunc pro temporis ratione doctissimo. Cæterum opus est sane utile, & præceptis rectæ elocutionis refertum: & licet imperitum sermone, non tamen exors disciplinæ. Collegit insuper idem auctor insignes sententias, tam ex sacris quam ex profanis scripturis pene innumeras. Addidit insuper his *libellum Proverbiorum*, ad similitudinem (si dicere fas est) *Salomonis*. Edidit etiam epistolas redolentes in sententiis viri docti peritiam, sed in simplicitate locutionis, usum temporis illius impolitum ac barbarum, alioqui placituras: quippe quæ non suavitate orationis, sed vetustatis memoria lectorem valeant delectare. Hujus opera habentur in membranis vetustissimis descripta, & mihi nunc ob vetustatem suam tam grata, quam addiscentibus olim, ob suam eruditionem utilia. Scripsit anno salutis humanæ M.CC.XVI.

De Albertino Musato.

Hunc fere post seculum alterum secutus est *Albertinus Musatus*, poëta & historiographus sua ætate illustris: qui primus profecto fuisse videtur, qui visus est Latinas Musas jampridem extorres, & bonas literas jamdiu sopitas, ab exilio restituere, & à veterno aliquantisper excitare, atque è fœda illa barbarie, in *Italiam* seu *Latium* revocare: utpote qui aliquanto prior ætate *Petrarcha* in his studiis plurimum laboravit, & obnixe pro viribus rudem illam ac sordidam prorsus barbariem acriter oppugnavit, & vicit, & longe lateque fugavit. Illa tamen (ut erat duræ cervicis) nunquam sese erigere destitit (licet sæpius afflicta) donec ab *Albertino*, & subinde à *Petrarcha*, & à successoribus profligata penitus fuerit, deque ea frequens postmodum fit actus à multis triumphus. Huic tamen pro certo debemus restitutam primo Latinæ linguæ apud nostros majestatem referre acceptam, quæ tam diu in imo barathro defossa, & penitus à funesta illa *Gothorum* rabie sepulta, tum primum visa est surgere. Sexcenti jam ferme anni præterierant, ex quo nullus poëta Latinus fuerat auditus, aut tali nomine salutatus. Iste ergo noster *Albertinus* non inelegans poëta atque historicus, scripsit *historiam de gestis Henrici VI. Imperatoris*, stylo haud quaquam contemnendo, nondum tamen ad plenum ab omni barbarica labe defæcato, nec expolito satis & deterso rudis illius seculi squalore, ut modo docti homines nostræ tempestatis scribunt. Cecinit insuper elegantem tragœdiam, de impiissima tyrannide, & atrocissima immanitate, & crudelissimo exitu *Acciolini* & *Albrici* fratrum: in qua quidem plusquam ætas illa postularet, videtur *Sophocleum* induisse Cothurnum, & tragico sese efferre boatu: ita ut parem ferme sese tragicis antiquioribus fecerit. Hos enim è *Plutone* & *Cerbero* parentibus genitos, eleganti pulcherrimoque figmento decantavit. Cecinit similiter heroico carmine *bella populi Patavii adversus Canem Scalam*, *Veronensem tyrannum*: quibus non interfuit solum, verumetiam sæpe præfuit. Scripsit & *de tyrannide*
230 *Acciolini* soluta oratione *historiam* peregregie. Scripsit elegantes *Dialogos de lite inter Naturam & Fortunam*, *& contra fortuitos casus*. Scripsit quoque *de temporibus suis* præclare *multa*, quæ fere cuncta legimus. Hujus autem Franciscus Petrarcha *de rebus memorandis libro* IV. ita meminit. *Horum* (inquit) *Musatus Patavinus historicus*, *novarum rerum satis anxius inquisitor*, *testis*

A *est*. De eodem etiam Petrus Paulus Vergerius, *de Carrariensium principum gestis* scribens, in principio statim operis ita differit: *Albertinus Musatus Patavinus, qui & doctrinæ gloria, & honoribus in Republica claruit, de suis temporibus accurate scripsit historiam, in qua multa sunt de Carrariensibus viris, & gestis eorum: sed is postremo injuria lacessitus, pleraque liberius stylo permisit.* Hæc ille. Is ergo *Musatus* ob suam eximiam doctrinam *Patavii* publice in conspectu totius academiæ, ac universæ civitatis, à *Pagano Turriano* Antistite, & ab *Alberto Saxoniæ* Duce, tunc *Patavini* gymnasii moderatore, utroque doctorum collegio
B præsente, insignem ex lauro coronam accepit, & summa cum laude & gloria poëta creatus est, eique cognomen auctum, ita ut deinceps ex MVSSO poëta *Musatus* diceretur, quasi musis aptus: & subinde ejus posteri ex eo cognomento aliquandiu poëtæ dicti sunt, nunc *Musati*. Quinetiam in tanti viri laudem tunc ex decreto utriusque academiæ sancitum fuit, ut singulis annis in natalitiis Domini, utriusque collegii doctores atque scholares, pergentes solenni pompa tubis præcinentibus ad pontem Molarem in *Cunio* medio inter duos pontes vico, ubi ædes ejus erant, poëtam ipsum cereis muneribus honoris
C causa salutarent. Quod decus nemini unquam mortalium (quod sciam) in aliquo studiorum genere contigit. Hic mos per aliquot annos, usque ad annum M.CCC.XVIII. duravit: sed postea *Carrariensium* Principum simultate quadam, sive odio interceptus est. Floruit hic in Republica *Patavina* assiduis legationibus, atque etiam militaribus studiis: & ubicunque opus esset, inter primos semper habitus. Atqui missus aliquando ad sedandum *Henricum VII.* Imperatorem, multis de causis *Patavinis* vehementer infensum, adeo placida & jucunda oratione, adeo suavi eloquentia usus est, ut quem placare ulla munera,
D amplaque promissa non potuerant, is vel sola præsentia, & verborum lenocinio, & sermonis suavitate placarit, eumque sibi & patriæ pacatissimum reddiderit. Idem etiam inter *Canem Scalam*, & Rempublicam *Patavinam* pacem gloriosissime composuit, firmiterque sancivit. Præterea *Lendenariæ* & *Florentiæ* Præturam, summa cum laude gessit. Denique Pontifici *Romano* pergratus, Abbatiam *D. Justinæ* ditissimam *Galbertino* fratri non difficulter obtinuit: qui postmodum sibi & exilii, & omnis infelicitatis causa fuisse perhibetur. Nam cum hujus Abbatis duo
E filii nothi una cum *Vitaliano* unico *Albertini* poëtæ filio, in partes *Pauli Dantis* contra *Carrarienses* satis infeliciter conspirassent, & ab iisdem postea victi fugatique fuissent, *Albertinus* tunc forte legatus ad *Canem Scalam*, etsi hujusmodi rei prorsus ignarus esset, ex eo tamen invisus *Marsilio Carrariensi* redditus, culpa suorum sponte à patria recessit, & *Clodiæ*, quam ipse insulam *Metamaucensem* appellat, uti exul patriæ usque ad supremum vitæ diem permansit. Quamobrem illic tunc ad suam consolationem, scripsit ea quæ diximus, *de lite Naturæ & Fortunæ*, & pleraque alia ira percitus dixit in *Carrarienses* mordacius. Obiit *Clodiæ* post triennium M.CCC.XXIX. ulti-
F mo die Maji, & *Patavium* postea revectus, sepultus est in templo *D. Justinæ* cum hoc epitaphio, quod cum adhuc vetus ædes staret, descripsimus cujus testimonium *Blondus* allegat, ubi de *Timavo* flumine longo sermone disceptat.

Epitaphium.

CONDITA TROJUGENIS POST DIRUTA PERGAMA TELLUS,
IN MARE FERT PATAVAS UNDE TIMAVUS AQUAS,
HUNC GENUIT VATEM: TRAGICA QUI VOCE TYRANNI
EDIDIT ARCHILOCHIS IMPIA GESTA MODIS.
PRAEBUIT AETATI VITAE MONUMENTA FUTURAE,
UT SIT AB EXTERNIS CAUTIOR ILLA MALIS.

231 Sed quoniam *Musati* cognomen à *Musso* derivatum esse videtur (ut paulo ante dixeram) non ab re mihi visum fuit, quod de hac *Mussorum* stirpe extat epitaphium hic referre, in templo Eremitarum cum proprio *Mussatorum* insigni marmoreæ tabulæ insculptum.

GALBERTINUS EGO QUONDAM DE STIRPE MUSORUM,
HUNC MIHI CONSTITUI TUMULUM, PROLIQUE MEORUM.
INTRA JACET CORPUSQUE MEUM, JACOBIQUE NEPOTIS
MEI: MENS AT NOSTRI COELITUS ASTRA COLIT.

De Gulielmo & Albrigeto Cortusiis.

Non multo post ea tempora habitus est inter doctos, vel in primis *Gulielmus Cortusius*, qui de his quæ *Patavii* suis temporibus gesta fuerant, scribere adortus est: quam interceptam morte historiam *Albrigetus* ejus consanguineus hujus quidem exemplo, sed majori felicitate postea prosecutus est: exorsusque altius majora scripsit, tam de domesticis, quam etiam de rebus gestis aliorum populorum, quæ sibi digna memoratu visa forent: nullo tamen verborum cultu, aut orationis elegantia. Quare *Petrus Paulus Vergerius* de hoc in vitis *Carrariensium* sic refert. *Cortusius*, inquit, *cum scriberet, venustatem orationis, quam præstare non poterat, facile neglexit.* Texuit *de Acciolini tyrannide* longos *annales*, qui adhuc extant, & a multis magna cum voluptate leguntur. Insuper *de bello Canis Scaligeri Veronensis tyranni adversos Patavinos:* & alia multa, ita ut pro ingenii facultate, gesta patriæ, & seipsum perpetuæ posteritatis memoriæ commendarit.

De Joanne Basilio.

Hisdem fere temporibus clarissima fama resplenduit *Joannes Basilius*, Cosmographus (ut fertur) egregius, & Juris civilis, & omnium bonarum literarum (prout illa ætas ferebat) peritissimus. Is de familiis *Patavinis* altius quam cæteri repetens origines, & agnationes, & affinitates, nobilissimæ cujusque familiæ in unam seriem studiose collegit: tametsi quædam admodum fabulose interserat, quæ (ut refert *Vergerius*) ex eo etiam veris detrahunt multis fidem. Is *Arimini* prætorem agens, ex humanis sublatus est, ibique sepultus in arca insigni (ut ferunt) quæ tamen à nobis perquisita, inveniri non potuit. Sepulchrum autem *Basiliorum* antiquum est in porticibus *D. Antonii* confessoris, hoc brevi titulo notatum: SEPULCHRUM BASILIORUM ubi legitur hoc epitaphium:

JUSTITIAE, PACIS, DELECTOR, ET URBIS HONORUM
GALVANI PROLES ALEARDUS BASILIORUM,
HUNC SIBI CONSTITUIT TUMULUM STIRPIQUE SUORUM.
CHRISTE SIT HIS TECUM REQUIES IN SEDE PRIORUM.

Basiliorum autem ædes olim fuerunt intra Pontem molarem, è regione *D. Pauli*, nunc *Boromeorum*.

De Alberto Bibio.

Ejusdem plane notæ fuit *Albertus Bibius*, vir suo illo seculo clari nominis, qui scripsit librum multiplicis historiæ, multa sane varietate refertum: & præsertim de novissima origine totius *Marchiæ Tarvisinæ* olim dictæ *Venetia*. De hoc autem opere (quoniam nunquam id vidimus, incertumque nobis sit, extet necne) dimittam dicere, & ad alia pertransibo.

De Rolandino *Grammatico.*

Fuit item *Rolandinus* doctissimus grammaticus, & diligentissimus investigator antiquitatis: qui studiosissime scripsit *de Acciolini tyrannide*, quæ viderat: & de ea re integros commentarios confecit. Scripsit & *de rebus gestis Patavinæ civitatis*, cujus meminit *Petrus Paulus Vergerius*, & *Blondus Flavius* historicus *decade* II. *lib.* VII. 232
Extant hujus scripta apud nobilem virum *Silium Capilistium*, ubi hoc epitaphium legitur:

GRAMMATICAE DOCTOR, SIMUL ARTIS RHETORICORUM
ROLANDINUS ERAM: NUNC REGE JUBENTE POLORUM,
VERMIBUS HIC ESCAE JACEO, QUAM TU TIBI SORTEM
QUI LEGIS EXPECTA: NEQUE FAS TIBI FALLERE MORTEM,
ET BENE SCIS, QUOD TU FINEM NON EFFUGIS ISTUM.
ERGO ROGA TIBI, POSTQUE ROGA MIHI, PARCERE CHRISTUM.
MILLE DUCENTENIS CHRISTI CURRENTIBUS ANNIS,
TUNC EGO NATUS ERAM: SED AB HIS POST SEPTUAGINTA
SEX, SIMUL ALMA PIE REDIMIT DUM FESTA MARIA
IN FEBRUI MENSE, CAELI PETO FERCULA MENSAE.
REX PIE, REX CAELI NATO MISERERE FIDELI:
O PRIMUM FLAMEN, TUUS SIT HIC SPIRITUS, AMEN.

Hujus viri venerabile sepulchrum, his carminibus insignitum fuit olim in Æde D. *Danielis*. Sed modo sublato veteri lapide, & novo apposito, servatur locus pro sepultura sacerdotum ibidem morientium.

De Lupato *poëta.*

Addamus istis *Lupatum* poëtam, ac æque Jurisconsultum illustrem, virumque equestri ordine spectatissimum. Verum quia is peculiare sibi nomen poëtæ, quasi cognomen sortitus est, malui hic eum inter poëtas, quam cum Jurisconsultis numerare. Nam & si in utroque studio-

rum genere æque præstabat: majori tamen fama in poësi, quam in Juris studiis enituisse videtur. Hic ea tempestate *Patavii* & scientia, & existimatione aliquamdiu tam inter patronos in foro, quam inter patricios in curia, principem locum tenuit. Veruntamen (ut fertur) vel ex nominis magnitudine, vel ex petulanti natura vehementer elatus, & in dicendo tam privatim, quam publice nimia detrectandi licentia, nulli sexui, nulli ordini unquam pepercit. Quocirca *Jacobo Carrariensi* cognomento *Grandi* invisus usque adeo factus est, ut in ejus gratiam *Clodiæ* exilii pœna damnaretur: licet, adjutus interim amicorum precibus, haud multo post, patriæ ac propriis laribus fuerit restitutus. Multa eum scripsisse par est credere, quum tantum sibi nomen comparaverit. Sed penès quos ejus scripta reperiantur, incertum est, præter insigne epitaphium incisum in arca *Antenoris*, sua ipsius ætate reperta, & quod in ejus sepulchro legitur. De hujus autem viri præstantia *Franciscus Petrarcha* in libro, quem *De rebus memorandis* inscripsit, id honorificentissime de eo refert. *Lupatus* (inquit) *Patavinus fuit, nuper poëtarum omnium, quos nostra, vel patrum nostrorum vidit ætas, facillime princeps: nisi Juris civilis studium amplexus esset, & novem musis duodecim tabulas immiscuisset, & animum ab Heliconiis curis ad forensem strepitum deflexisset. Is amici subita causa, & moras respuente necessitate, ipso quotidiano ac domestico, quo forte inventus est habitu, rogatus in judicium venit. Novus judex, qui tribunal impleverat, egregio viro nec assurrexit, nec aliquo cum honore dignatus est. Cœperat Lupatus amici causam planis verbis ac vulgaribus agere, & illum in singulis dictis obluctantem urbane admodum, ac suaviter convincere: indignatus judex, tanquam majus aliquid dicturus, sic interrogavit, Scis literas? At ille, Scis paucas, respondit. Risit insulsus judex, idiotam ratus, quod incongrue respondisset, Scis pro scio: non arbitratus, id de se dictum, quod paucas literas sciret: & ad inceptum rediit sermonem. Nec ineptus ac stolidus judex, antè se delusum sensit, quam disertissimi viri cognosceret & ratione simul & oratione se fuisse superatum. Nomen autem abeuntis quærens, ab astantibus didicit, Lupatum esse, cujus nomen ea tempestate, non Patavii tantum erat celebre, sed etiam per omnem Italiam insigni gloria ferebatur.* Hæc Petrarcha. Excessit autem è vivis an. M.CC.XCIX. sepultusque marmoreo sepulchro quatuor suffulto columnis juxta Ædem *D. Laurentii*, è regione sepulchri *Antenoris*, cum hoc lepidissimo epitaphio à se edito, quod hic lubens descripsi:

233 MORS, MORTIS MORTI, MORTEM SI MORTE DEDISSET:
HIC FORET IN TERRIS, AVT INTEGER ASTRA PETISSET.
SED QVIA DISSOLVI FVERAT SIC JVNCTA NECESSE,
OSSA TENET SAXVM, MELIOR PARS GAVDET IN ESSE.

Ibidem circa basim legitur:

ID QVOD ES, ANTE FVI: QVID SIM POST FVNERA QVAERIS?
QVOD SVM (QVICQVID ID EST) TV QVOQVE LECTOR ERIS.
IGNEA PARS CAELO, CAESAE PARS OSSEA RVPI,
LECTORI CESSIT NOMEN INANE LVPI.

De Lombardo Serico.

Francisci Petrarchæ intimus studiorum collega, & acer solitudinis ipsius æmulator, ac in ejus elegantissimis scriptis magnopere celebratus, memorandus hoc loco occurrit mihi *Lombardus Sericus*, vir undequaque doctissimus. Extat enim & impressum ubique legitur, hujus in epitomis illustrium virorum cultissimum supplementum, *Francisco Petrarchæ*, obitu illius intercœptis, ad *Franciscum Carrariensem* principem *Patavinum*, ubi tam artificiosa brevitate amplissima *Romanorum* Ducum gesta complectitur, ut nec gestæ rei ordinem brevitas interrumpat, nec brevitatis compendium reddat quod dicitur obscurum. Ex eo enim libro pernoscere licet, quam pari passu in dicendo cum *Petrarcha* is auctor incedat. Scripsit etiam *de quibusdam memorandis mulieribus* elegans opusculum ad *Magdalenam Serovinam*, mulierum ejus ætatis celeberrimam: quod extat apud clarum philosophum *Lombardum Amulium*, ex illius sanguine oriundum. Fuit is quidem maximarum rerum studiis ac meditationibus deditus, solitudinis admodum studiosus: nam in quadam sua epistola quam ad *Petrarcham* scripsit, usque adeo frequentiam civitatis abhorrere se dicit, ut, cum magno visendi amici desiderio teneretur, metu tamen revisendæ urbis, ubi tunc *Petrarcha* in canonicorum collegium ascitus morabatur, à concupito amici aspectu sese continuerit. Cui *Petrarcha* respondit. *Fac* (inquit) *obsecro, ut te noster amor, à tam sancta & sobria intentione non dimoveat: malo me non videas, quam simul urbem adeas: me præsertim non totum repertarus.* Hæc ille. Quam mutua autem benevolentia uterque invicem tenerentur, sic alibi *Petrarcha* insinuat dicens: *Nota mihi fides tua, nota charitas, notus amor; non verbis inanibus, aut joco, vel fragili amicitiarum caducarum vinculo: sed rerum infallibilium argumentis, & amoris nexu valido ac tenaci.* Extant quidem plures ejus epistolæ, ad hunc *Lombardum*: quibus manifeste apparet, qua fide, quave charitate eum prosequebatur. Hoc etiam fuit vel maximum amoris indicium, quod eum testamento in secundis hæredibus scripserit: si priorem hæredem ante testatoris obitum decedere contigisset. Scripsit *Lombardus* eleganter multa, præter ea quæ superius memoravimus: quæ nescio quo casu amissa sint, aut tam sero publicentur. Extat hoc tempore *Dialogus de vita solitaria*, quem nuper à multis mendis scriptorum vitio contractis, diligenter extersimus. Hunc ipsum Dialogum *Petrarcha* summopere commendat, & eleganter etiam exponit epistola IIII. XIIII. libri Senilium. Ibi enim post multa *Lombardo* ita respondet: *Delectavit me in epistolæ tuæ fine Dialogus ille, cum tuis hospitibus habitus, vitam tuam hanc admirantibus, voluptariamque laudantibus.* Et paulo post: *Quidni autem delectet ac placeat? Nihil sententiosius, nihil brevius: de quo quidem juvat, hæc pauca decerpere, ut intelligas quid mihi sapiat sermo tuus, cujus jocosa, & abscissa brevitas me in risum: librata veritas in stuporem egit.* Hæc ille. Reliqua autem brevitatis causa dimitto, & lectorem studiosum vel ad eam ipsam epistolam, vel potius ad Dialogum, si haberi potest, remitto: quem manu scriptum penes me habeo, & hunc aliquando impressum fuisse, audio: extare vero nunc descriptum apud plurimos certo scio. Vixit is quandiu vixit, constans in 234
cælibatu castissime, vulgo licet adversante, pertæsus uxoris curam, & liberorum molestiam. Sunt qui hunc *Venetiis* mortuum esse arbitrentur, ibique

que sepultum. Attamen (utcunque sit) hujus epitaphium legimus in Æde divæ *Luciæ*, juxta aram *D. Mariæ* Virginis, à parte meridionali, in marmorea tabula:

O REGINA LVCIS ALMAE SIDERVM
INTACTA PARENS, PVERPERA VIRGO:
SALVTISQVE NOSTRAE DIGNA PROPAGO
PARCE: JAM PARCE MITISSIMA, QVAESO,
HANC ANIMAM CHRISTO REDDE BENIGNA:
ET MISERERE CANENTIS OSANNA.

Ibidem inferius legitur:

HOC EPIGRAMMA LECTOR IMPLORAT, HVIC SAXO VT COMMODES ANIMVM, DEVMQVE VLTRO IGNOSCERE CHRISTVM ROGES, VATIS PETRARCHAE, AVDITORI LOMBARDO PATAVINO, QVI DIEM SVVM CLAVSIT EXTREMVM: M. CCC. XC. XI. AVGVSTI.

De Montanario *poëta.*

Ignoro quæ causa fuerit, cur in *Patavinis* annalibus nihil prorsus (quod sciam) inveniatur de *Montanario*, præclaro poëta *Patavino*, cum tot ejus sententias insignes ab *Hieremia Montagnono* citari videamus. Nam (ut ex eodem facile colligi potest) scripsit *Montanarius* carmine Heroico, *de Luna Cleri* ultra centum & quadraginta capita: quod quidem volumen quale sit, nunquam mihi videre contigit, licet id sæpe & studiose perquisierim. Hujus autem poëtæ carmina *Montagnonus* crebro citat, elegantia sane, & humanæ vitæ quam utilissima: sed quia nimis longum esset hoc loco singula notatu digna recensere, quædam tantum ex multis excerpta annotavimus: quibus singulis singulæ insunt & doctæ & graves sententiæ, quas quidem selectas accurate subnotari curavimus, ut vel sic tanti viri nomen hoc præclaro testimonio dignoscatur.

Sententiæ Montanarii *admodum lepidæ singulæ singulo versu comprehensæ.*

Qualis convictus talis formatio morum.
Nemo quidem nunquam quantumlibet Argus aberrat.
Auget non minuit mala consuetudo reatum.
Gens sine justitia sine remige navis in unda.
Multa fidem paucis adimunt mendacia veris.
Quicquid nocte tegunt tenebræ, sol mane revelat.
Accendit culpam facilis dimissio pœnæ.
Vix possunt male cœpta bonum contingere finem.
Cautius est, quando graviora timentur, agendum.
235 *Diligitur tector scelerum, deprehensor oditur.*
Furari famulos dominus compellit avarus.
Res est difficilis castam bene ducere vitam.
Nulla fere major, quam caste vivere pugna:
Sola namque suum finitur morte duellum.

Ecce quales quantæque sententiæ ab hoc poëta nostro *Montanario* tam paucis comprehenduntur syllabis: quas hic propterea annotandas duximus, ut quale ejus ingenium fuerit, quæve doctrina, vel hinc quivis facile videat. Opus autem istud perquirendum sane est, & ubicunque latitat, & à blattis excutiendum, deque tenebris in lucem producendum. Quicunque autem id præstabit, sciat me multum ei debiturum: nec me tanti unquam muneris immemorem tacitumque futurum. Ex hujus progenie fuisse legimus *Pacem Montanarium*, qui cum esset à Republica præfectus *Campo sancti Petri*, & insimulatus fuisset, occulto agere cum quibusdam *Vicentinis* de prodenda *Veronensibus Vicentia*, quæ tunc *Patavinæ* Reipublicæ parebat: exilio & bonorum publicatione multatus est. Anno Domini M. CC. LXXIX.

De Hieremia Montagnone *Judice.*

Quandoquidem nuper *Hieremiæ Montagnonis* mentio facta est, non ab re erit quæpiam de ipsius scriptis attingere. Fuit is Jureconsultus excellens, & ob id Judex appellatus. Illum nanque hominem majores nostri Judicem dixerunt, quem nos modo Juris doctorem soliti sumus appellare. Atqui videtur is, præter Juris studium, morali quoque philosophiæ, & sacris literis, multam operam dedisse: infinitæque propemodum lectionis fuisse, ac literarum omnis generis admodum studiosus. Nam discurrens per disciplinas omnes, quicquid de moribus præclarum à quovis scriptore, sive sacro, sive profano, dictum est, in unum veluti acervum congessit: collectisque undecunque à plusquam centum auditoribus idoneis sententiis ad reformandos hominum mores, opus admodum fructuosum & utile, studio suo, sed alieno labore contexuit: quo quidem indicis in modum per capita rerum singula quæque notatu digna excerpta, in egregium satisque justum volumen accurate redegit. Quod quidem opus postea cum imprimeretur, *Epitoma sapientiæ* à librariis impressoribus nuncupatum est: & ab iisdem in vulgus editum, & publicatum, & per universum orbem diffusum. Obiit autem *Hieremias* anno ab incarnatione Dom. circiter M. CCC. Extat ingenti mole sepulchrum hujus familiæ insigni montis insculptum, apud Basilicam *D. Antonii* Confessoris in cœmeterio antiquo, quod dicitur Paradisus cum hoc epitaphio:

SEPVLCHRVM DORELI FILII QVONDAM NOBILIS VIRI DOMINI HIEREMIAE DE MONTAGNONE.

De Joanne Bono Andreade.

Per hæc eadem ferme tempora floruit & *Joannes Bonus Andreæ* filius, vates ea tempestate insignis. Is de familiis *Patavinis* cecinit, & de earum originibus, & quo quæque olim nomine vocata fuerit. Scripsit insuper *de patria ab urbe condita*, si quid foret memoria dignum usque ad tempora *Alberti* Cæsaris ducis *Austriæ*. Anno Christi M. CCC. XXXIIII. sicut tradidit Xicchus Polentonus, *in Vitis illustrium scriptorum libro octavo*: idque sane (ut audio) multo studio, & admirabili brevitate. Hanc ego historiam alicubi occulto teneri arbitror: nondum enim ad manus nostras pervenit. Legi tamen de originibus familiarum tantummodo quædam carmina, quæ ejus esse dicuntur, describentium incuria adeo corrupta, inversaque & mutila, ut sensus recte percipi nequeat.

De Castellano Bassianensi. 236

Celebrandus est hic inter *Patavinos* poëtas, & *Castellanus Bassianensis*, vates egregius: qui duobus libris perquam eleganti carmine cecinit pacem *Venetianam* (sic enim inscribi opus voluit) inter *Federicum* imperatorem *Barbarussam*, & Ecclesiam *Romanam* sub *Alexandro III.* Pontifice Maximo: & sub principe *Venetiarum Sebastiano Ziano*. Anno Dom. M. C. LXX. quod quidem opus *Francisco Dandulo Venetiarum* duci, honoris ergô dicavit. Anno M. CCC. XXVII. Carmen est sane (ut ferebat illa ætas) valde elegans, & inter

ter veras historias, magis quam falsas, fictasque poëtarum fabulas numerandum, & lectu (meo quidem judicio) dignissimum. *Bassanum* autem oppidum tunc temporis *Patavini* juris & ditionis fuerat: & propterea *Castellanus*, ea tempestate municeps *Patavinus*, à nobis hoc loco inter *Patavinos* merito numeratur.

De Francisco Sanvito.

Inter claros scriptores *Patavinos* non indignum fore arbitror, si *Franciscum Sanvitum* interseram: etsi nulla fere doctrinæ suæ (quod sciam) vestigia supersint. Legimus tamen hunc suis temporibus fuisse magni nominis virum: ita ut in Republica *Patavina*, nihil magni aut parvi fere absque ejus consiliis ageretur, utpote scribam Reipublicæ cujus quidem muneris maxima tunc erat apud eos patres auctoritas: quoniam hic ordo scribarum fere principem inter eos tunc temporis locum tenebat. Legimus autem de eo hæc ipsa verba: Erat optimus grammaticus, rhetor, & *Tullianus*. Floruit autem an. salutis circiter M. CCC.

De Xicchone Polentono.

Non in postremis habendus est hic inter doctos *Xiccho Ricius Polentonus*, & ipse *Patavinæ* Reipublicæ scriba, vir doctus, & in humanitatis studiis peritissimus. Is multa scripsit digna sane, quæ & nunc præ manibus à doctissimo quoque habeantur: & si aliquando nescio quid suæ ipsius ætatis sapiant. Scripsit in primis magnum volumen *De illustribus scriptoribus Latinis*, filio *Polydoro* dicatum. Anno salutis humanæ M. CCCC. XXXIII. cujus quidem exemplar ejus manu descriptum, penes nos est. Edidit etiam argumenta super decem orationes *Marc. Tul. Ciceronis*, & super quatuor invectivas in *Catilinam*: & super invectivas mutuas inter *Salustium* & *Ciceronem*: quod quidem opus *Jacobo Alvaroto Patavino*, insigni Jureconsulto dicavit. Hæc sæpius impressa, passim circumferuntur. Collegit insuper *sex libros exemplorum insignium in omni re memorabili*: quos *Modesto* filio dicavit. Restituit etiam librum Statutorum, & legum municipalium Reipublicæ *Patavinæ*. Scripsit & *contra Lusores*. Item *miracula D. Antonii Confessoris*: & *vitam B. Helenæ*. Item *de confessione ad Petrum Donatum*, Episcopum *Patavinum*: de quo in thesauro Ecclesiæ *Petri Albiani* ita legitur: *Hoc dicit Xiccho Polentonus, civis Patavinus notabilis literatissimus & in dicendi arte peritus, in quodam suo notabili tractatu de confessione.* Hæc ille. Opus istud sæpius vidi & legi apud *Joannem Baptistam Rotam Patavinum* literis & moribus præstantem, mihique admodum familiarem. Addas & *Lusum ridiculum Ebriorum* per Dialogum: quem domi habemus. Horum autem omnium voluminum, partim quædam edita sunt, & impressa: partim in bibliotheca canonicorum regularium *D. Joannis* in Viridario: partim vero (ut jam diximus) in ædibus nostris penes nos sunt. Fuit huic germanus frater, *Franciscus Ricius Polentonus*, & ipse sane doctus, ut conjici facile potest ex carminibus *Antonii Baratellæ*, quæ ad eundem scripsit: qui defunctus una cum fratre *Xicchone* in media Æde *D. Leonardi* jacet, sub rubro lapide cum hoc epitaphio.

XICCHO POLENTONVS, QVEM SCRIPTA DISERTA DECORANT,
FRANCISCVS FRATER TVMVLO CONDVNTVR IN ISTO.

De Nicolao Pontano *seu de* Ponte.

Nunc merito *Nicolaus Pontanus* sequitur, excellens vir, & insignis Jureconsultus, & in humanarum literarum studiis sua ætate præstantissimus: nec minus etiam in patrio gymnasio pontificii juris professor illustris, & orator eloquentissimus. Leguntur aliquot ejus epistolæ familiares ad amicos, & oratio disertissima, quam habuit pro restituendo sibi colono: qui ob homicidium patrio solo exulaverat, coram *Sigismundo* Imperatore, qui instante anno Jubilæi, quo culpæ omnes mortalium extinguuntur, ac graves pœnæ in purgatorio ferendæ remittuntur, iturus *Romam* tunc forte *Patavio* pertransibat. In qua tam mirabili brevitate, tamque apte omnia dixit, atque ita eleganter, ut vel ingratis ad misericordiam quantumvis durum ac iratum principem moveret, ac suum sibi in assensum traheret, nedum lenem & placidum, qualis tunc erat *Sigismundus Augustus*. Impetravit ergo restitutionem reo, sibi vero tantum nominis ac gloriæ apud principem ipsum, atque apud universum populum ex ea re peperit, ut nihil eo uno facto, in ista civitate illustrius contigisse diceretur. Scripsit præterea & multa alia: sed morte præventus, omnia abdita & imperfecta reliquit. Quædam ego tantum fragmenta vidi penes *Andream Augustinum*, sacerdotem mihi perquam familiarem, qui ut erat literarum admodum studiosus, dispersa illa & abjecta casu collegerat. Ex quibus facile erat conjicere, quantam jacturam in reliquorum amissione fecerimus. Idem spectari poterat de *Joanne Baptista*, ex eadem familia genito, qui canonicus *Aquilejensis* factus, spe melioris fortunæ *Romam* profectus, nihil sibi virtus superveniente morte profuerat. Obiit *Romæ*, & sepultus est in Ara cæli ubi hoc epitaphium:

Epitaphium.

JO. BAPTISTAE DE PONTE PATAVINI
CANONICI AQVILEIENSIS SACRVM.
DECESSIT ANNO NATALIS CHRISTI
M. CCCC. LXXIIII. CAL. SEPT.

De Antonio Baratella Lauregio.

Celebravimus superius aliquot præclarissimi nominis viros, & eos quidem merito, etiamsi pauca scripserint: nemo autem nostratium poëtarum extitit, qui plura luserit quam *Antonius Baratella*, ex *Campo sancti Petri* municipio *Patavino* poëta facundissimus. Is cum esset lepidissimi ingenii, & ad poësim natura proclivis, post rudimenta grammaticæ & rhetoricæ, quæ in gymnasio patrio ad summum usque combiberat, solitudine delectatus, sese totum ad poëtices studium convertit, & novis fabulis de natali solo, de rivis, & fontibus patriis *Græcorum* more eleganter effinxit: idque multis versuum millibus, in unum opus congestis, præclarum nomen sibi comparavit. Nam ad majestatem heroici carminis, nihil ei omnino defuisse videtur, nisi forte Mœcenas quispiam, & sublimioris materiæ amplectendæ oblata facultas, ubi heroici carminis majestas, & decus poëticum quo præcelluit, lucidius emicaret. Is parvo contentus, rejecta omni civili ambitione, ruri in amœna vici *Lauregiæ* villa aliquandiu in solitudine moratus est: ubi data scribendi opportunitate, licet non satis illustrem materiem nactus, infinita pene carmina lusit. Nam de rivis vicinis singulis pene singulum ac integrum volumen confecit. Poëmata

A ta autem quæ compoſuit, ut in unum conferam, hæc ſunt: *Poliſodia* conſtat verſibus mille & quingentis. *Lavandula* ter mille centum & octoginta uno. *Ruſtica* bis mille centum quadragin-
238 ta quatuor. *Echaton*, 4538. *Polidemonareis* 556. *Elegia* 3982. *Foſchara* 1500. *Calliopea* 300. *Muſonea* 1145. *Baratella* 2498. *Antonia* 4866. *Laureja* 5287. *Centena* 2463. *Rovea* 3972. *Apollinea* ſive de nuptiis *Apollinis* ſine numero. *Balliopes* 2800. *Campipetrea* 3100. *Antenoreis* 2050. *Gorgoſtus* 3711. *Camella* 3825. *Monoſodia* vero, & *Cribatura*, & *Diſodia* numeris carent. *Polidoreis* 2841. *Sylvia* 1736. *Proteſilaris* 3264. *Me-*
B *trologia* 2377. *Fragmenta vulgarium rerum* 2330. *Phleginis* 3360. Libelli ergo numero vigintiquinque, verſus autem ſeptuaginta quatuor millia & ſexaginta. Vates hic *Guarino Veronenſi* viro doctiſſimo mutuis epigrammatis, ultro citroque miſſis conjunctiſſimus fuit, & *Xicchoni Polentono* amiciſſimus: qui de eo in opere *de Viris illuſtrium ſcriptorum* ita ſcribit: *Antonio Baratellæ Ovidianam in pangendis carminibus facilitatem natura tribuit.* Tandem verò neglecta ſolitudine dum *Utini* Rhetoricam edoceret, in bona & laudabili ſenectute defunctus eſt, & ibi ſepultus.

C
De Ludovico Odaxio.

Nunc ſequitur *Ludovicus Odaxius*, rhetor maximus, & orator inſignis, *Græca* & *Latina* lingua facundiſſimus: qui ob præclaram nominis famam à *Federico Feretro* principe *Urbinate* magnis muneribus accerſitus, filiis inſtruendis eſt præceptor datus. Mox & ad ſecretiora ab eo admiſſus, principem apud eum locum tenuit, & tanta inde exiſtimatione ſui longe lateque famam protulit, ut apud *Latinos* merito illius nomen ſit tum ſuis tum alienis ſcriptis æternæ memoriæ conſecratum. Atqui tandem *Federico* è vivis ſublato, *Guido Ubaldus* ſicuti eum antea præcepto-
D ris, ita poſtea parentis loco, charum gratumque ſemper habuit: ei denique ut *Achilles Chironi*, hilaris ſemper ac lubens paruit. Hinc & eloquentia, & armis clariſſimus ultra omnes ſuæ tempeſtatis duces evaſit. Etenim *Marcus Antonius Sabellicus* in quadam epiſtola ad *Guidonem* principem de hoc *Ludovico* noſtro honoris cauſa ita luculenter ſcribit. *Puer* inquit (de Ubaldo loquens) *Odaxio Patavino viro clariſſimo Græcæ & Latinæ facundiæ præceptore uſus, tam brevi utrumque dicendi genus imbibiſſe diceris, ut omnium opinione reminiſci potius credaris quam dicere.* De hoc ipſo *Petrus* etiam *Bembus* in eo opere, quod
E de *Guidone Ubaldo* edidit, elegantiſſimam aſcribit huic orationem, in obitu principis ipſius habitam: utpote omnium, quæ noſtra ætate leguntur in eo genere cultiſſimam. Hunc ipſum & *Dominicus Palladius* ſuis epigrammatibus celebravit. Itidem *Politianus* in ſuis epiſtolis, multique alii illius ætatis ſcriptores: quos longum foret ſingulos recenſere. Hujus autem *Odaxii* multæ & diverſæ vulgo circumferuntur epiſtolæ, hinc inde editæ: quæ facundiæ illius certiſſima indicia cunctis præbent. Is *Plutarchi* libellum quendam in *Latinum* vertit: quam quidem translationem miris laudibus extollit Angelus Politianus *Epiſtola-*
F *rum libro tertio*. *Cebetis* tabulam quoque ab eo in *Latinum* converſam legimus. Scripſit & alia permulta, quæ neſcio quo caſu tamdiu ſuppreſſa lateant. Prodibunt ſpero tandem opera ejus majora: quæ veluti ſol è nube tranſvectus, admirabilius lumen oſtendent. Audio huic filium fuiſſe haud diſſimilem parenti: qui *Urbini* natus patriis bonis, & ſuo natali ſolo contentus, agnatis & affinibus, quicquid ei *Patavii* ex patrimonio contigerat, dereliquit.

De Typhi Odaxio.

Addamus huic lepidiſſimum poëtam *Typhim Odaxium*, *Ludovici* hujus germanum fratrem, ætatis profecto ſuæ, & urbis, & orbis magnas delicias: qui vel ob hoc ipſum celebratiſſimæ famæ fuit, quod novæ & ridiculæ admodum poëſeos auctor fuerit. Adinvenit enim primus ridiculum carminis genus, nunquam prius à quopiam excogitatum: quod *Macaronæum* nuncupavit, multis farcitum ſalibus, & ſatyrica mordacitate reſperſum, quo facetiam de quibuſdam *Patavinis* magica arte deluſis tanto cum joco effinxit, ut legentes cachinnis & riſu pene rumpantur. 239
Hunc deinde minus feliciter ſecuti ſunt plerique viri doctiſſimi, qui inani labore tentarunt hoc ridiculum ſcribendi genus aſſequi, ac etiam effingere doctius: nemo tamen eo carminis genere omnium judicio, lepidius uſus eſt, neque qui profundiores cachinnos excutiat quam *Typhis*: vel quod expreſſius ſtultorum hominum ingenium aptioribus ad id verbis effingat, habita eleganter perſonarum ratione, ac etiam materiæ, cui ejuſmodi verſus maxime conveniant. Facti ſunt enim ex *Latinis* & vulgaribus quibuſdam verbis, jucunda barbarie rudes atque inconditi, attamen ridicula concinnitate ſonori, & ad *Latinæ* conſtructionis modum ſeriemque contexti. Qui quidem verſus cum careant latinitatis norma, mirum tamen quantopere & perſonis & verbis, occulta quadam ratione delectent. Quam frequenter autem tunc eo ſeculo, ii verſus in ore ſemper omnium fuerint, etiam doctiſſimorum vix credi poteſt. Merito ergo (ſi conferre exemplum liceat) tantum huic noſtro civi *Macaronæum* carmen debet, quantum heroicum *Virgilio*, & *Danti*, aut *Petrarchæ* vernaculum. In ipſo etenim joco aliquid ubique probi ingenii ſemper elucet: & eo magis, quo res quæpiam ſeria eo joco lepide occulitur. Verumenimvero & ſi ſciam quoſdam eſſe, qui ludicra iſta parum probent, non propterea hæc à me tacenda hoc loco cenſui, ne laude tam præſtantis ingenii *Odaxius* omnino fraudaretur, quum is in hoc carminum genere antiquas ſatyras non infeliciter fuerit imitatus: quæ à priſcis illis poëtis de quorundam improborum civium moribus, licenter vulgo publice palamque edebantur. Id quoque tacendum non putavi, quod ipſemet *Typhis* in morte cavit, ne unquam volumen iſtud publice in vulgus legendum traderetur, ſed igni potius comburendum. Nihil tamen ea cautione proviſum eſt, quin libellus pluſquam decies impreſſus, in tota *Italia* ab omnibus haberetur, & magna cum voluptate legeretur. Extat ſepultura *Odaxiorum Patavii* ante ſacram Virginis aram in templo *D. Pauli* juxta Pontem molarem, ubi *Typhis* iſte jacet.

De Hieronymo Valle.

Tacitum hic præterire non poſſum *Hieronymum Vallem*, ſua ætate non ſolum medicum celeberrimum, ſed etiam poëtam, ac oratorem, & divinarum humanarumque literarum ſtudioſiſſimum, cujus mihi nuper in manus venit flebile de paſſione Chriſti carmen, *Petro Donato* Epiſcopo *Patavino* dicatum: quod extare penes me, & promulgatum eſſe certe ſcio. Scripſit quoque de amoribus, ad *Helyſiam* puellam verſus elegantiſſimos, *Ovidianæ* facilitati haud multum diſpares. Cecinit etiam de geſtis patrum: quod opus nondum legi. Hoc autem ex ipſiuſmet *Hieronymi* ſcriptis hauſi: nam de ſe ſcribens ita muſam ſuam alloquitur:

Te duce geſta patrum cantavi, te duce feci
Vivere perpetua poſteritate viros:
Te duce formoſam legi mihi ſorte puellam,
Et ſibi, dum cuperet, carmina multa dedi.
Jam noſtrum varias nomen portatur ad urbes,
Dicere ſi de me, & ſcribere vera licet.

Hujus hominis imago ex viva oris effigie, manu *Andreæ Mantineæ* præſtantis pictoris, admodum ſcite picta conſpicitur in ſacello Eremitarum, & facie, & habitu, quo tunc temporis fuerat. Claruit circa an. M.CCCC.XLIII. De hujus opere in ſua bibliotheca *Conradus Geſnerus* honorificentiſſime memorat. Is *Ravennæ*, dum legatus *Veneti* Senatus *Romam* peteret, non ſine occulti veneni ſuſpicione interiit.

De Joanne Marchanova.

Ejuſdem plane notæ fuiſſe videtur *Joannes Marchanova*, philoſophus & medicus, ac poëta illuſtris: qui prout erat admodum ſtudioſus antiquitatis, opus *De antiquitatibus* perquam ſtudioſe collegit, quod in bibliotheca Canonicorum regularium ſancti *Joannis* in Viridario legitur: ubi tota fere ejus librorum ſupellex, & ex-
240 preſſa oris effigies, in pariete depicta conſpicitur. In fronte autem hujus voluminis hæc præclara carmina cum hoc titulo infra ſcripto leguntur, contra eos qui *Venetum* eſſe volunt. *Joannis Marchænovæ* medici *Patavini* de libello ſuarum antiquitatum quas collegit. Ibidem enim in fronte operis eſt hoc epigramma:

Ut videas antiqua virûm monumenta priorum,
Quid maris & terræ, multa pericla ſubis?
Ecce quod ut videas, totus peragrabitur orbis,
Pagina nunc oculis ſubjicit una tuis.
Quæ ſi forte tuæ ferat oblectamina menti,
Auctori grates dicere ne pigeat.

Is ſummus omnis antiquitatis perſcrutator eſt habitus, & in ſcribendo tam ſoluta oratione, quam carmine facundiſſimus. Quæ autem nunc de antiquitatibus vulgata atque impreſſa ſub alterius nomine habentur, ex ejus fere obſervationibus decerpta ſunt. Scripſit & (ut ipſemet ſibi teſtis eſt) *de dignitatibus Romanorum*, & *de triumpho*, & *rebus militaribus*. Floruit circa annum M.CCCC.XLV. Extat hujus gentile ſepulchrum in ſacello templi *D. Auguſtini*, à parte Orientali, humi, ad antiquorum imitationem affabre ſculptum.

De Palladio Fuſco *ſive* Nigro.

Sub idem fere tempus floruit in humanioribus ſtudiis *Palladius Fuſcus*, alias *Niger*, Rhetor illuſtris: qui complura egregia monumenta poſteris reliquit. Primus edidit in *Catullum* doctiſſima commentaria, quæ jam ſæpius formis impreſſa, ubique leguntur, & præ omnium oculis verſantur. Scripſit item *de bello Turcico:* & *de Inſulis libros tres*: & *de ſitu*, & *ora Illyrici*, & collectanea rerum non vulgarium, ad imitationem *Auli Gellii*. Nec minus etiam inſigniter carmine valuit: multas enim epigrammatum ſylvas collegit, quæ immatura & improviſa ejus morte præventæ, nondum ferme ſatis ad frugem efflo-reſcere potuerunt. Fuit & *Græcis* & *Latinis* literis probe eruditus, & in tradendis Rhetoricæ præceptis diſertiſſimus. De hoc *Sabellicus* de *Latinæ* linguæ reparatione, ubi *Coriolani Cypici* eloquentiam commendat, eam cum hujus elocutione conferri ullo pacto poſſe negat, his verbis: *Nec eſt, ut Palladium Nigrum ſileam, per quem proximis annis Romanæ in ea terra literæ in antiquum ſunt ſtatum reſtitutæ.* Hæc ille. Is tandem *Juſtinopolim Hyſtriæ* civitatem accitus, ubi multos ibi juvenes in poëticis & rhetoricis ſtudiis eleganter inſtruxerat, in cathedra ſedens, ſubita apoplexia inter legendum correptus, & à diſcipulis domum delatus, ſine ullo amplius vitæ ſenſu, paulo poſt vita functus eſt, & in Baſilica ſancti *Franciſci* ſub albo lapide ante aram majorem in ſepulchro alieno ſepultus: ut nuper *Peregrinus Spatarius* canonicus *Juſtinopolitanus*, & literarum ſtudiis, & jucunda vitæ conſuetudine mihi conjunctus, ab *Hannibale Griſonio* viro undecunque doctiſſimo, & ipſius *Palladii* diſcipulo ſe audiviſſe teſtatus eſt.

De Franciſco Buzzacharino.

Sed quoniam *Palladius* noſter in ſuis commentariis adducit honorifice *Franciſci Buzzacharini* auctoritatem, non ab re mihi viſum fuit hic ſtatim poſt eundem *Fuſcum*, *Buzzacharinum* virum nobilem, & *Græcis* juxta, ac *Latinis* literis eruditiſſimum ponere: qui quidem & carmine, & ſoluta oratione plurimum valuit, ſuoque ævo præclari nominis ſemper fuit, licet interim à forenſi negotio ſeſe abſtinuerit, contentus domi intra parietes ſibipſi (ut ajunt) & muſis canere. Scribebat enim quotidie quidpiam, pauca tamen edebat, niſi quæ vel eo invito ac neſciente cultiſſima ad amicos epigrammata, è manibus evolaſſent. Tantæ ſiquidem moroſitatis erat in ſuis ſcriptis approbandis, ut quaſi alter *Apelles* neſciret tollere manum de tabula, & quod ea, quæ dictabat, ſibi nunquam ſatis culta, nec ſatis pexa eſſe videbantur. Quocirca quæ auctore ipſo adhuc vivente jacebant, nunc profunde dormiunt: atque utinam tandem expergiſcantur, & in lucem exeant. Excitavit autem mihi expectatio- 241
nem magis atque magis, quod nuper cum ſuper his forte ingemiſcerem, venit mihi in manus *Iſocratis* oratio ad *Nicoclem Cypri* regem de regno adminiſtrando, è *Græco* per eum in *Latinum* converſa, ſane quam elegantiſſima, una cum epiſtola ad *Fridericum Cornelium* prætorem *Patavinum* ab ipſomet tunc vivente edita, ac formis excudenda impreſſoribus data: quæ à viris doctis ſummopere commendatur. Sepultus eſt in Baſilica *D. Antonii* Confeſſoris in ſacello majorum ſuorum circa annum domini M.D.

De Joanne Dominico Spazzarino.

Magnæ quoque in ſcribendo elegantiæ fuit *Joannes Dominicus Spazzarinus*, *Patavinæ* Reipublicæ olim à libellis, vir animi dotibus, & corporis præſtantia inſignis. Scripſit *de geſtis Venetorum in continenti*, uſque ad ſua tempora: opus ſane præclarum, & emiſſione digniſſimum. Id tamen à *Daniele* ejus nepote, domi hactenus continetur paucis adhuc notum, mihi vero ob affinitatem, quæ jam pridem eſt inter nos, etiam notiſſimum. Eſt enim elegans, & *Saluſtina* brevitate vel in primis ſuccinctum. De *Patavina* autem clade, quæ M.D.IX. accidit, cui ipſe ex officio interfuerat, nemo eorum omnium, qui de ea ipſa re hactenus ſcripſerunt, proſecutus eſt hiſtoriam diligentius. Is etiam una cum reliquis civibus, vocatus *Venetias*, ibi pene relegatus aliquandiu cum cæteris fuit. Sed haud multo poſt, cognita illius innocentia, reſtitutus eſt: qui poſtquam in patriam rediit, longo jam ſenio confectus, nonagenarius obiit, anno ſalutis humanæ M.D.XIX. Sepultus eſt in Baſilica *D. Jacobi*, in ſepulchro gentilitio, ubi titulus:

DANIELI SPAZZARINO PARENTI
JOANNES DOMINICVS SCRIBA
REIPVBLICAE PATAVINAE.
V. P.

De Stephano Venturato.

Scribebat iisdem temporibus *Stephanus Venturatus*, Scriba capituli nostræ Ecclesiæ Cathedralis satis apposite, & nihil affectate, *de gestis & rebus Patavii annales* non contemnendos, ab incendio illo magno, quo *Patavium* ferme totum conflagravit: an. à natali Domini M.C.LXXIV.& deduxit historiam annuatim per consules & prætores usque ad sua tempora: ad an. M.D.XXIII. In qua quidem historia comprehendit, quæcunque habuit notatu digna, diligenti studio perquisita: ita ut merito immortali memoria dignus sit. Hujus opus satis ingens penes nos est: quod tum quia manus ejus est, tum quia alterum non extare certo scio, studiosius custodiendum censeo. Is *Venetiis* cum reliquis suspectis civibus aliquandiu vocatus mansit: sed permissione Senatus in oppido *Mestro* à prætore eo scriba deductus, mortifero morbo contracto, in viridi ætate mortuus est, & ibi sepultus, anno D. M.D.XXVII.

De Alexandro Bassiano *seniore*.

Subnectendus est his viris doctis, doctus & elegans *Alexander Magius* cognomento *Bassianus*, Jureconsultus egregius, & insigni facundia præditus: qui multas & elegantes in omni causarum genere orationes habuit. Scripsit opus elegantissimum *de Prætoris officio:* quod perlegi studiosissime, & avidissime lectum summopere probavi, censuique editione dignissimum: licet is eidem extremam fortasse manum haud quaquam addiderit, ut ipsemet id opus imperfectum, minusque excultum, se reliquisse testatus est. Atqui sane copiosum, ornatum, grave &
242 eruditum, utpote ab eo compositum, qui in multis civitatibus sæpissime prætoris assessor fuerat, & de eadem re longa experientia vehementer edoctus. *Socrates* enim (auctore *Cicerone*) dicere solebat, *omnes in eo, quod sciunt, satis esse eloquentes*. Obiit *Ravennæ* assessor *Bernardi Bembi*, patricii *Veneti*, *Petri* illius illustrissimi Cardinalis *Bembi* genitoris.

De Antonio Cartulario.

Non omnino ex hoc ordine *Antonium Cartularium* excludendum censui: virum scilicet eruditissimum, qui *Diogenem Laërtium* imitatus, *de vita & moribus philosophorum ex diversis tam Latinis, quam Græcis*, plurima scitu digna passim dispersa, in unum volumen non parvo labore studioque collegit. Quod quidem & delectationem, & eruditionem legentibus non mediocrem afferre potest. Hoc opus ego ipse aliquando perlegi, & summopere placuit. Is quidem fuit qui in vico *Fossæ Lupariæ* apud *Stratam* ex propriis facultatibus construi fecit, & dotavit sacram ædem: cujus sacerdotii collatio familiæ *Cartulariæ* gentilitio jure debetur. Obiit anno salutis M. CCCC. XL. sepultus apud Eremitanos in sepulchro suorum.

De Andrea Brentio.

Atqui multo sane felicius, & sibi & posteritati consuluit *Andreas Brentius*, sive *Brenta*, eximius philosophiæ & humanitatis professor: qui ad promerendam posteriorum gratiam, & ad æternam sui memoriam, multa ingenii sui monumenta adhuc juvenis edidit: partim à se composita, partim è *Græco* sermone in *Latinum* conversa. *Romæ* claruit, dum *Latine Græce*que rhetoricam doceret: ex quo in tanta luce virorum præstantium, tam in philosophia, quam in hu-
A manitatis studiis præstantissimus fuisse perhibetur. Is dum *Romæ* moraretur, *Hippocratis* librum De insomniis in *Latinum* convertit, eumque cum eleganti præfatione dicavit eximio Mœcenati *Xisto* Pontifici Maximo: ubi etiam in calce operis eleganti epistola ad *Nicolaum Eupalatinum* peracute *Hippocratis* verba exponit, quibus internas corporis partes lunæ, medias soli, externas stellis attribuit: explicans cur *Hippocrates* terram cælesti *Jovi* supplicare velit, non autem terrestri, aut *Minervæ*, *Mercurio*ve, aut *Apollini*, terræ heroibus. Transtulit etiam ejusdem *Hippocratis* De natura hominis: quæ quidem
B omnia jam impressa leguntur: & fortassis multa alia, quæ aliquorum furto perierunt. Plura sane pollicebatur se præstiturum, si diutius sibi vivere licuisset, neque ab importuna simul ac immatura morte raptus fuisset. Multa enim inchoata, mutila ac dispersa (ut audio) in morte dimisit. Obiit *Romæ* admodum juvenis, anno Domini M. CCCC. LXXXIIII. dum esset à secretis amplissimi viri Episcopi *Sabinensis* Cardinalis *Neapolitani:* cui quidem maximum sui reliquit desiderium: parentibus vero adhuc superstitibus, ineffabilem mœrorem.

C

De Augusto Baldo *seu* Valdo.

Ejusdem sane professionis ac patriæ in *Romana* academia admodum floruit hoc ævo nostro *Augustus Baldus*, qui & *Valdus* appellari voluit. Dialecticæ ac Rhetoricæ artis scientissimus, & in *Latinis* & *Græcis* literis, quas in *Græciam* profectus diligenti studio sibi conquisierat, eruditissimus: ut vix alter ei in tota *Græcia* conferendus inveniretur. Quin etiam cum *Græcum* vestitum indueret, & *Græcus* ab omnibus diceba tur, & vulgo fere *Græcus* à cunctis habebatur. Docuit è suggestu *Romæ*, & successor factus
D *Pomponio Læto*, *Græcas* literas quadraginta annos summa cum laude professus. Ubi sibi interim pretiosam bibliothecam comparavit, tam *Græcis*, quam *Latinis* libris refertam: quam *Roma* capta, & ab *Hispanis* militibus prorsus direpta, solam servavit. Ipse vero miserabiliter in illa clade comprehensus fuit, & octingentis aureis à se frustra & male absconditis, una cum aliis fortunæ bonis exutus. Quare cum post tantam jacturam suaderetur ab amicis, ut, relicta *Roma*, incolumem patriam peteret, sicut & alii plerique quotidie factitabant. Non possum respondit ab his divelli (libros innuens) qui sibi vita pene ipsa
E semper fuerant chariores: qui soli, fortunis reliquis deperditis, unicum solatium in tanta miseria afferre ei poterant. Cæterum haud multo post tum animi, tum corporis ægritudine graviter oppressus, utpote longa jam ætate confectus, *Romæ* extinctus est. Videtur enim ad rem paulo fuisse avidior, & pusillanimis: tametsi in academia multo tempore jucunde fuerat conversatus: quod indicare videtur *Pierii Valeriani* clarissimi viri carmen, quod ad eundem amice scripsit:

Quid divûm atque hominum fidem subinde
Inclamans odiosius fatigas?
F *Conquestus sine præmiis labores*
Musarum innumeros perire nobis,
Nil Auguste tui memor Platonis?

Et reliqua quæ sequuntur. Vixit is quidem continenter in cælibatu, servo & ancilla unica contentus, patriæ pene ignotus: interea tamen, utpote de literis benemeritus, & *Romæ* clarus, & in universo terrarum orbe maxime celebratus.

De Angelo Vadio.

Æqualis conterraneus & amicus *Baldo*, fuit *Angelus Vadius*, vir undequaque doctissimus: utpote qui *Græcæ* ac *Latinæ* linguæ unus omnium disertissime callens, nec minus etiam in pangendis epigrammatis felix & argutus: atque ex eo omnium oculos in se convertens. Is autem quantum intelligere potui, nulla nobis ingenii sui monumenta reliquit, præter epigrammata quædam acutissima, vulgo satis superque nota, & magna illius laude excepta. Hæc de *Vadio* in præsenti quod dicam habui.

De Petro Montagnana.

Non est hic ullo pacto tacendus, sed quibus potius viribus valemus prædicandus, eximius ille grammaticæ doctor, *Latinæ*, *Græcæ*, & *Hebraicæ* linguæ peritissimus *Petrus Montagnana*: qui præter doctrinam hanc trium linguarum ea tempestate non nisi paucissimis notam, librorum omnis generis copiam, & præsertim *Hebræorum* in membranis tam speciosam, tantique pretii habuit, ut pene miraculo mihi visum fuerit, tot, ac tam præstantes, magnosque, ac pretiosos libros ab homine privato comparari potuisse. Quamobrem etsi parum constet adhuc, quid laudis talis tantusque vir, ex frequenti illarum linguarum studio consecutus fuerit, quum nulla omnino ab eo scripta in lucem, vel in hominum manus (quod sciam) post illius mortem pervenerint: hoc tamen unum facile cunctis persuasum esse arbitror, hunc ipsum hominem, in tribus illis linguis multa omnino didicisse, & fortasse aliqua conscripsisse: cum tam grandes, tantoque pretio, & tam speciosis characteribus libri, plurimis annotationibus & scholiis illius accuratam lectionem referentibus, ab eo relicti sint: quos omnes post mortem suam consecrari bibliothecæ Canonicorum Regularium *D. Joannis* in Viridario, testamento legavit, ut ibi in sui memoriam, tam ab ipsis Canonicis, quam ab aliis quotidie cum fructu & delectatione legerentur. nam singulis una hæc est inscriptio:

EXIMIVS GRAMMATICAE DOCTOR, LATINAE, GRAECAE ET HEBRAICAE PERITISS. PETRVS MONTAGNANA SACERDOS, OPTIMA FIDE, PIETATIS STVDIO, PROQVE ANIMAE SALVTE ASCRIPSIT, DONAVITQVE CANONICIS REGVLARIBVS, QVI PATAVII MORANTVR, HVNC LIBRVM. QVICVNQVE LEGET, PROFICIAT: DEINDE SIT GRATVS. ANNO DOMINI M. CCCC. LXXVIII.

244 Hujus tumulus esse dicitur in Æde ejusdem *D. Joannis* humi ad lævam, sub organo.

De Hieronymo Campagnola *cum* Julio *filio*.

Hieronymum Campagnolam hic non aliter celebrandum putavi, quam celebravit in epistolis suis *Matthæus Bossus*, Canonicus regularis: vir eloquentissimus & *Pamphilus Saxus* poëta in suis epigrammatis: & *Joann. Britannicus* in suis sermonibus. A quibus sane viris multa de hoc homine honorifice referuntur. Attamen ego paucis contentus, addam duntaxat, quæ præclare tam de eo, quam de ejus filio à *Bosso* dicta sunt epist. LXXXVI. in qua ille eos, uti panegyricum intexens, valde collaudat. *Hieronymus* (inquit) *Campagnola vir ornatissimus, & omni virtute, laudeque præcipua præditus, tanta benevolentia & urbanitate erga me est, ut charus ille cui-* A *piam esse non possit: quin eidem non studeat me fore charissimum.* Et post pauca. *Eo*, inquit, *viro in primis* (ut ante dixi) *optimo, urbano, atque suavi, & propterea culto & erudito, nihil gusto hac mea forte Ravennæ nobilius ac speciosius. Cujus compositionis, ac honestatis, & veræ laudis extat sua etiam tota familia. Sed super humana omnino desideria sibi surgit ac florescit natorum dulcissimus parvulus Julius, mortali sub imagine germanum cum angelis specimen possidens, & vim exprimens in se prope divinam. Qui cum decimum tertium annum vix esset ingressus, jam præter castigatissimos quidem mores, disciplinamque domesti-* B *cam, exquisitam & peregregiam: tanto exsurgere cœpit ingenio, & veris insistere laudibus atque virtutibus, ut ea ætate non modo Latine, sed etiam Græce loqueretur.* Et abinde paulo inferius *Hebraice* (inquit) *tam commode & apposite legit, ut à cuna etiam cum lacte, eam linguam hausisse visus sit. Ad lyram autem & citharam, & cantum, eundem ad id progenitum dixeris. Quid? quod stylo ac penicillo claros ita æmulatur pictores, ut vix ulla, vel Mantineæ, vel Bellini imago, tam elegans sit, quam si in mentem induxerit, atque contenderit, non examussim effingat, ac propius æquet. Quid de inspectis quoque viventibus? ita ad unguem* C *expresseque assequitur natura magistra, magis quam arte, ut quos ab eisdem induxerit vultus, statim agnoscas. Est ergo talis, ut ei adolescenti multorum præstantissimorum hominum senecta possit invidere.* Hæc ille. Non possum quoque mihi temperare ab eo, quod *Pamphilius Saxus*, poëta clarissimus, de hoc ipso eleganti epigrammate lusit:

Sit mihi, sitque tibi gratus quo Julius ille,
Ille puer tellus quem Patavina colit.
Quem Phœbus, quem Pallas amat, quem Juppiter ipse,
Cui favet arguta Calliopea lyra.
D *Non eadem causa est: tua nam, tua viscera, semen*
Diligis: & cordis pignora chara tui.
O decus, ô laudes, ô munera chara deorum:
Hunc ego, virtutes, approbo, miror, amo.
Componat nostros vir si quis justus amores,
Verus amor meus est, verus amor tuus est.
Verior est noster: premimur nam sanguine nullo,
Tu quod amas, natum diligis ipse tuum.

Is ergo *Hieronymus* humanioribus literis ac disciplinis admodum delectatus, ejusmodi eloquentes poëtas & oratores, omni studio sibi amicos reddidit, & familiares. Scripsit & ipse libellos quosdam (ut ab eodem audivi) *de laude virginitatis*, & *de proverbiis vulgaribus*, & *de rebus aliis* E multa alia, quæ ignoramus. Obiit fere nonagenarius, & in sepulchro majorum tumulatus est.

De Danderlino.

Involutus sane silentio latuisset, qui familiæ nomen refert *Danderlinus* juvenis, & *Græca* & *Latina* lingua doctissimus, nisi libello ejus elegantissimo, & ipsius forsan auctoris manu scripto, à *Bartholomæo Caligario*, summæ pietatis viro, mihique conjunctissimo, opportune jam pridem donatus fuissem: quo laudes tituli *Patavini* vici in *Euganeis* collibus siti, jucunde, & 245
F graphice, & eleganti oratione complectitur: opus sane *Latinum*, varium, elegans & eruditum. *Danderlinus* ergo noster, mihi visus est hic inter scriptores merito annumerandus: non ob id tantum, quod opsculum istud pene adolescens ediderit, quam quod si diutius ei supervivere licuisset, ea profecto scripturus erat, quibus præclaram nominis famam latius propagasset, & cuique scriptori, quamvis illustri, merito conferendus fuisset.

De

De Hieronymo Atheſtino.

Non eſt hic ullo pacto prætermittendus *Hieronymus* ſacerdos *Atheſtinus*, homo poëticis ſtudiis omnium maxime deditus. Cecinit *De geſtis Atheſtinorum*, ad *Joannem Bardolinum* cum præfatione ad *Petrum Philippinum*, quæ *Venetiis* habentur impreſſa: anno M. D. V. Scripſit etiam perbrevem hiſtoriam *De origine urbis Patavinæ ad Caſparem Gabriëlem* philoſophum *Patavinum*, quæ incipit, *Rex Pallus ſtirpis Dardaniæ, Sibyllæ monitu Euganeam urbem ad Braydanum montem qui deinde Rubeus appellatus eſt, condidit.* Et reliqua. Quæ tamen nobis parum probantur. Is autem qua potuit ratione, per hæc nominis immortalitatem ſibi comparare voluit, cum multorum judicio, magis carmine quam ſoluta oratione præſtaret. Obiit *Patavii* circa annum Domini M. D. XXX. ſepultus apud ſanctum *Michaelem*, ubi monachorum vicarius animarum curam, multis annis exercuit.

De Franciſco Savonarola.

Quantum laudis & decoris, ex immatura morte *Franciſci Savonarolæ*, noſtra patria amiſerit, epigrammatum ejus libellus plane indicat: in quo quidem multa invenias, quæ neque acumine, neque ſtylo cuipiam priſcorum poëtarum jure aliquo invidere poſſint. Pungunt enim, ſimulque leniunt, argute carpunt, & multo lepore & ſale interim condita delectant. Quidnam cultius lepidiuſve dici potuit, vel à *Catullo* de *Paſſere amicæ*, aut à *Stella* noſtro de *Columba uxoris*, quam quod ab iſto poëta *de Catello ſuo*? quem *Lucillo Beraldo* nobili & erudito viro poſcenti *Meliteæ* Catellæ ſuæ maritum, jocoſe & lepide paribus endecaſyllabis commendat. Sed quid de ingenioſis diſtichis illis? & præſertim de *Gallo in Æde D. Benedicti*, ligneis teſſellis mirabiliter inſculpto? Luſit quoque elegantiſſima epigrammata, licet interdum petulantius quam illius vitæ moribus par eſſet, *Catullianas* imitatus laſcivias, cum alioqui modeſtiſſime & innocentiſſime ſemper vixerit. Scripſit & cultiſſima epitaphia, mirabili elegantia, & eximia venuſtate referta: quorum ea quæ de *Patavinis* jam edidit, in contextu hujus operis ſuis locis referemus. Obiit anno Domini M. D. XXX. IX. die ſeptimo Octobris. Jacet is in Baſilica Carmelitarum in gentilitio ſepulchro relicta inſigni prole.

De Stephano Galeoto.

Stephanus autem *Galeotus*, & ſi *Galeoto Narnienſi* avo genitus, tamen quia *Montaniani* una cum patre & fratribus natus eſt, civem *Patavinum* æquo jure aſſerere non dubitamus. Fuit is inſignis medicus, & facundus orator, omniumque ſane liberalium artium profeſſor egregius. Habuit variis argumentis multas orationes, inter quas elegantiſſima ea judicatur, quam ad *Franciſcum Piſanum* Cardinalem in hanc urbem ad Epiſcopatum ſibi à Pontifice delatum ingredientem, habuit nomine philoſophorum collegii *Patavii*. Obiit admodum juvenis, nec exhibere de ſe potuit maturus id, quod adhuc florens in ea ætate polliceri videbatur. De hoc eximius medicus *Jacobus Daſinus* hoc cecinit epigramma:

Quantus es eloquio, medica ſi tantus in arte
Surgas: Parca cadet tertia ab officio.
Et tua quot ſtupidos reddit facundia, ſi tot
Florentes nummos det medicina tibi.
246 *Qui noſtra eloquio ſuperaſti tempora, priſca*
Æquaſti: Crœſo ditior unus eris.

Stephanus iſte, nepos fuit magni illius viri poëtæ & oratoris clariſſimi *Galeoti Martii*, qui multa fecit & ſcripſit memoranda: quem *Paulus Jovius* in ſuo muſæo appinxit elogio non vulgari, & in calce adjecit: *Galeotus Martius* ad montem *Annianum* circa *Atheſte*, à ruina ſuffocatus interiit.

Hanc galeam, hunc poſuit Galeotus Martius enſem,
Mars tibi, & hanc citharam docto cum pectine muſis
Militia functus decantataque poëſi.

De Coradino Montagnana.

Summo ſimiliter ingenio, & maxima doctrina præditus fuit nomine & familia *Coradinus*, & ipſe ex monte *Anniano* municipio *Patavino* oriundus: qui admodum juvenis immaturo & ipſe fato nobis ſublatus eſt: quem ſi ei diutius vivere licuiſſet, in magnum evaſurum poëtam, vel ex his, quæ jam cœperat, conjici facile poteſt. Æmulatus enim *Horatium*, graves & eruditas *odas* cecinit. *Epigrammata* quoque multa luſit, & *Græca* & *Latina*, docta ſane, & multo ſale condita. *Etruſca* itidem lingua multa, rhythmis jucundis, & cultu mirifico. Amatorias inſuper epiſtolas ad amicam, quam (cum nullam haberet, præter poëſim & ſapientiam) ſibi probe effinxit. Seligebat præterea ex multis authoribus, non mediocri ſtudio conſentaneas obſervationes, annotatu digniſſimas, & ex his jam magnum volumen confecerat: quas ſingulis diebus obſervans, per alphabetum diſponebat. Sed ô lachrymabile fatum, quo tam ſubito is nobis ereptus eſt, & una cum eo omnia, quæ aſſiduis lucubrationibus, pro adipiſcenda nominis immortalitate parabat. Nihil enim, aut certe pauca, eaque extemporanea, vivens edidit. Cœperat quidem multa, ſed nihil perfectum, & ad unguem completum exiſtit: ut ex ipſis fragmentis pridem cognovi, quæ mihi à *Matthæo Montono* Jureconſulto doctiſſimo delata fuerunt, ad inſpiciendam & deplorandam tantorum laborum jacturam, & ad libandam tanti viri doctrinam. Obiit proximis annis, circa an M. D. XLV.

De Lazaro Bonamico.

Commemoretur hic modo non ſine magno omnium mœrore, ſublatus nobis ſuperioribus annis *Lazarus Bonamicus*, ex *Baſſiano* municipio olim *Patavino*, & *Patavio* aliquando municipali jure ſubjecto: licet *Galeatii* Vicecomitis primo, & poſtea Senatus *Veneti* permiſſu, ſeorſum per ſe, ut civitas proprio jure regatur. Is præclarus & excellens vir, poſtquam *Patavii* didicerat *Latinas* & *Græcas* literas, relicta patria, juvenis admodum *Romæ* primo, & *Bononiæ* poſtmodum celebri fama privatim publiceque elegantiores literas profeſſus eſt: & rurſum ad patriam reverſus, civis & incola *Patavinus* prorſus factus, adventu ſuo præclarum decus, & ingentem gloriam *Patavino* gymnaſio peperit, atque amplas opes ſibi inde comparavit. Profeſſus eſt enim publice rhetoricam *Græce* & *Latine*, tanta nominis fama, quanta hac tempeſtate in tota *Italia*, & *Patavii* alter nemo. Erat enim ſumma eloquentia præditus, & in ſtudiis *Græcæ* philoſophiæ præſtantiſſimus. Is primus præter morem, ultra ſolitam & præſcriptam prædeceſſorum rhetorum mercedem auctus eſt, honoris ergo, annuo ducentorum aureorum nummûm ſtipendio. Vivens ſponte nihil publice edidit, niſi forte aliquid ab eo inter legendum, ab auditoribus exceptum fuerit: aut quæ ad præſules magnos, &

illustres heroas aliquando scripserit. In pangendis autem carminibus, & epistolis Horatiano more, & epigrammatibus excogitandis, tanta excelluit ingenii laude & lepore, ut nulli nostræ ætatis in ea re omnino habeatur inferior. De hoc ipso Jacobus Sadoletus *De liberis recte instituendis* hæc refert: *Lazari Bonamici in Latinis & Græcis literis, præsertim in hac, de qua loquimur, philosophia, tanta est eruditio, eaque præstantis ingenii vis, ut ipsum cum audimus, nullius ex antiquis doctoribus, aut scientiam majorem, aut copiam requiramus. Quod quidem eo speciosius existit, quod ita vivit, & ita factus est ipse, ut in omni virtu-*
247 *tis & humanitatis officio philosophiam habuisse videatur non dicendi magistram, sed faciendi.* Hæc ille. Pauca admodum scripsit: nam præter onus publice profitendi, pictarum cartularum ludo (ut sua quemque trahit voluptas) plus æquo intentus, totum fere ad commentandum tempus in alea consumebat. Expectantur indies quædam fragmenta mutila, sed tamen insignia, partim in schedis ejus reperta, partim ab amicis servata, & præsertim ab *Antonio Altano Forojuliensi* nobilissimo, atque doctissimo viro: & à *Vicentio Cato Vicentino*, præcipuis quondam in omni ejus doctrina discipulis. Quæcunque autem edita hucusque sunt, inscio auctore edita fuerunt. Nec id tamen ei obstitit, quo minus & poëta, & orator, & rhetor summus, & philosophus magnus ab omnibus haberetur. Septuagenarius jam, & morbo confectus, an. Domini M.D.LII. IV. idus Februarias, in nostro & amicorum sinu molliter exspiravit. Elatus postridie est ad sepulchrum à discipulis, pie feretro certatim subeuntibus, magnifico funere. Laudavit eum in funere egregie *Hieronymus Niger*, canonicus *Patavinus*, in Æde *D. Antonii* Confessoris, ubi primo quidem cum hoc sepulchrali elogio, humi ad tempus tumulatus est.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atque inclyta quantum
Palladis urbs debet Socratis ingenio:
Bassani, & Patavi debent tibi mœnia tantum
Lazare, quando illis unus utrumque refers.

Nunc vero inde translatus, constructo insigni monumento, cum ænea imagine sepultus est in Æde *D. Joannis* in Viridario cum hoc epitaphio in lapide humi posito.

LAZARI BONAMICI
CATHARINAEQVE VX. CAR.
IN SECVNDVM REDEMPTORIS
ADVENTVM QVIETIS SEDES
D.
H. M. D. M. A.

De Petro Cittadella.

Habemus alios, qui contra ex propriis monumentis jam à se in lucem editis, per semetipsos magis quam sola nominis fama, sese illustraverunt. In poëticis, & grammaticis, atque rhetoricis studiis se suis scriptis editis clarum fecit *Petrus Cittadella:* qui cum nimium humanioribus studiis fideret, & illotis, ut ajunt, manibus seculari tantum fretus literatura, à Musis ad interpretandas scripturas sacras se temere contulisset, in nefarios *Lutheri* errores incidit. Quamobrem perversæ hæresis reus factus, fortunarum omnium proscriptionem & vincula passus est. Sed edoctus tandem veritatem à *Francisco Botono*, *Patavino* Juris consulto clarissimo & theologo & oratore facundissimo post octo fere annos cognitis & detestatis erroribus, prorsus resipuit, & divina gratia adjutus, ejusdem peritissimi viri studio & opera, ab errore & à vinculis liberatus est. Is
A scripsit *De arte grammatica utilia pueris rudimenta*: cecinit insuper carmen, cui titulus est *Deus Homo:* scripsit præterea ad amicos epistolas metricas satis cultas: quæ omnia impressa leguntur. Item alia multa, quæ adhuc supprimuntur, & præsertim quæ ob varietatem rerum multarum ad imitationem *Politiani* appellavit Miscellanea. Obiit sancte & pie in municipio *Cittadellæ*, anno salutis M.D.LIV. mense Junio: ætatis vero suæ LXXVI.

De Joanne Cavacio.

B Obiit proximis annis & *Joannes Cavacius*, egregius civis *Patavinus* ingenio & memoria singulari, & in poëticis, & in rhetoricis studiis, & humanioribus literis perquam eruditus: historiæ vero, & omnis ejusmodi generis studiorum peritissimus. Qui quidem per otium tam metrica, quam soluta oratione pleraque conscripsit: 248
sed quæ in cœtu amicorum tantum obiter & quandoque referret. Is composuit vitas, seu elogia quorundam imperatorum *Romanorum*, quæ *Patavii* in aula majoris curiæ (vocata vulgo Aula gigantum) sub illorum imaginibus eleganti verborum cultu, & admirabili brevitate leguntur.
C Scripsit & insignes titulos quorundam civium *Patavinorum*, quos præclarus vir, & comes, *Julius Zabarella*, sub pulcherrimis picturis domi appingendos curavit. Obiit anno M.D.LIII. VII. Cal. Martii. ætatis vero anno LXXVIII. sepultus humi in Æde *D. Andreæ*, in sepulchro majorum.

De Nicolao Gaudeollo.

Sequitur aliquando discipulus atque alumnus meus *Nicolaus Gaudeollus*, nihilominus probus quam doctus, *Latinæ*que & *Græcæ* linguæ æque eruditus, & tam carmine quam soluta oratione
D facundus. Is ubi à me recessit, *Venetiis* sub *Joanne Baptista Egnatio*, & *Joanne Bernardo Feliciano* doctissimis viris, impensius humanioribus studiis operam dedit: in domo *Andreæ Lippomani* patricii *Veneti*, almæ Trinitatis reverendi prioris benigne susceptus, & per multos annos religiose apud eum usque ad mortem commoratus. Interim autem in his ipsis studiis adeo profecerat, ut si in eo quantum doctrina, tantum etiam audacia valuisset, præsertim in cognitione *Græcarum* literarum, paucis admodum hoc nostro seculo quantumvis doctorum virorum feracissimo, concessisset.
E Convertit juvenis admodum in *Latinum* sermonem aliquot *Euripidis* comœdias, quæ impressæ leguntur. Emendavit *Urbani Græcam* grammaticam, & emendatam cum eleganti præfatione imprimi curavit. Scripsit & transtulit pleraque alia, quæ propter immaturam ejus mortem confusa remansere, & secum tandem (ut opinor) magna nostri seculi jactura, peribunt. Obiit *Venetiis* adhuc juvenis castus, religiosus, & in omni timore Domini probatus. Sepultus est in Basilica S. Trinitatis, anno Domini M.D.LVI. mense Junii.

De Hieronymo Pannico.

F Obiit anno præterito *Hieronymus Pannicus Patavinus*, à generosa & antiqua *Pannici* Comitum familia originem trahens: qui ab ineunte adolescentia humanioribus literis, cantu, fidibusque, ac etiam pingendi studio delectatus, tantopere præstabat, ut nemini suæ ætatis cedere videretur. Sed quoniam magnis cœptis fere semper fortuna obstare solet, nequid ad summam naturæ perfectionem in hoc mundo aliquando

per-

perveniat, captus oculis, privatusque legendi pingendique officio, à cœptis destitit, & ardor ille studiorum, tam miserabili casu repressus, & coactus ipsa necessitate refriguit. Verum patienter is cuncta ferens, seque *Ovidianum* illum *Thyresiam* appellitans, à studiis quibus mente magis quam sensibus intendi solet, minime recessit: sed id quod antea cœperat, alterius oculorum fretus officio, majori conatu, & attentiori prosequebatur studio usque adeo, ut in musicis concentibus in chordis, & organo, & in omni disciplinarum genere, vel ita cæcus, clarus & doctus evaserit. Nam cum memoria & ingenio maxime polleret, & in poësim magis atque magis proclivus esset, *Latinis* elegis, & *Ethruscis* rhythmis pari gratia delectatus, tanto præstantior ad intelligendum audita, & in intellectis reservandis, quanto in legendo defectu luminis impotentior redditus fuerat. Leguntur acutissima ejus epigrammata in funere *Luciæ solis* edita: ita sane argute, & eleganter composita, ut argutius quid componi vix posse credamus. Non tacebo interim ingeniosum illius distichum: nam à me aliquando ad cœnam cum amicis humaniter invitatus, cui interfuerant *Franciscus Bonafides*, & *Hieronymus Mutius Justinopolitanus*, & *Lactantius Fuscus* ex *Picœno*, omnes viri doctissimi, & sodales nostri gratissimi: quoniam ipse tunc interesse non potuit, misit hoc distichum cum autumnalibus Persicis, eo anni tempore insolitis, sed tunc nobis ad mensam accumbentibus tempestive oblatis. Horum autem carminum interpretatio etsi per jocum verisimilis à singulis data est: postea tamen ut mox
249 cognovimus minime vera. Distichum autem fuit: *Bernardino Scardeonio*, *Thyresias Pannicus*.

Persica ad hæc oblata tuis, ne respice, mensis,
Corticis ast illud, fronte quod ipsa gerunt.

Quod ænigma ipse nobis jucundo postea risu (ut solebat) interpretatus est. Corticis scilicet frontem, cor esse, & non aspectus nitorem, ut ipsi arbitrabamur, quo maxime poma illa, & ultra modum naturæ rubebant. Obiit is sanctissime, & cum parentibus suis sepultus est in Æde *D. Bartholomæi*, anno Domini M. D. LVIII.

De Nicolao Trapolino.

Dei optimi maximi benignitate arbitror factum, ut qui primus in hac serie illustrium literatorum nostri temporis inter vivos nobis recensendus sit, primus etiam omnium fuerit in hanc lucem productus: quique sicut *Nestoris* eloquentiam, ita quoque *Nestoreos* fere annos æquet. Hic est *Nicolaus Trapolinus*, illius illustris *Petri Trapolini* philosophi frater: qui quum infelicissimis illis temporibus, quando *Patavium* una cum cæteris vicinis urbibus à *Veneto* Senatu ad *Maximilianum* Cæsarem defecerat, & paulo post rursum à *Veneta* Republica receptum, inter exteros secutus Cæsarem, honorificentissimum locum in *Germania* primum, deinde apud *Carolum V.* in *Hispania* tenuit. Postmodum vero *Mediolanum* missus, apud *Insubres Alphonsi Davali* Viceregis intimus consiliarius honestissimis stipendiis honestatus. Interim quum esset ex æquo in oratoria & poetica facultate doctissimus, & in historiarum cognitione, & cosmographiæ peritissimus, in maximo ubique pretio apud Imperatorem & Viceregem, & præsertim apud ducem *Mediolani* semper fuit: quando hos omnes suis carminibus, & panegyricis, & aliis inscriptionibus doctissimis elegantissime celebravit. Cecinit enim panegyricum carmen ad *Alphonsum Davalum* Marchionem *Hystonii*, dum esset *Mediolani*, atque edidit. Scripsit præterea consolationem in morte ejus uxoris cultissimam. Descripsit insuper *Africæ* litoralis antiquæ & novæ situm: & historiam expugnationis *Tuneti*, & similiter situm. Lusit quoque epigrammata multa, multo sale condita. Id autem perquam mirum mihi esse videtur, quod in tam exacta ætate annorum fere centum neque consilio, neque memoria aliqua ex parte sit destitutus, sed corporis vires tantummodo exiliores redditæ, & auditus hebetior factus. Cæterum in literarum studiis promptior, divinis rebus, & piis precationibus attentior, ad moriendum paratior, ad vivendum cautior, ne quando Deo placuerit, ad jussum vocantis imparatus inveniatur. Faxit Deus, ut centesimum transiens, percurso mundi studio, felix ad exoptatam cæli metam perveniat. Antequam hæc fuissent impressoribus tradita, obiit is ætate 94. annorum, & honoratissimo funere sepultus in Æde *Bethlemica* apud *Pratum vallis*, mense Septemb. anno M. D. LIX.

De Joanne Faseolo.

Vivit, & utinam perquamdiu vivat, juvenis adhuc *Joannes Faseolus*, mihi amicissimus: vir, & in philosophiæ, & in humanarum literarum studiis longe doctissimus, & tam *Græca*, quam *Latina* lingua peritissimus, *Lampridii* summi poëtæ *Cremonensis* discipulus: qui in *Latinis* & *Græcis* literis ita profecit, ut nunc in gymnasio patrio ad profitendam utranque linguam, honorificentissime in *Francisci Robortellii* locum ascriptus, magna cum auditorum frequentia publice rhetoricam doceat. Is in primævo ætatis suæ tempore aggressus difficiles *Simplicii* commentarios, primus è *Græcis* accurate *Latinos* fecit: qui jam bis prelo redditi, ubique leguntur, & à doctis vehementer approbantur. Cum his autem & tres epistolas edidit cultissimas: quarum prima imperitos & inelegantes interpretes deserendos esse admonet. Altera vero *Arabas* relinquendos probat: tertia vero ad bonos probatosque authores legendos, studiosos invitat. Hæc quidem utpote à juvene magna certe videri possunt: sed parva quidem ad ea, quæ deinceps doctrina ejus in profectiori ætate polliceri videtur.

De Alexandro Bassiano *juniore*. 250

Vivit, & utinam diu felixque vivat alter *Alexander Bassianus*, civis nobilis & generosus, studiosissimus vero antiquitatum, ut alter nemo: cujus ædes intra pontem *S. Joannis* ubique nitent vetustissimis marmoribus atque in hoc quidem, ut & in cæteris studiis majores suos non solum imitatus est, sed etiam superavit: qui hujusmodi antiquis inscriptionibus summopere delectati, hoc ei studium cum hæreditate reliquere. Scripsit eleganter, & insigni brevitate vitas duodecim imperatorum: quas cum veris eorundem imaginibus propediem magna cum sua & *Bassianæ* gentis laude editurus est. Nec ei mediocri laude dandum est, quod *Joannis Cavacii* publico decreto collega extiterit ad effingendas res gestas illustrium imperatorum *Romanorum*, variis diversisque imaginibus, quæ in aula magna præfecti urbis summa cum delectatione visuntur. Etenim hac tempestate solus propemodum *Alexander* est, qui de priscis antiquorum notis atque imaginibus recte possit judicare.

De Joanne Mario Tirabosco.

Nec hic tacebo *Joannem Marium Tiraboscum* ex monte *Anniano*, professorem edocendæ grammaticæ & rhetoricæ peregregium: virum sane

fane optimum, & oratorem insignem: qui publice funebres orationes, dum ætas tulit, multas, & eas quidem elegantes habuit. Multos idem discipulos domi menstrua mercede edocuit: qui nunc præceptori suo & patriæ non mediocri sunt ornamento.

De Caspare Marcello.

Floret in eodem municipio *Caspar Marcellus* alias *Marzollus*, insignis philosophus, & *Græcæ* & *Latinæ* linguæ peritus: qui nuper duos deviginti libros *Joannis* grammatici philosophi clarissimi adversus totidem libros *Proculi De mundi æternitate*, è *Græco* in *Latinum* sermonem docte fideliterque traduxit: *Julio* III. summo Pontifici nuncupatos. Qui impressi numerose propagati, per orbem universum nomen ejus æternitati commendant: ut jam merito possit immortalis nominis fama, & ipse non de mundi, sed cum mundi æternitate certare.

De Jacobo Ruffino.

Non ægre ferret *Petrus Cittadella*, credo si viveret, municipem suum *Jacobum Ruffinum*, Jureconsultum, & poëtam insignem in pangendis carminibus sibi conferri, ac etiam longo intervallo præferri: quamvis discipulum suum, præsertim cum paulo ante mortem legisset præclarum illud, atque nunquam satis laudatum carmen de atrocitate diri atque nefandi facinoris *Bartholomæi Eliæ*: & de miserabili trium ejus natarum cæde, tanta gravitate, ac majestate, & decore plenum, ut id merito de eo dici possit, quod olim de *Lupato* nostro *Patavino* Juris consulto & poëta doctissimo scripsit *Franciscus Petrarcha*: quod nisi is duodecim tabulas novem musis admiscuisset, omnes poëtas sui temporis facile superasset, & antiquos (modo ei aliquis Mœcenas adesset) exactissimo cujusque judicio stylo dictionis æquasset. Edidit ergo cum maxima doctrinæ gloria uti primitias ingenii sui Impiam necem trium natarum ad *Paulum Rhamnusium*, insignem virum. Et paulo post edidit hymnum in laudem *D. Lucæ* euangelistæ ad *Nicolaum Barbadicum*, patricium *Venetum*, & de peste *Venetam* civitatem vexante: quæ quidem omnia impressa typis, à doctis maxima admiratione leguntur. Quæ vero sub incude ejus adhuc sunt, omnes tinnitu priorum excitati, maximo desiderio morantur.

251 ## *De* Camillo Cautio.

Floret in eodem oppido insignis admodum sacerdos *Camillus Cautius*, egregius decretorum doctor, & tam pedestri, quam soluta oratione facundus: cujus probitas, & doctrina, & assiduum omnium bonarum literarum, præsertim sacrarum studium nobis ac posteris aliquid scitu dignissimum pollicentur. Quod facile est conjicere ex dialogo de sacramento Eucharistiæ ad nos misso, & postea etiam impresso: in quo disputat cum grammatico, qui sibi de tanta re minus recte sentire visus sit quam par fuerat. Edidit pridem scholia pro religione in sex articulos catechismi *Lutherani*, ad *R. Angelum Toragadenum* Episcopum *Vicentinum*: & ad me de ea re cultissimam epistolam. Cætera vero quæ molitur, modo vita supersit (ut spero) posteritas viderit, & nos forsan, licet ultra præscriptum ætatis profecti fere simus.

De Doymo Olzignano.

Inter Jurisconsultos recte quidem annumerandus erat *Doymus Olzignanus*: sed cum audiam ejus carmen, tantopere ab omnibus extolli, & cum ad me nuper de pace civium, & alia perpulchra epigrammata vulgo legenda tradiderit, valde sum admiratus, quod homo occupatus in studiis juris civilis, musas tam feliciter alloquatur, tam amice adeat, & earum consortio tanta cum suavitate fruatur. Quare non potui non eundem hisce clarissimis viris annectere. Quanquam nihil adhuc (quod sciam) in lucem edidit, sed amicis tantum suis (ut est humanitatis eximiæ) familiariter impertire sua carmina consuevit. Habet fortassis majora præ manibus posteris majori cum laude impertienda.

De Hieronymo Ferrario.

Ejusdem etiam professionis, & disciplinæ studiis floret *Hieronymus Ferrarius* ex *Montesilice* nobili municipio *Patavino*, qui & si superius cum Jureconsultis merito collocandus fuerat: hic eum tamen inter poëtas potius numerandum putavi: quum *Latinis* literis, & carmine, & soluta oratione plurimum valeat, ac meditetur quotidie quo pacto altius ad verticem immortalitatis ascendat. Extant hujus epigrammata perquam acuta, & cultissimum principium *Antenoriæ* historiæ, heroico carmine decantatum. Legi etiam perfectum ejus opus *De amoribus*, quos aut forsan habuit, aut sibi effinxit, ut plerique de *Laura Petrarchæ* asserere non verentur. Verum quicquid sit *Hetruscis modis*, & rhythmicis concentibus ita delectat, ita tenet, ut *Petrarcham* alterum mihi legere visus sim: atque propterea valde admiratus, quod homo foro & litibus addictus, tam concinne, tam erudite in utraque lingua nostra dicere valeat. Quocirca diu dubitavi, an inter *Hetruscos* poëtas, an hic inter *Latinos* esset potius annumerandus: quando utrobique maxima cum laude poterat jure & merito recenseri, & immortalitati ad posteros perpetuo consecrari.

Conclusio.

Hactenus de antiquis & novis scriptoribus, qui *Patavii* floruerunt, quamvis pro certo credam superesse plerosque alios, minus notos, sed non minus fortasse doctos, quorum nihil adhuc memoratu dignum ad nos pervenit, præter nescio quid rumoris pusilli, & expectatam indolem quorundam adolescentium, qui in omni studiorum genere maxima quæque de se posteris polliceri videntur: de quibus fortasse post nos alii commentaria multo elegantiora conficient. Id interim nobis de his dictum sufficiat. Quæ autem reliqua sunt deinceps, quo cœpimus ordine prosequamur.

CLASSIS XI.

252 *DE ITALICÆ LINGUÆ Scriptoribus Patavinis.*

PRÆFATIO.

INTER *omnes satis constat priscis temporibus toto terrarum orbe nullos omnino sapientes fuisse habitos, nisi apud* Hebræos, Chaldæos, Syros *atque* Ægyptios: *apud quos primum ab ipso protoplasto* Adamo *cœpit humanum genus simul cum sapientia paulatim per Patriarchas & Prophetas copiosius propagari: & subinde apud* Persas & Græcos, *à quibus postmodum ad* Latinos *omnium liberalium artium disciplina defluxit. Nam septem apud* Græcos *in primis sapientes dicti sunt, & postmodum alii multi. Quocirca* Latini, *qui sapientiam, & omnium disciplinarum peritiam adipisci volebant, ad illos* Athenas *in* Græciam *adnavigabant, & inde in patriam reversi, hausta prius inde multarum disciplinarum peritia, patriæ sibique non mediocrem splendorem sapientiæ illius afferebant. Et id quidem tamdiu observatum est, quousque è nostris quidam ejusmodi scientias* Latinis *literis* Romæ *primum profiteri cœperunt, & in* Italia *ubique deinceps de omnibus liberalibus disciplinis,* Græcorum *more, disertissime in patria lingua, hoc est* Latina *disserere. Hinc grammatici primum, deinde rhetores, & demum philosophi nostrates in* Latio, *& postmodum in tota* Europa & Africa, *exorti sunt. De grammatica enim inter præcipuos* Palæmon Vicentinus *præcepta dare cœpit.* Marcus Varro *primus dialecticam latinitate donavit.* Marcus Tullius *rhetoricam & moralem philosophiam* Latinis *literis illustravit.* Severinus Boëtius Aristotelicam *disciplinam à* Græcis *ad* Latinos *fere primus transtulit.* Salustius *autem, &* Livius *noster,* M. Cato, Pictor, Piso, *& alii ad* Græcorum *imitationem,* Latino *sermone elegantissime de gestis* Romanorum *historiam conscripsere.* Ennius *vero,* Cinna, Varro, *& post hos* Vergilius, *multo accuratius* Latinos *versus cantarunt.* Horatius *quoque* Anacreontem, *&* Alcæum *in Lyricis, &* Propertius Callimachum *in Elegiacis æmulatus est.* Cæcilius Plautus, *&* Terentius *à* Græcis *mutuati, primi fere* Romæ Latinas *comœdias ediderunt.* Seneca, *& ante illum,* Accius, Pacuvius, *graves intonuerunt tragœdias.* Petrus Aponus *noster summo studio medicinam primus* Latinis *conciliavit. Atqui modo hac præsertim ætate, hæc eadem sapientia, ut quondam à* Græcis *ad* Latinos, *ita sane à* Latino *ad* Italicum *vulgaremque sermonem magno ornatu, & mira eloquentia dicendi, admirabili incremento translata est: ut nihilo fere minoris laudis nunc sit, eleganter* Italice, *quam olim* Latine *dicere. Et sicut* Græca *scripta jam in* Latinum *sermonem quasi omnia translata sunt: sic &* Latina *fere cuncta in linguam* Hetruscam, *seu* Italicam, *& (ut ajunt) vulgarem conversa: ut æquata jam cum utraque lingua dicendi copia,* Italici *scriptores cum* Latinis *contendant. Quapropter non ab re facturus mihi videor, si post illustres* Latinæ *linguæ scriptores, subnectam etiam* Italica *vel* Hetrusca *lingua præstantes: qui in nostra civitate, quum* Latino & Græco *sermone plerique eorum maxime valuerint, hoc tamen* Italico *idiomate delectati, clariores evaserunt, & perenne sibi nomen, tam apud præsentes, quam apud posteros elegantissimis scriptis suis studiosissime pepererunt.*

---

253 *De* Brandino Paduano.

INTER primos autem qui à principio *Italicam* linguam conati sunt exornare, à *Dante Aldigerio* in opere, quod inscripsit *De ornatu linguæ vulgaris*, celebratur *Brandinus Paduanus*: utpote qui cum esset humanioribus literis apprime eruditus, & natura, & ingenii acie acutissimus, primus *Italorum*, uti prævius dux prætentavit adaperire posteris abditam ornatus linguæ *Italicæ*, seu maternæ nostræ elocutionis elegantiam. Quamobrem jactis tantum fundamentis, ad perfectionem, quam optabat, rem perducere non potuit: & præsertim cum idioma pa-

A trium ad id quod studiose moliebatur, & anxie perquirebat (ut ibi *Dantes* disserit) tunc in illo inerudito seculo ei minime deserviret. Non tamen propter hoc *Brandinus* noster, debita laude tanti conatus ullo modo fraudandus est: quando ea tempestate, cum omnes bonæ artes tantopere languescerent, ipse primus viam cæteris præmonstraverit, locupletandi & ornandi postea vulgaris sermonis eloquium. Ex quo sane, si dici aut credi fas est, iste & *Danti*, & *Petrarchæ*, & *Bocatio* præmonstrasse quodammodo videtur semitam quandam perveniendi ad peroptatam ejusmodi elocutionis metam. Ex hoc igitur initio rivulus primus *Italicæ* eloquentiæ deductus est, qui abundantius postmodum ad *Hetruscos* defluxit:

xit: ut jam non rivus, sed exuberans fluvius, aut torrens potius dici possit omnimodæ elocutionis. Horum enim lingua adeo ad id facere videtur, ut jam nunc tantum apud eos in *Hetruria*, materni sermonis ornatus vigeat, quantum *Latina* oratio olim in *Latio* apud *Romanos:* de qua ferme re in eadem lingua *Spero* noster in suis facundissimis dialogis edisserit disertissime. Ante hunc autem *Brandinum*, nulla erant in vulgari sermone ad imitationem *Latinæ* orationis numeri aut structura: & si qua erat, ignorabatur. Verum etsi incertum est quo tempore id primum cœperit: constat tamen *Brandinum* hunc ante *Dantis*, & *Petrarchæ*, & *Bocatii* tempora claruisse: qui præcipui *Hetruscæ* linguæ auctores fuisse perhibentur.

De Antonio Tempo.

Quod de *Brandino* in oratione soluta modo dictum fuit, idem fere de *Antonio Tempo* in rhythmis *Italicis*, & multiplici carminum genere dicendum est. Is enim primus doctrinam concentuum variandorum *Italicis* modis præscripsit. Floruit enim *Antonius* iste, *Dantis Aldigerii* temporibus, sed paulo anterior ætate *Francisco Petrarcha:* ut videri aperte possit, hunc ipsum artem rhythmicam ab *Antonio Tempo* primum accepisse, & postea nativa & peculiari *Hetruscæ* linguæ elocutione adjutum, cunctos, qui vel ante, vel post rhythmicis concentibus cecinere, longe superasse. Scripsit ergo Antonius Tempus *De arte rhythmica opus insigne*, & subtiliter omnes adinvenit modos, in quibus diversitas *Italicorum* metrorum consistit: ita ut probe nosse jam quisque valeat, *Hetruscos*, sive *Italos* poëtas, in varietate metrica, & in numeris, & concentibus, nec *Græcis*, nec *Latinis* palmam ulla prorsus ratione concedere. Dicavit autem opus hoc *Antonio Scaligero*, principi *Veronensi*, mœcenati liberalissimo. Scripserat autem hæc *Latine* quidem, sed minus eleganter: tum quod illa ætas, tum quod id dictionis genus minime ferret: tum etiam quod argumentum ipsum ex natura sua nec cultum, nec eloquentiam ullam *Latini* sermonis admitteret. Titulus autem operis est: *Summa artis rhythmicæ vulgaris dictaminis*, ab *Antonio Tempo* judice cive *Paduano*. Anno Domini M.CCC.XXXII. Quod opus nunc impressum & divulgatum, ubique circumfertur. Legimus autem hujus familiam, quia aliquando adversus Rempublicam pro *Friderico* Imperatore aperte, palamque suaderet defectionem à Pontifice *Romano*, fuisse proscriptis bonis in exilium relegatam. Audio tamen hujus sobolem de *Tempo* propagatam, florere *Veronæ:* atque alterum quoque *Antonium Tempum*, virum insignem, &
254 in hac vulgari lingua præstantem in præsenti vigere: cui quasi civi nostro maximam optamus salutem.

De Petro Gerardo *historico.*

Celebrandus est post hos vir egregius *Petrus Gerardus*, qui fideliter historiam crudelissimæ tyrannidis *Acciolini* conscripsit, utpote rem gestam sua ætate: cujus immanitatem, ut esset posteris notior, vulgari sermone dictavit. Neque eum sua omnino fefellit opinio. Nam historia hæc jam pridem impressa, in multa voluminum millia per universam *Italiam* dispersa est: ita quod immanitas tam atrocissimi tyranni, qualis fuerat olim paucis nota, nunc omnibus patet. Verum pro eo opere, nihilo minoris gratiæ agendæ sunt *Sebastiano Fausto Longiano*, quam tanti operis auctori: quando is antiquitatis studiosus, volumen ipsum ex abditis eruerit, & publice cum ornatissima præfatione imprimendum dederit.

De Galeatio Gatario.

Secutus est hunc *Galeatius Gatarius*, qui floruit sub *Carrariensium* principatu, & diligentissime scripsit gesta utriusque *Francisci*: senioris videlicet, & junioris. Fuit is vir probus, & orator magnus, & propterea multis legationibus functus, multa etiam laude insignis: quippe qui semper consuluit, ut *Carrariensis* princeps imperata *Venetorum* facere mallet, (modo pacem darent) & sumpta jam contra eos arma deponeret, quam bellum periculosissimum gerere: neque vellet *Lamorato Pellipario*, infimæ plebis homini, sed maxime diviti aures præbere, qui bellum potius sumendum hortabatur, quam iniquis pacis conditionibus parendum: quique in ea consultatione pro bello in *Venetos* sustinendo, principi ibi tunc præsenti mille aureos audacter ad bellum sustinendum obtulerat. Quod aurum sane, sicut & consilium funestum, & exitiale postmodum *Carrariensibus* fuit.

De Benedicto Bordonio.

Benedictus *Bordonius*, ætate nostra Astrologiæ peritissimus, & admirabili quodam divinationis munere præditus fuisse perhibetur. Qui aliquando seu natura, aut divino quodam furore, vel potius felici quodam casu in ea re (ut audivi ab his qui hominem norant) admodum excelluit: vera multa in futurum prædicens. Verum quia hanc judiciariam divinationem plerique omnes boni damnant, atque acriter reprehendunt, uti rem Christianis hominibus vetitam, juxta illud euangelicum verbum: *Non est nostrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate:* idcirco excellens vir, his studiis inanibus sepositis, se totum ad Geographiæ studium convertit: in qua quidem re admirandus plane fuerat. Scripsit enim vulgari lingua *De insulis volumen egregium:* ubi & situs, & mores diversarum gentium, & quicquid vel auditu admirabile, vel scitu jucundum nunc in his est, olimve fuerit, studiose commemorat. Quod opus jam typis impressum, magna cum illius laude ubique legitur. Tabellam quoque descriptionis *Italiæ*, additis longitudinibus & altitudinibus ingeniose correxit: & multo speciosiorem, ac etiam veriorem eam fecit, quam quæ unquam antea in lucem prodierit: *Francisco Cornelio*, qui postea Cardinalis fuit dicatam. Excelluit quoque pingendi, seu miniandi peritia: quod vel ex solis libris monachorum *D. Justinæ*, qui frequenter ab eis evolvuntur, videri certe potest. Obiit anno Domini M.D.XXXIX. Sepultus est in Basilica *S. Danielis*, ante vestibulum in sepulchro suorum.

De Hieronymo Centone. 255

Delectatus quoque est hac lingua *Hieronymus Cento:* qui etsi Jureconsultus, & in foro ecclesiastico advocatus insignis fuerit, succisivis tamen horis emendavit à multis erroribus fragmenta vulgaria *Francisci Petrarchæ*, & ea castigatissime imprimenda dedit: quæ à studiosis illius generis carminum maxime commendantur. Obiit anno salutis M.D.XXVII.

De Angelo Beolco, *alias* Ruzante.

Non est hic ullo pacto reticendus *Angelus Beolcus*, cognomento *Ruzantes*, vir natura ad delectandum natus: qui in poëticis inventionibus

nibus fuit & maximi ingenii, & admirabilis artificii, ut ex multis & præstantibus ejus scriptis satis liquet: nam præter carmina innumera, quæ festive admodum protulit miræ jucunditatis, æmulatus *Plautum*, multas comœdias scripsit, sermone quidem *Italico*, sed prisca lingua *Patavinorum* ac prorsus agresti, & verbis obsoletis risum captantes, atque undique suavissimo lepore, & salsissimis dictis refertas: quæ in tota *Italia* publice actæ, magna cum voluptate populi, & ingenti plausu, ubique in theatris exceptæ sunt, & cum magna lætitia, & jucunditate, ac maximo risu conspectæ: & propterea tum ob verba ridiculosa, & frequentes sales, tum ob ingeniosum inventum, ita cunctis probatæ, ut ad eas audiendas maximi fierent undique tam virorum, quam mulierum concursus. Et quoniam pronunciandi laude omnes nostræ ætatis histriones superabat *Ruzantes*, suarummet fabularum choragus, potiores semper partes agebat: quas quidem tanta cum venustate & gratia peragebat, ut, eo ab auditoribus in scena vel tantum conspecto, tametsi nihil prorsus ageret, magni repente præ lætitia clamores orirentur: quos ille, sumpta alicujus ad imitandum persona, & cœpto jucundo aliquo ad enarrandum figmento, ita illico sedare consueverat, ut tota multitudo ad audiendum composita, miram protinus attentionem præstaret. Hac nostra demum ætate talis ille *Patavii* habitus est, qualis olim *Romæ* in inveniendo *Plautus* antiquus poëta, & in agendo *Roscius* illustris histrio. Is certe fuit omnibus numeris histrio laudatissimus, atque unus omnium, qui futuri unquam sunt, in eo genere dicendi poëta maximus. Huic ad recitandas comœdias socii scenici, & gregales, & æmuli fuere nobiles juvenes *Patavini*, *Marcus Aurelius Alvarotus*, quem in comœdiis suis *Menatum* appellitabat: & *Hieronymus Zanetus*, quem *Vezzum*: & *Castegnola*, quem *Billoram* vocitabat: & alii quidam, qui sermonem agrestium imitando præ cæteris callebant. Etenim habentur hujus comœdiæ mimicis salibus insignes: quas ille (ut diximus) agresti quidem sermone & rudi, sed admirabili ingenio & arte, ex agrestis vitæ moribus, & rusticorum natura deprompsit: atque ita exacte omnia, ut iocis suis nec Prætextatis, nec Togatis, Mixtisve: nec *Attellanis*, nec *Latinis* lepiditate, urbanitate & oblectatione concedant. Ex his quædam jam typis impressæ, ubique lectitantur: reliquæ privatim à multis descriptæ, adhuc servantur. Cunctæ vero penes *Aloysium Cornelium Venetum*, virum magnificum, & liberalissimum omnium ejusmodi hominum Mœcenatem. Is *Ruzantem* multis annis secum domi habuit jucundum omnium horarum comitem, & ad expellendas curas lepidissimum sodalem. Qui dum in hujus *Cornelii* viri præstantissimi villa ad *Codevicum* plebatus sacci locum per æstatem diutius habitaret, omnes agrestis linguæ elocutiones, formas, rhythmos, & totam denique pronunciandi normam ita penitus hausit, ut in ea lingua, vel ipsos agrestes inter loquendum mutato habitu pro certo falleret. Circumferuntur illius orationes ea lingua accurate conscriptæ ad *Marcum Cornelium*, & ad *Franciscum Pisanum*, Cardinales, & nostræ urbis antistites, magna cum astantium voluptate, ac risu post cœnam ad exhilarandum animum habitæ: eo forte die, quo post primum eorum ad urbem ingressum, miros iis de more universa civitas ex cunctis ordinibus honores præbuerat. Sed (proh dolor) is adhuc
256 juvenis è vita migravit, relicto toti civitati maximo sui desiderio. Sepultus est *Patavii* in Æde Divi *Danielis*, juxta *Pratumvallis*, anno Domini M.D.XLII. XVII. Martii. Cui *Joannes Baptista Rota* noster ei summopere affectus, hanc monumenti inscriptionem constituit:

V. S.
ANGELO BEOLCO RVZANTI PATAVINO
NVLLI IN SCRIBENDIS AGENDISQ. COMOEDIIS
INGENIO, FACVNDIA AVT ARTE SECVNDO,
IOCIS ET SERMONIB. AGREST.
APPLAVSV OMNIVM FACETISS.
QVI NON SINE AMICOR. MOERORE E VITA
DECESSIT, ANN. DOMINI M.D.XLII. DIE XVII.
MARTII: AETAT. VERO XL.
JO. BAPT. ROTA PATAVINVS TANTAE PRAESTANTIAE ADMIRAT. PIGN. HOC SEMPIT. IN
TESTIMON. FAMAE AC NOMIN.
P. C.
ANN. A MVNDO REDEMPT. M. D. LX.

De Matthæo Rido.

In hoc quoque sermonis genere floruerat paucis ante annis nobilis vir *Matthæus Ridus*, qui etsi ingenuo quodam pudore non ita publice palamque in theatris & scenis ipsemet ageret suas fabulas: in componendis tamen ac dictandis rhythmicis versibus in ea lingua, tantum præstitit, ut extent quædam ab eo edita, ad naturam, & mores, & ad consuetudinem agrestium, ita ingeniose conficta, ut nihil salsius, nihil lepidius, ad exhilarandum animum quantumvis tristem à nostris aut legi, aut audiri usquam possit: quatenus ab ipso etiam *Crasso*, quem semel tantum risisse ferunt, risum extorquere rursum possint. Horum quædam habentur impressa, quædam manuscripta, quædam à plerisque senioribus etiam adhuc memoriæ commendata. Obiit is satis matura ætate, anno Domini circa M.D.XXVII.

De Paulo Gazio.

Cæterum quemadmodum isti tres apud homines agresti sermone, risu pleno grati jucundique fuerunt: ita *Paulus Gazius* decretorum doctor, sermone suo vernaculo, spiritu sancto repleto, Deo pergratus: quo quidem recreat animos, roborat corda, & mentes spoliat mundanis vanitatibus, & replet supernis desideriis. Is erat Monialium *S. Petri* Parochianus, & Confessarius sacerdos: ad quas sermones ultra centum & XVI. in magnis solennitatibus, quum parum voce valeret, in patria lingua ad bene beateque vivendum collegit: opus sane ingens, & multarum vigiliarum. Quod cum aliquanto avidius percurrissem, ingemui plane, permolesteque tuli, quod vel sic ob præmaturam auctoris mortem, nondum ad unguem expolitum, id quicquid est, impressoribus non daretur, ut passim ab omnibus religiosis haberi legique possit. Tanta enim & tam spiritali doctrina plenum est, ut vel hac uni- 257
ca ratione absque alio *Italicæ* linguæ ornatu & prodesse, & delectare, & retinere lectorem possit. Fuit huic pater *Antonius Gazius*, quem superius inter claros medicos recensuimus. Obiit viridi adhuc ætate, annos natus plus minus quinquaginta. Jacet in Basilica *D. Petri* ab an. Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

De Hyppolito Pontano.

Addas his *Hyppolitum Pontanum* Minoritam, nobilem Theologum, qui nuper cultissimum libellum edidit *de vita & miraculis divi Antonii* Confessoris: ac pariter *de sanctis ac beatis viris*, qui ex Minoritarum familia præcipua aliqua sanctioris vitæ præstantia claruerunt: opus sane

sane ab his qui vere Christiani sunt, summopere commendatum, etsi non desint, qui suspicentur adinventum fuisse *Laurentii Patavini* ejus præceptoris, viri doctissimi. Esto, quod ille forte cœperat, hic perfecit & propterea ex æquo saltem uterque laudandus est, & de utroque patriæ nostræ merito gratulandum.

De Francisco Calderio.

Egregiam sui quoque memoriam dereliquit *Franciscus Calderius* scriba olim Cathedralis Ecclesiæ *Patavinæ*: qui cum esset admirabilis ingenii & peregrinandi cupidissimus, patria relicta, quam tunc temporis *Maximiliani* bellum infestabat, plenus spei bonæ in *Hispaniam* profectus est, ubi (ut erat curiosus) de situ novarum insularum studiose multa perquirens, quæ paulo ante a *Columbo*, *Pizarro* & *Cortesio* repertæ fuerant, & de moribus similiter incolarum, libellum admodum gratum confecit, ediditque, & in *Italiam* impressum transmisit: quo facto certe meruit (ut mihi videtur) hic inter cæteros scriptores nostros merito computari. Obiit in illis regionibus non admodum senex, neque eum patria vidit amplius, circa annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum quintum.

De Lucio Paulo Rosello.

Sequitur *Lucius Paulus Rosellus* Juris doctor professione sacerdos, poëta & orator insignis, cujus nomen multa opera in omni studiorum genere, à se edita vehementer illustrant: & præsertim Repertorium ingeniosum, quod super præclaras *Joannis Groti* repetitiones in lucem edidit, quod & nepotibus suis *Bononiæ* studentibus dicavit. Edidit etiam aliud laudatissimum Repertorium super *Innocentium*, quod vel unicum manifeste declarat, hunc ipsum fuisse juris utriusque consultissimum. Extat ejusdem elegans epigramma in dictionario *Calepini* ad lectorem, in quo se operis illius emendatorem fuisse ostendit. Cæterum cum esset & *Græcis* & *Latinis* literis eruditissimus, & *Hetrusca* lingua supra modum delectaretur, decem sermones *Theodoreti* episcopi *De providentia Dei*, & *De sanandis affectibus passionum*, è *Græca* in *Hetruscam* linguam convertit, & *Philippicas Demosthenis* similiter ex *Græco* in *Italicum* sermonem traduxit. Scripsit eadem lingua *De imagine veri principis ad Cosmum Medicem* principem *Florentinum*: item epistolarum *De sacra & Christiana doctrina* libros quatuor. Præterea dialogum *De contemptu mortis*, & *De Passione Christi*, & *De vitio ingratitudinis*, ultimo loco *Thesaurum divinæ & humanæ misericordiæ*: quæ omnia *Venetiis* impressa venduntur. Versabatur is *Venetiis*, ibique in senectute mortuus est & sepultus. Anno Domini M.D.LII.

De Angelo Leonico.

Addamus supradictis vulgaribus poëtis & scriptoribus *Angelum Leonicum*, clarissimi illius *Leonici Thomæi* nepotem, qui modis rhythmicis magis quam *Latinis* delectatus, scripsit novam tragœdiam ad imitationem antiquorum ad magnificum virum Comitem *Julium Zabarellam*: in qua agitur impius dolus conficti adulterii *Antonii Bolognii*, & *Dariæ* uxoris *Aloysii Calciæ*, simulque crudelis & immerita utriusque cædes, quæ impressa habetur. Edidit quoque volumen satis magnum *De amore Troili*, & *Polixenæ* rhythmis sane, ac sententiis, ut ea res exigere videtur cultissimum, quod impressum est. Quid autem præter hæc in schedis seorsum parabat, nescio. Mortuus est triennio post hanc novissimam editionem, anno Domini M.D.LVI. in satis viridi ætate, sed valetudine corporis parum firma. Sepultus in Æde divi *Francisci*, juxta cineres majorum suorum.

258

De Marco Guacio.

Marcus Guacius vir fuit præstantia animi, & corporis viribus (dum per ætatem licuit) in re militari perquam strenuus: postmodum vero emeritis stipendiis, & deserta militia, historiarum omnis generis studio apprime delectatus est. Neque inconsulte id ab eo factum arbitror. Nam ne inter veteranos & emeritos milites odiosa torperet ignavia, ab armis ad studia conversus, ad conscribendam sui temporis historiam aggressus est: & quæ partim audivit, partim legit, partim ipsemet vidit, in unum digesta volumen, *Italico* sermone comprehendit. Scripsit enim ab anno Domini M.CCCC.LXIII. usque ad annum M.D.XVII. Scripsit præterea historiam *Caroli VIII. Gallorum* regis, & addidit ea, quæ gesta sunt ab anno M.D.IX. usque ad annum M.D.XV. & ab anno M.D.XXIV. usque ad hunc ferme diem. Postremo autem multo majora audacter aggressus, edidit historiam, seu potius *Chronicam illustrium rerum à principio mundi*, quæ memoratu dignæ sunt. Quæ ingenti volumine *Venetiis* eo vivente impressa, ac ubique publicata fuerunt. Cecinit præterea à principio, satis eleganti carmine, *Astolphum Bizarrum*, plenum fabulis & allegoriis, rebus & temporibus maxime idoneis. Qui quidem liber & ipse impressus est, & maxima delectatione in hominum manibus versatur. Erat is sane *Guacius* magna rerum omnium cognitione præditus, animo prudens, sanguine generosus, *Patavii* genitus & educatus: quamvis eum *Leander Albertus in descriptione Italiæ falso Mantuanum* nominet. Est quidem ex nobili origine *Mantuana* oriundus, ortus tamen *Patavino* patre jam ab ineunte ætate civitate donato. *Guacius* ergo noster est: qui ubi *Patavii* aliquandiu adolescens literarum studiis operam dedisset, cum præstaret procera corporis forma, & animo & viribus polleret, militiam profectus est, ubi ita strenue sese gessit, ut brevi inter milites honoratissimos haberetur. *Patavinum* ubique locorum sese appellitans, cupiens eo nomine honestare, quantum in se erat, ubique patriam, & se mutuo à patria pariter honestari: cui sententiæ omnino subscribens addidit deinceps in lucubrationibus suis gloriosum patriæ titulum, cujus semper extitit officiosus amator. Vixit usque ad ultimam fere senectutem, in qua hoc satis lepido tetrasticho seipsum demulcere solebat.

Mantua mi patrem, Venetumque urbs inclyta matrem,
Natale Euganei, Guacia sacra lares:
Datque Leo nomen Christi qui mystica narrat:
Dat studium Pallas, militiamque mihi.

Obiit anno natalis Domini M.D.LVI.

De Sperone Sperono.

Hactenus de his qui clari sua ætate fuerunt, & vitam cum morte commutarunt: posthac de vivis cum maxima patriæ nostræ gloria dicemus. Vivit & splendet illustri fama in universa *Italia Spero Speronus*, excellens philosophus, Jurisque Civilis, & omnium disciplinarum genere eruditissimus: tantæ vero facundiæ in dicendo, & in suadendo, præsertim in *Hetrusca* & nostra *Italica* lingua, ut si contingat ei aliquando pro nostræ Reipublicæ negotiis, *Venetiis* in con-

conſpectu Senatus cauſam dicere, ceſſat illico ipſo dicente, forum, & differuntur vadimonia
259 advocatorum, ut fiat interim in ea urbe veluti juſtitium, quo dum loquitur in cauſa à cunctis ordinibus audiri commode poſſit. Quod quidem poſt hominum memoriam privato alteri contigiſſe non legitur. Quare jam ſine controverſia in dicendo & ſcribendo de quovis cauſarum genere primas nunc ei cuncti tribuunt. Eſt enim ad inveniendum ingenio promptus, mente ſtabilis, & ad reminiſcendum inſigni & excellenti memoria: ad dicendum ſermone gravi, copioſo & ſuavi, & ubi ſermonis maxima conſiſtit virtus, ita grato & dilucido, ut diſcernere nequeas utrum ſit ornatior in dicendo, aut facilior in explicando, aut efficacior in perſuadendo. Eſt denique (ut me uno verbo expediam) in eo genere perfectus noſtræ ætatis orator. Leguntur hujus dialogi lingua *Hetruſca* doctiſſimi. Similiter & tragœdia *Æolus*, & plures epiſtolæ eadem lingua ad amicos eleganter conſcriptæ. Expectantur ab eodem indies majora: Apologia videlicet, & alia, quæ ultro ipſemet legenda amicis petentibus præbeat. Etenim ea quæ hactenus leguntur, ab amicis furto ſublata, & properanter auctore inſcio edita feruntur. Habetur ejuſdem elegantiſſima oratio funebris habita in morte *Julianæ Varranæ* illuſtriſſimi *Guidi Ubaldi* ducis *Urbinatis* uxoris. Ad cujus laudes majorum more in funere celebrandas, cum illi juſta ſolverentur, *Guido Baldus* illuſtriſſimus dux *Speronem* ex omnibus noſtræ ætatis oratoribus ad id potiſſimum delegit, & eum maximis, & iis honorificentiſſimis conditionibus *Piſaurum* accerſivit. Expectamus indies grandiora, vita ſuperſtite, quæ eundem, qui nunc noſtra ætate tali tantaque fama refulget, ad poſteros perennem reddant.

De Natali Amulio.

Non ſunt hic reticendi labores *Natalis Amulii* egregii ſacerdotis: quibus in ſcribendis dialogis utitur, & in transferendo ex *Latino* in *Italicum* ſermonem evangelium, quod ex quatuor evangeliis in unum redactum fuerat: quod modo ſic tranſlatum & impreſſum ubique legitur. Edidit nuper ſcholia & meditationes quaſdam utiles ſuper evangelia totius anni, quæ habentur impreſſæ. Reliqua vero quæ quotidie meditatur, ad conſolationem & ædificationem legentium, nondum vulgata, ſed tantum promiſſa cupide interea expectabuntur, donec matureſcant.

De Petro Carrario.

Magnæ expectationis & ſpei, hic mihi ſeſe offert laude merita celebrandum *Petrus Carrarius*, decretorum doctor, tam *Græcis*, quam *Latinis* literis, atque vel in primis *Hetruſca* lingua cultiſſimus: qui ex ingenio, quo præditus eſt, & ſtylo, & memoria, qua pollet, majores indies fructus ſtudiorum ſuorum nobis polliceri videtur. Edidit ſuperioribus annis, vix ex ephebis egreſſus ſermone *Italico De toleranda exilii fortuna*, libellum inſignem, ad *Franciſcum Nogarolam Veronenſem*, virum clariſſimum: quo eleganter complexus eſt, quicquid in ea re ab optimo quovis oratore aut philoſopho dici aut excogitari poteſt: certa profecto, atque manifeſta indicia futurorum. Scripſit *Latine* in funere *Lazari Bonamici* pulcherrimam elegiam, & quamplurima epigrammata cultiſſima. Deflevit *de Paſſione Chriſti* vernacula lingua ſpirituales cantilenas aliquot dulciſſimas. Noviſſime è *Græca* in *Hetruſcam* linguam tranſtulit vitam & orationes *Iſocratis*, opus ſane præclarum, quod jam impreſſum & in lucem emiſſum, laudatiſſime à cunctis acceptum eſt. Faxit Deus ut cætera, quæ majori cultu ſeminare deſtinat, uberiores ei fruges afferant, & indies felicius ac locupletius ſua ei cœpta ſuccedant.

De Jacobo Antonio Cortuſio.

Præterire non poſſum admirabile ſtudium in *Hetruſca* lingua præſtantis viri *Jacobi Antonii Cortuſii* nobilis viri *Matthæi* filii, & pronepotis *Albrigeti* illius: de cujus meritis erga patriam & Rempublicam *Venetam* ſuo loco dicemus. Is cum ſe claris illis & præſtantibus viris ortum ſciat, nequaquam degenerem ſeſe præſtitit. Nam præter jucundiſſimos rhythmos, quos 260
juvenis olim lepidiſſime luſerat, & in præſenti ludit, aggreſſus obſervationes *Hetruſci* ſermonis exprobatis ejuſmodi linguæ ſcriptoribus, ſingulorum nominum, verborum, vocabulorum, ac etiam dicendi modos, inſtar *Latinorum*, opus ſane præclarum, & editione digniſſimum. Orditur quoque (ut ſummæ eruditionis eſt) aliud opus, valde laudabile, *De perfecta cognitione rerum cognoſcibilium*, quod *Conſiliarium* appellat, ubi ſub uno aſpectu ponitur, quicquid unicuique rei conveniat, tam ad uſum quam ad decorem, in cunctis animantibus, & plantis, gemmis, equis, bobus, ovibus, canibus, avibus, piſcibus, fructibus, & id genus univerſis rebus aliis. Id quoque admirabile, & ſumma laude dignum videri debet, quod etſi medicinæ profeſſionem nunquam fecerit, tantopere tamen ſimplicium medicamentorum cognitione delectatur, & herbarum omnium, fruticum, arborum vires tam exacte cognoſcit, ut unus omnium hujus rei videri poſſit peritiſſimus. Sæpe extraneas regiones ipſemet adiit, miſitque alios quocunque potuit, non impenſis, non laboribus unquam parcens, ad inquirenda nova herbarum genera: quæ domi accurate ſub laquearibus ſervatæ, omni tempore, ut in ipſis plantariis virides filo ſuſpenſæ, ab eruditis viris mira cum voluptate viſuntur. Hujuſmodi quoque extraneis herbis hortum conſitum, mirabili cura ſtudioque & labore ſibi comparavit. Hæc in præſenti de hoc homine, ut licuit, majora (ut opinor) poſteritas quum noverit, admirabitur, juxta illud:

Omnia poſt obitum faciet majora vetuſtas:
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Sunt ex noſtris alii quoque hodie fortaſſe ſcribentes, qui etſi forte merito memorandi ſint, qua tamen ratione memorem, quum eos ignorem, neſcio. Hi ſibi magis quam mihi imputent, ſi eos tacitos pertranſierim. Nihil enim habent, ut de me jure queri poſſint, cum hactenus ſua ſic ſcripta celarint, ut ego (licet rei hujus avidiſſimus) noſſe hactenus non potuerim. At vero ii cum claruerint, parum ex noſtro ſilentio diſpendii patientur, quia ſuomet elogio ſatis, abſque mea opera, quæ levis eſt, clari fient. De hac ipſa re ſcripſit ad me *Petrus Carrarius* hoc epigramma:

Mirantur multi quod non ſua nomina per te
Mandentur clari luminis hiſtoriæ.
Quid tibi cum reliquis, quos nec monumenta, nec ipſa
Noſtræ academiæ gloria nobilitat:
Ingenio, virtute animi, pietate, fideque
Eſto valent, virtus tecta latet tenebris.
Quicunque æternæ ſectatur lumina famæ,
Pandat iter factis nobilis ipſe ſuis.

Occulitur adhuc libellus *De agricultura*, & *proverbia*, & alia carmina excellentis Juriſconſulti *Danielis Villæ*, *Nicolai* eloquentiſſimi Juriscon-

consulti patris. Et acutissimum inventum *De insignibus Venetorum*, præstantissimi legum doctoris *Francisci Saxonii*. Legi & cultissimos rhythmos *M. Antonii Caballini* Jurisconsulti, & in foro ad omne tribunal advocati præstantissimi. Novi ac etiam diligo *Aloysium Verum*, qui edidit pene puer ludos hastiles cantu rhythmico: nunc autem de suis studiis videtur multo ampliora promittere. Nam modo accepta laurea doctoratus, licet foro & legalibus studiis occupatus, non desinit tamen in eadem lingua succisivis horis aliquid quotidie meditari, quo vel his vel aliis studiorum suorum laboribus inter claros viros possit merito annumerari. Nuper recitavit mihi *Italicos* rhythmos quos de laudibus mulierum cecinerat, tam admiranda concinnitate, ut placere profecto doctissimo cuique possint. Idem facturus de novis academicis *Patavinis*, nisi obruerer numero. Sed brevi spero fore, ut suismetipsis elogiis elucescant. Audio enim nunc in nova elevatorum academia hic *Patavii* in hac præclara professione florere multos, qui partim jam publice (ut dixi) multa ediderunt, partim ingenuo quodam pudore detenti secreto duntaxat inter amicos ea commentantur, quæ sunt tamen propediem magna cum eorum & patriæ laude in lucem exitura. Quid enim non speratur de *Bartholomæo Zacchonum* hujus novæ academiæ prin- 261
cipe, qui in omni præstantissimarum artium genere summopere excellit? Quid non ab Academicis cæteris, doctissimis juvenibus, atque ab aliis, qui extra hanc etiam Academiam nihilo minori cura in his studiis quotidie sese exercent, scribuntque plurima: quæ post hæc cito fortasse legentur.

CLASSIS XII.

DE CLARIS MUSICIS Patavinis.

PRÆFATIO.



ACTENUS de Poëtis, atque de Latinæ & Hetruscæ *linguæ scriptoribus dictum est satis. Succedant his modo Musici, quibus civitas nostra pro natura loci, & urbis genio (quod & de medicis superius dictum est) mirifice semper abundavit, abundatque in præsenti: ut nunquam à se ipsa, atque à suo ipsius loci genio discedere omnino possit. Hoc autem abunde nobis ætas hæc nostra probat, quæ plurimos Musicos, cantores, cornicines, tibicines, cytharœdos, & id genus concentuum peritissimos in lucem protulit. Porro nescio quo fato contigerit, quod mirum admodum videri debet, ut omnes præclaræ artes ac disciplinæ, quæ olim* Gothico *furore penitus in* Italia *extinctæ fuerant,* Patavii *primum attollere potissimum oculos, & reviviscere, atque è sepulchro quodammodo exsurgere visæ sint. Sicut enim diximus* Petrum Aponum *primum ante alios per multa secula profugam medicinam è* Græcia *in* Italiam *traduxisse:* & Albertinum Musatum *præ cæteris fere primum ad poësis ornatum, historiæque, ac orationis* Latinæ *condimentum recens quodpiam attulisse:* & Brandinum Paduanum *exornare elocutionem vulgarem apud* Italos *primum tentasse:* & Antonium Tempum *in rhythmicis ejusdem linguæ concentibus, multiplicem modorum varietatem monstrasse: ita quoque affirmare possumus* Marchetum Paduanum *olim in eo rudi seculo prima Musices fundamenta jecisse: quæ & ipsa sane sicut & aliæ scientiæ, de quibus hactenus dixi, ex tyrannica illa* Gothorum *immanitate penitus exulabant. Verumenimvero ut aliquid de Musices laudibus (quum sim de Musicis dicturus) attingam, non est parvi facienda pulsandi atque canendi facultas: quæ olim apud* Græcos *tanti fuerat, ut ipsi summam eruditionem & nobilitatem, in nervorum vocumque concentibus esse putarent. Unde olim* Mitylenæi, *qui quum maris imperio potirentur, commilitonibus suis ac sociis civitatibus, si in sanciendo fœdere defecissent, hanc pœnam esse voluerunt, ut liberi desertorum, & literas discere, & cytharam pulsare publice prohiberentur. Quid? (ut scribit* Cicero) Epaminondas *gloriosissimus ille* Thebanorum *princeps vehementer laudatur, quod fidibus concinne admodum caneret. Et* Themistocles *primus ille inter* Athenienses, *cum inter epulas recusasset lyram, habitus est indoctior.* Socratem *vero constat jam ætate provectum, fidibus operam dare cœpisse, satius esse indicantem, ejus artis usum sero, quam nunquam percepisse: quando (ut idem quoque* Cicero *ad* Brutum *dicit) nihil tam cognatum nostris mentibus, quam numeros & voces: quibus & excitamur, & incendimur, lenimur & languescimus.* Alexander Macedo *in convivio* Phrygii *sono in arma furens, mutata in hypophrygium modulatione, ad epulas* Timothei *cythara revocatus est.* Spartanorum *exercitus (ut tradit* Valerius Maximus) *non antè ad dimicandum descendere solebat, quam tibiæ con-*
262 *centu, & anapæstici carminis modulo, calorem animi armati milites attraxissent. Itidem* Lacedæmonios & Cretenses Phrygii *toni modulatione, eadem scilicet quæ in anapæsto*

ſto pede ſentitur, ad arma incitari ſolitos legimus. Sicut enim magno & crebro ictuum ſono pro uſu & natura toni, acrius invadere hoſtem ſolebant: ita & collateralium modorum natura, tibiis hypophrygium modulum concinentibus, à pugna militem revocabant. Nunc de Muſicæ laudibus ſatis: deinceps de Muſicis noſtris dicamus.

De Marcheto Patavino.



ORNAVIT ergo hac tam celebri arte patriam, atque *Italiam* fere primus *Marchetus*, cognomento *Paduanus*, doctiſſimus philoſophus, ſimul & Muſicus: qui ſua ætate de Muſica primus, in eo modulandi genere, quod *Enharmanium* dici audio, præcepta generalia dediſſe perhibetur. Quare cum illis temporibus magni nominis eſſet, & doctiſſimus in ea re à cunctis haberetur, invitatus à *Ruberto*, inclyto *Siciliæ* rege, qui doctiſſimos quoſque ea tempeſtate fovebat, *Neapolim* profectus eſt, ibidemque in ejus aula multa cum laude verſatus. Scripſit interim *De præceptis artis Muſicæ menſuratæ* librum, quem *Pomarium* nominavit: in cujus principio ita legitur: *Principi domino Ruberto Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ regi, Marchetus de Padua humilem recommendationem.* Scripſit etiam præclarum opus alterum, quod inſcripſit: *Lucidarium in arte Muſica valde celebre.* Item pleraque alia, quæ ab impreſſoribus divulgata, ubique leguntur. Fuit is igitur apud *Rubertum*, ut *Timotheus* olim apud *Alexandrum*: qui remittere & excitare norat regis affectus, prout variare cantum, vociſque modos ſibi placebat.

De Proſdocimo Beldomando.

NON minori laude in ea re, in cæteris vero artibus liberalibus majori etiam peritia per ea ipſa tempora claruiſſe fertur *Proſdocimus Beldomandus*, è nobili familia *Patavina* ortus: egregius Muſicus, & eximius philoſophus, & clarus aſtrologus. Edidit tractatum ſphæræ pulcherrimum. Scripſit adverſus *Marchetum* coëvum & conterraneum, & multa loca, quæ male ſibi congruere viſa ſunt: & quædam uti perperam ab eo intellecta, idonea ſatis ratione refellit. Extat utrunque opus *Patavii*, in bibliotheca Canonicorum regularium: & partim etiam apud nos.

De Antonio Lydio.

FLORUIT quoque in hac cadem arte eminentiſſime, illis maxime temporibus, *Antonius Lydius*, cujus fama in univerſa *Italia*, & ubique terrarum tunc temporis altius ferebatur. Is enim in *Galliam* ad perdiſcendas omnes liberales diſciplinas profectus, *Lutetiæ* & philoſophiæ, & aliis artibus, & Muſicæ potiſſimum operam dedit. Veriſimile eſt quidem aliquid illum de ea re aliquando ediſſe: ſed tamen hoc tempore, nihil, quod ſciam, in hominum manibus reperitur. Obiit in patria, & ſepultus eſt apud Eremitanos in porticibus, cum hoc epitaphio, quod ſapit antiquitatem, & ſimul indicat hominis præſtantiam:

MVSICVS ARTISTA, DOCTORQVE PARISIVS ISTE,
SVB CAESO ANTONIVS MARMORE CARNE JACET:
DE LYDO GENITVS, MENS CVJVS GAVDET IN ASTRIS,
FAMOSO LAVDES NOMINE MVNDVS HABET.
M. CCC. LXXXV.

De claris Muſicis præſentis ævi. 263

ATQUI vero poſt hos *Patavina* civitas, hac quoque ætate præ cæteris *Italiæ* civitatibus tum numero (ut opinor) tum vel maxime optimorum Muſicorum præſtantia multo prævalet. Itaque plurimi ſunt, qui hoc ævo voce, tubis, tibiis, calamis, cornibus & fidibus ludant. Cantores ſcilicet, Cytharœdi, Symphoniaci, Aulœdi, Tubicines, & hujuſcemodi Muſicæ artis ſtudiis peritiſſimi. Sed dicam tantummodo de præcipuis, quorum fama viget, & quorum memoriam ex monumentis, tam propriis quam alienis collegimus.

De Antonio Martorello.

COMMEMORANDUS itaque omnino eſt inter claros Muſicos *Antonius Martorellus*, cui in vocis concentu, ætas hæc vix invenit parem: præſtantiorem vero neminem. Compoſuit is *Mandrialia*, quæ impreſſa per totam *Italiam*, & *Galliam*, & ubique à cantoribus plurimi exiſtimantur. Atqui is admodum juvenis *Ariminum* accitus ad docendam Muſicam, cum impenſe omnibus placeret, & de ſe indies multo majora promitteret, intempeſtiva morte ſublatus eſt, & *Arimini* ſepultus. Vixit annos XXV. Obiit anno ſalutis M. D. LVI. Idibus Septembris.

De Antonio Rota.

NON tacendus eſt hic omnino *Antonius Rota*, nobiliſſimus fidicen: qui in pulſando liutum in *Italia* eruditorum judicio, vix parem habuit: neque artem hanc ſcivit ſolum, ſed quod majus eſt, unus præ cæteris eximius præceptor extitit, qui pro mercede eam ipſam docendo ſatis dives evaſit. Edidit de ea re præcepta notabilia, quæ in volumen redacta & impreſſa, ubique habentur, fidium ſtudioſis ad perdiſcendam artem valde neceſſaria, & exinde admodum grata. Moritur anno M.D.XLVIIII. & apud Eremitanos ſepelitur.

De Franciſco Portinario & *aliis Muſicis.*

VIVIT *Franciſcus Portinarius*, vir ingenioſus, & hujus artis peritiſſimus: qui concinnavit dulciſſimas cantilenas, quas quidem dicavit *Herculi* Cardinali *Gonzagæ Mantuano.* Edidit & alia multa, valde placentia. Audio & *Alexandrum* ſacerdotem *Patavinum*, *Vincentiæ* Muſicam docere, ibique in Cathedrali Eccleſia Muſicorum choro ſumma cum laude præeſſe. Idem de *Franciſco* à *ſancta Cruce*, quem pari, ac in eadem laude pono: is *Tarviſii* pſallendi & docendi Muſicæ opus exercuit: at accitus tandem ad celeberrimam *Laureti* Baſilicam, ibique canonicus factus, obiit, anno M. D. LVI. *Laurus Patavinus Mantuæ* ſimiliter præfectus eſt Muſicorum choris. Is jam multa edidit, & indies omni conatu tendit altius, & in melioribus laborat. Quid non expectamus à *Joanne Maria Riccio*, ſacerdote familiari noſtro? Quid non *Petrus Antonius Guaenarius*, qui præter ea quæ in Eccleſia noſtra cantantur, quæ ipſe compoſuit, propediem alia majora etiam pollicetur? Quid non plerique alii, tam

tam inter sacerdotes, quam seculares cornicines, A videlicet primi & præcipui: idque genus alii multi, qui hac tempestate hic *Patavii* florent. Magna laus in ea re *Joanni Mariæ* tribuitur: qui à re ipsa *Corneti* cognomentum sortitus est. Is primus fere novis modulationibus cornu placere cœpit, & ex eo *Venetiis* in magna, dum vixit, existimatione semper habitus: sicut modo *Paulus Trombetinus* noster, qui in calamis ac cornibus inflandis, omnes nostræ ætatis exsuperat. Pertranseo *Hieronymum Braynum*, proxime defunctum: qui *Patavii* in Ecclesia Cathedrali patri ac fratri suffectus, in pulsandis organis in ea re præstantissimus, & admirabilis fuit, nullique sui ordinis postponendus. B Annecterem his *Joannem Baptistam Meninum*, adolescentem insignem, nisi miserabile letum, & immatura mors eum ante tempus nobis eripuisset: qui musicis concentibus, præsertim monocordo & organo, ita profecerat, ut esset jam tenera adhuc ætate *Menino* parenti suo facile adæquandus: qui si ad summum adolevisset, procul dubio omnes hujus ætatis homines in ea re facile superasset.

264 *De* Hannibale Patavino.

Qui primo inter *Patavinos* musicos, qui nunc vivunt, loco recenseri debuerat, in hujus fere classis calce summi honoris ergô connumerabitur *Hannibal Patavinus*, vir excellens, & qui ob singularem in pulsandis organis præstantiam omnes nostræ & superioris ætatis homines facile superavit. Nam is annum vix agens XXV. à clarissimis viris procuratoribus *S. Marci Venetias* honorificentissime accitus, & alteri organorum Ecclesiæ *D. Marci* honoratissime destinatus est: ubi hactenus summa cum laude versatus, præclaram nominis sui famam editis ingenii monumentis per totam *Italiam* propagavit. Is primus omnium author fuit illorum concentuum, quibus postea utraque præclara & eximia illa organa Basilicæ *S. Marci*, uno eodemque tempore pari, atque mira quadam consonantia ac suavitate pulsantur. Qui quidem concentus tum demum summa cum aurium jucunditate, atque animi oblectatione longe gratius auditur, quum ipse princeps cum universo Senatu in purpura hoc templum Nativitatis, vel Resurrectionis Dominicæ, sacratissimisve diebus aliis summa cum veneratione supplex ingreditur. Tantæ præterea in conficiendis concentibus excellentiæ est, quem contrapontistam ætatis nostræ homines appellare consueverint, ut in hoc laudis genere nemo conferri illi in ea re possit: mirumque omnibus videatur, quantæ in movendis organorum taxillis velocitatis ac dexteritatis sit. Deus eum nobis incolumem diutissime servet.

FINIS LIBRI SECUNDI.

265

LIBER III. CLASSIS XIII.

DE PATAVINIS BELLO VEL PACE præclaris, aut alia quavis ratione memorandis.

PRÆFATIO.



ENUMERATIS modo viris in quovis studiorum genere præclaris, res jam hortari, imo exigere videtur, ut juxta propositum nostrum illos deinceps referamus, qui vel togati in Republica vel armati in militia, aut ex insigni quopiam facto, aliquod decus nomenque consecuti sunt, & inde postea celebrem sui famam posteris reliquerunt: & præsertim illos, qui aut agendo, aut consulendo, aut bellando, gloriam non mediocrem sibi patriæque peperere. Porro qua quisque nominis celebritate claruit, dum vixit, idem mortuus quoque dignus est, ut ab omnibus celebretur. Neque enim decet præclaram virtutum famam, cum ipsa temporis vetustate minui, seu penitus aboleri: sed eam ipsam ex eo magis magisque augeri, & amplius prædicari. Quod tum maxime evenire solet, si quando præclara facta, eximia cujuspiam insignis scriptoris elegantia celebrentur. Nam eorum, qui virtutes fecere (ut ille ait) tanta habentur merita quantum ea verbis extollere præclara ingenia potuere. Quapropter magnum illum Alexandrum *ad sepulchrum* Achillis *graviter ingemuisse ferunt, invidentem ei* Homerum *præstantissimum poëtam, illius gestorum buccinatorem. Etenim nos sæpe videmus multos, qui in vita celeberrimi fuerunt, postmodum brevi tempore morte obita, effici obscuros, & à posteris penitus ignorari: ac in tenebris latere, perinde ac si nunquam fuissent. Quod non aliunde evenire profecto solet, quam ex ignavia, aut defectu scribentium: sicut videmus priscis illis nostratibus accidisse, quorum præclara facinora, & bellica laus nunc æque ac nomina à posteris penitus ignorantur. Sunt item quidam habiti in vita admodum vulgo, non tam virtutum gratia, seu gestorum laude clari quam adulationibus, ambitioneque, ac fœdis rumo-*

rumoribus prorsus infames: qui quidem, ubi de hac vita abierunt, tamdiu noti perdurant, quoad vixerint, qui eos opibus, & deliciis, & copiis aliquando supra modum abundantes se vidisse testantur. Quæ sane fama (quæcunque illa sit) vix perbrevissimum unius ætatis spatium inani rumore protenditur: nam (juxta illud Davidicum verbum) Perit memoria eorum cum sonitu, & in generatione una deletur nomen ipsorum. *Contra vero evenire solet iis, qui propria virtute, & gestarum rerum gloria, in præclaram famam, & notissimam nominis celebritatem pervenerunt: modo satis firme incorruptibilibus literarum monumentis fulciantur. Nam ejusmodi viri non modo temporis longitudine non obscurantur, verum potius ab ipsa posteritate feliciter excepti, multo amplius innotescunt, & per longa temporum curricula magis indies crescente fama accipiunt laudis incrementum. Atqui ego id modo plane doleo, me non ea esse eloquentia præditum, qua res tantas, & tam præclaras (ut par est) ad posteros aliqua cum patriæ laude transmittam. Verumtamen pro virili mea enitar, quantum in me* 266
est, expromere abditos cives: & jam pene obscuratos, in luce his nostris commentariis (qualescunque fuerint) diutius continere. Posthac ergo de claris civibus & illustribus viris Patavinis *agendum nobis est, & quicquid in vetustis annalibus, aut probatissimis quibusque literarum monumentis memoratu dignum, & scitu jucundum, ex quo Christiana religio haberi* Patavii *cœpta est, brevissime referendum. Sed à quo aptius quam à* Vitaliano *principe tantæ rei initium sumam? qui inter primos, qui* Patavii *in Christum crediderant, absque dubio memoratur.*

De Vitaliano Justino Patavino *principe.*

PRIMUS itaque qui inter illustres *Patavinos* Christianos numerandus occurrit, est *Vitalianus Justinus Patavinus* sane Princeps, non Rex, ut in historia *D. Prosdocimi* Episcopi *Patavini*, & divæ *Justinæ*, virginis & martyris, & ubique in Ecclesia *Patavina*, & in chronicis appellatur. Non enim ea tempestate alicubi, vel in *Italia*, vel in cæteris *Romanorum* provinciis licebat quenquam Regem appellari: quum invisum ac detestabile prorsus esset S. P. Q. R. expulsis *Roma* semel Regibus, etiam in remotis provinciis, nedum in *Italia* regium nomen audiri. Erat ergo iis præses sive præfectus urbis, aut princeps civitatis: quippe qui ibi tunc authoritate, divitiis, potentiaque cæteris longe præstaret. Etenim post eversum *Romanum* imperium, *Gothorum* lingua id nomen Rex ita commune cuilibet potestati fuit, ut olim quisquis, vel mediocri, ne dicam tenui imperio fungeretur, aut aliquam aliam potestatem haberet, à Barbaris Rex procul dubio diceretur. Quocirca factum est, ut qui historiam de hujusmodi re post ultimam urbis instaurationem scripsere, pro principe, aut urbis præfecto Regem dixerunt: licet barbare & imperite. *Vitalianum Justinum* igitur quum *Patavio* præsideret, & in civitate princeps esset, incidisse in gravem morbum usque ad medicorum desperationem ferunt: eo forte tempore, quo divus *Prosdocimus* ab Apostolorum principe *Petro Patavium* destinatus applicuit, ut ibi Christi euangelium publicaret. Qui cum primum civitatem introisset, multosque infirmos in virtute nominis Christi ibidem liberasset, ad præsidem *Vitalianum*, quasi mirabile quiddam, deductus est, qui ei sanctum Christi euangelium prædicavit: ac statim ubi pius ille vir credidit, ab omni infirmitate liberatur: qui una cum tota familia postea baptizatur. Ex hoc *Vitaliano* defluxisse dicunt, quæ adhuc *Patavii* perdurat, *Vitalianam* familiam, necnon & nobilem gentem *Boromæam*, sicuti *Franciscus Philelphus* in funere ducalis Senatoris *Philippi Boromæi* comitis *Haronæ*, eleganter longo sermone, & plurimis verbis asseruit. Sunt etiam qui scribant divum *Maximum* Episcopum *Patavinum*, de quo supra dictum est, ex eadem gente fuisse: sed de hoc nihil adhuc certi compertum habeo.

De Opilione Picario, *nobili patricio.*

V*italiano* defuncto præter id, quod de *D. Prosdocimo*, & de diva *Justina* scribitur, nihil ferme certi habetur amplius, nisi quod Basilica divæ *Justinæ* per *Opilionem Picaurium* nobilem civem *Patavum*, itidemque patricium *Romanum* fuit ædificata. Quæ quidem ædificatio pervetusta, per ea tempora facta, aliqua ex parte adhuc extare conspicitur. Is namque *Opilio* vir ditissimus, in somnis divino afflatu monitus, in memoriam divæ *Justinæ*, dejecto Concordiæ fano, templum erexit, in honorem Dei, & D. *Justinæ* virginis & martyris, à divo *Prosdocimo* postea consecratum, & sacris virginibus destinatum. Ibidemque miræ pulchritudinis sacellum, pario marmore crustatum, testudinea fornice, & tessellato opere, & porphyreticis, & alabastritis 267
lapidibus tunc insigniter exornatum, divæ *Mariæ* Virgini dedicavit. In cujus medio collocatum est corpus divi *Prosdocimi*, primi Episcopi *Patavini*, in marmoreo tumulo, sub terram defosso: juxta quem ejusdem quoque *Opilionis* sepulchrum appositum est. Id enim annis superioribus à quibusdam monachis conspectum fuit, & ab uno ex ipsis mihi postea relatum. Hoc autem sacellum, etsi ædes ipsa sæpius mutata est, & varia forma refecta: in hunc tamen diem, fere unicum ex antiquis urbis ædificiis, integrum manet. De hoc autem *Opilione* sic legimus in saxo ibidem reperto:

OPILIO .V. C. PE. INL. PP. ATQ. PATRICIVS HANC BASILICAM VEL ORATORIVM IN HONOREM SANCTAE JVSTINAE MARTYRIS A FVNDAMENTIS COEPTAM DEO JUVANTE PERFECIT.

Consules regentes Rempublicam, quando ædificatum fuit Rivaltum.

De Christianis proceribus, à temporibus divi *Prosdocimi* & *Vitaliani* usque ad annum quadringentesimum & vigesimum primum à Christi nativitate, quando in *Adriatici* maris æstuariis *Rivaltum* ædificari primum cœpit, nulla prorsus alicujus rei certa habetur memoria, præterquam ca,

ea, quæ de *Opilione* proxime memorato legitur. Nam per ea tempora ante inclinationem *Romani* imperii (ut superius dictum est) *Patavini* ad omnifariam mercaturam promptissimi habebantur, & ad omnes provincias, & præsertim *Romam* assidue adnavigabant: quam cum ab *Alarico Gothorum* rege, captam, direptamque, ac crudeliter expoliatam penitus audivissent, perturbati, ac sociorum exemplo perterriti, non contenti *Medoaci* portus angustiis, decreverunt opportuniorem locum sibi tam ad navigandum, quam etiam ad profugiendum parare: quo cum opus foret, sese tuto reciperent, & hostium sævitiam ea ratione commodius declinarent. Itaque publica impensa in mediis æstuariis juxta *Medoacum* intra maris *Adriatici* littora, non longe à continenti, *Rivaltum* tenuibus primum ædificiis complere cœperunt. Anno Domini cccc.xxi. viii. Cal. April. imperante *Honorio* cum *Theodosio*, filio *Arcadii*: regentibus autem Rempublicam *Galiano Fontana*, & *Simeone Glanconeo*, & *Antonio Calvo*, *Patavinis* Consulibus, & sic felicissimis auspiciis circa *Rivaltum* in Jesu Christi nomine, novæ urbis jacta sunt fundamenta. Quos quidem consules, quum tam felici omine, tam præclaram & felicem urbem primi omnium auspicati fuerint, & strenuos, & superis charos, ac sapientes viros fuisse, credi par est, & iccirco hic inter illustres viros *Patavinos* merito recensendos. De hoc autem *Galiano*, vel ut alii scribunt, *Gulielmo* habetur epitaphium, quod olim (ut fertur) in æde Divi *Petri* juxta *Aponi* balnea conspiciebatur: indicans hunc ipsum ædificasse juxta *Euganeos* colles templum *D. Petro*, quod olim apud gentiles *Gerioni* fuerat dedicatum. Epitaphium autem est istud:

G. F. PP. T. G. S. C. D. PETRO AER. PAT. IMP. CONSECRAVIT. A. II. R. INTER.

268 Quod est interpretatum, *Galianus Fontana* pater patriæ templum *Gerionis* Senatusconsulto *D. Petro* ærarii *Patavini* impensa consecravit, anno secundo regiminis interregni. Delubrum autem hoc antiquissimum adhuc extat, cujus pavimentum visitur, ex varii generis & coloris marmoribus tessellatim concisis, in varias animantium figuras meram antiquitatem referentibus, ornatissime stratum. Locus autem is, modo fere neglectus, olim vero adeo frequentatus, ut eo ab urbe *Patavio* per sex passuum millia strata via saxis fuerit Reipublicæ impensa, & hominum labore: non autem dæmonum, ut ignarum & rude vulgus autumat. Sed ad consules revertamur.

Consules missi ad condendum Rivaltum.

Eo ergo tempore *Aldebertus Faletrius*, *Thomas Caudianus*, & *Connon Daulus*, primi missi fuerunt ad ædificationem *Rivalti*. Et post hos per subsequens biennium, anno cccc.xxiii. *Lucianus Gavillus*, *Maximus Lucius*, & *Ugo Fuscus*. Subinde *Marcus Aurelius*, *Andreas Clodius*, & *Alboinus Maurus*. Quo tempore cum recens opus, admirabili incremento, & mira celeritate surgeret, repente exiit ignis è domo *Archityronis* magistri navium, qui momento temporis, quatuor & viginti domos absumpsit. Et quum humanis viribus cœptæ vis flammæ extingui nullo modo posset, ad divinum auxilium conversi, omnes suppliciter votum nuncupant, & *D. Jacobo* Ædem, quæ in *Rivalto* nunc est, ædificandam promittunt: nondum enim sacra Ædes ibi fuerat. Mox compotes voti facti, Ædem votam *D. Jacobo* Apostolo dicant: quam postea *Severianus Daulus*, Episcopus *Patavinus* (ut superius dictum

A est) anno octavo ab urbe cœpta, die octavo Januarii, una cum aliis vicinis Episcopis, solenniter in D. *Jacobi* apostoli honorem consecravit. Extat de hac re hæc memoria in eadem Basilica in tabula marmorea (ut supra dictum est) in elogio *Severiani* Episcopi. Postea vero *Montesilicenses*, & à vicis circumvicinis alii populi *Attilam* fugientes, condiderunt *Metamaucum*, *Albiolam*, *Pelestrinam*, & alias intra eadem littora in iisdem æstuariis civitates.

De Ægidio Fontana *legislatore primo* Venetiarum.

B Hactenus Consules ternos singulo quoque biennio ad ædificationem *Rivalti*, in antiquis annalibus missos fuisse comperimus. Atqui tandem, cum haud multo post ob *Attilæ* immanitatem confluere cœpisset undique populus ex vicinis oppidis, ad incolendas insulas *Rivalto* circumjacentes, missus est eo vir sapiens *Ægidius Fontana*, *Galiani Fontanæ* frater: qui accepta juris condendi potestate, atque pro arbitrio suo statuendi, quicquid conducere novæ civitati, & è Republica fore putaret, veluti alter *Solon Atheniensis* legislator, animadvertens prudentissime
C diversos eo quotidie adventantium mores non posse nisi legis auxilio coerceri & regi, promulgavit de omnium consensu, justissimas & sanctissimas leges, quibus cavit, ut omnes circumjacentes insulæ in unum coalescerent corpus, & sub una jungerentur consuetudine, atque iisdem legibus viverent, ut omnes veluti disrupta membra in unum corpus coaugmentata, indissolubili nexu starent. Quod nulla alia ratione præterquam legibus fieri posse sperabat. Condidit ergo felicissimis illis populis municipalia jura admodum salubria: in quibus hoc sane primum atque præcipuum fuit religionis cultus, & justitiæ &
D æquitatis observantia. Quare cœpit nova civitas moribus & legibus *Ægidii* legislatoris *Patavini*, recte institui: atque deinceps, tum consulari, tum tribunitia potestate per se regi: & ob diversos populos, qui ex universa *Venetia* eo confluxerant, in urbis speciem aucta, appellari deinceps cœptæ sunt, plurali numero *Venetiæ*. Hæc sanctio usque in hodiernum diem habetur in summa observantia, & lex *Ægidiana* appellatur. Ex hoc autem *Ægidio* (ut in *Patavinis* annalibus legitur) processit nobilis familia *Cummena* ex *Monte Silice*, quæ pluribus fortunæ bonis 269
aucta, adhuc & ibidem & *Patavii* commoratur.
E Hunc opinor *Ægidium* eum esse, quem Regem *Patavii* historiæ quædam ineptæ falso fuisse fabulantur: eumque effugatum ab *Attila Ariminum* venisse, & ibi divinitus sibi revelatum fuisse, qualis esset aliquando urbs *Patavii* futura. Inanes profecto scriptoris ineptissimi nugæ, neque hic ullo pacto à nobis immiscendæ, cum non nisi vera dicere, neque hic quicqum nisi approbatum inserere à principio promiserimus.

De Genusio Ruteno *principe*, & Naymerio *Tribuno.*

F Legimus enim quod verisimilius est, *Genusium Rutenum* principem Reipublicæ *Patavinæ* fuisse eo tempore, quo *Attila Hunnorum* Rex, *Aquilejam* obsedit, & multa præclare strenueque pro patriæ libertate fecisse. Extat enim non Rex (ut vulgo fertur) sed, ut paulo ante dixi, civitatis princeps, utpote qui cæteros in civitate, authoritate, dignitate & facultatibus anteiret. Hoc quoque nomine *Plinium* juniorem usum fuisse legimus *libro tertio Epistol. ad Valerium* ubi

ubi ait: *Arianus Maturius Altinatum princeps.* Is ergo *Genusius Patavinorum* princeps *Attilam Hunnorum* regem potentissimum, quem plusquam sexcenta armatorum millia secuta esse perhibetur, tam suis copiis, quas ex *Patavinis* eduxerat, quam auxiliaribus militibus, quos ex *Altino*, & *Concordia*, & *Tarvisio*, & aliunde contrahere potuit, per triennium (tot enim annis *Aquilejæ* obsidionem perdurasse ferunt.) una cum *Naymerio* Tribuno *Patavino* viro fortissimo, qui magnanimus in eo bello unus omnium ubique præsto fuit, ut à patria, & ab incœpto perdendæ *Italiæ* proposito barbarum Regem, quacunque posset ratione deterreret. Cæterum capta tandem *Aquileja*, & incensa, & subinde *Altino* ac *Concordia* dirutis, *Genusius* quum nec seipsum, nec patriam aliqua vi aut ingenio posse amplius tueri videret, tum demum cum universa civitate ad jam cœptam *Rivalti* urbem, quam propter hujusmodi casus *Patavini* paulo ante construendam curaverant, una cum cæteris civibus, relicta patria, eo in tutum sese recepit: anno ab urbe cœpta fere trigesimoquinto, à Christi vero nativitate quadringentesimo quinquagesimosexto. Legitur hunc *Genusium* natum esse anno salutis quadringentesimo decimosexto, ex progenie *Vitaliani* & patre *Valerio*, ex matre *Lavina*: dicuntque in ejus ortu nova in cœlo prodigia apparuisse, atque eadem nocte è stabulo patris equum fugisse, qui nunquam amplius potuit reperiri. Uxorem huic *Adrianam* fuisse perhibent: quæ cum diu ante virum ad mare cum thesauro & liberis profugisset, quo loco primum è navi descenderat, ex voto Deo & angelo *Raphaëli* templum dicare constituit, ut reducem & incolumem maritum angeli ductu reciperet, quem tanto in discrimine *Patavio* abiens paulo ante reliquerat. Nec votum fregit. Nam redeunte *Genusio* ibidem archangelo *Raphaëli*, quæ adhuc extat, Ædem sacram ædificavit, atque sibi & suis, eodem in loco pro tempore ædes amplissimas construi curavit. Idem & alii nobiliores *Patavini*, fugientes barbarorum immanitatem, pari modo fecerunt. Atque hinc primum, & *Metamaucum* à nobilioribus frequentius habitari cœptum, quo postea cum tota civili curia sedes Episcopalis transvecta est, quæ tandem *Metamauco* à mari absumpto, *Clodiam* translata est, quod oppidum erat *Metamauco* proximum. Atqui tandem omnis Respublica inde in *Rivaltum* sese contulit. Atque tunc primum ibidem Curia nobilium collecta est, unde postea & Tribuni, & Duces, & Principes orti. Hic multæ familiæ *Patavinæ* nobiles in *Rivalto* dominatæ sunt, licet sex & viginti tantummodo in *Venetis* annalibus referantur, inter quas etiam nobilissima familia *Gonzaga* annumeratur, quæ à principio tumultus bellici eo se contulisse perhibetur. Ex his autem familiis primi illi duces, & tribuni in novæ adhuc civitatis primordio fuisse leguntur: *Obelerius*, *Beatus*, *Ursus*, *Hypatus*, & ejus filius *Deodatus*. Item nobilis vir,
270 *Dominicus Monagarius*, & plerique alii, usque ad annum quingentesimum ducentesimum quadragesimumsextum: sed de his satis, nam hæc in historiis *Venetorum* latius pertractantur. Cæterum interim demersa *Metamauci* insula, desierunt penitus hi amplius haberi aut dici *Patavini*. Postea vero (ut supra dictum est) tertio reædificata patria, atque indies aucta civitate, & Republica *Patavina* sub *Henrico* quarto Imperatore prorsus firmata, cœptum est *Patavii* res gestas scribi, & subinde præclara civium nomina posteritatis memoriæ commendari, & præsertim optimatum, ex quatuor præcipuis familiis, quæ illis temporibus armis, auctoritate, opibus, potentiaque in Republica reliquos anteibant. *Athestina* videlicet, *Honaria*, *Carrariensis* & *Campisamperia*. De quibus (quoniam locus ita fert) deinceps hic primo dicemus, & postmodum de reliquis.

De Obicio Estensi.

Sunt qui dicant *Estensium* familiam, ab *Atheste Trojano* propagatam: alii autem venisse ex *Gallia*, & à *Caroli Magni* cœpisse temporibus, & sumpsisse sibi nomen ab *Atheste* municipio *Patavino*, cui præerat, & inde *Athestinam* postea appellatam. Quicquid sit, satis manifestum est, hanc familiam semper claram fuisse, & præclaris gestis, & multis insignibus viris & victoriis ornatam. Primus vero qui hic *Patavii* ex hac ipsa familia perpetuam famam promeruisse fertur, extitit *Obicius* vir illustris, qui & armis & sapientia in regenda Republica plurimum valuit. Huic uni primum *Patavii* summa vitæ necisque potestas fuit, antea solis consulibus dari solita: unde ipse primum à populo *Potestas*, appellatus est, & antiquata prorsus consulari appellatione, subinde annui successores, in ejusmodi auctoritate & dignitate constituti, eodem Potestatis nomine appellati. Is in magna concordia, anno salutis millesimo centesimo septuagesimo octavo, civitatem rexit, & propterea rursum in triennium confirmatus: quo quidem tempore civibus suis summa benignitate, & æquitate jus dixit, gessitque hunc magistratum cum maxima concordia & pace totius civitatis. Atqui lacessitus aliquando *Vicentinorum* injuriis, qui pacem turbare volebant, habito *Patavinorum* delectu, aggressus *Carmignanum Vicentinorum* vicum, tum armis, tum sua prudentia, parvo labore, sed magna cum gloria in potestatem Reipublicæ *Patavinæ* redegit. Vicit idem & *Monticulos*, tunc *Veronensium* acerrimos tyrannos, & captivos tenuit: sed eos in *Othonis quarti* Imperatoris gratiam dimisit, liberaliter rebus suis libertateque donatos, quamobrem factus est exinde Imperatori longe charissimus.

De Accio Estensi.

Huic successit filius *Accius*, qui nihilo parente inferior, contra *Acciolinum* cognomento *Monachum* in *Braida Veronæ* acriter decertavit, hostemque superatum & captum *Bassianum*, ad suos gratis remisit. Anno millesimo ducentesimo septimo. Is primus propter præclara sua in Ecclesiam *Romanam* merita, à summo Pontifice *Innocentio III.* Marchio creatus est, & *Anchone* magnifica urbe *Picœni* donatus. Verum diplomate super his de more sub annulo piscatoris jam expedito, morte illico circumventus, jus omne *Aldebrandino* filio dereliquit. Sepultus est in monasterio Abbatiæ *Vangadiciæ* juxta *Athesim*, cui ingentes fundos adjecit, quorum proventu plures subinde monachi ibi residentes, abunde alerentur. Huic præest modo reverendus Abbas *Franciscus Lauredanus* patricius *Venetus*, in pauperes & egenos liberalissimus, in amicos beneficentissimus in omnes humanissimus. Extat ibi arca, quæ nunc translata è monasterio ad plebanicam ædem, usum sacri fontis infantibus præstat. Hujus epitaphium legitur in tabula marmorea in eodem monasterio, literis *Longobardicis* insculptum, quod à me summo pridem studio perquisitum, tandem inventum hic describendum curavi.

ANNIS CHRISTE TVIS, BIS SEX ET MILLE 271
DVCENTIS

CONCESSIT FATIS AZO MARCHIO MENSE NOVEMBRIS.
FLOS, DECVS IMPERII, PATRIAE FLOS, GLORIA MVNDI,
PVLCHER, FORMOSVS, SAPIENS, ELOQVENS, ANIMOSVS.
SI PAGEM COLVIT, SI TRISTIA BELLA PEREGIT,
SEMPERQVE IN VTROQVE PROVIDVS FVIT ET GRATIOSVS.
QVID FREDERICO FECIT, QVID FECIT OTHONI,
OMNIBVS EST NOTVM, NON EXPEDIT HIC RECITARI.
MANTVA, VERONAQVE SIMVL FERRARIA PLANGVNT
QVIS FVERAT DOMINVS TVNC TEMPORIS, ATQVE POTESTAS.
QVID MOROR IN VERBIS, NON EST QVI DICERE POSSIT:
NEC SCRIBI POTVIT SVA GRATIA QVANTA FVISSET.
INVIDA MORS ISTVM RAPVIT, NE VIVERET VLTRA.
CREDO QVOD INDE FVIT ETIAM TVNC LVNA CRVENTA.
HIC TALIS TANTVSQVE JACET, TVMVLO HOC TVMVLATVR.
QVI VIDET HOC DICAT, SALTEM DEVS HVNC BENEDICAT.
QVANDO VIDISTIS AZONEM VERSIBVS ISTIS,
SIT VOBIS NOTVS, QVAMVIS SIT CARNE REMOTVS.
TVLLIVS ELOQVIO FVIT HIC, PELAEVS IN ARMIS,
ITHACVS INGENIO, QVEM TV CAVA PETRA REPONIS.

De Aldebrandino & Rainaldo Estensibus.

Reliquit *Accius* post se duos filios *Aldebrandinum* & *Accium* secundum, qui ob interceptas aliquando fruges, quæ ex oppido *Monte Anniano Patavium* ad pascendam plebem vehebantur: vel ut alii scribunt, quod in *Othonis quarti* Cæsaris gratiam patriæ defectionem solicitassent, ex quo orta magna seditione cum nobili *Azochorum* familia, quæ tum divitiis & honoribus *Patavii* in primis florebat, urbe tandem pulsi sunt, & diruptis & destitutis arcibus *Zerri* & *Calaonii*, & simul eorum domibus & facultatibus in fiscum redactis, tandiu extorres fuere, quousque *Rainaldus Estensis Accii* secundus filius, omni virtute insignis civitati reconciliatus, populo *Patavino* fidelitatem juravit: à quo hilariter postmodum acceptus est, & ob singularem suam probitatem in patriam restitutus, & pristinis fundis redditus, præter duas domos jam devastatas & destructas, & ad usum publicum deputatas: alteram in forum lignarium, alteram in lupanar, ubi nunc est divo *Marco* sacratum templum, & virginibus *Deo* operantibus cœnobium deputatum, quæ prius extra mœnia morabantur. Leo quoque lapideus, qui ex *Atheste* olim per injuriam fuerat à *Patavinis* sublatus, tunc restitutus est: nam pro eo alter major à vicinia sancti *Andreæ* factus fuit, & eodem in loco super columnam in cœmeterio collocatus: anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo. *Atheste* quoque oppidum pridem rejectis incolis, & obturatis lateritio muro portis, & aliquandiu derelictum, prioribus incolis redditur. *Rainaldus* vero postea à *Conrado Apuliæ* rege comprehensus, in

A carcere veneno necatur. *Aldebrandinus* autem interim cum amicis suis, & multis extorribus *Patavinis* acceptis pecuniis à *Florentinis Accio* fratre pro pignore relicto, in hostes Ecclesiæ, qui *Picœnum* provinciam occuparant, arma convertit, & *Anchonem* jampridem parenti suo donatam recuperavit, quamvis eam brevi tempore tenuerit. Interim vero princeps factus magni nominis, cœpit magnopere formidari. Multa enim præclare gessit pro Ecclesia *Romana*: multaque contra *Salinguerram Estensem*, tunc *Ferrariensium* dominum. Post multa tandem felicissime gesta, malo quodam fato *Ferrariam* aliquando
B aggressus, Ecclesiæ *Romanæ* partes secutus, ibi maxima strage suorum, cædeque & captivitate multorum nobilium *Patavinorum*, à victoria decidit, & vix evasit necis periculum. Atqui demum is adhuc juvenis, non sine veneni suspicione defunctus est.

De Accio Novello. 272

Successit eidem *Accius Novellus* ejus frater, qui contra *Acciolinum* sævissimum tyrannum, pro patria cum Apostolico legato acerrime decertavit, ut patriam seque & suos, quos *Patavii* habebat, ex angustiis atrocissimæ tyrannidis liberaret: sed hæc vulgo nota sunt. Edita est de his rebus jampridem à multis scriptoribus verissima historia & copiosissimi commentarii, ut nihil à me hactenus dicendum sit. Obiit is anno salutis M.CC.LXII. & *Atheste* voluit sepeliri, in Æde divi *Francisci*, ad aram maximam, cum hoc insigni epitaphio:

ACCIVS ARMIPOTENS GENEROSI STEMMATIS HEROS
INCLYTVS, ESTENSIS DECVS INDELEBILE BELLI,
MARCHIO MAGNANIMVS, TOTO MEMORABILIS ORBE,
CVJVS OPEM SENSIT PROTECTA BONONIA QVONDAM,
CARDINEIQVE PATRES, VENETI ET FLORENTIA: TANDEM
HIC SITVS EST, ANIMAMQVE DEVS SVSCEPIT OLYMPO.

De *Estensibus* hactenus, cum jam in *Ferrariæ* urbis principatum Dei beneficio evecti, *Ferrarienses* non *Patavini* amplius haberi cœperint. Ii namque, expulso *Salinguerra* tyranno gentili suo, usque in hanc diem *Ferrariæ* à *Romana* Ecclesia sibi concessæ, *Gregorio IX.* Pontifice Maximo approbante feliciter dominantur, & populos suæ fidei commendatos, magna cum integritatis & justitiæ gloria regentes, summa benevolentia complectuntur. De hac nobilissima familia quoad cives nostros attinet satis: non defuerunt hactenus, nec in præsenti deest præstantissimus illustrissimi *Alphonsi* ducis II. legatus apud *Venetos*, *Hieronymus Falletus*, qui hoc munus (ut audio) diligentius ac elegantius cæteris, ad hæc usque tempora præstabit.

De familia Albrici Honariæ.

Altera vero *Patavinorum* familia, quæ gloria nobilitatis illis temporibus aliquando claruerat, fuit ab *Honaria* vico *Patavino* dicta, qui M. circiter passus distat à municipio *Cittadella*, ab urbe vero *Patavio* quatuordecim millia. Iste vicus hactenus nomen servat, & antiquæ arcis vestigia retinet. De hac progenie diversi, diversa sentiunt: opinio vero magis vulgata est, *Albricum* quendam *Saxonem* è *Germania* primo venisse cum *Otho-*

Othone III. Imperatore in *Italiam*, & ab eo ejuſmodi *Honariæ* vico fuiſſe donatum cum multis aliis divitiis, & propterea *Patavii* remanſiſſe, circa annum dominicæ incarnationis noningenteſimum ſeptuageſimumquartum. Quidam autem eum cum *Conrado II.* Cæſare veniſſe dicunt, anno Domini M.XXIII. Quoquomodo res fuerit, ex hujus *Albrici* progenie genitus fuit *Acciolinus Balbus*, cujus filia *Cuniſa* nupſit *Tiſolino Campiſampetro* nobiliſſimo viro. Hi autem proceres cum *Patavii* habitarent, ædes habebant apud ſanctam *Luciam*, ubi modo ſurrexit collegium beati *Rochi*. Ex eadem quoque familia ortus eſt *Acciolinus* major, qui cum mirum in modum ingenio & conſilio in adminiſtranda militia valeret, & robore & audacia in præliis valde præſtaret, donatus eſt ab Imperatore *Corrado tertio*, anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo nono, inſigni vico prope *Baſſianum*, qui dicebatur *Romanum*, à quo poſtea & ipſe & ejus progenies continuato cognomine de *Romano* dicta eſt. Cæterum cum is magnis divitiis abundaret, & animo prælato, ad maxima quæque negotia ſubeunda polleret, dolis, vi & armis, ditioni tandem ſuæ ſubjecit *Baſſianum*, illuſtre tunc oppidum *Patavinum*: hinc bellum cum *Patavinis* ortum eſt maximum, & ſtrages hinc inde multæ: ſed tandem cum *Acciolino* cui *Monacho* cognomen fuit, obliteratis injuriis, & armis depoſitis, pax inita eſt. Is vero poſtea pœnitens peccatorum, in monte *Medeæ Forojulienſis* agri, anachoreticam vitam duxit, & ſubinde à cunctis eſt merito *Monachus* appellatus. Verum ne pax hæc ſuſpecta *Patavii* haberetur, ob nimiam hujus familiæ potentiam, ad hoc ut amoveretur omnis ſuſpicio, ceſſit *Acciolinus* iſte *Patavinæ* Reipublicæ *Hona-*
273 *riæ* Caſtrum, & omne jus ſuum antiquum, cum prædiis circumjacentibus, pretio decem mille nummûm. Taceo hic bella, contumelias & cædes, quæ utrinque poſtea ſubortæ ſunt. Sileo odiorum cauſas, quæ poſtmodum ſubintrarunt: & quam atrociter *Acciolinus* tertius tyrannus immaniſſimus in nobilitatem *Patavinam* ſæviens, per multos annos fuerit debacchatus: qui (ut quidam noſtrorum temporum hiſtoriæ ſcriptor egregius ſcribit) *ſævitiæ animi tantæ fuit, ut Phalaribus, Dionyſiis atque Neronibus ſit intervallo maximo anteferendus.* Taceo innumeras cædes & immanitates, proſcriptiones, nefanda ſtupra, ſceleſtiſſima facinora, & immaniſſima ſcelera, quæ à quamplurimis ſcriptoribus copioſe referuntur: & quæ ita cunctis jam manifeſta eſſe arbitror, ut mea commemoratione non egeant. Quid enim ſceleſtius à quoquam committi potuit? quid immanius, quam pueros caſtrare? matronarum mammas è pectoribus eruere? prægnantium ſecare uteros? partuſque exertos in ignem mittere? lugentibus ſuorum funera, ut lugere deſinerent, oculos eruere? & biſſena *Patavinorum* millia ſub ſignis ejus merentia, ad unum omnes fame, ferro, igne aut aqua perdere? Sed quod ad *Honariæ* gentis nobilitatem pertinet, ſatis manifeſtum eſt, hanc familiam eſſe admodum nobilem, & aliquandiu *Patavii* floruiſſe, tametſi poſtea de *Romano* appellationem ſortita fuerit. Cæterum (ut ſunt rerum vices) hæc nobiliſſima familia propter immanitatem *Acciolini* Tertii, & *Albrici* fratris, cum omni poſteritate juſto Dei judicio, merito fine *Tarviſii* eſt penitus deleta, & radicitus extirpata: anno ſalutis M.CC.LIX. Obiit *Acciolinus* tyrannus *Soncini* captivus, dentibus infrendens, & indignabundus præ triſtitia animi, quod ut latro impius tortori & carnifici, ad ſupplicium ab hoſtibus ſervaretur.

A

DE FAMILIA CARRARIENSI.

De Marſilio.

Floruit per *Acciolini* tempora, atque poſtea etiam magis atque magis *Patavii Carrarienſium* familia: quæ etſi tantæ vetuſtatis fuerit, ut ejus origo prorſus ignoretur, à *Marſilio* tamen, vel longe altius à *Litulpho* tanquam à ſtipite quodam omnium *Carrarienſium* ſtirpium propago, ad hæc uſque tempora continuata ſucceſſione, ſub *Papafavæ* cognomine propagata eſt. Multa hujus familiæ præclara facta, multa etiam ſecus
B geſta commiſſaque immaniter in Rempublicam *Patavinam* feruntur, quæ brevitatis cauſa pertranſimus. A *Marſilio* ergo hanc familiam, quæ nunc viget, derivari nemo dubitat, etſi *Papafavæ* nomen habeat in præſenti. Fuit is ab *Henrico IV.* Imperatore ampliſſimis exornatus elogiis, ac regio decreto donatus, ut ipſi & ſucceſſoribus ſuis in oppido *Carrariæ* facultas eſſet in ſubditos juris dicendi, & vitæ neciſque poteſtas. Ex hoc autem *Marſilio* duo filii proceſſere, *Jacobus* ſcilicet & *Albertinus*. Ex *Albertino* autem natus eſt *Jacobinus*, qui primus cognomentum *Papafavæ* poſteris dedit, & à quo poſtea explo-
C ſo *Carrariæ* nomine, familia *Papafava* nomen accepit, quæ uſque in præſentem diem hic *Patavii*, & nobilitatis & virtutum omnium gloria, virorumque præſtantia floret. Ex antiqua autem *Carrarienſium* familia ante *Marſilii* hujus tempora fuere quidam Comites *Anguillariæ* nobiliſſimi cives *Patavini*. Tres ergo propagines, ex una aliquando radice exortæ ſunt: quæ ut cognomine, ita quoque & inſigni gentilitio differunt. *Anguillariæ* enim Comites, duas altrinſecus anguillas ad currum pro familiæ inſigni ferunt. *Papafavii* vero, leone uſi ſunt, colore cœleſti, in poſteriores pedes erecto, cui à collo breve ſcu-
D tum rubro curru inſignitum dependet: ſed modo abjecto curru, in præſentem diem ſolo utuntur leone. Et quia locus expoſcere videtur, ut de illuſtribus *Carrarienſibus* aliquid attingam, primo quod de his à *Petro Paulo Vergerio*, uſque ad *Franciſcum* ſeniorem latius pertractatur, breviter perſtringam, & de reliquis poſtea pari ordine referemus: quare in primis de *Jacobo Carrarienſi* dicere aggrediamur.

De Jacobo Carrarienſi. 274

Jacobus Carrarienſis vir fuit maximi animi, & eximiæ probitatis: qui quidem ut erat conſi-
E lio ſapiens, & moribus probus, ita erat viribus & armis perquam ſtrenuus. Is cum ſub *Frederici* Imperatoris auſpiciis militaret, eſſetque *Acciolino* tyranno ob ſingularem ſuam virtutem vehementer ſuſpectus, *Mantuæ* in præſentia Imperatoris, orta inter eos ex verborum altercatione diſcordia, ira nimia accenſus, non eſt veritus in Cæſaris præſentia gladium ſtringere, ut *Acciolinum* confoderet: quod profecto eveniſſet, niſi Cæſaris interventu & auctoritate tantæ majeſtatis inhibitus, à feriendo ſeſe abſtinuiſſet. Quocirca nunquam inter eos tuta deinceps reconci-
F liatæ amicitiæ fides fuit. Quamobrem ſequenti anno *Accius Eſtenſis*, & idem *Jacobus Carrarienſis* quorumdam nobilium *Patavinorum* promiſſis fidentes, qui immanitate tyrannica premebantur: ambo, odio tyranni, & deſiderio *Patavinæ* civitatis in libertatem vendicandæ, communicatis conſiliis, & junctis armis, comparato clandeſtine exercitu, prope *Patavii* mœnia in *Pratovallis* taciti conſederant. *Carrarienſis* autem primus cum delecta armatorum manu, per apertam val-

lis portam, quæ custodia carebat, ad Turricellas usque discurrit, existimans eam portam sibi per conscios cives statim patefaciendam: sed tunc porta prohibitus, omni spe destituitur. Firmioribus etenim solito præsidiis ea pars tenebatur: & portam quam sperabat facilius aperiri, & patere venientibus, multo firmiorem cæteris, sibique magis obstantem ac repugnantem invenit. Atqui interim *Acciolinus* rumore excitatus (ut erat paratus) collecto populo, & *Germanorum* præsidio, quod in urbe habebat, per portam sancti *Stephani*, ut hostes circumveniret, egressus est, & in *Pratovallis* à tergo *Accium* primo aggreditur: qui *Acciolini* impetum ferre non prævalens, statim ut animadvertit insidias patere, & aliter evenisse quam putarat, fugam sapienter arripuit. *Jacobus* vero ægre sese defendens turpem fugam abominatus, nulla periculi instantis ratione habita, aliquandiu acriter decertando, à multitudine circumventus comprehenditur. Postmodum vero communium amicorum intercessionibus, tradita prius in *Acciolini* potestatem *Carraria* arce munitissima, à custodia liberatur. Sed cum *Acciolinus* promissis parum fideret, eum *Mantuam* relegavit. Verum cum is clanculum ab exilio ad *Agnam* oppidulum alterum, ad suos se aliquando recepisset, insidiis *Acciolini* rursum captus, *Patavii* super pontem divi *Joannis* à *Navibus*, una cum *Ugolino* advocato, qui captus fuerat in Castro *Brentæ*, miserabiliter obtruncantur, & ambo in proximo templo, absque ulla funeris pompa humi sepeliuntur. Anno salutis M. ducentesimo quadragesimo. Huic fuerunt tres filii, *Marsilius*, *Ubertinus* & *Ugulinus*: qui gloriæ studio, & ulciscendæ paternæ cædis desiderio acerrimi hostes *Acciolino* semper fuerunt: nec destiterunt patriæ liberationem solicitare, quacunque poterant ratione, quoad tandem per legatum summi Pontificis cum *Venetorum* auxiliis, & miserantis Dei gratia, civitas ab immanissimi tyranni manibus erepta est: anno millesimo ducentesimo quinquagesimosexto.

De Jacobo Grandi Carrariensi.

Jacobus cognomento *Grandis* primus fuit, qui ex *Carrariensi* familia universi populi *Patavini* consensu civitatem rexit: an. salutis millesimo trecentesimo decimo octavo. Qui ideo *Grandis* cognominatus est, ut ab altero *Jacobo* nuper memorato, ea appellatione differret. Quanquam alia etiam ratione *Grandis* dici merito poterat, cum & virtute & auctoritate ita cunctis præstaret, ut & esse & dici non injuria posset, ne dum *Grandis*, sed etiam *Maximus*. Tantæ autem fuit modestiæ & liberalitatis, ut mallet sibi iratos homines beneficiis reconciliare, quam vel minis, vel metu, etiam quum posset subjicere. Nam antequam princeps foret, cum aliquando patrocinium laturus cuidam amico ad prætoris venisset
275 tribunal, ut amici causam judici commendaret, & adversæ partis patronus omissa causa, quam agebat, liberiore lingua, & indignis in eum conviciis invehi cœpisset: ei ille summa modestia respondit, ut bene causam diceret, & desineret de se maledicere. Cum vero inde uterque discederet, *Jacobus* prope illi factus, in aurem hoc ei tantum insusurravit: *Linguam tibi præcidam maledice.* At ille rabula hoc verbo audito (ut erat procax & temerarius) rursum ad judicem conversus, cunctis audientibus, immodice in absentem, & contumeliosis verbis abundantius debacchatus est. *Jacobus* vero ubi primum domum sese recepit, jussit quantum frumenti currui imponi poterat, & suem domesticum magni ponderis ad il-

A lum deferri, suoque eidem nomine donari. Accepit ille lubens, & (ut erat impudens) gratanter, & gratias agens, dixit: *Prorsus sane dominus meus, placide sine ferro linguam mihi præcidit, & me in perpetuum pro se plane vocalem, contra se vero mutum & elinguem reddidit.* De eodem multa præclare gesta referuntur, quæ hic brevitatis causa pertransimus. Præfuit autem regimini civitatis, unico tantum anno, & mensibus tribus. Nam necessitate coactus, ut & sibi & civitati consuleret, quæ à *Cane* principe *Veronensi*, longa & dura obsidione premebatur, abdicavit ultro sese principatu, & urbem *Ulrico de Valse Ludo-*
B *vici* quinti Cæsaris legato, sponte libereque concessit. Qua ratione civitas ab obsidione soluta est, & à metu hostium liberata: anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo. Cæterum tanta ei post hæc auctoritas, vel sic privato permansit, ut principatus nomen in eo desiderari tantummodo posset. Non enim ut nomen, ita & regendi onus, & honoris & dignitatis faciem deposuerat, sed in omnibus rebus, quæ interim è Republica esse viderentur, semper ille primus erat: qui & agendo & consulendo ubique domi forisque in omnibus rebus præsto esset. Atqui non multo post cum *Canis Veronensis* mutata sen-
C tentia, & deposito metu, ab Imperatore defecisset, eo quod ille majoribus negotiis esset occupatus, quam ut *Patavinis* opportunam opem ferre posset: spretis induciis, denuo *Patavium* aggressus est, & magno exercitu cœpit urbem & agrum durius infestare: atque auxiliaribus copiis adjutus, longe acrius, quam hactenus fecerat, obsidionem urgere. Attamen hujus præclari viri opera, ductuque & consilio factum est, ut ille duabus prope continuis *Patavinorum* victoriis, una debilitatus, & altera fractus, ac pene captus fuerit: ut vix solus in arcem *Monssilicis* agricolæ cujusdam equum ascensus tuto pro-
D fugerit. *Jacobus* tandem quadriennio, postquam se principatu abdicaverat, gravi morbo oppressus, acceptis de more sacris mysteriis, ex hac vita migravit. Hoc autem tanti viri postremum facinus minime tacendum est, quod in novissimo pene spiritu dignum memoratu fecisse perhibetur. Nam facta sui potestate omnibus, quicunque queri de se vellet, laxatis foribus liber aditus patebat, ut si forte aliqua in re quempiam defraudasset, præsens ipse indicaret, redditurus quicquid injuste acceperat. Interim cum omnes ejus dicta factaque maxime approbassent, quidam arroganter petiit pecuniam ob remissam sibi ca-
E pitis damnationem restitui, tanquam indebite solutam. Cui *Jacobus* generoso spiritu, sed exili voce (animam enim exigua vitæ spe jam trahebat) *si tunc justitia in te reddita fuisset*, respondit, *nunc quod injuste facis, queri de me non posses. Nam capitalis criminis reus eras factus, & ejus pœna in pecuniam, non in tuam, neque in meam, sed in Reipublicæ gratiam commutata est. Quare abi bone vir, & qui hactenus malus fuisti, mutatis in melius moribus, vir bonus esto: quum si pecunia reddatur tibi, tu quoque caput* (quod æquum est) *pariter reddas, necesse sit. Id enim ea pecunia redemisti. Nullius ego mihi peccati propterea male con-*
F *scius sum: nisi forte quod mitius, quam merueras mulctatus fueris.* Habuit autem uxorem *Annam Petri Gradonici Venetiarum* principis filiam: quocirca *Venetæ* Reipublicæ semper fuit multis nominibus charus, atque ex eo *Veneta* etiam civitate donatus: factusque patricius, cum omni posteritate, & in curiam cum patriciis sæpius maxima cum benevolentia admissus. Is testamento suo hæredem instituit *Marsilium*, fratris filium, eique liberos suos suppliciter commendavit. Statura

tura fuit mediocri, aspectu benigno, & humanissimis moribus. Idem cum principatum gereret, murum urbis à templo *D. Antonii*, usque ad
276 *Pratumvallis* ducere cœpit: qui modo penitus dirutus est: suburbia ut tunc erant vallo tantum munita, in plerisque locis officiose reparavit. Obiit anno M. CCC. XXIV. die XXII. Novembris. Vir minime ambitiosus sepultus est in templo *D. Augustini* humi, sub arca *Nicolai Carrariensis*, ubi nullus nunc sepulchri titulus visitur.

De Nicolao Carrariensi.

Nicolaus *Carrariensis Ubertini* filius, vir fuit magni animi, & acerrimi ingenii: qui à Republica *Patavina* missus aliquando ad *Albertum* Cæsarem legatus, magnifice ab eo exceptus est, & militiæ dignitate decoratus. Is quidem inter *Carrarienses* principes non eo numeratur, quod unquam civitatis imperium tenuerit, sed quod in civili dissensione totum fere agrum *Patavinum* suæ ditioni subegerit: & quod aliquando pro patria contra seditiosos & rebelles, domi forisque acriter decertarit, & quod inter cætera præstare videtur, patriam ab hostibus aliquando sua virtute servarit. Nam cum *Canis Scaliger Veronæ* tyrannus urbem dura premeret obsidione, is locum intra vallum post Viridarium *D. Justinæ* jam per dolum occupatum, rejectis ac profligatis hostibus, sua magnanimitate restituit. Ob quam rem ita prospere gestam, & publice laudatus est, atque in tam præclari facinoris memoriam, tanquam de patria optime meritus, turri egregia, & latifundiis, in vico *Cervaresio* (quod *Castellare* nunc appellatur) à Republica *Patavina* donatus est. Cæterum cum nulla felicitas stare diu soleat, mutata postmodum fortuna, ob potentiam suam patriæ valde suspectus redditur: præsertim ex eo, quod stomachatus esse videbatur, quia cum in *Carrariensi* familia, ac in civitate primus ab omnibus diceretur, *Marsilius* tamen in principatu sibi prælatus foret. Quare cum tam insignem contumeliam, & animi dolorem diutius dissimulare non posset, urbe sponte cessit, & *Venetias* sese contulit: ubi una cum *Paulo Dente*, & cæteris extorribus *Patavinis*, quibuscum maximas olim inimicitias gesserat, reconciliatis animis, pacem iniit: & impii belli contra patriam, impiam inter se cocunt societatem: atque ita *Nicolaus* ex constanti patriæ defensore, acerrimus oppugnator factus, contractis undique copiis, cum magno exercitu *Plebatum* agrum uberrimum totum repentino tumultu & armis occupat, ibique mox data incolis fide, pacatus cum exercitu, sine alicujus molestia tuto moratur. Quo tempore arcem *Bubolentam* ædificare cœpit, spe cito potiundi urbis imperio: quod opus postea interceptum est, & ab aliis postmodum principibus absolutum. Verum omni spe frustratus, duxit inde exercitum ad villam *Athestinam*, XV. ab urbe milliario: eamque vallo & fossa munivit, ut in illis castris exercitus adversus repentinam hostium incursionem securius permaneret. Sed interim *Patavini* urbi muniendæ vigilantius intendentes, quoniam longissimo tractu suburbia immunita patebant, fortius vallum circa interiorem partem ducere adorsi sunt: quam nunc secundi muri interioris civitatis in orbem circumeunt: ut si minus universum urbis spatium tueri possint, saltem quod intra id vallum esset, ab hoste defenderent. Agrestes interim crebris incursionibus circunquaque agitati, parere imperiis, & tributa extorri principi solvere cogebantur. Ita ut omnes vici, qui trans *Brentam* essent, *Nicolai Carrariensis* (uti domini
A agri) inviti obsequerentur imperio. Atqui tandem cum novus princeps *Marsilius* intelligeret, extorres cum *Cane Veronensi* de tradenda ei urbe tractare, una cum aliquot ex primatibus id quod imminebat periculum timentes, agere cœperunt, ut *Mastino Canis* principis *Veronensis* nepoti, *Thadea Jacobi Grandis Carrariensis* filia, quam pater eidem olim desponderat, matrimonio jungeretur, eidemque pro dote *Patavium* pacifice traderetur: quod factum est. *Nicolaus* autem postquam *Cani* potestatem urbis factam esse videt, dimisso exercitu, rursum *Venetias* sese recepit: deinde *Clodiam*, ubi reliquum vitæ tempus in li-
B terario otio peregisse fertur. Hic primus fuit, qui *Timonem* currui impingere cœpit, ut in civili bello à cæteris *Carrariensium* signis, suum facilius nosceretur. Legimus etiam hunc cum adhuc juvenis esset, ordinariam præturam *Bononiæ* summo cum honore gessisse, assidente sibi *Rolando Placiola*, Jurisconsulto clarissimo. Obiit senex relictis filiis, *Jacobo* & *Jacobino*: qui post- 277
modum ambo principatum urbis *Patavii* tenuerunt. Fuit is quidem literis non mediocriter eruditus, statura grandis, magnis viribus, & animo elato, acri & violento ingenio: austero vultu, colore fusco, naso aquilino, ac prominente ali-
C quantisper inferiori labio. Toga utebatur præcincta, inter longam & brevem media. Incedebat nudato capite in coronam obligato. Primo *Venetiis* salutis anno M.CCC.XXVI. sepultus est in templo fratrum minorum. Postea vero anno salutis M.CCC.XLIV. ab *Ubertino Carrariensi*, invitis etiam fratribus Minoritis, & contra Ecclesiæ ritum, eam sibi injuriam illatam dolentibus, *Patavium* translatus est, & in Basilica D. *Augustini* depositus, ubi hoc epitaphium juxta aram Virginis in lapidea tabula legitur:

STRENVVS HIC MILES MORES INDVCTVS
D HERILES,
ARMIS MILITIAM DECORANS, VIRTVTE
SOPHIAM,
CVI DAT COGNOMEN, CARRARIA NOBILE NOMEN,
COMPVLSVS PARCA, NICOLAVS IN HAC
IACET ARCA.
MILLE TRECENTENIS QVATVOR, QVATTER QVOQVE DENIS,
AD HVNC MORS VENIT, OCTOBRIS VNDEVIGENIS.

De Marsilio Carrariensi II. *principe.*

E Marsilius *Carrariensis* cognomento *Major Perenzano* patre natus, pauper primum, mox gentilitiis hæreditatibus agnationis Jure sibi devolutis, evasit omnium ditissimus, & ex plurimis victoriis dux in bello clarissimus. Is fuit acerrimus Reipublicæ defensor, quatenus privato licuit. Atqui tandem urgente durissima *Scalensium* principum obsidione, *Ludovico V.* Cæsare frustra sæpius interpellato, uti obsessis succurreret, à Senatu & populo *Patavino* primum (ut supra dictum est) creatus est *Jacobus Grandis*, princeps & dominus civitatis: quod res bellica
F commodius sub unius imperio quam plurimorum diffidentium civium tractari posse videretur. Verum haud multo post, eo defuncto, *Marsilius* urgente bello, necessitate magis quam dominandi ambitione pertractus, ne & se & totam civitatem secum perderet, accepit urbis regimen. Verum instantibus dissensionibus civium cum extorribus (ut proxime dicebamus) *Mastino Canis Scaligeri* nepoti urbem *Patavium*, quam aliter melius tueri se non posse sperabat (ut proxime

 dixi)

dixi) pro dote *Thadeæ Jacobi Grandis* filiæ jam antea ipsi desponsatæ, ultro concessit. An. D. M.CCC.XXVIII. die x. Septemb. Ingressus itaque *Canis* urbem, & accepta clavium potestate, repente *Marsilium Carrariensem* omnium suarum copiarum ducem constituit, & *Patavinæ* civitatis vicarium esse voluit. Subinde *Venetias* profectus, ubi *Thadea* per id belli tempus morabatur, nuptias regio & solenni more celebravit: in quarum triumpho creati sunt equites XXVIII. Ex *Patavinis* autem *Marsilius* minor, *Obicius* & *Albertus Carrarienses: Duxius Buzzacharinus*, *Icardinus Capivacius*, *Cathaneus Bondenarius*, *Philippus* & *Joannes Peraghini*, & *Aldrigetus Bongalius*. His rebus ita confectis, & omnium fere judicio comprobatis, *Veronam* cum suis revertitur: ubi magno congregato exercitu, ad obsidendum *Tarvisium* pergit. *Tarvisini* autem *Marsilii* suasionibus, pariterque potentissimi hostis metu, non expectata agrorum devastatione, nec longioris obsidionis pressura, *Cani* sese dedidere *Canis* vero paulo post acceptæ urbis ingressum, quum minime putaret, mortifera febre interemptus est. Verum antequam ultimum spiritum efflaret, accito *Marsilio*, & gravissimo sermone eum alloquutus, vexillum totius militiæ, & omnes vices suas ei tradidit: eidemque nepotes suos apprehensa molliter dextra uti alteri patri excitis præ nimia pietate lachrymis summopere commendavit, & mox ex hac vita decessit. Quare postea *Marsilius* verborum *Canis Scaligeri* memor, multa præclara facinora pro *Scaligeris* gessit, multa bella confecit, magnas hostium copias fudit, multas urbes, pluraque oppida cepit, & in potestatem ditionemque *Scalensium* frequens victor adegit. Subjugavit enim brevi tempore eorum imperio *Brixiam*, *Parmam*, *Lucam*, & alia innumerabilia pene oppida. Is interim mortua *Bartholomæa Scrovinea* uxore, non sine veneni suspicione duxit secundam uxorem *Beatri-*
278 *cem Guidonis Corregii* principis filiam, celebratis regia pompa nuptiis: anno à Christi natali M.CCC.XXXIV. Atqui tandem *Scalenses* veriti *Marsilii* felicitatem simulque potentiam: sciebant enim tantisper se *Patavio* potiri tuto posse, quandiu *Marsilius* & *Carrariensis* familia pateretur, cœperunt exinde occasionem expectare, qua *Marsilium* cum tota familia *Carrariensium* facili negotio de medio tollerent. *Marsilius* autem certior de ea re ex quorundam delationibus factus, & indiciis post hæc aliquot indies certioribus confirmatus, habitis occulto colloquiis cum *Venetis* ac *Florentinis*, cum quibus *Scalenses* hostiliter contendebant, egit, ut *Venetus* exercitus cum *Petro Rubeo* militiæ præfecto ex improviso *Patavium* adoriretur: quod absque mora factum est. Quocirca rebus sic paratis, primo impetu *Marsilio* procurante urbs apertis portis facile capitur, & apprehenso *Alberto Scaligero*, qui tunc forte *Patavii* residebat, & *Venetias* transvecto, *Marsilius* ibi rursum *Patavii* princeps ex fœdere constituitur, & Senatus *Venetus Tarvisii* dominus: anno salutis humanæ M.CCC.XXXVII. die III. Augusti. *Marsilius* autem cum vix annum integrum post hæc rexisset, mortifero morbo admodum gravatus, cum jam sibi finem vitæ adesse certo intelligeret, *Ubertinum* nepotem, quum propriis careret liberis, adoptatum ex testamento sibi hæredem fecit, & undecimo ante obitum die, publice consensu civium in urbis principatum assumi voluit. Thesaurum autem centum millia aureorum, quem *Venetiis* habebat, reliquit procuratoribus Ecclesiæ sancti *Marci* pro construendo monasterio *Beati Jacobi* apostoli, *Venetiis* in insula *Judaica*, & in alias pias causas distribuendum: quod quidem monasterium magnis etiam prædiis dotandum curavit. Atqui rebus suis ita dispositis, paulo post ritu fidelium sumptis humiliter sacramentis, præ nimio ventris profluvio dissolutus est: anno ætatis suæ XLIV. salutis vero Christianæ M.CCC.XXXVIII. die XI. Martii. Construxit is mœnia urbis à porta *Trinitatis*, quæ *Caudalonga* dicitur, usque ad *Pontem curvum*, & à porta *Prativallis*, usque ad sanctum *Michaelem*. Sed integrum opus quod morte præventus absolvere non potuit, *Ubertinus* ejus successor postea perfecit. Hujus corpus primo in divi *Antonii* Confessoris templo magna funeris pompa depositum est: & subinde (ut testamento jusserat) *Carrariam* translatum, ubi in hanc diem in arca marmorea cum hoc epitaphio repositum jacet:

VIR BONVS ET PRVDENS, QVEM DAT CARRARIA, MILES
MARSILIVS JACET HIC, PADVAE DOMINVSQVE REDEMPTOR.
QVI POST EXPVLSOS SONTES, SAEVOSQVE TYRANNOS
SCALIGEROS, ANIMVM SVBLIMEM REDDIDIT ASTRIS.
ANNIS MILLENIS, TERCENTVM, TERQVE DECENNIS,
BIS QVATTER CHRISTI BENEDICTI LVCE PERACTA.

De Ubertino Carrariensi *Duce* III.

Ubertinus Carrariensis, ideo *Novellus* appellatus est, ut eo cognomento à patre discerneretur. Is admodum juvenis patrem amisit. Quocirca cum opibus abundaret, & esset prorsus à parentum metu liber, & male educatus, per multam licentiam aliquandiu vixit, & ex eo multa parum honesta facinora perpetravit. Et in primis *Gulielmum Dentem* virum nobilem, & in civitate primarium, rivalem suum, amore concubinæ immaniter interfecit. Quæ cædes eum ipsum una cum tota *Carrariensium* familia, ac omni pene Republica *Patavina* in extremum discrimen adduxit. Inde factiones in civitate cædesque multæ exortæ, ad omnimodam fere utriusque familiæ internecionem fuerunt. Cæterum adeptus tandem urbis imperium, velut alter factus, mutatis moribus deinceps, cum omnibus civibus humanissime sese semper habuit. Et principio civiliter agens controversiam de *Campo* sancti *Petri*, municipio *Patavino*, cum *Gulielmo Campisampetro*, rem non armis, neque vi, ut facile poterat, sed æquali jure, & arbitrali judicio discernendam curavit: & *Andreæ Dandolo* tunc *Venetorum* duci pro ejus arbitrio componendam. Qui eo quod *Marsilius Carrariensis* ejus prædecessor, à *Tisolino Campisampetro* fuerat ex testa- 279
mento hæres legitime institutus, *Ubertino* principi oppidum adjudicavit, reliqua vero privata prædia, de quibus etiam inter se disceptabant, pro pacis bono, voluit *Gulielmo* tradi: & ita omnem discordiam, atque odiorum flammam, dux prudens facili negotio leniter & prudenter extinxit. Idem quoque reliqua municipia Imperii jure ad se spectantia, quæ adhuc *Scalensibus* parebant, brevi & perfacili labore cuncta in suam ditionem redegit, præter *Asylum*, quod biennio fere obsedit, & post multas hinc inde cædes perpetratas, tandem astu magis, quam armis, aut militari virtute recepit. Gymnasium idem instauravit, *Rayneriumque Forolivіensem* illustrem legum doctorem, stipendio sexcentorum aureorum (quod tunc erat maximum) ad docendum conduxit. Porticum intra regiam sublimibus sufful-

fultam columnis, quæ in præsenti adhuc perstat, & aulas insignes magnifice construi curavit. Insuper secunda mœnia in modum coronæ, ubi vallum prius circumduxit, quæ è regia nunc præfecti urbis domo, ad arcem, & inde ultra trium millium passuum circuitu urbem totam circumlustrant pariter & muniunt: tantæ latitudinis muro, ut bini intra pinnacula ex utraque parte extantia, urbem commode circumire valeant: altitudinis vero tantæ, ut nullis scalis exterius admotis omnino ascendi possint: flumine & pomeriis circundata, turribus, & portis, & lapideis pontibus insigniter exornata. Horologium præterea super turrim in ingressu regiæ primus fieri mandavit. Lanificium ad commodum civitatis præcipuis decretis & immunitatibus auxit, exaltavit & ornavit quam maxime. Viam quoque quæ ducit ad *Campum* sancti *Petri* stravit, cæterasque per eos fines obliquas & intercœptas, certa spatii dimensione aperuit & correxit. Fossam etiam qua navigatur ab *Atheste* ad *Montem Annianum* duxit, licet paulo post fuerit neglecta. Idem arcem munitissimam in oppido *Atheste* magnis impensis extruxit: ad cujus portam in sublimi loco epigramma hoc literis *Longobardicis* stabat, & nunc eo saxo ibidem humi devoluto ita legitur:

VIRGINIS IN SIGNO, NATI QVOQVE VIRGINIS ANNIS
MILLE TRECENTENIS, TER TRINIS, TERQVE DECENNIS,
HAEC VBERTINVS PLAVSTRO RVTILANTE REFVLGENS,
EGREGIVS PADVAE DOMINVS, NOVA MOENIA FIXIT,
VT FACIAT TVTOS PADVAE RESPVBLICA SOMNOS,
CESSET ET HOSTILIS RABIES: HINC ERGO MONARCHAM
QVI PATRIAM, PATRIAE, LACERATAQVE MEMBRA COEGIT,
FAC DEVS VT LONGAM VITAM BENE DVCAT IN AEVVM.

Is quoque suburbium omnium sanctorum muro cinxit, vias urbis silice stravit, in *Batalleæ* vico ad papyrum conficiendam molas instituit, molendinaque erexit: ac serram artificiosam cum aliis ædificiis commode construi mandavit. Sed cum non minus foris quam in patria strenuus esset, ac studiis militaribus plurimum valeret, à sancta *Romana* Ecclesia Imperator exercitus factus, & omnium copiarum dux electus est: pro qua tuenda strenue ubique sese gessit. Fuit idem quoque sævus ultor pudicitiæ, cum ipse tamen parum pudicus haberetur. Nam sororem suam Abbatissam *Arcellæ* veteris stupro compertam, una cum stupratore, nulla fraternæ pietatis habita ratione, jussit comburi. Contra verò matrem suam, quæ post obitum mariti Deo sese dicaverat in monasterio sancti *Benedicti*, cum pudice sancteque vitam duceret, maxima reverentia, summoque semper honore prosecutus est. Atqui tandem, ut qui de eodem scripsere perhibent, ex immodico *Veneris* abusu, ulcera mortifera membri genitalis impegit: quibus diu afflictus, tandem in principio canescentis ætatis, & maturescentis ævi, occubuit. Anno sui principatus septimo. Qui cum maribus filiis careret, hæredem & successorem sibi instituit *Marsilietum Papifavium Carrariensem*. Obiit anno salutis humanæ M. CCC. XLV. die XXIX. mensis Martii sacratissima die Paschatis: & postridie cum ingenti pompa ad templum divi *Augustini* elatus, ibi postmodum in arca marmorea speciosissima, quæ extat, magnificentissime collocatur. Fuit is statura mediocri, facie venusta, mento rotundo, labio inferiori prominente, repando naso, natura nimius in *Venerem*, subitus in iram, magnanimus, promptus, appetens laudis, injuriarum acerrimus persecutor: ut qui timeri mallet, quam amari. Hujus epitaphium plumbeis characteribus inscriptum legitur:

SOLVE GENIS LACHRYMAS TVMVLVM QVI CONSPICIS ISTVM,
FLENSQVE SVVS DICAS SPIRITVS ASTRA COLIT.
NAM FVIT HIC PATRIAE DVX, PAX, JVS, SPESQVE, SALVSQVE:
HOSTIBVS HOSTIS ATROX, FIDVS AMICVS ERAT.
QVEM GENEROSA DOMVS, PLAVSTRO SIGNATA RVBENTI,
EDIDIT INSIGNEM STRENVITATE VIRVM
VBERTINE TVIS PATAVIS SPES QVANTA SALVSQVE
DECIDIT, HEV, CVM SE MERSIT ACERBA DIES.

ANNO DOMINI M. CCC. XLV. XXIX. MARTII.

De Marsilieto Papifavio *Duce IIII.*

Marsilietus *Papifavius Carrariensis* diminutive appellatus est, quod statura pusillus erat, licet animo satis generoso atque excelso præditus. De hoc autem quod principatum brevi tempore tenuerit, nec antea privatus multa memoratu digna gesserit, pauca dicenda sunt. Id autem *Papifavæ* cognomen à *Jacobino* avo suo traxit, quod illi inditum à pastoribus ea causa fuisse dicitur, quod cum esset parvulus, rurique moraretur, fabis avidius vesceretur: vel ut alii volunt à monachis, cum pestis tempore *Carrariæ* in monasterio servaretur. *Marsilietus* ergo patre *Albertino* genitus, non multas possedit divitias, cum tres haberet fratres, & paterna hæreditas in quatuor partes divisa fuisset. Quocirca habitus est in augendo patrimonio paulo attentior, quam tantæ ejus nobilitati conveniret. Habuit acres aliquando cum *Ubertino Carrariensi* simultates, quarum causas nemini satis unquam constare potuit, alias esse, quam quæ susurronum ac delatorum studio assidue foverentur utrinque. Veruntamen sedatis demum dissidiis, occasione nuptiarum *Thadeæ* cum *Mastino Scaligero*, in quibus agendis ambo simul frequenter convenerant, hunc *Ubertinus* postmodum tanto amore prosecutus est, ut prætermissis nepotibus ex fratre, cum ipse liberis careret, eum sibi & in principatu, & in facultatibus reliquerit hæredem, & biduo ante mortem ex consilio *Petri Campagnolæ* sibi à secretis intimi, eum in principem elegerit: Cui postea more majorum in publica concione vexillum populi oblatum est, & claves urbis traditæ. Atqui sane huic benevolentia benefici principis, multo gravius ac infelicius eidem facto principi cessit, quam olim odia & simultates civi privato nocuerant. Nam *Jacobus* ex *Nicolao Ubertini* fratre natus, hunc sibi præferri graviter permolesteque ferens, neque eidem satis fidens, & simul dominandi cupidus, statuit *Marsilietum* (quoquomodo posset) quamprimum de medio tollere, atque illi immaniter necem, & sibi inique admodum principatum parare. Facta igitur conjuratione cum quibusdam civibus, intempesta nocte thalamum ingressus, nemine obsistente per ejusmodi rei conscios, eum aggressus protinus ob-

obtruncat: anno Dominicæ incarnationis. M. CCC. XLV. die VI. menſ. Maji pridie feſtum Aſcenſionis domin. uno & quadraginta diebus, ex quo miſer principatum urbis acceperat. Nocte vero ſequenti ſine ulla omnino funeris pompa ſepultus eſt apud Baſilicam ſancti *Antonii* Confeſſoris in ſepulchro paterno. Fuit is brevi & exili corporis ſtatura, & ſubridentibus oculis, minutaque facie, ut ex aſpectu vafer & ſubdolus videri poſſet potius quam crudelis. Quum autem liberis careret, *Jacobinus Papiſavius* nepos, ex *Raimaldo* fratre, & *Albertinus* pronepos *Jacobini* filius, eadem nocte evocati, per ſimulatum nuncium tanquam adhuc *Marſilietus* viveret, in curiam venientes comprehenſi ſunt, ac in arce *Rependiſii* in vincula conjecti, uſque quo *Jacobus* ſatis ſibi principatum firmaſſe viſus ſit.

281 *De* Jacobo Carrarienſi *Duce V.*

Jacobus cognomento quidem *Minor*, ſed gratia, comitate, liberalitate, domi foriſque Maximus: & ſi malo quodam initio, & valde inauſpicato principatum ſibi arripuerat, ab omnibus tamen habitus eſt princeps unus omnium gratiſſimus, & alioqui omni laude digniſſimus. Id enim ſolum crimini datum fuit, quod per domeſticam cædem innocentis hominis nefarie ſibi urbis imperium vendicaverat. Sed quoniam nullum immane facinus diu multum manet: ſicuti per ſummum ſcelus principatum obtinuerat, ita per idem quoque ſcelus à nepote poſtea miſerabiliter confoſſus, principatum una cum vita finivit. Is ergo illa nocte qua tantum ſcelus patraverat accitis undique amicis, clam juſſit eos ſignis & ſigillis *Marſilieti* adire omnia municipia *Patavina*, & ibi novas cuſtodias, amotis prioribus ponere, antequam illic ſuæ tyrannidis fama divulgaretur. Idem quoque in urbe factum eſt. Comprehenſi enim tunc omnes ſuſpecti in carcerem conjecti ſunt, & *Venetias* poſtmodum relegati, quicunque contrariæ factionis partes ſecuturi eſſe crederentur. Poſt hæc autem ſequenti die facta fide de interitu principis, ſtipendiarii milites agnoſcentes *Jacobum* novum principem omnes unanimiter ſalutarunt: & ita deinceps fecit cunctus populus. At tunc princeps ut ſe gratum omnibus exhiberet, aperuit illico carceres, & emiſit eos omnes liberos, & quo vellent abire permiſit, ſolvitque pariter omnes pecuniis mulctatos: ejectoſque quoſcunque per injuriam ex urbe in patriam revocavit, & ita eum in publica concione populus pluries ſublatis in cælum vocibus acclamavit, Principem magnanimum, & optimum patrem patriæ ſimul atque dominum. Poſtea vero rebus ſic pacatis, *Carolo IV.* Imperatori *Bohemiæ* regis filio conſtanter adhæſit, ejuſque partes ſecutus, ab eo copiarum dux factus ubique laudabiliter ſeſe geſſit, multaſque urbes illius imperio parere armorum vi compulit. Quocirca eum in omnibus illis civitatibus vicarium ſibi reliquit, & *Tridenti*, & *Belluni*, & *Civitalis*, & aliorum oppidorum in his *Italiæ* oris tutelam dedit. Is quoque adeo Senatui *Veneto* charus fuit, ut eum & civitate (quod pro maximo munere haberi ſolet) & ingenti palatio, *Venetiis* in contrata divi *Pauli* donaverit. Huic rerum omnium adminiſtrator fuit *Paulus Leonius*, eique tanta fide & amicitia conjunctus, ut illi dicere conſueverit: *Locupletare Paule dum per me licet: nam filii mei tua in me merita non agnoſcent.* Veruntamen quando is omnibus videbatur eſſe gratiſſimus, & tranquilla pace ſubjectum ſibi populum regere, ut jam ob id merito ab omnibus *Pater Patriæ* diceretur: à *Gulielmo* tandem naturali filio *Jacobi Grandis* nepote ſuo ob contumeliam natalium, quam illi per jurgium iratus objecerat, evocatos à menſa, tanquam ſecreti quidpiam auditurus, in præſentia diſcumbentium ab eo lætali vulnere confoditur. Nec prius immanis ſicarius eum uno ictu confoſſum, aliis deſtitit ictibus vulnerare, quam & ipſe à circumſtantibus multis vulneribus cæſim & punctim percuſſus, una cum ipſo principe eodem nomento, ac eodem mortis genere occumberet. Reliquit is quatuor filios, *Franciſcum*, *Marſilium*, *Nicolaum* & *Ubertinum*. De hoc viro multa præclare geſta à ſcriptoribus referuntur: ſed ante omnia, quod cum ipſe permodice literatus eſſet, ingenia tamen doctorum virorum ſui ſeculi tanta humanitate, & liberalitate, & in omnibus modis foverit, tantique ſemper fecerit, quanti alter unquam facere poſſe videretur. Et propterea *Franciſcum Petrarcham* inſignem poëtam accerſitum *Patavium* multis auxit ſacerdotiis: & honeſtavit præcipuo Canonicatu, & magnis muneribus proſecutus eſt: & mira benevolentia & familiaritate complexus. Unde *Petrarcha* hujus necem in quadam ſua epiſtola miſerabiliter deflet, & ſummæ ejus viri virtutis memor, his verbis ſub finem epiſtolæ utitur: *Quo nec ego, nec patria, nec mundus (non me fallit amor) digni eramus.* Et hos ſexdecim verſus infra ſcriptos, ſculpendos in ejus monumento dictavit, quos juxta exangue corpus ejus flentem ſe dictaſſe commemorat. Obiit *Jacobus* anno ſalutis humanæ M. CCC. L. die XIX. menſ. Julii. Principatus vero ſui anno quinto: elatuſque in Baſilicam divi *Auguſtini*, juxta aram maximam in nobiliſſimo ſepulchro, cum eximia funeris pompa, & cum maximo omnium mœrore in ſublimi loco ſepultus eſt. Fuit mediocri ſtatura, hilari aſpectu, oculis vivacibus, inferiore labio de natura gentilium ſuorum aliquantiſper craſſiore, humanis moribus, & jucunda converſatione cunctis gratiſſimus. 282

Epitaphium.

HAEC MAGNO DOMVS ARCTA VIRO, SVB MARMORE PARVO,
HEV PATER HIC PATRIAE, SPESQVE SALVSQVE JACENT.
QVISQVIS AD HOC SAXVM CONVERTIS LVMINA LECTOR
PVBLICA DAMNA LEGENS, JVNGE PRECES LACHRYMIS.
ILLVM FLERE NEFAS, SVA QVEM SVPER AETHERA VIRTVS
SVSTVLIT, HVMANO SI QVA FIDES MERITO.
FLERE GRAVEM PATRIAE CASVM FRACTAMQVE BONORVM
SPEM LICET, ET SVBITIS INGEMVISSE MALIS.
QVEM POPVLO, PATRIBVS DVCEM CARRARIA NVPER
ALMA DEDIT PATAVO, MORS INIMICA TVLIT.
NVLLAS AMICITIAS COLVIT DVLCEDINE TANTA,
CVM FLORET HORRENDVS HOSTIBVS ILLE SVIS.
OPTIMVS INQVE BONIS SEMPER STVDIOSVS AMANDIS,
NESCIVS INVIDIAE, CONSPICVVSQVE FIDE.
ERGO MEMOR JACOBI SPECIOSVM CREDVLA NOMEN
NOMINIBVS RARIS INSERE POSTERITAS.

ANNO DOMINI M. CCCL. XIX. DECEMBRIS.

De Jacobino Carrarienſi *Duce VI.*

JAcobinus Carrarienſis Jacobi* ſupradicti frater, natu quidem minor, ſed eidem tamen moribus & vita fere par, vir fuit admodum prudens: qui quidem etſi civis privatus aliquandiu fuerat, ob ſingularem tamen modeſtiam ſuam, quaſi ſecundus cum fratre princeps à cunctis habebatur: utpote cui frater princeps tantum tribueret, ut quæcunque vellet, ei jure ſuo facere liceret. Contigit autem hunc ipſum unà cum *Franciſco* occiſi principis filio, tunc forte extra urbem in agris venandi ſtudio occupari, qui audita principis cæde, urbem feſtinanter ingreſſi, vocata populi concione, *Jacobinus* frater, & *Franciſcus* filius, ambo in trucidati principis locum à populo ſuffecti fuerunt, ut communi conſilio, & æquo jure imperium & Rempublicam unanimiter adminiſtrarent. Qui quidem acceptum vexillum Reipublicæ ambabus manibus tenentes, fideliter agere polliciti ſunt. Quod quidem per VI. annos participata potentia, ſumma cum tranquillitate & concordia ſervarunt. Verum quia infida ſocietas regni eſt, quando id prorſus neſciat conſortem pati, & ut ille ait, *Eſt mala res multos dominarier, unicus eſto. Jacobinus* ergo vitæ capitique *Franciſci* nepotis inſidias ſtruxiſſe deprehenditur, quippe qui egerat cum *Jambono Dotto Franciſci* domeſtico, ut illum aut ferro, aut veneno (ut commodius ei foret) è medio tolleret. Cujus rei indicium ubi *Franciſcus* à *Paulo Dotto* rei conſcio accepit, tantiſper factum diſſimulat, donec in patriam revertitur. Erat enim militiæ dux totius *Lombardiæ* contra *Mediolanenſes*. Ubi vero *Patavium* rediit, re apertius comperta, amicis accitis, *Jacobinum* patruum in principatu collegam comprehendi juſſit: ſimiliter & *Jambonum*, qui Prætoris judicio, per teſtes & indicia manifeſta convictus, ad perpetuos carceres damnatur, & venenum in pyxide repertum, in prolatione ſententiæ publice populo ſpectante crematur. Atqui *Jambonus* (ut creditur) veneno in carcere intra annum de medio ſublatus eſt: *Jacobinus* vero per *Patavinum* agrum diverſis turribus cuſtoditus, ad poſtremum in arcem *Pendiſii* in cuſtodiam miſſus, ex dolore animi graviſſima valetudine correptus, ibidem vitam finivit. Huic uxor erat *Margarita Guidonis Gonzaghæ* principis *Mantuæ* filia, & ex
283 ea unicus adoleſcens, qui cum matre *Mantuam* ad avum maternum delatus eſt. Vixit *Jacobinus* annos ſex ſine diſcordia in principatu liber, & unum captivus in cuſtodia. Erat is corpore tenui, naſo exili ac protenſo, aſpectu ſubtriſti, & diſſimili prorſus forma à majoribus ſuis. Sepultus eſt *Carrariæ*, anno ſalutis humanæ milleſimo, trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Hic à *Vergerio* non commemoratur in numero principum, ſed qui ſequitur *Franciſcus* princeps dictus eſt ab eo ſextus, cum vere ſeptimus ſit habendus.

De Franciſco Carrarienſi *Seniore Duce VII.*

FRanciſcus Carrarienſis* cognomento Senior, quomodo princeps effectus fuerit, & quot annis cum *Jacobino* patruo ſuo *Patavii* principatum tenuerit, ſuperius ſatis dictum eſt: ſupereſt modo, ut nos quæ prolixius de eo ſcribuntur, hic aliquanto brevius perſtringamus. Ferunt ſiquidem hunc virum fuiſſe maximi & invictiſſimi animi, robuſtiſſimi corporis, vafri & acutiſſimi ingenii: in armis vero ſtrenuum, & ad omnia negotia domi foriſque peragenda promptiſſimum,
A bellorum gloria inclytum, nominis autem celebritate illuſtrem, ac cæteris virtutibus, quæ maxime virum principem decent, ornatiſſimum. Hic primus fere in *Italia* excitavit *Italos* exemplo ſuo ad ductandos exercitus abſque barbarorum opera. Electus enim aliquando à ſummo pontifice, & à *Venetis*, & confœderatis *Italiæ* principibus, imperator exercitus adverſus *Joannem* Vicecomitem Archiepiſcopum, & principem *Mediolanenſem*, quod *Bononiam*, quæ eſt juris Eccleſiæ *Romanæ*, violenter occupaſſet, per quam ſtrenue in ea militia ſeſe habuit: unde parta demum in eo bello inſigni victoria, ſumma
B cum laude in patriam reverſus eſt: anno dominicæ incarnationis M.CCC.LV. Is ſplendidiſſimis honoribus *Carolum quartum* electum Imperatorem ex *Germania* proficiſcentem *Romam* ad coronam imperii conſequendam, *Patavii* lautiſſime excepit, à quo Vicarius generalis publicis documentis inſtitutus eſt, & in agro *Cremonenſi* inter equitandum, in equeſtrem dignitatem aſcitus. Nam cum prope Cæſarem foret, porrecta ei virga, quam manu forte tenebat, *Accipe* (inquit) *emeritæ militiæ dignitatem, & eſto bonus miles, & fidelis imperio, ſicut hactenus ſemper fuiſti.* Quem mox cum magno applauſu, & maxima alacrita-
C te cæteri principes ab equis certatim deſilientes calcaribus aureis, & aliis glorioſis inſignibus de more decorarunt: quod eo plane tempore maximi honoris loco habitum eſt. At ille peractis his ſolennibus pompis, ubi maximas Cæſari gratias egiſſet, convocatis aliquot ex nobilibus *Patavinis*, qui huic rei interfuerant, illico eos coram ipſo Cæſare, eiſdem militaribus honoribus ornavit, quibus nuper & ipſe à Cæſare fuerat decoratus. Ii fuerunt, *Patavus Buzzacharinus*, ſocer ejus, *Ludovicus Forzatæus* avunculus, & *Zaninus Peraghinus*, ſororis maritus, & *Ugolinus Scrovignus*, *Gerardus Niger*, & *Paulus Dottus*,
D quos ſecum & bello & pace comites habere conſueverat. Anno autem ab hinc tertio idem *Franciſcus* cum maximo triumpho à *Venetis* exceptus eſt, atque in frequentiſſimo Senatu publice laudatus, ſumma cum gratiarum actione, quod præcipuo ejus interventu dura *Ludovici Ungariæ* regis obſidio circa *Tarviſium* diſſoluta fuiſſet, & in tam pernicioſo bello toties pax fruſtra intentata, ſolo ejus munere æquis tandem conditionibus ſubſecuta fuerit, qualis minime ſperabatur. Attamen ſubſequenti anno *Carrarius Venetis* parum fidus, conſtruxit caſtrum *Carrum* juxta veterem *Medoacum*, ut ſi quid adverſi à *Clodienſibus* inſta-
E ret, haberet quo ſe cum copiis tuto reciperet. Smiliter caſtrum *Oriacum* in ripa alterius *Medoaci*, ut ſi quid forte à *Venetis* adverſi pararetur, ab utroque latere ſeſe commode tueri poſſet, & hoſtem à finibus arcere. Id autem Senatus *Venetus* indigne ferens, in ultionem ejuſmodi munimentorum, quæ ultra modum ſibi diſplicuerant, caſtrum in pago *S. Hylarii*, qui tunc in finibus *Patavinis* erat, conſtrui mandavit: unde gravis poſtmodum inter utroſque nata eſt diſſenſio, & longum bellum, & multæ inſuper cæ- 284
des, & multa incendia, & deprædationes agrorum poſtea ſubſecutæ. Quamobrem ſummus
F Pontifex qui tunc *Avinioni* reſidebat, certior de his omnibus factus, miſeratus afflictas res *Patavinas* non deſtitit per ſuos legatos ſolicitare & agere cum *Venetis* de pace, donec utroſque placaſſet: appoſitis quibuſdam difficillimis conditionibus, & præfixis agrorum terminis inter *Venetos* & *Patavinos* everſis ac demolitis penitus Caſtro *Carro*, & novo portu *Oriaci*, & *Villanova* portui propinqua, & *Burgoforti* in finibus agri *Patavini* & *Venetiarum Lacunæ*, & reſtitutis omni-

omnibus reditibus & fundis *Marsilio Carrariensi:* qui uti conscius proditionis *Jacobini Carrariensis* (de qua proxime diximus) cum consortibus, & universa ejus familia *Venetis* exulabat. Interim hoc pacis tempore *Carrariensis* princeps ad exornandam urbem animum adjecit suum, & juxta præaltam turrim *Acciolini* è regione illius portæ, quæ *Sarasinesca* vocatur, ædificavit munitissimam arcem, cum ingenti incolarum dispendio, & cum maximo murmure civitatis, cujus impensis ejusmodi ædificia struebantur. Idem per multos annos in muris urbis construendis eandem operam dedit: quos partim auxit, partim à fundamentis eduxit, & præsertim à porta *Porcileæ* usque ad portam *Caudælongæ*. Item à porta *S. Sophiæ*, usque ad pontem *Ponderosum:* construxit item turrim altissimam sexangularem ad portam *S. Crucis*, & duxit inde muros usque ad *Sarasinescam*. Vicum *Plebissacci* duabus turribus, & fossis, & aggeribus magnis intra biennium munivit: anno salutis humanæ M. CCC. LVIIII. Apud *Liminam* arcem insignem, quæ nunc prorsus diruta est, lapideum pontem, & Rostam (ut cernitur) erexit magnis impensis: cui insculptum est hoc epigramma: M. CCC. LXX.

NE GRANDIS STAGNARET AQVIS BRENTELLA PER AGROS,
INFERIVS DVM BRENTA TVMET BACHILO NIMIS, ATQVE
AMNI ALTI PASSVS BRENTAE OBSTAT ROSTA TVMENTI,
SEXTVS CARRIGERVM FRANCISCVS QVAM STRVIT HEROS.

Atqui rursum aggressus gravissimo bello, & acriter oppressus à *Venetis*, per duos annos hinc inde atrociter decertatum est, & ager *Tarvisinus* & *Patavinus* sæpius direptus, devastatus atque incensus. Interim vero *Genuensibus Carrariensis* principis sociis, adeo prospere cuncta successere, ut capta *Clodia*, portuque & littoribus occupatis, *Veneti* acerrime de summa rerum cum *Carrariense*, & cum ipsis *Genuensibus* decertarent. Cæterum paulo post mutata fortuna, recuperata à *Venetis Clodia*, *Genuenses* ad unum fere capti & occisi fuerunt: anno dominicæ incarnationis M. CCC. LXXX. Quo tempore cum *Tarvisium* à *Carrariensi* principe acrius longa obsidione premeretur, quam ferri diutius posset, *Veneti* indignantes *Carrariensi* cedere, *Leopoldo Austriæ* duci urbem tradunt, & illico obsidio per illius ingressum dissolvitur: non propterea tamen ab armis cessatum. Nam *Patavini* ab urbe recedentes, interim *Castrum Francum*, *Asylum*, *Noale* oppida *Venetorum*, in suam redigunt potestatem. Atqui tandem *Veneti* compositis rebus, ac mutuo datis & acceptis conditionibus, cum *Carrariensi* principe pacem ineunt: anno Domini M. CCC. LXXXI. *Tarvisium* post hæc à *Leopoldo Carrariensi* venditur pretio LXXX. millium ducatorum. Similiter *Corvelianum*, *Sertavallis*, *Opitergium*, *Cordignanum*, *Motta*, *Portus*, *Buffoletum*, *Ceneta*, *Feltrum*, & *Civitale* pretio centum millium ducatorum. Quæ pecunia violenter à subditis extorta, principem ipsum nobilibus, universisque ordinibus & toti civitati invisum & maxime infensum reddidit. Anno autem salutis humanæ M. CCC. LXXXIIII. cum *Carrariensis Philippum* Cardinalem electum Patriarcham *Aquilejensem* in gratiam Pontificis adversus *Forojulienses* tueri enixe & pro viribus conaretur, tunc tantum excitavit ex parva scintilla contra se incendium, ut non poterit postea ea flamma, nisi sua pernicie & extrema clade familiæ *Carrariensis* extingui. Nam dum parat Cardinalem expul-
A sum vi & armis restituere, gravissimum bellum contra *Utinenses Venetorum* socios gessit. Qui quidem quum soli ferre robur *Carrariensis* exercitus non valerent, socium sibi adjunxere in bello *Antonium Scaligerum Veronensium* principem, qui ubique sibi præsto foret. Per hæc autem tempora *Franciscus Carrariensis* Patriarchæ electi 285
nomine, anno videlicet salutis M. CCC. LXXXVI. subjugavit *Portum Gruarium*, *Savorgnanum*, *S. Vitum*, *Brognariam*, *Sequentisanum*, *Sacile*, *Divanum*, *Pulcinicum*, & alia loca in illis oris his ipsis subjecta. Nec tamen interim destitit gerere assidue bella cum *Scalensi* principe, multis ultro
B tro citroque injuriis & damnis utrinque illatis. Verum dum hæc geruntur, confœderatus est *Carrariensis* in malum suum, *Galeacio* Vicecomiti *Mediolanensium* duci. Quamobrem *Scalensis* princeps primo statim belli impetu, fama ducis adventantis perterritus, non expectata vi aliqua amplius fugiens, *Veronam* capiendam *Galeacio* miser tradidit. Cæterum paulo post idem *Galeacius* perfidia plusquam *Punica*, rupto initæ nuper societatis fœdere, *Patavium* adortus, *Carrariensem* principem, & ditione, & patria, & vita denique brevi expoliat. Nam cum à *Galeacio* durius urgeretur, quam ut posset propriis viribus
C tantum belli apparatum ferre, animo statim concidit, id (quod erat) ratus, valde se odiosum esse & infensum civibus suis: exhauserat enim populum, & nobiles iniquissimis tributorum exactionibus: quocirca convocata publice concione, in totius populi præsentia *Francisco* cognomento juniori filio, uti populo & nobilibus grato, aut saltem minus infenso, urbem *Patavium* concedit, & ipse *Tarvisium* ibi regnaturus adivit: anno salutis M. CCC. LXXXVIII. die XXVI. Junii. Verum cum ambo pater & filius æque infeliciter omni auxilio destituti, bellum diutius ferre non possent contra *Galeacii* ducis & *Venetorum* potentiam,
D ultro ambo ditioni cesserunt. Junior relicto *Patavio* supplex cum uxore, & filiis, & omni thesauro pretioso *Mediolanum* petiit, falso sperans à *Galeacio* duce se aliquam misericordiam & gratiam impetraturum. Senior vero haud multo post, & ipse relicto *Venetis Tarvisio*, ex præcepto ducis *Cremonam* petiit: cui à duce in principio nummi aurei ducenti singulo mense pro expensis dabantur: quod tam diu observatum est, donec *Franciscus* junior dum se contemptum videt, minimeque sibi vel promissa vel sperata succedere, clandestine fugiens, *Hastam* urbem petiit, cœ-
E pitque callide de recuperanda urbe *Patavina* seu armis seu dolis cogitare, quam tam imprudenter ultro hosti affectus turpi metu concesserat. Tunc ergo *Franciscus* senior ob id ad *Novam Comum* primo relegatus est: postea majori orta suspicione, quod *Franciscus* junior occulto abierat, spoliatus omnibus rebus pretiosis, summa duodecim ducatorum millia & ultra *Jacobo Vermi* ducis *Mediolanensis* præfecto in custodiam datur, à quo duplo arctius solito servabatur. Atqui tandem *Patavio* à *Francisco* filio feliciter recuperato, ipse miser in tetro carcere *Medoëciæ* post triennium è vita migravit. Mortui autem patris cadaver filio
F per legatos reposcenti, redditur. Quod *Patavium* delatum regio funere in D. *Joannis Baptistæ* sacello prope Ecclesiam Cathedralem *Mausoleo* insigni à se adhuc vivente, & *Finæ* uxori magnificentissime extructo, conditur: anno M. CCC. XCIII. die XXI. Novemb. Sepulchrum hoc jamdiu dirutum non extat. Visitur tamen adhuc lapidea tabula ingentis magnitudinis in Ecclesia majori. Ipso autem quo *Patavium* delatus est die, *Petrus Paulus Vergerius* elegantissimus illius seculi orator eum habita facundissima oratione

tione laudavit, & funeris magnificentiam suis
scriptis æternæ memoriæ commendavit. Die
vero sequenti *Franciscus Zabarella*, qui postea
Cardinalis creatus est, coram juniore *Francisco*
in maximo conventu totius civitatis, vice acade-
miæ, & ipse habuit disertissimam orationem, quæ
adhuc apud nos extat. Is exitus vitæ fuit *Fran-
cisco* seniori inclyto principi, qui sua tempestate
omnium maximus ac felicissimus, quoad fortuna
amica favit, fuisse perhibetur. Nunc de reliquis
prosequamur.

De Francisco Carrariensi *juniore Duce VIII. & de* Francisco III. & Jacobo, & Albertino, & Marsilio *filiis.*

Franciscus Carrariensis junior idcirco dictus est,
ut discerneretur à patre, qui eodem cum filio
nomine vocabatur. Hic fuit vir magnanimus,
& ab adolescentia armis & bellis exercitatissimus
286 & multis victoriis clarus: & præsertim in *Caste-
nario* vico *Veronensis* agri, non longe à *Castro
Baldo* juxta *Athesim* contra *Veronenses*, ubi tanta
virtute & robore pugnasse fertur, ut universum
ferme eorum exercitum, fuga, cæde atque ca-
ptivitate deleverit. Cæsi sunt ea pugna ultra se-
ptingentos, captivi ultra duo millia & sexcentos
cum omnibus ducibus. Nec minori felicitate
pugnavit aliquando apud *Brentellas*, in vico, qui
ab ea cæde, cum prius *Trestegetes* diceretur, *Tra-
giatæ* postmodum appellari cœptus est. Hic mul-
tum diligebatur, tam à nobilibus, quam à ple-
beis, tum propter singularem comitatem, tum
etiam ob ejus summam in omnes suos liberalita-
tem. Sed tandem accepta civitatis ditione à pa-
tre, cum obsideretur à *Jacobo Verme* duce co-
piarum *Galeatii* Vicecomitis *Mediolanensium* prin-
cipis, & multo acrius premeretur, quam perfer-
re diutius posset: ut calamitati civium, ac suæ
suorumque saluti consuleret, ultro relicta urbe
in manu hostium, ad implorandam ducis gratiam
Mediolanum profectus est. Sed cum nulla ibi spes,
nullaque promissa succederent, una cum uxore
Thadæa Gonzaga mariti fugientis comite, & in-
fortunii socia per multa pericula, & longa itine-
ra, & magnos labores, spatioso orbis terrarum
circuitu *Galliæ* & *Hispaniæ* peragrato, in *Italiam*
rediens, *Florentiam* tandem tunc *Galeatio Medio-
lani* duci inimicam, tuto pervenit, ubi cum ea
Republica callide ac summa arte, publice ac pri-
vatim agere cœpit de recuperando imperio: quod
plane ei brevi successit, & id sane citius quam
aut ipse, aut alius quispiam ausus fuisset sperare.
Nam collecta undequaque tam ex propriis ami-
cis, quam ex inimicis *Galeatii* ducis magna mi-
litum manu, quam tunc in *Forojulio*, ab illius
regionis regulis *Venetorum* favoribus facile com-
paraverat, *Patavium* noctu aggressus, juxta mo-
nasterium Carmelitarum intra prima mœnia sub
ponte *Bovetæ* vi irrumpens, profligato hostili
præsidio, quod ibi aderat ad impediendum in-
gressum, cum maximo populi applausu & hila-
ritate accipitur ab his, qui eam urbis partem in-
colebant. Die vero postera, perfractis prima
luce foribus portæ divi *Matthæi*, intra secunda
mœnia civium auxilio receptus, forum occupat,
omni jam præsidio præ timore desertum, & sic
absque cæde & sanguine feliciter urbe universa
potitur: anno Domini M CCC.XC. XIII. Calen-
das Julias. Mox ad exhilarandam victoriam, in-
signes aliquot cives ex suis, ob eximiam specta-
tamque virtutem, in ea expeditione erga se ex-
hibitam, equestris militiæ dignitate decoravit.
Frequentibus interim, & publice & privatim
congratulationibus factis, templa visuntur, &
Deo summo divisque penatibus, præclara vota
A solvuntur. Eadem quoque felicitate, qua urbem
intra paucos dies, & arcem, & oppida, ac cun-
cta municipia *Patavina* in deditionem recepit,
decem & octo diebus post urbis ingressum, &
totidem mensibus post discessum transactis. Hæc
autem ei in tam secundis rebus, & in tot civita-
tis gaudiis, & populi favoribus infelicitas hæc so-
la manserat, quod sciret patrem suum ex eo duci
magis atque magis invisum fore, & è custodia
satis libera atrociori carcere tenendum: in quo
(ut dixi) triennium miserrimam vitam traxit.
Franciscus interim junior post recuperatum *Pata-
vium*, multa præclare gessisse fertur, & præser-
B tim contra ipsum *Mediolanensium* ducem. Nam
accitus à *Ruberto* Cæsare, exercitui universo
præficitur, & in *Insubriam* contra ducem profe-
ctus, apud *Brixiam*, spectante Cæsare, insigni
victoria potitus est. Nam ibi profligatis jam
Germanis, qui primi pugnam inierant, ipse sua
& *Italorum* militum virtute exsultantibus hosti-
bus acriter incursans, tanta vi obstitit, ut victo-
res vicerit, & insequentes fugaverit: atque con-
versos regredi intra mœnia cum maxima sua &
totius *Italiæ* gloria, & *Germanorum* dedecore
compulerit. Ex quo *Italica* virtus tantam post-
modum invidiam *Germanis* militibus excitavit,
C ut de prodendo *Carrariensi* duce ab ipsis *Germa-
nis*, qui captivi ad suos dolose dimissi fuerant,
haud dubie tractaretur. Quod ubi *Carrariensis*
Cæsari exposuit, missione impetrata, *Patavium*
statim rediit: ex cujus recessu continuo *Brixia*
obsidione soluta est. Cæsar autem & ipse subin-
de abiens *Tridentum* petiit. Atqui vero postmo-
dum *Joanni Galeatio* è vivis sublato, cœpit *Car-
rariensis* princeps in magnam spem tolli, tam ul-
ciscendæ injuriæ, quam augendæ ditionis cupi-
dine accensus. Quare legatos *Brixiam*, *Bergo-
mum* & *Cremonam*, ad solicitandos in partes suas
Guelphos mittit, atque restituto interim opera sua 287
D & suis armis in *Veronam Gulielmo Scaligero*, at-
que eodem paulo post (ut à multis creditum est)
veneno per dolum è medio sublato, absque labo-
re *Veronæ* ditione potitur. Qua occasione nimis
elatus, nunciavit minabundus per literas *Franci-
sco Gonzaghio*, ut in suas partes sponte lubensque
descenderet, alioqui quod de *Verona* jam fecerat,
idem quoque de *Mantua* se facturum. Interea
vero dum & *Vicentinos* ad ejusmodi deditionem
compellere conatur, & *Vicentiam* cum magno
exercitu adoritur, *Vicentini*, ut erant *Patavinam*
ditionem exosi, quamdiu antea experti fuerant,
E conducibilius atque consultius Reipublicæ suæ
fore putantes detrectare *Carrariensis* imperium,
se *Venetis* dare decernunt. Quare *Venetias* trans-
vecti, & ingressi curiam, Senatui *Veneto* sese de-
dunt. Tunc Senatus *Vicentiam* à civibus ultro per
legatos oblatam, in deditionem & tutelam amanter
accipiens, *Carrariensem* monet, ne *Vicentinos* ve-
ctigales suos ulla belli molestia amplius attingat,
alioqui illatas subditis suis injurias, mox justo bel-
lo sese ulturum. *Carrariensis* elatus recenti rerum
successu, & fati sui nescius, *Venetorum* legato su-
perbe respondit, & vexillum *Marcium* quod *Vicen-
tini* jam in alta turri appositum ostendebant, vide-
F re dissimulat. Ex eo magis atque magis *Veneti* in-
dignati, cum *Francisco Gonzaghio* fœdus ineunt, &
conscripto magno militum numero, ductu *Galeatii
Gonzaghii Veronam* primo aggrediuntur, eamque
absque ulla oppugnatione annuentibus civibus fa-
cile, utpote sese ultro dedentibus capiunt. *Ja-
cobus* autem *Carrariensis Francisci* junioris filius,
qui ibi cum præsidio præerat, dum salutem fuga
quærit, cum paucis captus *Venetias* ducitur, &
in carcere diligentissime custoditur. Subinde *Ve-
netus* exercitus *Patavium* movet, ut eam urbem

vel vi, vel obsidione superaret. Verum urbs munitissima cum esset, & triplici muro, & praealtis mœnibus, fluvioque & profunda fossa munita, ac firmissimo militum præsidio defensa, haud facile expugnari aut vinci potuit. Atqui tandem civitas longa obsidione, & immani pestilentia afflicta, post viginti menses cum tot damna, & tot incommoda: & (quod etiam urgebat magis) quum tam diutinam pestilentiam & famem perferre patique amplius non posset, interclusis undique commeatibus, principe non reluctante, in deditionem *Veneti* Senatus devenit: ann. salutis M.CCCC.V. XV. Cal. Decemb. qui postea dies solennis aliquandiu habitus est quotannis, & aurigationibus atque hastarum certaminibus celebratus. Sed his postea temporum vetustate desuetis, in præsentem diem rei memoriam tantum retinet, & Curripalium vulgo appellatur. Etenim eo die infelix princeps, ubi se omni auxilio destitutum videt, sub specie alicujus veniæ, promissis *Galeacii Gonzaghii* fretus, subdoleque seductus, urbe relicta, ultro *Venetias* una cum *Francisco III.* ejus filio, quem secum habebat, infeliciter Senatum adiit: ubi aliquandiu custodiæ mancipatus, noctu cum duobus filiis, qui perpetuo carceri à principio fuerant destinati, mutata sententia, in carcere necantur. Pater die VII. Januarii M.CCCC.VI. qui indutus equestri habitu, satis religioso elatus funere *Venetiis* apud *S. Stephanum* sepultus est. Filii postmodum in æstuariis in D. *Joannis Baptistæ* in *Judaica* æde occulto, eadem qua fuerant nocte necati, humili sepultura conduntur. Erant autem *Franciscus* tertius annorum unius & triginta: & *Jacobus* frater XXVI. ambo corpore robustissimo, & patri perquam similes, atque bellica virtute, & militari gloria admodum insignes: de quibus multa præclare gesta in *Patavinis* annalibus referuntur. Supererant alii duo fratres natu minores, *Albertinus* & *Marsilius*: qui nihilo sane feliciori exitu quam cæteri fratres functi sunt: nisi quod *Albertinus Florentiæ*, quo cum tota *Carrariensium* familia belli tempore transierat, diuturno morbo, ex mœrore animi contracto, non sine aliqua suspicione veneni biennio post patrem consumptus est, anno ætatis duodevigesimo, & *Florentiæ* honoratissimo funere sepultus. *Marsilius* vero interim *Mediolani* apud illustrem principem *Philippum Mariam* militarem disciplinam exercens, nunquam destitit undique solicitare veteres amicos, donec facta cum quibusdam *Patavinis* fere ex plebe hominibus conjuratione, habitaque intelligentia cum *Nicolao Pizzenino*, tunc eximio *Mediolanensium* copiarum duce, temere cum paucis comitibus postridie quam statutum fuerat, ad *Cittadellani* agri vicum, *Cartorium* venit: qui
288 dies fuit Idibus Martii, vel ut alii volunt, XVI. Calend. Aprilis M.CCCC.XXXV. Sed ea nocte qua (ut miser sperabat) *Patavium* ingressurus erat, quum propter nives & pluviarum inundantiam, non ut cum conjuratis convenerat, urbem petiisset, plerique hujus rei conscii futurum id quod erat, rati, detecta conjuratione, se ad unum omnes perituros, certatim plerique (ne prævenirentur ab aliis) *Venetias* contendunt. Atque ibi quisque perinde ac si primus esset, Senatui detegit conjurationem, consciosque facinoris. Hujus rei comperta multipliciter veritate, patrum jussu, haud mora, obsesso itinere custodibus, & occluso in *Germaniam* & ad *Insubres* transitu, unde pridem infelix *Marsilius* venerat, apud locum *Vicentini* agri *Furnos* appellatum, cum paucis comitibus capitur. Et statim *Venetias* deductus, non multo post uti perduellionis reus, annum agens tertium supra quadragesimum, in foro obtruncatur: eodemmet anno, die vero XXIV. Martii. Cæteri vero comites, & quicunque alii conjurationis conscii fuerant, undelibet comprehensi, partim *Venetiis*, partim *Patavii* laqueo suspenduntur. Quidam autem minoris dedecoris gratia, ut aliquanto honestiori exitu tollerentur, decollantur. Fuerunt omnes (ut quidam tradunt, triginta novem, totidemque proscripti & proclamati: qui memores suæ salutis, arrepta statim fuga, sibi melius consuluerant. His vero qui conjuratorum consilia primi detexerant, venia data est, & constituta publice præmia. Hoc ergo miserabili exitu defecit inclyta *Carrariensium* proles, quæ paulo ante tanto strepitu, omnia minis & terrore complebat: & una pariter omnis progenies *Jacobi* illius, qui anno salutis humanæ M.CCC.XLV. cæso *Marsilieto Papafava*, cruentus cognato sanguine tam impiæ necis exordio primus in stirpem suam transtulerat *Patavii* principatum: in quo annos postea nonaginta per summum scelus licet satis feliciter imperarunt. At *Papafaviorum* familia, antiquato penitus *Carrariæ* nomine, tanquam execrabili, gloriosum adhuc cognomen usurpat suum, & in patria pie & sancte exinde in hodiernam diem viget generosa posteritate, ac felicibus auspiciis propagata: literis & bellica virtute illustrium virorum feracissima, & quod præstantius est, *Veneto* Senatui singularis fidei & integritatis constantia maximopere probata.

De Comite Carrariensi.

Floruit quoque ex hac eadem familia, licet nothus *Francisci* senioris filius *Comes Carrariensis*: qui cum culpa natalium à paterna hæreditate legibus excluderetur, patris liberalitate præclarum vicum ex cujus annuis reditibus honorifice aleretur, habuit possidendum. Is vicus in *Citadellæ* & *Campi* S. *Petri* finibus jacet, & postea in hanc usque diem ab eo *Villacomitis* appellata. *Comes* interim sua virtute, præclarum nomen, præter satis amplas facultates, armis & egregia disciplina militari, tam domi quam foris sibi cumulatissime comparavit. Nam (ut taceam fidem atque animi constantiam, quam erga *Franciscum* fratrem regno expulsum *Astæ* cum omni thesauro, & cum summo rei vitæque periculo relictus præ se tulit: ac reliquos labores, quos pro restituendo fratre passus est) ubi is *Florentiam* cum thesauro, & tota *Carrariensi* familia tutus advenit, factus illico *Florentini* exercitus ac totius *Carrariensis* militiæ imperator, nunquam quievit, quousque tum *Florentinorum*, tum *Venetorum* auxiliis fratrem suum exclusum, expulso præsidio *Galeacii* ducis *Mediolanensis*, in patriam & in principatum restituerit. Idem quoque eo ipso tempore *Patavio* egressus extra portam *Sarasinescam*, generoso animo, non magna armatorum manu, sed maxima armorum virtute, *Ugolinum Biancardum* præstantissimum *Mediolanensis* militiæ ducem, afferentem ad arcem præsidium, quæ adhuc pro *Galeacio* tenebatur, feliciter superavit, commeatum intercepit, universumque exercitum profligavit, ducemque ipsum captivum in urbem duxit, & una secum omnia signa militaria, & opima spolia magno cum triumpho ex hoste portavit. Insuper anno M.CCC. XCV. rursum factus imperator *Florentinorum* & *Bononiensium* adversus eundem *Mediolanensium* ducem, multa prospere gessit: profectusque *Ferrariam*, *Nicolaum* puerum *Alberti Estensis* legitimum filium in principatu retinuit. Præterea cum *Mantua* aliquando à *Galeacio* magnis copiis 289
premeretur, usque adeo, ut civitas jam deditionem

nem pararet, *Comes* generosus, cum esset totius exercitus imperator, consilio primum, postea insigni etiam robore animi & corporis, *Venetæ* classis auxilio, & *Florentinorum* copiis, ac instructissimo *Patavinorum* exercitu, hostes aggressus, qui jam superato flumine, sub ipsis mœnibus admissi oppugnationem parabant: primus forti hasta tribunum dextræ alæ perculsum graviter semimortuum è sella decussit, subinde alios. Similiter & cæteri exemplum ducis secuti, magno animo, & majoribus viribus unanimiter in hostes incursant, quatenus innumerabilis exercitus *Mediolanensis* hactenus insuperabilis habitus, tum primum fractus, fusus & omnino profligatus abscesserit, *Mantua* ab obsidione liberata. Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo. Accitus denique in *Picœnum*, à *Bonifacio* nono summo Pontifice cum mille equitum, & quadringentorum peditum exercitu *Patavio* recessit, profectusque in eam provinciam, *Romanæ* Ecclesiæ stipendiis honeste aliquandiu inter primos duces militavit. Deinde sub *Ladislao Apuliæ* rege Platina teste *in vita Innocentii septimi*, præfectus regii exercitus, multa præclare gessit, & propterea *Asculo* in *Brutiis* urbe donatus est, & dominus illius civitatis effectus. Postremo in *Bohemiam* accitus à *Vincilao* rege, omnibus copiis præficitur: ubi postquam multa insignia militiæ munia peregisset, audita fratris calamitate, ac patriæ defectione, cui auxilio esse non poterat, in summo animi mœrore è vita decessit. De hujus matre legitur hoc epitaphium, in Eremitarum æde:

EPITAPHIVM IVSTINAE MACONIAE MATRIS COMITIS CARRARIENSIS.

HOC TRES GERMANAS CAPIET COMMVNE SEPVLCHRVM,
QVAS GENEROSA DOMVS GENVIT MACONIA PROBAS:
NOMINA SVNT QVARVM IVSTINA DEFVNCTA POTENTIS
CARRIGERI MATER, SIC MARGARITA SECVNDA,
TERTIA FRANCISCA, QVAE VIVIT ET VLTIMA RESTAT.
MILLE QVATERCENTVM DOMINI CVRRENTIBVS ANNIS,
QVATTVOR ET DENIS FVIT IPSIS TALE PARATVM.

De Familia Campi S. Petri, *& primo de* Tisone.

Familia *Campi S. Petri* nuncupata, perantiqua & admodum nobilis, multis & iis quidem insignibus viris claruit, sed præsertim quatuor *Tisonibus*: tot enim hujus nominis viros in ea familia claros fuisse comperimus. Primus ante alios nobis *Tiso* cognomento nobilis commemorandus occurrit, qui vixit illis temporibus, quibus Respublica *Patavina* ante graves illos bellorum tumultus opibus copiisque maxime pollebat. Is fuit vir admodum insignis, & in tota *Italia* celeberrimus, & patriæ amantissimus, & dominus quatuor oppidorum, videlicet *Campi S. Petri*, *Castri Fontis*, *Campreti* ac *Trivilli*: & iccirco erat opibus potens, consiliis sapiens, & in omni re prudentissimus, atque in omnes supra modum liberalissimus. Duxit in uxorem *Cunisam* filiam *Acciolini Baldi*, *Honariæ* comitis. Fuit idem dux exercitus Reipublicæ *Patavinæ*, missus ad recuperandum *Tarvisium* è manibus *Avogariorum*, ubi egregie sese gessit. Insuper aliquando una cum *Aldemandrino Estense* adductus spe victoriæ, cum satis justo exercitu profectus est in *Picœnum* ad recuperandam urbem antiquam *Anconam*, à summo Pontifice in feudum *Accio Estensi Aldremandini* patri, de Ecclesia *Romana* optime merito donatam. Sed cum id non successisset, reversi ambo, & redintegrato exercitu, *Ferrariam* contra *Salinguerram Estensem* aggressi sunt, ubi multo quidem infelicius pugnarunt, quam pridem in *Picœno:* quandoquidem ambo duces in eo certamine à Comitibus *Cellanæ* capti fuerant. Quare tunc *Tiso* pro se redimendo vendere coactus est domum cum turri alba Reipublicæ *Patavinæ*, quo pretio liberatus à carcere, in quo per triennium contabuerat, ad suos rediit. Verum ex his quæ deinceps dicturus sum de hoc illustri viro, cogor dubitare, an hujus præclara facinora, quæ tum pace, tum bello de se generose præstiterat, magis admirer, an quæ in fine vitæ depositis armis felici conversione monstravit. Nam ingravescente jam senio *B. Antonii* concionatoris eximii, qui tunc *Patavii* Christi euangelium prædicabat, piis sermonibus accensus, spreta militia atque honoribus seculi, se suaque omnia viri Dei arbitrio disponenda commisit, & factus ei perquam familiaris, impetravit, ut tantus concionator, tam sanctus vir, urbe relicta, ad oppidum *Campi sancti Petri*, ad evulgandum in illis locis verbum Dei proficisceretur. Atqui vero cum vir sanctus in ædibus secularibus commorari nollet, cubiculum super nucem patulam oppido propinquam, juxta vetus oratorium sibi fieri mandavit, & inde populis undique confluentibus, tanquam è suggestu verbum Domini annunciabat. Cæterum ibidem postea gravi morbo affectus, ad monasterium monialium *Arcellæ* veteris, quod erat extra mœnia, ad portam *Caudælongæ* delatus est, ubi feliciter obdormivit in domino: an. Domini M.CC.XXXI. *Tiso* vero jam factus ei ex tertio ordine discipulus, perseverans in sancto vitæ proposito, & vere pœnitens, haud multo post & ipse ex hac vita decessit, anno M.CC.XXXIV. die ultimo Januar. & sepultus est ad Ædem *D. Petri* in arca marmorea apud oppidum *S. Petri*, cum hoc humili titulo marmoreæ tabellæ insculpto:

SEPVLTVRA DOMINI TISI DE CAMPO SANCTI PETRI.

De Tisolino Campisamperio.

Primus huic *Tisoni* filius fuit *Tisolinus*, miles egregius, & in administranda Republica consultissimus, domi forisque in hostes ubicunque opus erat semper strenue paratus. Is cum esset *Accio Estensi* amicissimus, ab eo accitus ad expeditionem adversus *Salinguerram Estensem*, fraude & dolo magis quam armis victo ac profligato *Ferrariæ Accii* exercitu, dum hostem fugit, à rusticis forte circumventus est in pago, qui dicitur *Girzolla*, sæpiusque interpellatus, ut arma deponeret, & illi sese dederet. At juvenis animo invicto & perquam generoso, cum illic inter eos militem nullum esse videret, dedignatus se viris agrestibus tradere, gladio acriter exserto sese defendens, & modo hunc, modo illum vulnerando bellica virtute, vi & armis, illorum manus evadere nitebatur. Atqui tandem confosso equo, cum adhuc pedester pertinacius pugnaret, ne vivus caperetur, affectus multis vulneribus, strenue inter hostes pugnando concidit. Hujus viri tam indigna nece, ne *Salinguerra* quidem hostis, lætatus est. Pater vero & propinqui, & amici audita cæde vehementer contristati, corpus inventum *Patavium* asportandum, & honorifice (ut par fuit) sepeliendum curarunt. Anno salutis M.CC.XXII. Hujus necem acerrime post-

modum ulti sunt *Patavini*. Eo namque à Patavina Republica missi sunt *Riciardus* Comes *S. Bonifacii*, & *Jacobus Carrariensis*, & *Jacobus Campisamperius* cum multis aliis *Patavinis*, qui *Girzollam* vicum aggressi, ubi *Tisolinus* fuerat interfectus, universos, qui in eo vico inventi sunt, ad unum dissecuerunt, usque adeo, ut nec mulieribus nec infantibus omnino pepercerint, anno Domini M. CC. XXIV.

291 *De* Tisone *magno*.

Tertius *Tiso* qui ab aliis cognomine Magni distinguitur, occupata libertate patriæ, ab *Acciolino* immanissimo tyranno, cum esset animi generosissimi, profugus universas Christianorum provincias pervagatus est: tentans *Romanum* pontificem, & reges, & principes, & quæcunque negotio recuperandæ libertatis, & restituendæ patriæ expedire posse putabat: & (ut ajunt) omnem lapidem movens, ut quoquomodo aliquando à tam dira peste, & tyrannica servitute patriam liberaret, & se atque suos, & cæteros *Patavinos* extorres & vagos in patriam restitueret. Quod tandem Dei gratia, ex suo & omnium bonorum voto contigit: licet aliquanto serius, quam quisque optaverat. Anno scilicet XIX. ex quo immanis & sævissimus ille tyrannus, & hostis humanitatis *Patavium* occupaverat. Et à mundi salute M. CC. LVI. Nam *Philippus* Archiepiscopus *Ravennas Alexandri IV*. Pontificis Maximi legatus, cum exercitu Ecclesiæ, atque auxiliis, & salubribus consiliis *Venetorum*, tradito huic *Tisoni* crucis vexillo, *Patavium* aggressus est, & divino quodam, & mirabili successu civitatem è manibus atrocissimi tyranni, absque aliqua alia sanguinis effusione præripuit, & in pristinam libertatem locavit. Tunc in ea quidem re *Tisonis* opera, & robur corporis, & animi virtus præ cunctis vehementer emicuit. Et deinceps in administranda Republica quoad vixit, inter primarios semper est habitus.

De Gerardo Campisamperio.

Viget parum secunda fama obscœni stupri *Gerardi Campisamperii*, Magni hujus *Tisonis* filii, qui *Ceciliam* pudicam fœminam *Manfredi Baonii* filiam, locupletissima dote *Acciolino Monacho* desponsatam, dum *Bassanum* ad conjugem duceretur, de via raptam stupravit, in maximum nominis sui dedecus, & miserabilem familiæ suæ, & totius *Patavinæ* nobilitatis perniciem, quam postmodum in ultionem tanti sceleris ab *Acciolino* tyranno miseri cives *Patavini*, & tota fere regio *Transpadana* perpessa est. Cecilia autem repudiata à priori viro, cum esset locupletissimi patris hæres, de summi Pontificis consensu nupsit alteri nobilissimo & ditissimo juveni *Jacobo Delesmanino*, cujus postea progenies ab *Acciolino* tyranno penitus deleta est. Ita ut ex hac nobili familia *Delesmanina*, nullus jampridem superstes mansërit: quamvis frequentissima, sicut & locupletissima aliquando fuisse legatur. Sed dimissa hac infami *Gerardi* memoria, illustres alios de hac nobili progenie referamus.

De Tisone Novello.

Tisoni ergo *Magno*, successit *Tiso Novellus Jacobi* filius ex *Cunisa* filia *Provinciani Carrariensis*: qui fretus *Marsilii* avunculi sui favoribus, noctu dolose aggressus arcem *Trivilli*, eam occupavit, quæ *Guilielmo* ejus patruo jure propinquioris agnationis obvenerat. Eandem tamen postea pudore & suasionibus amicorum, ac etiam mandato *Mastini Scaligeri* tunc *Patavii* principis, ultro domino suo restituit. Anno salutis M. CCC. XXXII. Idem *Cunisam* matrem in adulterio deprehensam, *Marsilii Carrariensis* avunculi suasu (proh dolor) matrem filius interemit, qui non multo post & ipse correptus divino judicio, dysenterico morbo miserabiliter periit. Hujus funus populus *Patavinus* tanto luctu & mœrore prosecutus est, quanto cujusvis alterius nobilis viri unquam fuerit. Habebatur is quidem flos & supremum decus totius *Patavinæ* juventutis, imo totius etiam *Venetiæ*. Atque ob id ipsum amplius omnes deflebant, perinde ac si Respublica *Patavina* omni decore viduata, & omni spe destituta unius morte fuisset. Verum haud ita multo post, in spe crescentis nepotis *Gulielmi* veluti antiquæ domus ornamento futuri, quæ in patruo pridem amiserat, ea postmodum in nepote instaurata vidisse gavisa est.

De Gulielmo Campisamperio. 292

Familia nobilis *Campisamperii* sicut plures habuit *Tisones* illustres: ita plures insignes *Gulielmos*. Inter hos autem ante alios mihi memorandus occurrit is, qui nepos *Acciolini* tyranni fuit, qui adhuc infans captivus in *Castro Fontis* diu retentus est. Tandem vero parentibus suis restitutus, adolevit eximia corporis forma, & ingenio & robore præstans. Is ubi ad adultam ætatem pervenit, in armis strenuus, & difficillimo cuique negotio accommodus fuit: ideo collecto exercitu *Castrum Francum* expugnavit, & de *Albrici* avunculi sui potestate violenter eripuit, consentiente *Acciolino*: quoniam tunc occulta quadam fraude, & (ut postea compertum est) dolose *Acciolinus* & *Albricus* hostes invicem esse credi nolebant. Atqui postea id *Acciolini* suasu, *Albrico*, uti tunc in amicitiam recepto, restituit: insuper & *Trivillum*: & (quod pejus est) male conscius perfidiæ, potestati avunculorum, sua seque ipsum uti victimam immolandam subjecit. Is nanque falso occultæ proditionis insimulatus, ab *Acciolino* tyranno avunculo suo comprehensus, & diuturno carcere afflictus, *Patavii* tandem in foro publice decollatus est, atque ibi inhumatus canibus derelictus. Verum noctu cum nemo virorum auderet eum ad sepulchrum deferre, *Daria* nobilissima fœmina *Alberti* Comitis *Baonii* filia, una cum aliis *Patavinis* matronis, contra crudelissimi tyranni imperium noctu, sublatum inde cadaver imminente licet gravi periculo, apud Basilicam *D. Antonii* Confessoris honeste pieque, & quo potuit modo funeri justa persolvit. Ædes *Gulielmi*, quæ erant apud *S. Leonardum*, à fundamentis dirutæ sunt, ac cuncta ejus familiæ bona proscripta, & fisco adjudicata. Anno salutis M. CC. LI. Hoc ei accidisse creditur, quod moleste ferre visus sit divortium *Acciolini*, & *Amabiliæ* filiæ *Artusini Delesmanini*, cujus progenies ob potentiam suam tyranno suspecta (ut proxime dicebamus) brevi penitus extincta est.

De Guilielmo *secundo* Campisamperio.

Fuit alter *Guilielmus Campisamperii* & *Trivilli* dominus, superioris *Guilielmi* nepos, vir quidem tum foris clarus, tum domi etiam admirandus: sed à gentilibus suis ita diffidens, ut *Tiso Novellus* moriens eum ab hæreditate excluserit, & gentile patrimonium, quod optimo jure ei debebatur, *Marsilio Carrariensi* avunculo suo reliquerit. Quod adeo moleste tulit magnanimus juvenis, ut ob id à subjectione solita & Reipublicæ præceptis omnino defecerit. Hic etenim pri-

primus omnium ausus est audacter *Scaligerorum* imperium penitus detrectare, qui tunc *Patavii*, *Veronæ*, *Tarvisii*, *Brixiæ*, *Parmæque* & aliis innumeris *Italiæ* oppidis & urbibus imperabant. Primus, inquam, fuit, qui non modo eorum præsidia in *Trivillum* oppidum suum non admisit, sed & oppidum *Campisamperii*, quod *Marsilius Carrariensis* in sua potestate testamenti jure tenebat, invasit, & cum magna militum manu deceptis custodibus arcem ei latenter arripuit, & *Trivillum* interim *Venetæ* Reipublicæ, ut sibi esset adversus *Mastini* potentiam, auxilio habendum tradidit. Ea res in universa *Italia* ingentes rerum novarum motus excitavit: creditumque est ab hoc parvo initio, res *Scalensium* labi cœptas, & indies in pejus ruisse. Nam post hæc magnæ civitates, & majores principes, qui cum *Scalensibus* ægre ob belli metum societatem inierant, videntes facilem prosperamque fortunam *Guilielmi*, ejus exemplum secuti, paulatim unus post alium à *Scalensibus* brevi tempore defecerunt, & quidam *Venetis*, quidam *Florentinis Scalensium* hostibus adhæserunt, qui horum elationem ac potentiam suspectam atque invisam semper habuerant. Cæterum (ut ad propositum unde digressi fuimus revertamur) cum *Ubertinus Carrarius Marsilii* principis hæres, oppidum *Campisamperii*, à *Guilielmo* jam occupatum recuperare statuisset (ut erat natura pacificus) expulsis è *Patavio Scalensibus*, factus urbis dominus, maluit (ut antea dixi) in ea re jus experiri legibus civiliter agendo,
293 quam vim intentare armis hostiliter decertando. Quamobrem communium amicorum suasu, ambo concordes ad *Andream Dandulum*, tunc *Venetorum* ducem, omnem de ea re contentionem terminandam detulere. Qui juribus utriusque partis auditis, & cognita dissidii causa, oppidum *Ubertino* adjudicavit: prædia vero ac feuda, & reliqua bona *Guilielmo* dedit, & ita pacifice utrinque (ut paulo ante dixi) ab omni contentione cessatum est. Hic deinceps pacifice vixit *Trivillo* contentus. Obiit anno M.CCC.XLII. absque maribus relicta *Sarra* unica filia hærede, quæ in secundis nuptiis *Ubertini Carrariensis* principis consilio nupsit *Beltrando Rubeo Parmensi* nobilissimo juveni. Qui postea ne ob id suspectus *Venetis* odiosusque haberetur, eorum postulatis annuens, arcem & munimenta *Trivilli* suspecta à fundamentis diruit, persoluta sibi pro damno à *Venetis* magna pecuniæ summa. Ab hoc itaque *Guilielmo* sublatus est familiæ *Campisamperii* principatus & dominandi potestas, sed non (ut plerique autumant) sanguinis & propagationis nobilitas. Alii siquidem adhuc supererant, qui nobilissimam familiam jam ad paucos redactam ab interitu vindicarunt.

De Guilielmo III. Campisamperio.

Ex eadem quoque familia, natus est alius postea *Guilielmus*, opibus & virtute præclarus, & miles nobilis: qui etsi gentilitio (ut dixi) comitatu exclusus fuerit, summum tamen locum apud principes *Carrarienses* semper habuit, à quibus ob operam præclare eis aliquando navatam in re bellica militiæ honoribus decoratus est. Hujus prædia erant in pago *Plebisvillænovæ*, VII. ab urbe lapide ultra *Brentam*, ubi sepultus est sub albo lapide, cum hujusmodi titulo, qui extat:

HIC JACET NOBILIS MILES, GVILIELMVS
DE CAMPISAMPERIO, ANNO M.CCC.LXXIV.

Ex hac subinde familia orti sunt plures egregii viri, tam literis quam armis præstantes. Atqui certe ubi *Franciscus Carrariensis* princeps urbem
A *Patavium Galeacio Mediolanensi* reliquit, hi nobiles *Galeacio* duci grati admodum facti sunt, & ab eodem summis quibusque honoribus affecti: quocirca ei ultra cæteros arctius adhæserunt. Inde factum, ut ubi *Carrariensis Patavium* recuperavit, totam familiam *Campisamperii* cum aliis quibusdam suspectis civibus proscripserit. Quare *Galeacii* partes secuti, relicta patria, *Mediolanum* profugi abierunt, & illic apud eum summo in honore habiti sunt, quousque tandem pax universæ *Italiæ* reddita est, in cujus conditionibus habebatur, ut nobiles *Campisamperii* & patriæ, & fortunis omnibus indemnes restituerentur, si-
B cut legitur in II. volumine *Baldi* illustris jureconsulti, & celeberrimi scriptoris in consilio C.XLVI.

De Ludovico Campisamperio.

Clarissimi nominis, & illustrissimæ famæ fuit hoc ævo nostro *Ludovicus Campisamperius*, vir equestris dignitatis insignis, *Gonzagis Mantuæ* principibus ita charus, ut in ea urbe, tam armorum virtute, quam civilibus studiis præclarissima, post principes ipsos, nemo ei vel honore, vel magnificentia præstaret. Is multis subi-
C tariis legationibus, quandocunque opus fuit, ad diversos reges, principes & Respublicas missus, ubique egregiè & expedite sese habuit: præsertim cum magni momenti res aliqua non solum animi fideique constantiam, sed expediti etiam corporis diligentiam celeritatemque requireret. In militia vero, & equestribus ludis sæpe probatus, honorifice semper, & multa cum laude, hic in patria, & ubique se semper exhibuit. Idem autem cum pro ætate generosi magis quam pii animi foret, non est passus fraternam cædem transire inultam: nam vix dum ætate pubescente *Paulum Dottum* nobilem, & fortem virum *Pa-*
D *tavii* palam aggressus interemit. Quare exilio 294
mulctatus, post aliquot annos in gratiam *Mantuani* principis, cui jam non amicus tantum, sed & affinis factus fuerat, à Senatu *Veneto* in patriam restitutus est, ibi aliquandiu moratus, *Romam* adiit pro controversia dotis tractanda: atque ibi dolose à sicariis ex improviso circumventus miserabiliter interimitur. Qui mox in patriam relatus, in Æde D. *Jacobi* in arca majorum suorum honorifico funere tumulatur, anno Domini M.D.XXI. Is cum liberis careret, testamento cavit, ut in sua hæreditate, non nisi ex propria familia, doctor qui peritior haberetur,
E succederet, & post hunc alter similiter doctor, & doctore deficiente, miles, vel civis ex ea familia magis honoratus: & hoc instituit in perpetuum observandum.

DE TRANSALGARDIS.

De Joanne, & Carloto, & Transalgardo.

Cum *Patavium* ab *Agilulpho Lombardorum* rege esset penitus incensum & dirutum (ut supra dictum est) optimates interim, & universi
F fere cives *Patavini* partim *Venetias* migrarunt, partim dispersi per agros & municipia, quæ in agro *Patavino* multa erant, in locis munitis, & arcibus inter agrestes, quomodo melius poterant, habitarunt, quousque *Carolus Magnus Gallorum* rex a summo Pontifice *Adriano* ad fugandos *Longobardos* vocatus, superatis Alpibus in *Italiam* cum maximo exercitu transivit. Ad hunc autem regem nobiles quidam *Patavini Longobardis* infensi, ultro profecti, benignissime suscepti sunt, & alii tribuni, alii centuriones creati, prout cujusque personæ ratio postulabat. Interea qui præsta-

stabant ex *Transalgarda* familia animi virtute, & corporis viribus *Carlotus*, & *Transalgardus*, & *Joannes* germani fratres sub hoc rege honestis stipendiis merentes, quum essent bellorum studiis, & militari disciplina apprime eruditi, conserto aliquando cum hostibus prælio (dum acriter utrinque decertatur) conspicati *Stephanum Scardiacum* hostium ducem viriliter dimicantem, per confertissimas hostium turmas fixis calcaribus equis, in eum unanimiter impetum faciunt, & magno animo, nec minore vi invadentes armatum equitem viriliter decertantem circumveniunt, crebrosque ictus conduplicantes premunt: qui cum tantam vim sustinere non posset, captivum se hostibus tradidit. Atqui mox duce capto, *Longobardorum* exercitus perterritus, dimissa pugna, & projectis armis, fusim in fugam vertitur. Ea re cognita *Transalgardi* magnis protinus laudibus, ac etiam muneribus à rege donati sunt, & ob tam insigne facinus, magnæ eis gratulationes in castris habitæ, & præcipuo honore militiæ decorati. Qui deinceps in memoriam tam præclaræ victoriæ posito vetere suo insigni, quod erat ex albo & viridi colore variatum, assumpsere sibi ex munere regio cervum rubeum, colore glauco: quod erat insigne ducis *Longobardorum*. Peracto autem eo bello, liberataque tandem *Italia* à *Longobardorum* tyrannide, *Patavium* rursus reædificari cœptum est: & à *Carolo Magno* data incolis immunitate, civitas non modicum (ut diximus) accepit & novorum ædificiorum, & adventantis quotidie populi incrementum. Verum *Transalgardus* regem secutus, & multis ab eo divitiis & oppidis donatus, in *Gallia* remansit. *Carlotus* verò & *Joannes*, in *Patavino* agro comites *Montis Meruli*, & *Mandræ*, & *Sacischæ*, ab eodem rege facti sunt, cùm auctoritate juris dicendi, & vitæ necisque in subditos potestate. Interim vero orta non mediocri ex hac occasione invidia, & ex invidia, contentione inter *Joannem Transalgardum*, & *Simonem Taddum*, qui fuit unus ex his qui unà secum sub eodem rege *Carolo* militaverant: cum dirimi contentio inter eos alia ratione non posset, nisi per duellum, evenit, ut *Taddus* à *Joanne Transalgardo* superaretur. Quamobrem exinde *Joannes*, ac ejus posteri ex *Transalgardis*, quasi *Taddo* vim intulisset, quæ vulgari sermone *Sforza* dicitur, *Sforzatadi* postea dicti sunt. *Carlotus* autem vir strenuus, & in tota *Italia* maxime notus, cum & ipse in quodam bello tribunus militum esset, ut à cæteris dignosceretur, transversalem zonam auream (ut mos erat) in militia super thoracem ferre consueverat, quæ quidem *Italice* lista vulgo dicitur: unde factum est, ut *Capilista* inde cor-
295 rupto vocabulo postea vocaretur. Cujus posteri deinceps antiquato priore cognomine *Capilistii* dicti sunt, & ita usque in hodiernum diem appellantur. *Transalgardus* autem cum rege profectus in *Galliam*, *Transalgardam* ibidem familiam de suo nomine suscitavit: ex qua nata est admodum generosa progenies, & præsertim *Joannes* & *Petrus Transalgardi* Cardinales insignes, qui à *Clemente V.* Pontifice Maximo dum *Lugduni Romana* Curia moraretur, missi sunt legati *Romam*, ut ibi absente Pontifice vices ejus agerent, & Senatorio munere fungerentur.

De Vaccione Sforzateo.

Dimissis *Transalgardis* in *Galliæ* regionibus, atque *Alemaniæ*, ad *Sforzateos* & *Capilistios Patavinos* redeamus. Hîc nobis præter eos qui religione & literis ex hac progenie claruerunt, de quibus supra copiose suo loco dictum est, nunc celebrandus occurrit *Vaccio Sforzateus* vir clarus,

A & comes insignis, & de patria optime meritus, & cunctis in rebus arduis, quæ è Republica essent, semper paratissimus & præsertim tempore *Friderici Barbarossæ* Imperatoris, apud quem unà cum *Acciolino* seniore legatus, pro universali *Italiæ* pace plurimum laboravit, atque etiam plurimum profuit, anno Domini M.C.LXXXIII. Hoc factum *Baldus* de *Perusio* in tractatu qui inscribitur *Pax constantiæ*, immortali memoriæ commendavit.

De Henrico Sforzateo.

B Sequitur *Henricus Sforzateus* civis nobilis, & in civitate primus opibus, affinibus atque amicis potens, ac propterea *Acciolino* tyranno valde suspectus, atque ex eo maxime invisus. Quocirca urbe relicta habitabat ruri *Pedevendæ* in arce munitissima, ubi parum timebat tyranni minas, aut cujusque quantumvis mortale odium, ut plerique omnes earum partium viri, qui profecto multo cautius tyranni metu ultro à patrio solo longius exulabant. Is autem dum nescio quo pernicioso & diro hominis fato, incautius & aliquanto securius solito, domo procul abesset, captus ab *Accciolini* militibus, qui eum observabant, C *Veronam* captivus ductus est, & in vincula conjectus: ubi haud multo post dolore animi, & tabe, & pædore carceris miserabiliter interiit.

De Jordano Sforzateo *milite*.

Ex eadem gente floruit *Jordanus Sforzateus*, qui priori cognomento dictus fuit *Transalgardus*. Is in illis periculosis temporibus pro sua suorumque salute arcem in summitate Montis *Meruli* sibi ædificavit, cujus adhuc extant vestigia fundamenti. Ab hoc (ut ferunt) quasi per traduces propagata est nobilissima *Capilistiorum* familia, quæ nunc decoratur insigni equite, & D comite clarissimo *Francisco Capilistio*, viro spectatissimo, & de *Patavina* Republica optime merito. Adde alterum *Transalgardum* adhuc juvenem *Sylvii* filium, jurisconsultum doctissimum, & aliquandiu in gymnasio *Patavino* legum interpretem, summæ integritatis, prudentiæ & eruditionis virum. Vixit autem *Jordanus* annos LX. Obiit anno à partu Virginis M. CCC. VII. die X. Martii. Hujus cineres jacent in sublimi arca in Æde *D. Nicolai*, in qua insculptum legitur hoc epitaphium:

MILITIAE TITVLIS, ET AVORVM STIRPE VETVSTA,
E SFORZATE JORDANVS PATAVUM CLARISSIMVS VNVS,
PECTORE, CONSILIIS, DEXTRA QVOQVE STRENVVS ARMIS,
HEV SCELVS, ANGVSTO TANTVS VIR CLAVDIANTRO.
VITAE MENSVS ITER, SEX DENOS, MILLE TRECENTOS,
ADDERET ET SEPTEM, PARTVS DVM VIRGINIS ANNOS,
MARTIVS, ET DECIMO LVSTRARET SECVLA PHOEBO.

F

De Aloysio Sforzateo. 296

Ex hac item familia celebratur in Republica *Aloysius Sforzateus*, vir armis & bellica laude insignis, qui secutus aliquando partes *Galeacii* vicecomitis *Mediolanensium* ducis, aliquandiu *Patavii* principis, multa præclara facinora domi forisque bello & pace peregit. Vir magna sane fidei constantia præditus, & qui exemplo cæteris esse posset: utpote qui patriam derelinquere ma-

maluerit, quam fidem *Galeacio* duci semel datam fallere. Sub hoc ergo duce multo tempore illustris tribunus meruit & per totam *Italiam* diversis in regionibus, ex multis præliis feliciter peractis, evasit inclytus copiarum dux. Verum tandem ob singularem ejus virtutem mortuo jam *Galeacio*, à *Francisco Carrariensi* juniore cognita ejus præstantia in patriam accitus, atque optime reconciliatus omnibus suis prædiis, fundis, ædibusque maximo cum gaudio, & lætitia totius civitatis restitutus est. Anno Domini M. CCC. XCII.

De Friderico Capilistio.

Optimo jure locus hic expostulare videtur, ut *Friderici Capilistii* insignis Comitis, & juris utriusque consulti post hos gentiles ejus immortalis memoria celebretur. Nam cum esset summæ prudentiæ vir, & admirabilis lenitatis & æquitatis, à Republica *Patavina* electus est, qui *Vicentiam* primus prætor mitteretur, ad confirmandos dubios *Vicentinorum* animos, & in fide retinendos, atque ad civiles discordias & seditiones penitus eruendas. Qui ea lenitate atque prudentia hac in re usus est, atque erga omnes ita humaniter sese habuit, ut ex illa prætura immortale nomen sibi compararit, & summam laudem familiæ reversus in patriam reportaverit. Anno Domini M. CC. LXXI.

De Hannibale Capilistio.

Accedat his insigne monimentum *Hannibalis Capilistii*, ob memorabile spectaculum, quod maxima pompa, & ingenti sumptu in hastilibus ludis *Patavii*, anno salutis M. CCCC. LXVI. celebratis publice edidit, quos fere *Italiæ* universa nobilitas spectatum venerat. Nam equum ex trabibus ab *Donatello* eximio illius temporis statuario, mirabili arte compactum, cui *Antenoris* simulachrum ingentis staturæ insidebat, instar montis & equi illius dolosi (quo *Græci Trojam* post longam decem annorum oppugnationem armis alioqui invictam cœpisse dicuntur) maximo apparatu, & admirabili pompa vexit in theatrum, qui in lato ingressu domus ad sanctum *Danielem* usque hodie visitur: & ab eo illi qui ibi resident, *Capilistii* ab equo nuncupantur. Hos ludos eleganti carmine celebravit *Jacobus Canis*, egregius poëta, & illustris jureconsultus, & de hoc ipso *Capilistio*, summo cum honore loquitur, dicens:

Primus init bellum Capilisto sanguine surgens,
Hannibal exultans patriis horrendus in armis. &c.

De Hannibale Capilistio *juniore.*

Nihilo sane minori laude *Hannibal* alter *Francisci* clarissimi equitis filius, hujus pronepos censendus est, qui & ipse in ejusmodi ludis, adhuc admodum juvenis ita gloriose sese habuit, ut victor præmium omnibus suffragiis consecutus sit. Sed heu quod cum maxima quæque de se sua præstanti virtute promittere videretur, mors tantæ gloriæ infensa, cum in primo pene juventutis flore humi decussit, ne tanta ejus virtus, quam primo præ se ferebat aspectu, omnino maturesceret. Potuit quidem improba mors labefactare speciosum corpus, sed tollere memoriam nominis non potuit: quandoquidem vivens & mortuus à viris doctis perpetuo celebrabitur: & præsertim à *Hieronymo Nigro* Canonico *Patavino* qui epitaphium valde cultum de laudibus ejus heroico carmine cecinit, quod postea emisit in publicum. Cæterum quia longum esset omnia referre, hæc tantum ad reliquorum gustum dicam. Refert enim:

Quum prima hic lanugine mentum
Vestiret: latum in campum generosus in armis
Prodierit, spumantis equi vestigia sistens,
Qualis erat circum in medium cum pulcher Iulus
Acri invectus equo Trojanum duceret agmen,
Usque puer longo demum certamine victor
Auratumque ensem, distinctamque arte coronam,
Grata puellarum, dextræ quæ dona pararant,
&c.

Obiit anno salutis M. D. LI. & magna funeris pompa ad Basilicam D. *Antonii* Confessoris elatus, in cujus tumulo *Franciscus* pater in perpetui mœroris memoriam inscribi jussit *Gallica* lingua, LEAL DESIR.

De Joanne Tado.

Quoniam proxime mentio facta est de antiqua familia *Tada*, ratio poscere videtur, ut nunc post hos nobiles de *Joanne Tado Patavino* cive dicamus: qui ortus ex hac nobilissima gente, quum esset ita studiis legalibus eruditus, ut jura publice in scholis doceret: attamen quod pollebat viribus, & ad arma & castra natura magis trahebatur quam ad scholas, relictis studiis literarum, militiam profectus, honestissimis stipendiis militavit. Hujus rei indicium manet insigne sepulchrum juxta portam Septentrionalem D. *Augustini* super quatuor columnas: ubi est exsculpta in marmore equestris statua militis in prælium procurrentis. Quocirca mihi dignum visum est, ut hic potius inter armatos duces, quam supra inter infulatos doctores annumeretur. Hæc familia habuit ædes suas juxta insignem pontem, qui de ejus nomine *Tadorum* appellatur. In sepulchro autem ejus legitur hoc epitaphium.

IN ECCLESIA S. AVGVSTINI IN CLAVSTRO PONITVR INTER JVRECONSVLTOS JOANNES TADVS.

VIRGINIS A PARTV COMPLERANT FESTA LVCIAE
LVSTRA DVCENTA NOVEM, TER TRIA DENA QVATER,
CVM GENITVM TADO RAPVIT MORS ATRA JOANNEM
A LEGVM CATHEDRIS, MILITIAEQVE GRADV.
HIC TENET OSSA SILEX, ANIMAM SVBLIMIA COELI,
CANDIDA LETHEAE FAMA REPVGNAT AQVAE.

DE COMITIBVS PATAVINIS.

De Manfredo & Raimerio *ex Comitibus.*

Addamus his modo de nobili familia Comitum, & in primis *Manfredum* nobilem militem *Patavinum*, qui an. salutis M. C. LXXXII. cum esset, ea tempestate primus in civitate, nec ullum civem haberet Respublica quem ad sui regimen præficere aptius posset, hunc ex omnibus delegit, qui (ut erat prudentissimus) cum magna civium concordia patriam rexit. Fuit enim tantæ fidei, tantæque integritatis, ut omnes eum uti patrem patriæ merito colerent: factusque est ex eo longe lateque in *Italia*, universa, & sapientiæ & innocentiæ fama illustris. Is propterea à *Friderico* Cæsare cognomento *Barbarossa*, Comes *Palatinus* creatus est, & subinde novi & inusitati vectigalis ridendo munere donatus, ut ei census gratia *Patavii* jus esset ab omnibus pistoribus singulis vicibus cum panes coquerent,

ſingulos panes exigere, & à cauponibus pro ſingulo dolio vini vænalis certam conſequi menſuram: quod non tam vectigalis, quam honoris & dignitatis gratia factum fuiſſe credi par eſt. Hoc quidem inſtitutum aliquandiu in ea familia obſervatum fuiſſe comperio: ſed poſtmodum per novum Reipublicæ decretum ex uſu ſublatum, eo quod ex poſteris quidam poſtea non uno pane contenti, poſcerent duos. Inde proverbium patrium in eos, qui plus ſolito quicquam exigunt: *Sat eſt panem unum pro furno dari.* Eadem tempeſtate floruit & *Raimerius* Comes, qui à Pontifice Maximo *Lucio III.* ob præclariſſimam probitatis ſuæ famam creatus eſt *Romanus* Senator *Paltinerii* Cardinalis amiciſſimus, anno ſalutis M. C. LXXXIII.

298 *De* Schinello *Comite.*

Manfredi nepos fuit *Schinellus* Comes, vir probus, & Deo & hominibus valde gratus, qui arcem habuit cum magnis prædiis in pago *Meſtrino* intra *Patavium* & *Vicentiam*, medio itinere poſito. Et quoniam vir ſane fuerat omni laude digniſſimus, ob ejus multa præclara dicta & facta, quæ abunde in *Patavinis* annalibus referuntur, inter hos illuſtres proceres merito ponendum putavi. Huic pater fuit *Ubertinus* Comes, vir in armis ſtrenuus, & quod paucis *Patavinis* contigerat, *Acciolino* tyranno admodum gratus. Quocirca magnis illius favoribus, quando nemo tunc erat, qui potentiæ ejus reſiſtere poſſet, uxorem duxit in vitam, ex *Maltraverſis Agnetem* fœminam ditiſſimam, & nobilem, & propterea etiam ſuperbam: ex qua *Schinellum* filium ſuſcepit. Verum liberata à tyrannide civitate, & ipſa ſimul à metu tyranni, ex multarum divitiarum inſolentia, tantæ mox ſuperbiæ fuit, ut eo quod non ſua ſponte, ſed per vim, hunc in virum accepiſſet, elata, repudiato quoquomodo poterat hoc matrimonio, ſe à viro cum dote & filio ſeparavit. Propter quod miſer maritus præ pudore *Patavio* à ſuorum oculis diſceſſit, & relicta patria, externam militiam ſecutus eſt, & haud multo poſt (ut dicitur) præ nimio animi dolore mortuus. At *Schinellus*, ut erat maternarum opum ditiſſimus, vixit, quandiu vixit, feliciſſime, toti Reipublicæ *Patavinæ*, & univerſo populo ante alios ob ſuam liberalitatem ita dilectus, ut moriens magnum ſui deſiderium cunctis ordinibus liquerit.

De Demetrio *Comite.*

Celebratur etiam à noſtris animoſum facinus *Demetrii* Comitis, qui quo tempore *Patavini* ab imperatoris obedientia defecerant, pro patriæ libertate contra *Canem Scaligerum*, & ſuo & imperatoris nomine arcem *Montis Vardæ* diu & acriter obſidentem, fideliter fortiterque contendens, quibus poterat viribus plenus animi ſpeique obnixe reſtitit: uſque quo tandem expugnata per vim arce, captus *Veronam* cum maxima tantæ illius conſtantiæ fama ad Cæſarem tranſmiſſus eſt. Quid autem ultra de eo factum fuerit, nuſquam legi. Hoc autem fuit initium belli, quod plurimos poſtea annos inter Rempublicam *Patavinam* & *Canem Veronenſem* innumeris utrinque cædibus, & crebris agrorum depopulationibus, & magnis incendiis actum eſt: & aliquandiu utrinque indies majori ſemper crudelitate ſævitum.

De Alberto *Comite* Baonis.

Albertus quoque ex eadem familia Comitum nobiliſſimus civis, à *Baone* vico, quem poſſidebat, *Baonis* Comes appellatus eſt. Is quanto patriæ adjumento ornamentoque fuerit, vel ex hoc unico laudabili invento ſatis liquet. Quandoquidem is fuiſſe perhibetur, qui primus traduxit ex *Dalmatia* vites, in *Euganeis* montibus tranſplantandas: quarum ſarmentis ibi & ubique locorum late poſtea propagatio facta eſt. Quo vitium genere factum eſt, ut civitas poſtmodum abundaret ſuaviſſimo vino: ut nunc videmus, quæ antea ejuſmodi vini inopia laborabat. Legimus enim evectum aliquando fuiſſe externum vinum *Patavium* ad portam *Caudælongæ*, & ibi in onerariis navibus vænale ſolitum ſtare: unde quiſque vinum ſibi ex alienis regionibus evectum, pro uſu vitæ compararet. Idem quoque ut qui prudentia & ſapientia cæteris præſtaret, Conſul factus, *Patavium* rexit æquiſſime. Anno ſalutis M. C. LXXXXIII. Hujus vero familia, & ſi eandem cum familia Comitum originem habeat: in gentilitio tamen ſtemmate differt. Quoniam *Manfredus* ſcutum geſtabat triplicato colore rubeo, & albo: *Albertus* vero utebatur pica rubea in colore albo. Idem quoque *Albertus* cum eſſet vir pius, & amator religionis, careretque liberis, ex proprio ære Baſilicam *S. Andreæ* in vico qui *Caput Sylvæ* dicitur, conſtrui mandavit, & eam inſuper latifundiis donatam ditavit. Obiit anno Domini M. CC. XI. Horum nobilium nobile ſepulchrum extat in templo *D. Antonii* Confeſſoris, ad partem Septentrionalem, ubi in lapidea tabula aureis literis legitur:

VNICI DEI MAXIME CONTEMPLANDE 299
GLORIE FIDEI SACRATISSIME DIVINO
CELEBRANDE MISTERIO SALVTIS.
ANIME CELESTI PRESIDIO NAIMERIVS
COMES ET MANFREDINVS GERMANI
FRATRES INGENVA ORIVNDI PROSAPIA
VIRI DE COMITIBVS PADVE SVB VMBRA
AC FAVORE MAGNIFICI DOMINI HVIVS
VRBIS GENEROSISSIMI PRINCIPIS
FRANCISCI DE CARRARIA SEPTIMI DVCIS
PATAVINI AD CVJVS OFFICIA ATQVE
PRECEPTA DVDVM FAMILIARES OBNIXE
FVERE SIBI POSTERITATIQVE SVE EX
EORVM PROGENIE DESCENDENTI HANC
DOTATAM STRVXERE CAPELLAM SANC
TISSIMISQVE APOSTOLIS IACOBO AC
PHILIPPO ARAM DEDICAVERE SACRAM
M. CCC. LXXXII. DIE XXII. SEPTEMBRIS.

De Antonio *Comite* Patavino.

Claruerunt per ea tempora multi nobiles *Patavini*, qui in novitate *Patavii* novarum rerum, metu profugi, atque extorres à patria apud *Maximilianum* Cæſarem primo, & ſubinde apud *Carolum quintum Romanorum* imperatorem in maxima exiſtimatione fuere: & licet parum ſuis civibus noti, foris tamen & apud exteros clariſſimi fuerunt, inter quos *Antonius de Comitibus* (ut in monumentis publicis legitur) fuit multis officiis in aula Cæſaris clarus atque conſpicuus conſiliarius, camerarius, & orator egregius: cujus opera in arduis negotiis ad diverſos principes in diverſas provincias, & *Maximilianus* & *Carolus* Cæſares, & *Ferdinandus* tunc archidux *Auſtriæ* frequentes uſi ſunt. Is primo à *Maximiliano* miſſus fuit orator ad *Moſcoviæ* ducem, anno Domini M. D. XVIII. & rurſum ad eundem principem deſtinatus orator à *Carolo* Augu. V. milleſimo

simo quingentesimo XXIII. ubi magnas res gessit, & cum maxima laude remissus est. Itidem ad magnum *Rutenorum* principem. Similiter ad tractandas & peragendas nuptias inter primogenitam regis *Poloniæ*, & *Fridericum Mantuæ* principem, anno Christi M. D. XXI. Alias quoque legationes obivit insignes ad regem *Ungariæ*. Et rursum ad regem *Poloniæ*, quibus cum pacis atque induciarum fœdus, aliaque negotia gloriose peregit. Is etiam ad reginam *Margaritam*, & reginam *Bonam*, & ad *Ferdinandum* tunc archiducem, nunc & *Romanorum* regem, & Cæsarem Augustum, post obitum *Caroli V.* ejus fratris creatum. De his omnibus à se gestis noster comes, cum esset eruditus & sapiens, scripsit copiosissima commentaria, ubi & regum & principum literas, & responsa, & minutissime quicquid fecit, dixitque ad negotium pertinens, stylo *Latino* ad id apto, abunde prosecutus est: ex quibus aperte nobis constare potest, eum fuisse virum eloquentia simulque & sapientia præditum, & propterea per universam *Germaniam* & *Hispaniam* celebri fama clarissimum. Longos (ut dixi) & copiosos annales ab ipsomet confectos, penes *Paulum* Comitem patruelem ejus egomet legi.

300 ## *De* Guerra *Comite* S. Bonifacii.

Non erit ab re fortassis, subdere his Comitibus *Patavinis* antiquissimos & nobilissimos Comites *S. Bonifacii*, & aliquando *Veronæ* antiquæ urbis Comites: qui à principibus *Scaligeris Verona* expulsi, à *Patavinis* hilariter suscepti sunt, & *Patavina* civitate donati fuerunt. Quorum primus cum tota familia *Patavium* transmigravit Comes *Ludovicus*, qui cum ingenio, viribus opibusque polleret, dictus est cognomento potens: ex quo genitus est *Guerra*, qui ab eventu rei ob victoriam adeptam, *Vinciguerra* postea honorifice est appellatus. Is ergo cum esset vir bellicosissimus, & multis victoriis clarus, ut non ab re *Vinciguerra* sit merito appellatus, à Republica *Patavina* copiarum universi exercitus dux & imperator effectus est, præsertim in eo bello, quod adversus *Veronenses* per multos annos varia fortuna gestum est. Qui cum strenue fideliterque ubique se semper habuerit, in tantæ hujus virtutis præmium à nostra Republica magna prædia consecutus est, quæ ad ejus etiam posteros devenerunt, qui in hunc diem *Patavii* propagati, in omni virtutum genere, prole generosa refulgent. Ex isto genere fuerunt, *Marcus Regulus*, & *Sylvius* posterioris *Ludovici* filii, ex duabus uxoribus, à quibus postea divisa fuit familia: à *Sylvio* enim derivat *Lionellus*, & cæteri qui in hunc diem florent *Patavii* gloriosissime: à *Marco* autem *Regulo*, sive corrupto vocabulo *Marigola*, derivant *Julius* & *Otho*, qui oppressis *Scaligeris* in patriam avitam reversi, & si ex antiquis prædiis, & ex majorum fortunis nihil habuerint, attamen tum in antiquæ nobilitatis favorem, tum ex dotalibus bonis & adventitiis aliunde facultatibus *S. Bonifacii*, familiam *Veronæ* rursum instituerunt, & opibus & honoribus ornarunt, ut jam Deo annuente, utraque familia, utrobique & *Veronæ* & *Patavii*, tam divitiis quam amplissimis honoribus floreat.

De Comite Richardo.

Ex *Vinciguerra* autem (ut ad eum redeamus) nascitur comes *Richardus*, qui Potestas *Patavii* fuit, & tantæ in armis existimationis, ut *Franciscus Carrariensis* senior, cum contra *Venetos* acriter de imperio & imperii finibus decertaret, & apud *Mestrium* oppidum res male successisset, amoto *Lupo* imperatore exercitus, nullum habuit tunc in suo exercitu illustriorem ducem, cui imperium illud rectius committeret, quam *Richardo*: qui in ea militia postea multa præclare gessit, ex quo in tota *Italia* ingenti nominis fama, & insigni gestorum gloria celebratus est, & à principe *Carrariensi* magnis subinde stipendiis & honoribus auctus. Et præsertim eo bello, quo in *Plebatu* juxta paludes *Lupæ* una cum auxiliaribus copiis *Ungariæ* regis aggressus est *Venetorum* copias, ubi suo consilio & virtute, universum pene exercitum profligavit: ex quo *Patavium* tanquam triumphantem cum maximo omnium plausu ingressum, ibi tunc *Vaivedæ* regis *Ungariæ* legatus in præsentia *Francisci* senioris inter eos, quos militiæ decore honestandos censuit, hunc delegit, quem tam præclaro insigni ornaret primum. Postea vero *Nicolaum Carrariensem* fratrem *Francisci* senioris, & *Jacobum*, & *Henricum Serovignos*, *Buscarinum Buzzacharinum*, *Franciscum Dottum*, & *Nigrum de Nigris*, qui in eo prælio egregiam operam navaverant, equestri dignitate Regis nomine decoravit.

De Richardo II. S. Bonifacii.

Successit alter *Richardus* prioris nepos, sed forma & viribus corporis longe præstantior. Is dum obsideretur à *Venetis Patavium*, & esset extra vallum ad portam *S. Crucis* acerrime pugnans tormento ictus, paulo post ex eo vulnere summo cum mœrore totius civitatis interiit: eo quod esset forma omnium, qui in universa *Italia* essent, pulcherrimus, ætate viginti duorum annorum, & in bello usque adeo strenuus, ut maxima quæque de eo sibi homines pollicerentur. Periit mense Julio, M. CCCC. V.

De Ludovico *Comite* S. Bonifacii. 301

Eodem qnoque bello censebatur in primis, inter militares tribunos *Carrariensium Ludovicus* Comes *S. Bonifacii*, qui equitibus quinquaginta, & peditibus trecentis ad prohibendam navigationem, & ad impediendam *Venetis* navigationem, atque ad arcendam ab agro deprædandi licentiam, *Uriaci* vici tutelam suscepit. Quod nullatenus præstare omnino potuit, sed victus magnitudine hostilis exercitus, post longum certamen cedere coactus est: neque unquam postea ab armis cessatum, donec *Patavina* civitas tota in *Venetorum* prorsus ditionem devenerit.

DE DAULIS SEU DOTTIS.

De Cono Daulo, *&* Jambono Dotto.

Superest deinceps, ut de nobili & antiquissima *Daulorum* familia aliquid dicamus, quæ cum *Antenore* profugo ex *Troja* huc ad *Euganeos* montes venisse perhibetur: unde pulsis *Euganeis Antenor Trojanus* prima jecit urbis *Patavii* fundamenta, sicut postea ex eadem familia *Conus Daulus* missus à *Patavina* Republica (ut jam diximus) ad æstuaria maris *Adriatici* pro ædificanda urbe in *Rivoalto*. Ex hac nobilissima familia præter cæteros, qui ob nimiam vetustatem ignorantur, ortus est *Jambonus*, vir multarum scientiarum cognitione, & militari virtute longe præstans, qui præter lauream scientiæ, equestri quoque dignitate refulsit: & quia ea tempestate summopere in omni disciplinarum genere aliis præstabat, per excellentiam *Dotti* appellationem adeptus est, & cunctis non alio cognomine deinceps dictus. Hinc factum est, ut hæc nobilis fa-

familia usque ad nostra tempora, quum & viris & opibus maxime floreat, *Dotta* pro *Daulia* deinceps dicatur.

De Paulo Dotto.

Celebratur in *Patavinis* annalibus præclarum & audax facinus *Pauli Dotti*, qui virtute militari, & armorum scientia maxime præstitit. Nam cum præfectus militiæ *Vicentiam* à Republica *Patavina* cum præsidio missus fuisset, & summa custodia (ut par erat) urbem servaret, *Jordanus Sareticus* habita secreta conjuratione cum quibusdam *Vicentinis*, aggressus forum repente magno impetu & clamore, ex improviso *Patavinum* præsidium ibi ad urbis custodiam inventum, primo statim impetu perterruit, & perterritum parvo labore fugavit, ita ut fuga potissimum, vel qua quisque poterat alia ratione, vitæ consuleret. At *Paulus* intrepidus aliquanto, quod supererat, præsidio stipatus, una cum prætore *Petro Zaccho*, & *Jacobo Guarnerio* arcis præfecto, illico ascenso equo, quasi alter *Cocles Romanus* acriter decertando, confertis hostibus tantisper obstitit, ut ab hostili impetu forum ex ea parte protexerit, (licet multis vulneribus læsus) donec auxiliares copiæ ex *Patavinis* præsto fuere: adventu quarum, hostes à tergo & à fronte compressi exanimati metu, victoria pariter ac fuga desperata, ad implorandam ausui suo veniam confugerunt, & projectis armis, vitam suppliciter exposcentes (ut victi à victoribus solent) omnes sese dederunt. Ea pugna cæsi, & capti, & vulnerati multi: qui vero insontes fuerant, liberi postea dimissi sunt, At *Jordano* duci & auctori proditionis *Patavium* ducto, publice in foro caput obtruncatur. Alii autem hujuscemodi temeritatis conscii, laqueo suspenduntur. Fama autem tanti & tam præclari facinoris per totam *Italiam*, ac fere per universum orbem pervagata, *Paulum Dottum* frequenti rumore circumtulit. Quocirca nomen ejus summa cum laude ad posteros usque pertransiit. An. D. M. CC. LXXXIX.

302

De Nicolao Dotto.

Non dissimilis huic fuisset *Nicolaus Dottus*, tantum in ipsis annis juvenilibus armorum disciplina, & animi & corporis viribus præstabat. Sed mox eo immatura morte sublato, quæ jam de illo spes concepta fuerat, secum in eodem tumulo extincta jacuit. Ad hujus memoriam, in porticibus divi *Augustini* in tabula marmorea, hoc legitur epitaphium:

FLORE JVVENTVTIS POTERAT DVM DEXTRA MOVERI,
NOBILITATE PROBVS, MERVIT NICOLAVS HABERI,
DE DOTTIS GENITVS, CVJVS PARS VILIOR HAEC EST:
PARS MELIOR CAELIS, AETERNA PACE, LOCATA EST.

De Francisco Dotto.

Memoratus quoque magni honoris gratia, à *Petro Paulo Vergerio* in describendo funere inclyti ducis *Francisci Carrariensis* senioris, *Franciscus Dottus* his verbis: *Franciscus Dottus* (inquit) honore militiæ, magnitudine animi, multarumque rerum experientia dotatus, virgam principatus monumentum, in ea pompa funebri dejectam tulit. Idem postmodum primus fuit (ut legitur) qui una cum *Nicolao Musato*, & *Francisco Malitia*, & aliis circiter viginti juvenibus, cum ingenti vexillo, quod olim habuerat à Republica *Bononiensi*, primus omnium (ut casus tulit) ad Plateam concurrens, alacriter & sublimi voce, *Marcum Marcum* in favorem *Venetorum* de more frequentatis vicibus acclamavit, anno domini M. CCCC. V. Inde postea usque in hodiernum diem hæc familia *Veneto* Senatui, præcipuæ & singularis fidei constantia commendatur.

De Paulo Dotto II.

Sequitur ejusdem generis ac familiæ, nec multo disparis ævi, *Paulus Dottus*: qui cum *Patavii* (ut diximus) anno salutis humanæ M. CCCC. LXVI. equestres concursus, & celebres hastarum ludi pararentur, processit in theatrum cum Colosso ligneo gigantis vastæ magnitudinis, ac cum maximo comitum apparatu: quo magnum & memorabile de se spectaculum, tam civibus, quam peregrinis cunctis exhibuit, qui undique *Patavium* ad famam ingentis tantorum ludorum apparatus confluxerant. Unde factum, ut usque in hodiernum diem ejus hæredes à *Gigante* nomen acceperint, ut quicunque ab eo deinceps originem traxerint, ab aliis gentilibus eo agnomine dignoscantur: quemadmodum & de *Capilistiis* ab equo dictum est. Horum ædes ad divi *Firmi* sunt, ubi nunc quoque lapideus Colossus spectatur.

De Baptista Dotto.

Non est hic ullo pacto tacendus *Baptista Dottus*, *Antonii Dotti* viri potentis, & omnium suæ ætatis factiosissimi filius nothus: qui manu promptus, & invictus animo, cum esset aliquando exul factus ob commissum parricidium, & postea ob quædam publica merita in patriam restitutus, Senatui *Veneto* inter tribunos militares in primis probatus est. Hic post multa præclare gesta, cum *Hispani* percurrentes agrum *Patavinum*, incendiis & depopulationibus cuncta vastassent, apud *Oriacum* primo, & postea apud *Fontanivam*, & superato *Medoaco Creatium* tandem *Vicentinum* pagum in reditu pervenissent: & à *Bartholomæo Liviano Venetarum* copiarum imperatore, ibi in arcto loco interclusi & circumventi essent, ita ut cum effugere vellent non possent, magnum generosi animi sui reliquit argumentum. Nam *Prosper Columna Hispanorum* dux, & totius exercitus imperator, comprehensus locorum angustiis, cum ob summam rei frumentariæ inopiam, illic morari diutius non valeret, adhortatus suos militari oratione, ut cum nulla spes reliqua esset, ab ipsa sua sumerent desperatione virtutem, & Deum precatus, cum 303
omnino sibi, aut vincendum, aut moriendum, aut sese hostibus dandum foret, ordinatissime exercitum incedere jubet, ut quoquomodo possent, vi armorum angustiam locorum superarent, ac collecti simul ferro iter sibi aperirent, quando aliter evadere mortem aut captivitatem nequirent. At *Livianus* contra spe plenus, & magis quam imperatorem deceret, festinus & præceps, sine ordine ullo, properanter in hostes fertur, quos fugere credebat deceptus matutina nebula, quæ omnium oculos ita præstrinxerat, ut se invicem videre vix possent: & transmissis aliquot tribunis peditum ex potioribus, loco adverso, cum paratis ad omnem impetum, & desperati animi hostibus prælium iniri jubet: quod utinam commissum non fuisset. Primus autem *Baptista Dottus*, vir summæ audaciæ, & validissimi corporis, excellentisque virtutis, & ad omnia militiæ munia promptissimus, cum trecentis peditibus, notæ fortitudinis viris, hosti venienti sese alacriter opponit, & in confertissimos hostes auda-

dacter irrumpit: consertisque manibus cum aliquandiu acriter decertasset, & suppetias equitum aut peditum ob fossam ad transeundum importunam habere non posset; ab omni parte hostili exercitus circumseptus est. Hoc prælium atrocius, quam quod à paucis sustineri posset, non ante finitum est, quam tribunus ipse post multam hostium cædem, multis affectus vulneribus, ad extremum conciderit, & qui circa eum constiterant, ad unum omnes cæsi trucidatique fuerint. Tunc vero omnis reliquus *Venetorum* exercitus, ea clade accepta, pene profligatus passim per agros aufugit: alii *Patavium*, alii *Vicentiam*. *Andreas* autem *Lauretanus* legatus *Venetæ* Reipublicæ malens fortiter cadere, quam tam turpiter fugiens superesse, ab hostibus discerptus est. *Avianus* vero copiarum dux frustra cohibens perterritos & in fugam versos, & ipse *Patavium* versus aufugit incolumis. Alii partim miserabiliter cæsi partimque capti fuerunt, à suis postea pecuniis redimendi: anno à Christo nato M.D.XIII.

De Joanne Hectore Dotto.

Non minoris virtutis huic superstes fuit *Hector* filius, qui adolescens adhuc ob contumeliam in se dictam, *Antonium Savorgnanum* alioqui potentem virum ac patricium *Venetum*, mediis *Venetiis* interfecit, & ad *Carolum* Cæsarem exul confugit, à quo dignis stipendiis est honestatus. Verum cum Cæsar transvectus in *Africam*, *Argierium* oppugnaret, audacissimus juvenis gloriæ cupidine flagrans, in discessu, dum pontem ab hostibus defenderet, arceretque à persequendo viriliter irruentium hostium vim, tandem in conspectu Cæsaris impetum ferre non pervalens, gloriosa nece, simílique atque æque infelici, ut olim pater, interemptus est: anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quadragesimosecundo, Cal. Octob.

DE MALTRAVERSIS.

De Guidone Lucii *Comite*.

Nobilissima olim inter *Patavinos* fuit *Maltraversorum* familia, ex qua multi viri egregii, multæque diversorum postea cognominum familiæ, velut ex equo *Trojano* prodierunt: inter quas præcipua tunc fuerat *Guidonis Lucii* Vici *Patavini* comitis: etsi aliquando & sibi & patriæ ejus proles, male & infeliciter cesserit. Primo ergo omnium de ipso *Guidone Maltraverso* dicendum mihi est, postea de reliquis. Hic ex uxore *Constantia Obicii* Marchionis *Estensis* filia, *Nicolaum* genuit, quem ex admirabili prognosticatione *Jamboni Andreadis* eximii vatis prævidisse dicitur, perniciosum fore patriæ civem: quare eum in morte exhæredare voluit, uti & patriæ & toti *Venetiæ* magnæ aliquando ruinæ ac stragi futurum. Verum exoratus ab amicis, ne temere
304 præberet cujuspiam mortalis hominis verbis de re tanta fidem, à proposito destitit: sed ita tunc comminatus dixit, *Hujus vos intercessionis (ut opinor) aliquando pœnitebit, & ego non adero, vos videritis.* Non multis post hæc diebus moritur, & honorifice primo in templo *Lucii* castri sui sepelitur: postea apud sanctum *Antonium* Confessorem in arca alabastrita pulcherrima, ferreis cancellis inclusa, adjuncto hoc subsequenti epitaphio:

HIC SITVS EST GVIDO LVCENSI NOTVS AB ARCE,
CVJVS ERAT PATRIAE DEDITA VITA SVAE.
ILLVM NVDA FIDES, ET RECTI CONSCIA VIRTVS,
ET GENVS, ET MORVM NOBILITABAT APEX.
OMNIA MORS SOLVIT, SPIRANTIS TERMINVS AVRAE
OBSTITIT. OCTOBRIS BIS DVODENA DIE.
COMPLEBAT RETINENS A FOETA VIRGINE FOEDVS
POST DECIES QVINTVM LVSTRA DVCENTA NOVEM.

In altera tabula ibidem uxoris elogium:

ESTENSIS PROLES CONSTANTIA NVPTA GVIDONIS
DE LVCIO, MOLE DEFECI MORTIS AGONIS.
ANNIS MILLENIS, CENTVM BIS OCTVAGENIS
JVNCTIS SEPTENIS HIC SACRIS TRADOR ARENIS.
VOS QVI TRANSITIS, ANCILLAM POSCITE CHRISTI,
SIT DOMINVS MITIS PVLSO PVRGAMINE TRISTI.

De Nicolao Maltraverso Lucii *Comite*.

Nicolaus autem *Maltraversus*, *Guidonis* supra memorati filius, cui cognomentum fuit à *Lucio Patavino* vico, cui dominabatur, dives admodum, & ex utroque parente nobilis: qui nobilem quoque uxorem duxit *Agnetem Gerardi Camini Tarvisii* principis filiam. Is (ut refert *Musatus* poëta in suis historiis) fuit vir miræ eloquentiæ, profundissimi ingenii, magnanimitatis immensæ, liberalitatis profusæ: sed ambitionis intolerabilis, civilia instituta obhorrens, præter ea, quæ se auctore edita fuissent. Tantæ autem potentiæ inter cives suos, ut quamvis privatus, posset tamen septingentos armatos ad nutum, in ictu oculi sibi pro arbitrio comparare. Et propterea à magna turba hominum quotidie domo deducebatur in forum, & stipatus majore etiam cœtu reducebatur. Is præter cætera delectabatur conviviis, & apparatu magnifico, & frequenti admodum comitatu, tam propter fastum, quam etiam pro sui corporis custodia: ex his potissimum, quos facie cicatricibus deformata conspiceret, dicens, hos præ cæteris in argumentum eximiæ virtutis approbatos haberi, qui in pugna non hostibus terga verterant, sed crebris ictibus percussi & graviter læsi, vitam incolumes reportarunt. Verum cum id forte tonsori qui eum radebat, quasi lætabundus per jocum referret, & cicatricosum ibi tunc forte quendam assistentem ostenderet, respondit tonsor: *mihi quidem aliter videtur, atque tibi. Ille enim mea sententia magis probandus atque fortior censendus est, qui hunc vulneravit, quando nec ille in ipsa pugna perterritus fugit, sicut nec iste: tamen ille prævaluit, & hic se male defendens, ab illo (ut vides) deformiter vulneratus est.* Animadvertit prudens vir, tonsoris dictum non tam salsum esse, quam etiam serium, ac maxime verum. Itaque deinceps cicatricosos velut ignavos & incautos contempsit, nec voluit ejusmodi homines amplius habere vitæ suæ custodes: sed eos potius qui sese eximio robore illæsos servantes, alios vulnerassent. Idem non contentus *Lucii* arce, ædificavit sibi castrum in colle *Bocchonis*, quod Castrum novum à posteris est appellatum: à quo & ejus familia deinceps *Bocchonia* dicta est. Castrum autem istud novissimum omnium in agro *Patavino* extat, à privatis civibus ædificatum. Nam orta inde suspicione adoriendæ tyrannidis, decretum est per Senatum & populum *Patavinum* ne quis deinceps arcem aliquam conderet, aut aliud simile, sub pœna perduellionis & capitis. Verum cum is ita cæteris civibus in quovis genere laudis longe præstaret, præsertim tamen 305

sua singulari astutia, quæ sæpe vulgo sapientia esse putatur, ab omnibus colebatur. Nam vir suspiciosus & vafer, modo hanc, modo illam personam in hominum gratiam histrionum more induere didicerat. Quamobrem fastu quodam elatus, ferre non poterat parem sibi quempiam in civitate, aut in Republica se majorem. Ideo cum *Cane Scaligero* contra patriam conjuravit, cui etiam tradidit *Lucii* arcem munitissimam. Atque ipse una cum *Antonio Cartarodulo*, & aliis *Gibellinæ* factionis consortibus ad hostes transiit. Ex quo *Canis* cum magno exercitu in agrum *Patavinum* pertransivit, & multas villas *Patavinorum* depopulatus est: & inde primum cœpit perniciosissimum bellum inter *Veronenses* & *Patavinos*, quod sævire non destitit, donec acceptis & illatis utrinque cædibus, eo bello plusquam centum armatorum millia cæsa fuerint. Tandem cum *Canis*, si tueri *Lucium* vellet, multo plus damni quam lucri inesse videret, renuit expectare oppugnationem, quam *Patavini* intendebant. Quare inde discedens, totum vicum & arcem incendit, & eam prorsus immunitam reliquit. Insuper & *Guidonis* ipsius *Nicolai* patri sepulchrum tunc à *Veronensibus* dirutum fuit, & ossa illius dispersa, in ultionem necis *Mastini Scaligeri*, quod auctor illius cædis fuisse diceretur. Verum sepulchrum idem postea *Patavii* reparatum est in porticibus divi *Antonii* Confessoris, & (ut nuper dicebam) multo speciosius restitutum. *Nicolaus* vero aliquando in patriam reversus, cum ferre non posset adversariorum suorum potentiam, rursum ad *Veronenses* defecit, quibuscum sæpe mortis pericula subiit, in patria quam tueri debuerat, oppugnanda. Verum quo tandem fato sublatus fuerit, ignoramus. Tamen quoquomodo perierit, comprobatum fuit *Guidonis* parentis ejus vaticinium, & habita dictis fides. Legitur tamen *Vicentiæ* ad divum *Laurentium* in porticu fratrum minorum titulus sepulchri alterius *Guidonis* hujus *Nicolai* filii, uti patria extorris:

HIC JACET GVIDO FILIVS NOBILIS VIRI DOMINI NICOLAI DE LVCIO.

De Guizzollo Maltraverso.

Connumeratur quoque à scriptoribus inter præclaros cives *Guizzollus* ex eadem familia, vir naturæ dotibus & immensis facultatibus spectabilis, quippe qui trium erat castrorum dominus: *Baonis* scilicet, *Lucii* & *Castrinovi*. Huic erant ædes in urbe cum turri altissima atque decora, è regione S. *Martini*, quæ ædificia destructa sunt vetustate, & ibi nunc surgunt atria pulcherrima gymnasii speciosissimi, cui ob id loco sapientiæ *Bovis* cognomen vetus mansit, quod ibi hostium seu stabulum aliquando fuerat sub bovis signo conspicuum.

De Conno *Comite* Calaonis.

Ex hac etiam gente fuisse constat *Connum Calaonis* & *Cerri* comitem nobilissimum: qui cum liberis careret, reliquit utrunque castrum seniori ex altera familia, vel *Maltraversorum*, vel *Estensium*: ei scilicet, qui prior post obitum suum in ingressu castrorum fuerit. Contigit autem ut *Estenses* primi ingrederentur, & ita ex legato & *Cerri* & *Calaonis* facti sunt domini. Construxit is speciosum cœnobium in villa *Candianæ*, quod inhabitant Canonici regulares, idque magnis prædiis locupletavit: ubi etiam sepultus est, ut constat ex veteri hoc epitaphio, jam multis annis in eadem Basilica instaurato:

A DOMINVS CONNVS DE CALAONE HVJVS MONASTERII CONSTRVCTOR, HIC REQVIESCIT CVM VXORE SVA DOMINA BERTA. ANNO DOMINI M. C. V.

Ab hoc celebri nomine *Conni*, dicta fuit postea 306 villa *Conna* pagus ibi vicinus, quem, traductis eo colonis, *Connus* ipse ex sylvestri loco cultissimum reddidit, ac arce munivit, fossisque & amplissimis ædibus decoravit: quorum extant tantummodo vestigia & nomen.

De Bozza, & Almerico, & Probo, & Salomone *Comitibus pagi* Noniani.

B Sequitur hunc merito *Bozza Noniani* pagi Comes, vir summo loco natus, & apprime nobilis: utpote ex antiquissima familia *Almerici Nonii*, olim totius *Venetiæ* principis oriundus: cui jus erat, ut quicquid per amnem *Brentam* à montibus usque ad mare veheretur, ei vectigal solveret, & omnes molæ in eo flumine collocatæ, quartam ei proventus partem redderent. Ex quo munere tenebatur imperatorem *Romam* illac transeuntem, magnifico comitatu honoris causa euntem ac redeuntem comitari. Primus autem ex C hac progenie *Patavii* fuisse perhibetur *Probus Nonius*, vir illustris, & insignis copiarum dux: qui cum *Tholosæ* in *Gallia Transalpina* præesset, & impetum Barbarorum diutius ferre non posset, ad *Carolum* magnum primum Occidentis Imperatorem confugit, qui eum instaurati nuper à se *Patavii* ducem, & Marchionem totius Marchiæ *Trivisinæ* constituit. Hic postea pugnavit contra *Opitergii* comitem, & totam eam provinciam victor circunquaque suæ ditioni subegit. *Bozza* ergo hoc sanguine genitus (ut ad eum redeamus) & his progenitoribus ortus, vir magnanimus, & opibus pollens, ædificavit sibi arcem ultra *Brentam*, eamque muris & fossis munivit: cujus mo- D do parva tantum extant vestigia. Sed pagus adhuc *Bozzæ* nomen tenet, & villa *Bozza* nuncupatur. Ex hoc stemmate longa serie, postea natus est *Salio* ultimus ex ea familia: qui *Neapolim* profectus, factusque ibi copiarum dux, & ob sua in re militari præclara facinora, equestris militiæ honore decoratus, cum magna & celebri nominis fama in patriam rediit. Qui cum absque liberis postea decessisset, *Borbandum Buzzacharinum* hæredem sibi ex testamento reliquit. *Bernardus Bembus* patritius *Venetus*, *Petri Bembi* amplissimi Cardinalis pater, in hoc vico agrum habuit, in quo quum *Petrus* filius philosophiæ E studiis incumbens, suorum sibi studiorum amœnam sedem delegisset, rus istud *Nonianum* suis scriptis eleganter celebravit.

DE VICO AGGERIS SIVE TRAPOLINIS.

De Guercio *de vico* Aggeris.

Ex nobilissima familia vici *Aggeris*, qui primus appellari ab arce *Rustica* cœperat, extitit *Guercius* vir militiæ honore decoratus, & milita- F ri disciplina præclarus. Is pro patria contra *Acciolinum* tyrannum nunquam Pontificem maximum solicitare destitit, similiter & *Venetos*, atque moliri (sicut extorres cæteri) quicquid poterat, ut patriam à tanta pernicie liberaret, seque & suos in patriam restitueret. Quæ res ubi tandem felicissimum sortita fuit eventum, itidem adversus *Albericum Acciolini* fratrem ad liberandum *Tarvisium* studiose & intrepide rem gessit, ut stirps illa nefanda penitus extingueretur. Quamobrem ex summi Pontificis decreto antiqua

qua familia, quæ in vico *Rusticæ* potens erat, eo quod in partibus *Acciolini* fuerat inde electa, *Guercius* ipse bene meritus de Ecclesia, & de patria contra tyrannum, in ejus locum suffectus, castro *Rusticæ*, & feudis decimalibus, una cum suis posteris ab *Alberto Tarvisino* Episcopo in perpetuum donatus est: anno Domini M.CC.LVIII. ut in publicis documentis egomet legi. Hujus ædes erant è regione *S. Firmi* admodum insignes. Hæc postmodum progenies antiquato priore cognomine, partim *Rustica*, & partim *Trapolina* vocatur: illustres ambæ, & egregiis atque amplissimis viris ornatæ.

307 *De* Trapolino Rustica.

Ex hac nobilissima familia vici *Aggeris*, fluxit *Trapolinus Rustica*, qui primus posteris suis *Trapolini* cognomen dedit. Sicut *Joannes* de vico *Aggeris* vir nobilis primus à villa *Comitis* sortitus est nomen: quoniam vicum illum arce munitum, & ædibus ornatum, post Comitis *Carrariensis* mortem possedit. Verum ejus hæredes postea, quibus *Rustica* vicus *Patavinus* cum turri & similiter arce ex hæreditate contigerat, dicti fuerunt de *Rustica*. Ultimo demum loco ab hoc *Trapolino* (ut diximus) *Trapolini* dicti sunt. Hic autem *Trapolinus* militaribus studiis mancipatus, & in armis strenuus, *Francisco Carrariensi* principi intimus & admodum gratus semper extitit, & propterea una cum fratribus in recuperatione urbis, anno Domini M.CCC.XC. ei præsto fuit, cum plus quam quatuor millibus rusticis armatis, & multis curribus pane vinoque onustis. Quamobrem & honore militiæ, & multis prædiis, ac villa Comitis præsertim donatus est, & inter præcipuos tribunos, & amicos, & consiliarios semper habitus, qui in multis præliis victor magnam gloriam, & ingens nomen famamque peritiæ militaris sibi comparavit: & præsertim quando in subsidium *Mantuæ*, quam obsidebat *Galeacius* Vicecomes, venit anno M.CCC.XCVII. cum quadringentorum equitum *Patavinorum* numero, una cum Comite *Carrariense* missus, ubi magnam gloriæ partem illius victoriæ, sua sibi vendicavit virtute, & ex eo subinde posteri omnes *Trapolini* antiquato veteri cognomine nuncupati: vel ut alii dicunt, à *Trapula* insigni viro, postmodum *Trapoli* primum, & subinde *Trapolini*.

De Henrico Trapolino.


Non minore animi & corporis promptitudine in ejusdem principis ingressu adfuit etiam *Henricus Trapolinus*, qui ad condictum collecta agresti manu principi suppetias allaturus advenerat: ubi multa animose, multa sapienter, omnia demum feliciter ac gloriose peregit. Is etiam post mortem *Galeacii* ducis cum ducentis peditibus, constructis prius duobus propugnaculis ad custodiam pontis *Cortaroduli*, totum agrum *Vicentinum* percurrens, usque ad *Athesim* fluvium, ad vicum *Albare* appellatum, depopulando pervenit. In hoc bello multa consulto & animose ab eo gesta narrantur: quæ & nominis famam, & domesticas illi facultates mirum in modum auxerunt. Nam tunc ei, ut & aliis multis proscriptorum facultates, pro bene gestæ rei præmio datæ sunt: quæ deinde ad ejus posteros transiisse dicuntur.

De Jacobo Papafavio.

Magnæ authoritatis ac fidei apud eosdem *Carrarienses* agnatos suos, & maximi nominis celebritate in universa *Italia* per ea tempora magnanimus copiarum dux fuit *Jacobus Papafavius*, qui semper quidem in omnibus militiæ muneribus præclare sese habuit: sed potissimum in novissimo *Carrariensium* bello apud *Anguillariam*, ubi cum quingentis cataphractis equitibus, & trecentis peditibus, quibus præerat, ad sustinendum *Venetorum* impetum, ita animose ac strenue se gessisse memoratur, ut (etsi obstare nequierit) gloriose tamen in tutum sese receperit, exercitumque ab imminenti clade ita servaverit, ut nihil in tali re, & in tanto periculo, fieri consultius atque præclarius potuisset. Sed non vacat longius evagari, quando hic non gestarum rerum historiam texere in animo est, sed clarissimorum virorum nomina tantummodo ad posteritatis solatium recensere.

De Leonardo Malfatto.

Indignum mihi visum est silentio præterire admirabile & illustre facinus *Leonardi Malfatti*: qui eo infelici tempore, cum *Acciolinus* immanissimus tyannus ob indignationem amissæ urbis *Patavii* omnes *Patavinos*, qui *Veronæ* secum in ea militia inventi fuerant, comprehendi jusserat: 308
numero circiter duorum millium & triginta novem, ut alicubi legitur, vel ut alii scribunt, duodecim millia: quod vix verisimile mihi esse videtur, nisi forte hic numerus eos etiam comprehendat, qui sub universa ejus tyrannide, vel à se, vel à suis ministris occisi fuerant. Is ergo *Malfattus*, comprehensus, & morti similiter cum aliis destinatus, cum prope esset, è ripa *Athesis* fluminis sese præcipitans, depressus aquis longo tractu, subtus in fundo amnis ut anas aut mergus præreptans, extra conspectum, à persequentium manibus sese surripuit. Ore enim interdum ad respirandum clam emergens, vicissimque ad latendum demergens, ad septem millia passuum enatavit, ut à cunctis flumine omnino submersus & extinctus crederetur. Hoc ergo commento ex tot comprehensis solus evasit, & incolumis *Patavium* sese recepit: anno salutis humanæ M.CC.LVI. Qui quidem postea eodem anno haud ita multo post in patria obiit ex morbo (ut fertur) ex ea longa natatione contracto.



De Bartholomæo Malfatto.

Non ab re fore arbitror, hic vel sic obiter meminisse præclari viri *Bartholomæi Malfatti*, qui ob factiones *Patavio* fugiens *Venetias*, à Senatu, ob eximias ejus & animi & corporis dotes, inter patricios ascitus est, & cum his qui suffragii jus habent, curia & civitate donatus. Hujus soboles post annos quinquaginta *Venetiis* defecit, anno salutis humanæ M.C.VII. At *Patavii Malfattorum* progenies superstes in hunc diem manet.

De Camillo Malfatto.

Non ita successit *Camillo Malfatto* res bellica: qui ducentorum peditum præfectus, ad expugnandum *Civittale* oppidum *Carnicum* profectus, quod à *Venetis* ad *Maximilianum* defecerat, dum cum plerisque viris fortibus mœnia acriter oppugnat, ictu baleari interfectus, magnam tam corporis quam animi virtutis suæ famam reliquit, anno Domini M.D.IX.

De Ugone *à S.* Juliana.

Dum me transferre cogito ad recentiorum memoriam recolendam hac in parte, qui primus ferme fuit inter hos illustres & honore & dignitate, sese mihi obtulit *Ugo à S. Juliana*: qui in

in primis sane dignus est memoratu, tum ob adversam in se sortem, tum ob præcipuam in amicos pietatem, qua ipsum usum fuisse vel in ipsa morte legitur. Is enim cum apud *Acciolinum* in principio suæ tyrannidis in maxima existimatione haberetur, & *Regii* atque *Veronæ* anno M. CC. LII. prætor ab eo constitutus fuisset, non multum post temporis invalescente sævitia, vereri cœpit tyrannus nimiam hominis probitatem: & ex eo quod sibi ipsi conscius foret, suspicatus est, eum sibi minime ex corde favere. Nam regibus (ut quidam præclare scribit) boni quam mali suspectiores esse solent: quoniam semper iis aliena virtus formidolosa est. Quamobrem ex ea suspicione ab officio Præturæ semotum, extemplo eum in vincula conjecit. Qui cum esset vir optimus, & cunctis amicus, frequenter etiam in carcere salutari à multis solebat. Quocirca comprehensi quidam, vel ea tantum occasione, quod & ipsi ex ejus amicitia probi haberentur, tyranni jussu occisi sunt: quorum cædem *Ugo* ob innatam suam probitatem, fertur duplo ferme gravius tulisse quam suam, & quantum potuit pro illis intercedere annisus est: pro se autem nullum quidem verbum unquam fecit, cupiens sua patientia placare tyranni crudelitatem, & sua cæde iram ejus satiare, & illis vitam impetrare: quod nequaquam facere potuit. Occisus est ergo *Ugo* & *Ottolinus* ejus frater *Veronæ* cum undecim aliis, partim consanguineis, partim amicis: inter quos *Ugo* solus tantam constantiam præ se tulit, ut non modo *Socratem* illum philosophum in morte, sed & quemcunque martyrem Christi æquare patientia videretur: cohortans cæteros suo exemplo, nihil posse in tam iniquis temporibus contingere viro innocenti, festinata morte felicius. Et quia tanti viri constantia eo tempore celebratissima fuit, indignum fore putavi eum, qui ea ætate tantum claruit, à posteris ignorari. Occisus est autem anno Domini M. CC. LIII. In hujus locum in eadem prætura suffectus *Buzzacharinus* ex *Buzzacharinis*, tunc tyranno valde amicus.

309 *De* Bartholomæo Abriano.

Par honos, nec dissimilis admodum fortuna, & idem plane infelicissimus vitæ finis contigit *Bartholomæo Abriano*: qui (ut legitur in *Veronensium* annalibus) anno D. M. CC. XLII. cum aliquando honorifice *Veronæ* Præturam ab *Acciolino* demandatam exercuisset, haud multo post, ob falsam illius immanissimi tyranni suspicionem comprehensus, & immani cruciatu diutius tortus & afflictus, quum invicto animo, quod objiciebatur, crimen constanter pernegaret, tandem ut erat fune appensus, ex nimio cruciatu in eculeo fortissime animam exhalavit, pro maximo munere diram illam excipiens mortem, licet injuste.

DE ZACCHIS.

De Matthæo Zaccho.

Non est hic tacendus *Matthæus Zacchus* nobilis *Patavinus*, insigni fide, & militari disciplina conspicuus: vir secundis & adversis juxta mirabilis: & *Albrico de Romano Acciolini* tyranni fratri intimus sane, & plusquam oportuit fidelis. Nam nullo suo crimine, sed sola constantia fidei in adversis, quam *Albrico* dederat, una cum illo comprehensus *Tarvisii* publice ob alienum scelus, fidus cum perfido, justus cum scelerato, ab irato populo fuit immaniter discerptus: anno Domini M. CC. LX. crudelis quidem, sed gloriosa mors, quæ inique pro sola fide, quæ hosti etiam servanda est, vel ultro, vel violenter initur. Juraverat is quidem se eum nunquam deserturum, quæcunque sors evenisset, & quicquid adversi fortuna ferret.

De Bartholomæo Zaccho.

Bartholomæus vero *Zacchus*, hujus *Matthæi* filius, feliciori quodam fato, & prudentiori judicio, in comparanda sibi illustrium virorum amicitia, postmodum usus est quam pater. Is enim cum disciplina militari foret à primis annis admodum eruditus, quod erat eo tempore præcipuum nobilitatis decus, *Accii Estensis* partes secutus, & ab eo tribunus militum factus, *Ferrariam* contra *Salinguerram* itidem *Estensem* profectus est: ubi ita strenue glorioseque sese gessit, ut militiæ honore donatus, & auctus stipendiis militaribus, *Zacchorum* gentem & opibus & honoribus vehementer auxerit: in quibus ad hunc diem nobilis ejus familia feliciter perseverat. Hujus sepulchrum primo fuit extra mœnia in *Porcilia*, in templo ubi jacebat beati *Antonius Peregrinus*: sed ob vastitatem pomœrii, ad muniendam urbem à Senatu *Veneto Liviani* imperatoris consilio factam, diruto templo, translatum est in Basilicam monachorum S. *Benedicti Novelli*, cum eodem marmoreo sepulchro, ubi legitur hoc epitaphium:

NOBILIS MILES BARTHOLOMAEVS
DE ZACCHIS. D. FRANCISCVS
EIVS FILIVS.
M. CCC. I.

De Hieronymo Zaccho.

Claruerunt præterea multi ex hac familia, inter quos tacendus non est *Hieronymus Zacchus*, virtute & honore equestris ordinis nostra ætate insignis: cui *Franciscus Savonarola* hoc cecinit epitaphium:

HIERONYMVM SAXO HOC PATAVI LVGETE SEPVLTVM:
QVI FVIT EX ZACCHO SANGVINE CLARVS EQVES.
MORIBVS ORNATVS, SCELERVM CONTEMPTOR, ET VLTOR
EVGANEI VIXIT GLORIA CLARA SOLI.

DE CORTVSIIS.

De Aloysio & Victorio, & Anglesco Cortusiis, & *aliis civibus* Patavinis. 310

Tam impii tyranni immanitatem toties referre jam piget, cum vel sola illius recordatio animum vehementer perturbet. Veruntamen scriptorum beneficio qui de ea re tractarunt, factum est, ut inde miseri cives alioqui perpetuis tenebris involuti, facti sint clariores. Etenim quanto in aliquem atrociori crudelitate fortuna sævit, tanto ille clarior reddi solet: ut de *Aloysio Cortusio* legimus, qui cum in civitate amicitiis, opibus, clientelis & armis plurimum valeret, suspectior eo magis tyranno factus, dolose comprehensus est: & quasi occultæ conjurationis princeps una cum uxore, & filiis, & propinquis *Victorio* scilicet & *Angelesco*, ab *Ansedisio Acciolini* vicario, uno pariter gladio omnes occiduntur. Idem accidit eadem sententia damnatis *Cananeo Tergulæ*, *Petro Musato*, *Jacobo Dotto*, *Alverico Zucho*, *Alexandro Paradisio*, & aliis multis, quos recensere longum est, & legere permolestum.

De

De Antonio Cortusio.

Non tantum potuit immanitas *Acciolini*, sicuti optabat, nobilem *Cortusiorum* familiam, suo tanto furore penitus extinguere. Supererant enim, qui se vel latebris, vel fuga prudenter servarant. Unde postea natus est *Antonius Cortusius*, qui & ipse cum patienter nequiret pati injuriosum impetum *Carrariensium* principum, relegatus à patria, ab *Andrea Contareno* duce *Venetiarum*, & à toto illo Senatu hilariter exceptus est: atque equestribus turmis præfectus, primum ad *Tergestum*, & subinde ad alia loca in diversas expeditiones missus, per triginta annos cum magna laude militaris disciplinæ profecit. Tandem in *Ilyrico*, confectus militiæ laboribus, excessit è vita, à Republica *Veneta* plurimum desideratus.

De Matthæo & Bonzanello Cortusiis.

Addas huic *Matthæum* & *Bonzanellum Cortusios*, generosos equites, & insignes tribunos, qui ab eodem *Veneto* Senatu, cui erant maxime fideles, missi sunt cum ingenti peditum manu, ad obsidendam civitatem *Novam*, urbem in finibus *Dalmatiæ* munitissimam: qui aggressi mœnia, dum pluris gloriam quam vitam faciunt, ambo uno conflictu viriliter oppugnando confossi multis vulneribus, gloriosa morte conciderunt. Verum antea (ut aliquanto retrogrediar) idem *Matthæus à Guecillo de Camino* principe *Tarvisino* equestri dignitate donatus, & *Feltriæ* urbi cum tutissimo militum præsidio præfectus, præclare se gessit, & multo sane felicius, quam (ut jam dixi) in *Nova* civitate, ubi postea occubuit.

De Albergheto Cortusio.

Alberghetus autem *Cortusius*, nepos alterius *Albergheti* illustris viri præteriri non debet: qui *Veneti* Senatus beneficio, expulso *Carrariensi* principe, bonis omnibus, qui à *Carrariensibus Cortusii* bis olim expoliati fuerant, in suam majorumque suorum gratiam restitutus est, & cum magna omnium civium lætitia & hilaritate in patriam receptus. Is postmodum tanti beneficii memor, ob fidem quam *Veneto* Senatui omnes subditi jure debent: præsertim cum una sibi cum Senatu sua suorumque salus periclitari omnino videretur, deprehensa per conscios conjuratione occulta quorundam civium, ut plurimum ex plebe hominum, cum *Marsilio Carrariensi* de recuperanda urbe, die quodam inter eos constituto, videns ex eo sibi suisque & universis bonis probisque civibus ex tali novitate maximum imminere discrimen, egit cum Senatu *Veneto* occulte, ut die statuta cautius solito civitas servaretur. Quare in tali negotio sua prudentia effecit, ut miser ille comprehensus in agro *Vicentino*, ad locum *Furnos* dictum, cum paucis, quo die putaverat, lætus ingredi patriam, vinctus mœrensque deducitur: qui repente *Venetias* missus, pau-
311 lo post prædonum more capite in foro plectitur: Comites partim in *Creta* relegati, partim vero laqueo necati Quocirca *Alberghetus*, non ab hoste solum & à peste, quæ suis sibique imminebat, si res ex voto conjuratorum successisset, liberatus est: sed etiam à Senatu *Veneto* in bene gestæ rei gratiam magnopere commendatus, & immunitate ab omnibus publicis vectigalibus in perpetuum cum omni posteritate donatus. Is vero jacet in magno sepulchro in atrio Ædis Eremitarum: quod dum superioribus annis aperiretur, inventum est æneæ tabulæ hoc epitaphium:

D. O. M. N. F.
SYVANO CORTVSO SPLENDIDISSIMO EQVESTRIS ORDINIS VIRO, ET PATRI IPSIVS ALBERGETO, ATQVE MATTHAEO AVO, CAETERISQVE PROAVIS CORTVSIIS EQVITIBVS. H. M. S.

OSSIBVS ELEGIT DOMVS HANC CORTVSIA SEDEM,
ELYSIVM PETIIT SPIRITVS INDE SOLVM.
FILIVS HIC PROAVIS, ET AVO, CHAROQVE PARENTI,
ATQVE NEPOTIBVS, HAEC PROPRIA BVSTA, DEDIT.

DE CAPIVACIIS.

De Thoma Capivacio, *cognomento* Capinigro.

Inter tot insignes viros necessario annectendum putavi *Thomam Capivacium*, cognomento *Capinigrum*, non eam propter generis nobilitatem, quæ viros alioqui obscuros illustrare consuevit: sed propter crudele & inauditum facinus, quod non minus eum, quam si quid pie sancteque effecisset, famosum ac notissimum reddit: utrinque enim tam ex mala, quam ex bona fama, æque innotescere homines solent. Is ergo cum juste convictus atque judicatus fuisset, à *Bellino* Episcopo *Patavino* viro sanctissimo ad solvendas decimas agrorum, quos sub diœcesi *Patavina* latius possidebat: cum esset agri ditissimus, & quum ea sententia, ut homini avaro, videretur ei multum jacturæ adferre, non valens id æquo animo ferre, aggressus *Bellinum Romam* forte pro Ecclesiæ suæ negotiis proficiscentem, in itinere juxta *Rodigium Pollicinii* oppidum (ut quidam volunt) canibus, vel ut alii affirmant, gladiis immaniter interemit: anno Domini M. C. XLIX. Qui quidem vir sanctus cum cœpisset post mortem miraculis supra modum nitere, & miracula multa facere, à summo Pontifice *Eugenio quarto* biennium post mortem in catalogo martyrum honorifice ascriptus est. Homicida autem ille etsi pœnas impietatis, ut dignus erat, tunc forte legibus humanis propter potentiam non dederit: divino tamen judicio postmodum, acriter punitus est. Nam justa Dei vindicta, gravissima post hæc inopia afflictus (quoad vixit) vitam traduxit miserrimam, & tanta æris alieni magnitudine oppressus, ut in carcere infeliciter reliquum vitæ suæ tempus degens, maxima egestate confectus, & ab omnibus derelictus miser interierit. Insuper in ultionem tanti flagitii, omnis etiam ejus soboles, quæ ab eo ipso defluxerat, donec superfuit (ut fertur) templum in honorem divi *Bellini* Deo dicatum ingredi nunquam potuit. Sed hujus progenies una cum fundis & facultatibus haud multo post, ita penitus defecit, ut nul- 312
la ex illa radice omnino proles Deo permittente pullulata remanserit.

De Aycardino Capinigro.

Non est hic ullo pacto reticendus *Aycardinus Capinigrus*, probitate & militia insignis: qui licet ex ea gente oriundus fuerit, qua *Thomas* supra nominatus, non tamen eo animo impius. Is enim cum esset *Philippi* pontificii legati tribunus in recuperanda patria à faucibus *Acciolini*, ita tum corporis viribus, tum animi constantia strenue sese gesserat, ut in ea re non minus consilio, quam armis, semper & ubique præsto fuerit: quod

quod sibi peperit summam in hac vita gloriam, & post mortem in Chronicis *Patavinis* famam nominis immortalem.

De Francisco Frassalasta.

Ex hac nobilissima progenie, qua hæreditario quodam gentis jure, militaribus viris, in omni ævo domi forisque semper illustris fuit, enituit aliquando *Franciscus* cognomento *Frassalasta*, vir pace & bello insignis, & equestri honore decoratus, & in ludis equestribus magnis, & multis victoriæ insignibus ornatus: unde ei merito contigit, ut qui magno robore in hastilibus ludis frequenter hastas frangeret, vulgo *Frassalasta* diceretur. Legimus in historia *Gerardi* eundem *Frassalastam* fuisse cum aliis civibus, ab *Acciolino* tyranno infeliciter interemptum. Hunc autem ego esse arbitror, cujus equestrem statuam in sepulchro marmoreo apud Eremitanos ad portam Occidentalem cernimus, ubi hasta equo insidens concurrere videtur, quod est indicium pristinæ virtutis, armorum & cognominis *Frassalastæ*.

De Frigerino Capivacio.

Celebratur quoque ex hac ipsa familia, præ cæteris nobilis vir *Frigerinus*, qui etsi pro Republica *Patavina* multa præclara domi forisque gesserit, multisque legationibus functus sit: hinc tamen, vel in primis memorandus esse videtur, quod inter cætera ediderit pro patria & sua suorumque salute inauditæ crudelitatis facinus maxime memorabile. Nam cum in *Bassano* agri *Patavini* tunc oppido militiæ præesset, idque validissimo præsidio tueretur, sua singulari prudentia deprehendit, quibusdam militibus de prodendo *Venetis* oppido esse secretò inter se conventum, & diem certam conficiendo sceleri constitutam. Quamobrem illico deprehensos scelerisque convictos, inaudito mortis genere sontes illos omnes affecit. Alios quidem qui centuriones erant, sensim vivos comburi jussit, & assatos canibus devorandos dari: alios per septem horas (tandiu enim supervixerant) forficulis candentibus incidi: auctorem vero proditionis, diu tortum ex baleari tormento, ut lapidem in aëra jaculari mandavit, ut tam diro exemplo, & inusitato supplicii genere, cæteros magnitudine pœna territos, ab hujusmodi proditione deterreret. Potest enim crudele factum crudelitatis nota carere, si quando pro patriæ salute fiat. Nam cum non ad ullam explendam libidinem aut voluptatem, neque ad ultionem sui, sed ad salutem exercitus, aut ad patriæ incolumitatem, inusitatum aliquod tormenti genus, par meritis flagitioso cuipiam adhibetur, pietas ea est, potius quam immanitas appellanda. Idem quoque anno salutis humanæ millesimo trecentesimo vigesimotertio, sub *Francisco Carrariensi* præfectus castro *Franco*, quod à *Venetis* paulo ante defecerat, in ea re se fortiter gessit: nam obsessus à copiis *Venetorum*, non prius deditionis spem dedit, quam ad æquas conditiones deventum esset: & quando necesse fuit, ut ex sui principis jussu abiens oppidum *Venetis* cederet.

313 ### *De* Paulo Capivacio.

Nobilitas sanguinis, peritia literarum *Latinarum* & *Græcarum*, diuturnæ & molestissimæ chiragræ, podagræque invicta patientia, eximiaque constantia in tantis malis facit, ut nullatenus hic silentio supprimatur *Paulus Capivacius*, vir præclarus: qui novarum metu rerum, aliquandiu profugus à patria, *Maximiliani* Cæsaris bello totam fere *Europam* peragratus, in patriam tandem, haustis diversarum gentium moribus, restitutus est, & nobilissimæ uxori copulatus. Et quatenus per bonam valetudinem corporis licuit, plures liberos procreavit: qui cum facundia præstaret, orator electus à Republica *Patavina* ad *Franciscum* Cardinalem *Pisanum* Episcopum *Patavinum* designatum, cultissimam habuit orationem. Atqui tandem gravi ac permolesta valetudine correptus, tantis & tam diuturnis doloribus afflictus est, ut amisso & manuum & pedum usu, sola lingua valeret. Quocirca assidue visitatus ab amicis, & peregrinis, & magnis fere semper viris, quibus fama notus erat, semper de cosmographia, de multorum regum & principum gestis, de antiquis & recentioribus historiis, & (quod præstantius est) de divinis scripturis ita facunde, ita copiose & memoriter disserebat, ut nemo audientium non vehementer admiraretur. Ferebatur aliquando lectica in forum, & visitabat templa, & divinis intererat sacris. Interdum vero tam vehementi articulorum dolore discruciabatur, ut ei sola mors esset in votis: tanta tamen patientia afflictionem & adversa cuncta perferebat, ut alter sane *Job* omnibus esse videretur. Etenim in tam effera valetudine, passus est instructissimæ villæ incendium, nobilissimæ uxoris mortem, & immaturum ac repentinum obitum *Obicii* filii sacerdotis, & magnæ pietatis viri. Hunc autem tot calamitatibus oppressum, suis carminibus celebrarunt viri insignes, *Pierius Valerianus*, *Dominicus Marinus*, *Hieronymus Niger*, & *Paulus Rhamnusius Joannis Baptistæ* filius: qui omnes eum longo carmine consolantur. Is tandem sancte & pie migravit è vita, anno salutis humanæ M.D.LIII. annos natus septuaginta, & amplius: & sepultus est cum majoribus in cœmeterio divi *Antonii* Confessoris in parte Septentrionali.

De Antonio Capivacio.

Mortuus est paulo post & *Antonius Capivacius*, eques nobilis & illustris, ultimo jam senio confectus: qui tamen ea ætate ita sibi constabat, ut homo nonagenarius integra semper usus valetudine, nullibi deesset, ubi ejus opera Reipublicæ necessaria esse videbatur: ex quo domus illius magna semper civium frequentia, apertis foribus cunctis patebat. Cæterum ut de tam præclaro viro aliquid referamus, scire oportet hunc hominem, ex matris utero ad maxima quæque obeunda natum. Nam ab initio pene puer literarum studiis intentus, dum philosophiæ vacaret, ita comitate & liberalitate sodalitiis interdum stipabatur, ut inter scholasticos academiæ princeps ab omnibus haberetur. *Venetos* autem patritios pari modo interea sibi tantis officiis in cunctis rebus obsequiosus devinxerat, ut cum patres *Veneti* illustrem quempiam virum ex suis subditis, in demortui Collateralis locum sufficere vellent, *Antonium Capivacium* totius Senatus consensu unum ex omnibus elegerint, qui in tota continenti in publicis rebus, domi militiæque post imperatorem, & legatos exercitus primus staret: & idcirco qui ad hoc officii genus eligitur, Collateralis merito nominatur. Hujus autem magistratus proprium est, rationes tabulasque militares conficere, in quibus nomina eorum, qui stipendia R. P. faciunt, continentur. Isque præest exercitibus conscribendis & recensendis, probatque & rejicit quos vult: & creatur perpetuus, & propterea magnæ est apud exercitum & auctoritatis & gratiæ. In

hac

hac dignitate perstitit, quousque patria ad *Maximilianum* Cæsarem deficiens, hunc sub pœna exilii, & bonorum publicatione, à castris *Venetorum Patavium* revocavit: ubi postea partes imperiales à Cæsarianis si aliter faceret ad necem de-
314 stinatus (licet ægre) secutus est. Sed paulo post reperto à *Venetis Patavio*, aliquandiu à patria inter extorres, sub *Maximiliano* Cæsare magnas præfecturas exercuit, & præsertim *Mirandulæ*, ubi ex *Blanca* uxore, quæ maritum fuerat subsecuta, filiam suscepit, quam de oppidi nomine *Mirandam* appellavit: quæ postea nupsit illustri viro *Rombaldo* oppidi *Collalti* Comiti in *Forojulio*. Verum ut erat is vir magnæ prudentiæ, egit interim cum Senatu *Veneto*, cui gratus admodum fuerat, ut illius clementia, impetrata venia, patriæ restitueretur. Qui postmodum inter suos in patria honorificentissime semper vixit, in omnibus rebus arduis, consiliisque primus omnium semper habitus. Obiit nonagenarius anno M.D.LV. die VII. Julii, in propriis ædibus in ingressu statim portæ divi *Laurentii*. Sepultus autem apud *S. Antonium* Confessorem in parte Meridionali cum majoribus suis. Hactenus quidem celebravimus permultos viros, tum literis, tum armis claros, ex una gente *Capivaciorum*. Sed quosdam cognomine *Paradisios*, quosdam vero *Capinigros*. Quod vel ex eo constare potest, quod unico & eodem insigni omnes utuntur: & si nunc omnes ad unum *Capivacium* cognomen redacti sint, sicut olim sub uno quoque insigni fuerant, nam in templo divi *Antonii* Confessoris in sublimi arca ad portam Meridionalem gentilitium insigne trium ensium esse conspicitur, sed cognomen *Paradisium* legitur.

DE SANCTA CRUCE.

De Joanne à sancta Cruce.

Gloria rerum gestarum, quam cum exercitu in *Picœnum* missus *Joannes de sancta Cruce* copiarum dux secum in patriam reportavit, merito illustrem reddit, ac dignum facit perpetua immortalitatis memoria. Nam *Ubertinus Carrariensis* princeps *Patavinus Malatestarum Ariminensium* affinis, in gratiam uxoris *Annæ Malatestæ*, ut afflictis eorum rebus succurreret, hunc misit cum satis justo exercitu in agrum *Picœnum*, quæ nunc Marchia appellatur, ut affines suos in pristinum regnum reponeret. Hi namque ejecti de principatu *Ariminensi*, in arces vicinas munitissimas se concluserant, expectantes amicorum subsidia. Hanc rem *Joannes* dux strenuissime gessit. Nam suo statim adventu, *Ferantinum* oppidum ab obsidione liberavit: subinde *Verunchium*. *Pinam* sancti *Martini*, & alia pleraque loca munitissima vi cœpit, & parvo tandem tempore prudentia & consilio suo effecit, ut receptis tum vi tum deditione his oppidis, ad obsidendum tandem *Ariminum*, exercitum traduceret. Quo viso exterriti *Ariminenses* ob tantam ducis felicitatem, de pace cum exulibus convenere, & in *Obicium Estensem*, & *Ubertinum Carrariensem* omnem controversiam, eorum arbitrio sedandam componendamque deponunt. Is finis felicissimæ illius expeditionis fuit. Quare *Joannes* copiarum dux, acceptis obsidibus, cum præclara pace, & summa cum gloria in patriam ad suos reversus est, & ab *Ubertino* principe impense laudatus, & magnis honoribus ac præmiis donatus.

De Petro à sancta Cruce.

Præstabat quoque singulari prudentia in Republica *Patavina* per ea tempora ex eadem familia vir nobilis ac sapiens *Petrus de sancta Cruce*: qui una cum *Jacobo Turcheto* Jureconsulto censore, seu procuratore Reipublicæ, & clarissimo juris doctore, *Guilielmo Cortarodulo*, electus fuit ad constituendos fines inter *Venetos* & *Patavinos*: pro quibus diu atque acriter concertatum fuerat. Qui quidem fines postea magna cum eorum laude, utrinque probati sunt, & omnis contentio & concertatio denique sopita.

De Ricardo S. Cruce.

Magna in tormentis constantia prioribus temporibus celebrata fuit *Ricardi S. Crucis* viri egregii: qui quum esset aliquando *Acciolino* tyranno amicus, in monasterio fratrum *Alemanorum* magister suffectus est, *Felice Veronensi* inde ob suspicionem summoto. Verum (ut sunt tyrannis suspecta omnia) & hic paulo post illi pari 315
periculo suspectus redditur, quasi cum *Felice* in tyranni perniciem convenisset. Comprehensus igitur, quæstionibus & tormentis tamdiu torquetur, donec in eculeo, miserabili supplicio extinctus est: & ex nimio pondere, quod pedibus alligatum fuerat, solutis artuum compagibus, ferunt subinde sic mortuo brachia abscisso corpore fune suspensa mansisse. Etenim vir fortis, cum esset innocens, maluit sic occulto, licet longo supplicio, mori (quod honestius duxerat) quam ementitus culpam, paulo post capitis damnatus, compendiosa nece ad spectaculum effusi populi cum proditionis nota turpiter interire. Id accidit anno salutis humanæ M.CC.LIII.

De Uberto Vadio.

Nihilo minus indigna mors fuit, neque minus celebre nomen perpessi injuste supplicii *Uberti Vadii*: qui quum supra dicti *Felicis Alemanorum* magistri amicus & familiaris haberetur, captus est ipse à tyranno: nec rite confessus, nec convictus alicujus facinoris ob solam suspicionem per urbem tractus, horribili spectaculo discerptus est, & in rogum ardentem postea projectus, atque in cineres redactus, in foro ventis ludibrio relinquitur. Cujus innocentiam, formam, ætatem, tota civitas summo mœrore ac lachrymis (quantum præ tyranni metu licebat) prosecuta est.

DE SANGVINACIIS.

De Hilario Sanguinacio.

Inter claros atque illustres cives meritum sibi locum asserit *Hilarius* ex nobili familia *Sanguinacia*, vir bello insignis, & militari gloria clarus: qui non minus armorum peritiæ, quam justitiæ disciplina, præ cæteris suo ævo resplenduit. Quamobrem *Bononiam* accitus, Præturam ibidem gloriose gessit, & similiter *Florentiæ*: quibus in magistratibus adeo magnifice se erga omnes habuit, ut in discessu magistratus utrobique magnum sui desiderium dereliquerit, & æternum sibi nomen apud eos cives asciverit. Hujus sepulchrum cum equestri statua visitur apud Eremitanos, cum hoc epitaphio:

MILITIS HYLARII QVEM SANGVINACIA ORIGO
PROTVLIT, HOC TVMVLO MARMORIS OSSA CVBANT.
HVNC DOMVS, HVNC MORES, HVNC VIRTVS NOBILITAVIT
PLVRIMA, QVI PATAVAE VIXIT HONOS PATRIAE.

CLARVIT OFFICIIS MVLTIS, BONONIA DIGNVM
HVNC VOCAT: ET FLORIS PRAESES IN VRBE FVIT.
OMNIBVS HIS MVNDO MAGNA CVM LAVDE RELICTIS,
VERVM ESSE ASPICIENS MENS SVPER ASTRA VOLAT.

Anno M.CCC.LXXXVII.

De Francisco Sanguinacio.

Ex hac nobilissima familia, per hæc ipsa ferme tempora haud dispari laude floruit præstantissimus in armis miles *Franciscus Sanguinacius*, vir singulari virtute præditus: qui cum esset opum ditissimus, & sanguine nobilis, & amator patriæ libertatis, *Francisco Carrariensi* tunc *Patavio* imperanti, parum fidens, utpote adversæ factionis, dum longe tutius se esse existimat ruri, quam in civitate, turrim munitissimam, ad habitandum extra urbem, velut princeps inter agrestes, probatissima ratione delegit. Is erga omnes æque liberalis, amicitiis pollens, & ob id etiam *Venetis* charus. Quamobrem cum *Carrariensis* princeps, *Genuensibus* confœderatus, bellum ingens & periculosum contra *Venetos* parasset, & *Clodiam* quæ erat ditionis *Venetæ*, vi & obsidione cepisset, is tunc ultro à *Carrariensi*
316 principe deficiens, cum ducentis militibus & agresti manu propriis stipendiis in partes *Venetorum* pertransivit, & in magnis periculis sæpe comprehensus, & strenuissimo consilio & armis sese habuit, & quo potuit favore ubique Reipublicæ *Venetæ* præsto fuit. Propter quod Senatus *Venetus* eum in patritium delegit, & *Veneta* civitate donavit, & cunctis bonis, quibus *Carrariensis* princeps eum spoliaverat, in reconciliatione, ex conditionibus pacis (ut par erat) in pristinum restituendum curavit: anno Domini M. CCC. LXXX. Audio hujus posteros adhuc in *Creta* insula *Græciæ* clarissima *Venetorum* colonia inter cæteros *Venetos* patritios ditissimos esse, & maxime florere.

De Jacobo Sanguinacio, & Joannino, & Baptista, & Francisco *filiis*.

Ejusdem fidei proposito erga *Venetos* fuit & *Jacobus Sanguinacius*, equestri dignitate clarus, eo bello, quo rex *Ungariæ* junctis armis cum *Carrariensi* principe in Rempublicam *Venetam* conspirarat: qui cum & ipse ad *Venetos* defecisset *Carrariensium* tyrannidem exosus, insidiis comprehensus, *Carrariensis* principis jussu capitis damnatus est, cujus necem *Joanninus*, & *Baptista*, & *Franciscus* filii haud multo post gloriosissime ulti sunt. Nam cum *Francisco Carrariensi* juniore à *Venetis* profligato, *Patavium* diu obsessum caperetur, hi quingentorum militum manu collecta, præsto fuere, & primi urbem ingressi sunt per portam *S. Crucis* cum maximo plausu civitatis. Quare *Venetus* Senatus urbe potitus, hos patriæ redditos, prædiis & facultatibus pristinis restitui, ac aliis etiam majoribus locupletari voluit: M.CCCC.V. Postmodum vero *Joanninus* à Senatu copiarum dux factus contra *Ungariæ* regem, dum transire *Forumjulium* cum maximo exercitu parat, & impedire regis transitum, magno ausu viribusque contendit: numero hostium oppressus acerrime pugnans, confossus multis vulneribus, gloriose in armis occubuit. Idem ferme accidit & *Francisco Sanguinacio*, quem Senatus *Venetus* misit in montes *Grestæ* & *Brentanici* cum maxima militum manu: qui dum ea loca ex audacia animi incautius speculatur, & nullum periculum pro communi exercitus salute incolumitateque recusans, tormento ictus repente concidit. Taceo *Hilarium* alterum insignem equitem, qui nostra ætate floruit, & à Senatu præfectus mille & quingentis peditibus *Patavinis* missus est in *Forumjulium* contra *Turcas*: ubi quo minus hostilis immanitas coerceretur, per hunc non stetit, sed Deus propter peccata populi adversa evenire permisit. Is itaque ubi hostis abducto maximo captivorum numero, & multa cæde patrata abscesserat, in patriam incolumis ad suos non sine laude revertitur. Taceo præclarum equitem *Scipionem*, & postremo virum insignem *Alexandrum Sanguinacium*, qui postea à Senatu *Veneto* in *Græciam* cum militum præsidio missus, *Fameaugustæ* graviori morbo implicitus, magno patrum dolore interiit.

DE PERAGHINIS.

De Petro *Comite* Peraghæ & Philippo *cum aliis ex ea familia.*

Petrus vir clarissimus ex nobili stirpe *Valvasorum*, tum divitiis, tum propria virtute factus est ab imperatore *Peraghæ* comes, cum vitæ necisque imperio. Qui cum in *Patavina* Republica pene princeps esset, prævidens *Acciolini* immanis monstri rabiem, tempestive ante oppressionem libertatis, relicta patria *Venetias* migravit: ubi postmodum nunquam destitit obnixe extorres ac principes rogare, & præsertim summum pontificem, & *Venetos* patres, quousque sapientissimis suis consiliis, ac etiam armis patria fuit à sævissima *Acciolini* tyrannide liberata. Huic filia unica fuit *Balzanella* nomine, quæ nupsit nobilissimo juveni *Marino Baduario* patritio *Veneto*. Erat enim *Baduarii* insignis familia *Venetiis*, diu antea *Patavinis* admodum & semper amica. Nam 317
Joannes Baduarius, cum civitas libera esset, *Patavii* Prætorem egit. Sic & *Stephanus Baduarius* æquissimus Prætor rexit aliquando Rempublicam & ædificavit castrum *Cittadellæ*. Cum ergo *Marinus* magnis inde prædiis ditatus fuisset, civis noster factus est, & longa posteritate ejus progenies multos annos *Patavium* incoluit. Hinc ex *Balzanella* natus est *Philippus*, qui postea cum posteritate dictus est *Peraghinus* Reipublicæ amantissimus, cujus posteri *Carrariensibus* dominis, usque quo regnarunt, semper conjunctissimi fuere, domi militiæque strenui. Ædes horum extant adhuc apud *S. Sophiam* vetustissimæ. Ex ea prole natus est *Bonaventura* Cardinalis, & *Semblantes*, Eremitani ambo theologi insignes, de quibus supra suo loco satis dictum est. Et alii permulti generosissimi cives, & milites illustres. Sed ut ad *Philippum* revertamur, is authoritate & subsidio Reipublicæ *Patavinæ* ædificavit arcem munitissimam *Mirani*, anno sal. M.CCC.XXV. Idque concessum ei fuerat pro compensatione incendii, quando *Jacobus Carrariensis* totam *Peraghæm* & *Vigonciam* ei vicinam incendi jusserat, an. sal. M.CCC.XIX. ne comes *Goritiæ*, qui tunc veniebat in *Canis Scaligeri* auxilium, haberet ubi juxta *Patavium* commode morari posset, & ex ea parte circumquaque totum agrum depopulari. Castrum vero *Mirani* totum post mortem *Philippi*, anno M.CCC.XXXI. die VI. Februarii dirutum fuit, præter arcem, quæ adhuc stat.

De Joanne Peraghino.

Floruerunt autem ex hac progenie *Patavii* aliquandiu in armis viri illustres, hic à nobis merito celebrandi: inter quos nitet celeberrima fama

fama *Joannis Peraghini*, multis legationibus, atque armis, domi militiæque insignis: qui in vico *Sambrusono*, cum esset à *Carrariensi* principe illi custodiæ præfectus, cum parva militum manu conflixit cum præcipuo copiarum *Venetarum* duce *Nicolao Galerano*, qui ex oppido *Mestro* egressus, agrum *Patavinum* miserrime depopulabatur. Sæpius quidem & acriter illic consertis manibus, utrinque pugnatum est: sed tandem inclinata ad se victoria, *Galeranus* dux capitur, reliqui vero milites palantes à rusticis in ultionem incendiorum & depopulationis, quam sine ulla pietate patraverant, ultra ducentos & quinquaginta sine ulla misericordia trucidati sunt. Dux vero ipse cum magno numero captivorum *Patavinorum* in triumphi speciem ductus, maximo gaudio totius civitatis, à cunctis ordinibus ad urbis portam, magnis populi acclamationibus excipitur. Is deinceps in universa *Italia* inter primos duces sui temporis, tum armorum peritia in bello, tum fide in patriam, tum etiam animi & corporis robore in præliis, alter *Achilles Patavinus* habitus est. Anno tandem sal. M.CCC.LXXIV. maximis bellorum laboribus afflictus, incidit in pestiferam febrem, ex qua, acceptis de more expiationibus Christianis, brevi religiosissime mortuus est Et cum liberis careret, *Joannem*, & *Hieremiam*, & *Peraghinum*, & *Jacobinum* nepotes suos, sibi hæredes & successores instituit, omnibusque debitoribus suis, quicquid deberent, condonavit: quorum nomina sexaginta librarum millia excessisse dicuntur. Elatus vero maxima funeris pompa, & regio magis quam privato more in æde Eremitarum in sacello & sepulchro suorum conditur.

De Marino & Peraghino.

Celebres quoque ex hac familia fuerunt, *Peraghinus* & *Marinus* qui postmodum instante bello *Venetorum* contra *Carrarienses*, cum venissent in suspicionem partis adversæ, ambo una cum *Zanino*, & *Baptista*, & *Francisco Sanguinaciis*, & *Nicolao Lazara*, ad *Venetos* transierunt: qui postmodum in oppugnatione urbis intra mœnia cum vexillo populi *Patavini* magno conatu irruperunt primi: qua pugna *Marinus* transfixo genu sagitta acriter vulneratus interiit, sepultusque est intra marmoreum sepulchrum *Jacobini* in Basilica Eremitarum in gentilitio sacello, ubi legitur hoc epitaphium:

318 *Laudibus insignis Jacobinus vivere dignus,*
Occubuit strage febris, de stirpe Peraghæ.
Hanc tibi jacturam gnato Baduaria duram
Progenies sentis, Venetæ clarissima gentis.
Cum quater denos post Christum mille trecenos
Duceret in Tauro sol annos, purior auro.

Marini & *Peraghini* hæredes postmodum *Patavio* relicto *Venetiis* incolentes, rursum cum *Baduariis Venetis Baduarii* dicti sunt, cessavitque post transmigrationem *Peraghæ* cognomen. Fuit tamen (ut audio) *Jacobinus* alter dictus *Peraghinus* suo tempore, & ipse apud *Carrarienses* fama & nominis celebritate insignis, qui *Cartularius* appellatus est: à quo cæteri deinceps, qui ex hujus stirpe orti sunt, *Cartularii de Peragha* nominati: de quibus supra suo loco dictum est.

De Andrea Dente, & Limizzone, & Linguacio *ex eadem gente.*

Celebratur in *Patavinis* annalibus præclarissimi nominis vir *Andreas Dens* Comes *Placiolæ*, juxta *Cartorium Cittadellani* agri vici, quæ arx erat olim ad ripas *Medoaci:* nunc autem ex alluvione amnis penitus dirupta est, parvo sui vestigio derelicto. Huic duo fuerunt filii, *Limizzo* scilicet & *Linguacius:* à quibus postmodum qui successerunt, alii *Limizzii* cognominati sunt, alii *Linguivacii.* Hi acriter contenderunt cum nobilibus *de Ponte Patavinis*, ut *B. Antonii* Confessoris defuncti corpus ex arcella veteri, ubi erat extra portam *Caudælongæ*, deferretur intra mœnia ad Basilicam propinquam D. *Jacobi Molinarii.* Vicit tandem sanior pars civitatis, & sedata contentione, omnium consensu delatum est beati viri corpus ad vicum *Rutenæ*, atque ibi in parvo quodam sacello *D. Mariæ* olim dicato feliciter collocatur: ubi nunc præclarissimum templum, & ædificium ingentis magnitudinis conspicitur: & *Fransciscanæ* religionis monasterium speciosissimum.

De Guilielmo Dente, & Paulo *ejus fratre.*

Ex hac quoque gente fuit vir magnus *Guilielmus Linguacius*, cognomento *Limizzo:* qui mille libris emit pagum Comitis *Beroaldi Vicentini*, ab *Henrico Scrovinio* suæ uxoris fratre. Is autem interfectus fuit ab *Ubertino Carrariensi* ob zelotypiam scorti, ad quod uterque accedebat. Ex qua cæde orta sunt postmodum maxima odia, & perniciosissima dissensio, inter utramque familiam. Nam *Paulus Dens* nolens cædem *Guilielmi* fratris inultam fore, collecta multorum cognatorum atque amicorum manu, excitavit maximum tumultum in medio foro adversus *Carrariensem* ubi atroci certamine, pene ad internecionem *Carrariensium* atque simul *Dentium* pugnatum est. Sed tandem *Carrariensis*, aliquot occisis, & compluribus vulneratis victor extitit: anno salutis humanæ M.CCC.XXV.

De Vitaliano Limizzone.

Nihilo minoris famæ claruit ex eadem familia *Vitalianus Limizzo* seu *Dens*, nobilis miles, fidei & constantiæ erga patriam præstantissimus qui cum præsidio aliquando *Vicentiam* missus esset, ita strenue sese habuit, ut singulari quadam ingenii dexteritate, *Vicentinos* non satis pacatos, ita in fide tenuerit, ut, quoad ille vixit, ausi non sint ulla ratione vel causa à *Patavinorum* fide desciscere. Atqui postmodum eo mortuo quasi omni patrocinio privati, paulo post à Republica defecerunt. Is à *Dante Aldigerio* poëta in inferno inter usurarios, ob multas à se fortasse male partas divitias numeratur: & socius additur *Reginaldo Scrovinio*, acerbissime apud inferos perpetuo cruciandus.

DE LEONIIS. 319

De Paulo Leonio.

Addamus his & aliquot insignes viros, qui *Patavii Leoniam* familiam extulerunt: quorum primus *Paulus Leonius*, tantæ fuit existimationis apud *Jacobum Carrariensem* principem, ut eidem seipsum, & patrimonium, ac fere imperium totum dederit, solitus ei aliquando dicere: *Locupletare Paule dum per me licet: nam filii mei tua in me merita non agnoscent.*

De Francisco Leonio.

Nullo pacto prætereunda est hic & insignis rei militaris peritia, ac etiam præclara victoria *Francisci Leonii*, præclarissimi sub *Francisco Carrariensi* seniore tribuni: quam in finibus agri *Patavini* apud *Lugum* palustrem vicum adversus *Venetos* consecutus est. Nam cum eo *Veneti* lin-

tribus, & pluribus myoparonibus cum maximo militum numero adnavigassent, ut munimenta impedirent, quæ illic pro tutandis finibus à *Patavinis* tunc forte fiebant: non modo non adorientium vim repressit impetum, sed & fregit prorsus, & profligavit omnem exercitum, multis cæsis, & captis pluribus, quos mox *Patavium* cum magno triumpho victoriæ misit: & opus quod interea cœperat, consummavit: anno salutis humanæ M. CCC. LXXII.

De Checo Leonio.

Dux quoque copiarum maximus fuit ea tempestate *Checus Leonius*, militari disciplina, & gestorum gloria insignis: qui itidem sub *Francisco* seniore principe *Patavino* assiduus in omni ejus militia duxit ordines, & eidem in rebus difficillimis ultra cæteros intimus & fidelis semper fuit: utpote cui thesauros omnes suos expendendos & servandos commiserat. Hic tandem functus omnibus militiæ muneribus & clarus fama, obiit an. M. CCC. LXXXI. & in Basilica D. *Augustini* sepelitur in sacello, quod vivens sibi præparaverat, ubi legitur hoc epitaphium.

CLAVDITVR HIS TENEBRIS CHECVS, OLIM PHOEBVS OLYMPI,
ET SVA MENS REGNAT RADIIS OPVLENTA PER AVLAS.

De Luca Leonio.

Nihilo minori laude digna mihi videtur fuisse constantia & fides *Lucæ Leonii* erga *Franciscum Carrariensem* juniorem, quam *Checi* erga *Franciscum* seniorem: qui quidem nulla spe, nullis pollicitis allici unquam à *Venetis* potuit, qui *Patavium* tunc forte obsidebant, ut eis arcem *Montis Silicis*, cui præerat, clam & inconsulto principe traderet. Quocirca accepta à *Venetis* fide adeundi principem, *Patavium* profectus est: & ut erat summæ fidei vir, egit prius pro viribus ut *Carrariensis* Senatui *Veneto* sese submitteret, & urbem, & oppida, & seipsum denique ejus fidei ultro (cum esset benignissimus) commendaret. Quod cum nullis rationibus persuadere potuisset, reversus in arcem, decrevit potius illic fame mori, quam principi suo fidem fallere. Sed tandem combustis in arce per occultum proditorem omnibus munimentis, ita ut jam obsidionem diutius sustinere non posset, necessitate coactus, ut se militesque suos servaret, die quarto Septembris anno à partu Virginis millesimo quadringentesimoquinto, consentiente principe *Carrariensi*, ut eum interim salvum secum haberet, arcem *Venetis* dedit: inde securus abiens *Patavium* ingressus, paulo post admodum senex eodem anno mortuus est, & in sepulchro majorum honorificentissime conditus.

De Paulo Leonio *II.*

Magnis laudibus in cœlum fertur *Paulus Leonius II.* vir unus omnium in re militari sua ætate laudatissimus: qui à *Francisco Carrariensi* juniore militiæ universæ præfectus, ubique egregie sese habuit: & præsertim adversus *Mediola-*
320 *nenses*, qui sub mœnibus fere *Patavii*, ad locum, qui dicitur *Brentellæ*, cum inclinare primæ acies cœpissent, indignatus, medios in hostes dilapsus, hasta primum, mox stricto ense viam sibi aperuit ad ipsum hostium ductorem, quem post longum conflictum superatum tandem in suam redegit potestatem, & cum magno triumpho fusis fugatisque hostibus, opima spolia intra mœnia victor attulit. Nec minori gloria juxta *Veronam* vexillum, quod propriis humeris gestabat, urbis mœnibus primus affixit. Quamobrem post urbis ingressum, mox à *Carrariensi* principe insigni dignitate militiæ, in rei feliciter gestæ testimonium actutum decoravit. Atqui postea, fractis dissipatisque *Carrariensis* opibus, ab ipso postmodum *Mediolani* duce fama nominis accitus, inter duces & consiliarios suos primum locum meruit. Idem quoque ob egregias & animi & corporis dotes, à *Ruberto* Cæsare comitatus dignitate donatus est, & multis privilegiis honestatus. Similiter in *Galliam* profectus & in *Britanniam*, ab illis regibus militiæ honore decoratus est. Quin ob religionem in Deum, qua mirifice tenebatur, ut Christianum virum maxime decet, transivit in *Syriam*, ad visendum sacrosanctum Christi sepulchrum. Et denique à Senatu *Veneto* cum ex tota *Pannonia* ingens multitudo *Ungarorum* ad hæc nostra loca appropinquaret, unà cum *Pandulpho Malatesta* ad horum furores coërcendos missus est: cujus opera & consilio factum creditur, ut pax *Venetis*, post magnas belli impensas, & longos labores, facillime parta fuerit. Hinc *Venetis* ipsis postmodum tam charus fuit, ut conjugem ex *Superantia* gente inter patritios florentissima, quo arctius eum sibi copularent, collocandam curarent. Is tandem illustri fama rerum gestarum, & immensæ pietatis in Deum, ex mortali immortalis factus, transivit ad superos, & inter majores suos cum maxima funeris pompa, ab universis ordinibus elatus est, & elegantissima oratione à *Petro de Monte Veneto* præstantissimo oratore, amplissimis laudibus commendatus: quæ extat, & quam legi. Floruit circa annum Domini M. CCCC. XV.

De Daniele Leonio.

Laudatur pietas *Danielis Leonii*, viri nobilis, qui, ut virum sapientem decet, humanæ imbecillitatis memor, construi ac consecrari Deo fecit Delubrum in rure *Leonis*, ubi prædia ingentia possidebat, adscripta ei dote ad alendum residentem ibi perpetuo sacerdotem: effossaque in medio sacello terra, voluit ibidem sepeliri sub marmorea tabula, ubi insculptum est hoc epitaphium:

ANNIS MILLE DEI TERCENTVM SEPTVAGINTA OCTO, POST PARTVM VIRGINIS HIC OBIIT.
TVMQVE DIES MENSIS VIGINTI CVM DARET OCTO
AVGVSTI SOLITIS LEGIBVS ORDO FLVENS,
PROGENITI CLARA DANIELIS STIRPE LEONIS
TERREA PARS TVMVLO CONDITVR, ALMA POLO.

De Hieronymo Leonio.

Præstans virtus, & singularis comitas, & bonarum literarum scientia *Hieronymi Leonii* comitis, & equestris ordinis illustris viri, & doctissimi philosophi, hoc loco nullatenus reticeri jure possunt: qui cum inter cives suos nobilitate, divitiis & honoribus excelleret, unus interim tamen super omnes humanus, mitis, probus & liberalis semper est habitus: infensus nemini, gratus omnibus. Atqui id ei cum multis *Patavinis* commune fuit: sed hoc ei hac tempestate singulare & proprium, quod dum privatus in patria civis ageret, in oppido *Sanguineto*, & vitæ & necis regiam habuerit potestatem: cui tali tantaque modestia & æquitate præfuit, tantaque id justitia rexit, ut omnes oppidani illius obitum eo mœrore sint prosecuti, quo filii parentem. Verum dum eum ereptum acerbissime conque-run-

runtur, unicum iis in tanto mœrore solatium fuit superstes Comes *Gentilis* ejus filius, patri quam simillimus ipse: ita ut nihil prorsus à paternis moribus degeneraret. Qui quidem cessit è vita heros noster *Leonius*, ætate adhuc viridis, sed religione, & pietate, & in Deum meritis maturus: anno D. M. D. LIII. mens. Decemb. & magnifice de more patriæ, ut tantum virum decebat, in æde *D. Bernardini* in majorum suorum sepulchro conditus.

321 ## DE BUZZACHARINIS.

De Arcuano Buzzacharino.

Post *Salionem Buzzacharinum*, qui (ut superius dictum est) in omni disciplinarum genere claruit, ex hac familia multi viri præclari, tam armis quam literis prodierunt: sed in primis in militaribus studiis inter præcipuos claruit *Arcuanus*, sive, ut rectius dicatur, *Herculanus Buzzacharinus:* utpote qui *Herculem* illum fortissimum, generositate animi, & armorum studiis (quantum in se fuit) semper est imitatus. Hic à principe *Carrariensi Francisco* seniore genero suo, factus copiarum dux, & imperator totius exercitus, multa præclara gessit, ac plurima bella confecit, & inter alia missus adversus *Venetos*, *Tarvisium* durissima obsidione vallavit. *Asulum* vero, *Anovale*, *Serravallum*, *Cornelianum*, aliaque oppida *Tarvisina* opulentissima in deditionem accepit. Nec interim priorem obsidionem urgere destitit, quousque *Veneti* necessitate coacti, *Leopoldo Austriæ* duci *Tarvisium* ipsum, ne in *Carrariensis* manus veniret, quem tunc maxime oderant, libere resignarunt. Qui cum ingenti *Germanorum* exercitu urbem ingressus, eam ab obsidione & à fame omnino liberavit, anno M. CCC. LXXXI. & ex quo defecerat à *Scalensibus* ad *Venetos* XLIII. Hic etiam *Romanum*, quondam *Acciolini* oppidum, tunc autem *Venetorum* pene inexpugnabile, tum viribus, tum armorum virtute & ingenio tandem cepit. Extat de obsidione *Anoalis* hujus quoque viri memoria in quodam lapide in pariete domus, è regione *D. Joannis* in Viridario: qui est medius inter sex alios ita insculptus.

Inscriptio.

HI LAPIDES SEPTEM ANOALIS A PONTE EGREGII
SUB MILITIS DOMINI ARCUANIDE BUZZACHARINIS
ARMIGERORUM MIHI IN OBSESSU MAGIS HEROIS
PATAVI FRANCISCI CARRARIENSIS, CAPITANEI
AUSPICIIS VI EDUCTI, HUICQUE MURO SIC LIGATI
TESTANTUR AD POSTEROS.
M. CCC. LXXXVII. die XVII. Aug.

De Ludovico Buzzacharino, & Ludovico Obicio.

In eodem bello sub eisdem principibus *Carrariensibus*, duces & tribuni, ejusdem nominis *Ludovici* duo fuerunt: alter *Buzzacharinus*, alter *Obicius*, æque in armis strenui, & rei bellicæ peritissimi. Iccirco me modo tanta inter eos sine ulla exceptione communitas suadet, hic quoque uno simul contextu utrunque referre, licet alterum altero eo bello feliciorem fuisse compertum sit. Nam ambo simul pari imperio ad tutandos fines missi adversus *Venetos*, *Obicius* ubi ad perferendum tam validum exercitum prævalere non posset, sensim se recepit in tutum. *Buzzacharinus* vero, cum pertinacius tanto in discrimine urgere propositum non desistit, superatus tandem *Venetias* captivus deducitur. Verum haud multo post, habita captivorum permutatione, una cum quibusdam aliis captivis in patriam rediit *Carrariensi* principi, uti antea charissimus, & in rebus arduis maximopere probatus.

De Francisco Buzzacharino.

Idem præstitit per id tempus, sed diverso prælio, *Franciscus Buzzacharinus*, qui positus ad custodiam castri *Carri*, ut hostibus transitum suis præsidiis impediret, per biduum continuam oppugnationem universi exercitus *Venetorum*, animose fortiterque sustinuit: tanta quidem animi constantia, & tanta corporis vi, ut ubicunque occurreret, hostis eum velut fulgur belli perterritus declinaret. Atqui tandem nullo constantis ducis aut fortissimi militis officio prætermisso, animo impavidus, consilio, viribus armisque conspicuus, munimentis tandem, & arce solo æquata, ab hoste capitur, &, ut in ejusmodi præliis evenire sæpe solet, commutatus paulo post suis à captivitate redditus est, & ab universa civitate magnis plausibus, & cum maximo gaudio receptus.

De Aloysio Buzzacharino. 322

Quid hic dicam de *Aloysio Buzzacharino* maximo *Venetorum* tribuno. Qui (ut legitur in *Venetorum* gestis) profectus cum exercitu in *Dalmatiam* ad expugnandum *Sibenicum*, quod tunc *Ungariæ* regi parebat, statim ut eo pervenerat, positis castris juxta littus maris, paulo post tentata viriliter oppugnatione, illud vi cepit, & *Veneti* Senatus ditioni subegit, anno incarnationis Domini M. CCCC. IX. Is etiam adversus eundem regem in *Forum Julii* dux copiarum factus, gloriose sese habuit. Quid vero præterea in reliqua vita aut morte gesserit, nihil certi hactenus habere certè potui.

De Aloysio II. Buzzacharino.

Sed quoniam de *Buzzacharinis* olim in militia claris, mentio est, haud ab re mihi facere videor, hic & alios *Buzzacharinos*, qui nostra hac ætate floruerunt, antiquis illis pariter commiscere: & in primis alterum *Aloysium Buzzacharinum*, qui præfectus arcis *Arimini* sub auspiciis *Malatestarum* principum, strenue sese gessit: & *Pauli Ciaschi* vices gerens, anno D. M. XXV. & *Clem.* VII. anno II. uti alter copiarum dux, sub auspiciis imperialibus ita gloriose sese habuit, ut ab exilio, pontificis munere in patriam fuerit restitutus: ubi relicta militia inter suos urbanis honoribus deditus, haud diutius postea moratus, obiit extremum diem, & conditus est in sepulchro suorum.

De Vincilao Buzzacharino.

Magni animi fuisse constat hac nostra ætate *Vincilaum Buzzacharinum*, virum fortem & animosum, & omnis prorsus timoris expertem. Is militiam secutus, eximiam ubique operam in armis præstitit. *Patavii* vero in hastilibus ludis ita strenue se gessit, ut ludorum primos honores cunctis applaudentibus tulerit: licet auri pretium *Aloysio Valdezuccho* honestæ rationis causa concesserit. De eo tunc *Franciscus Savonarola* hoc carmen lusit:

Mars

Mars artem, Neptunus equum, telumque Minerva,
Juppiter ingenium, Lemnius arma dedit.
Hinc nova militiæ surgit, nova gloria Martis:
Ecce Antenoridum Buzzacharinus honor.
Plaudite quod vicit, quamvis donaverit aurum
Hoc nihil est: hujus fama per astra volat.
Si quis in hunc hasta quærit concurrere, cedet,
Vincit ab auspicio nominis ille sui.

Verum cum is postmodum in civili discordia patrata cæde exul patriam reliquisset, & *Mediolani* honestatus magnis honoribus militiam sub auspiciis Cæsaris exerceret, à tergo per proditionem à sicario immaniter percussus, cæsis poplitibus, humi repente concidit, & effuso sanguine, statim moritur, honestoque ibi funere sepelitur.

De Bernardo Buzzacharino.

Exitus miserabilis *Bernardi Buzzacharini*, cogit me deflere hic patriæ jacturam, quam passa est ex immatura morte doctissimi juvenis: qui per carnisprivii licentiam, cum una cum sodalibus domi noctu luderet, & (ut fit) alter in alterum incursaret, accidit malo quodam fato, ut unus eorum, accepto ense ibi forte per tenebras invento, credens illum obtectum esse vagina, nescio quo infausto casu ludens, juvenem in-
323 felicissimum percussit: ex quo vulnere die tertio miserabiliter interiit. Hujus mors maximo luctu affecit totam civitatem, & præsertim matrem, & percussorem ipsum, qui tanto mœrore postea affectus est, ut per decem continuos annos, tandiu enim supervixit, nunquam amplius de more lætari visus sit, quod quem ob ejus virtutes, & assiduam consuetudinem, æque ac fratrem, & multo plus quam amicum coleret, ita temere occidisset. Hunc etiam unice dilexit *Ludovicus Gagliardus*, qui in defuncti monumento hoc mutuo amoris elogium in templo divi *Augustini* in gentilitio *Buzzacharinorum* sacello jussit insculpi.

Elogium.

BERNARDO BVZZACHARINO ADOLESCENTI, MVMANIORIBVS IN LITERIS, LIBERALIVMQVE ARTIVM STVDIIS, INGENIO ADMIRABILI: PRVDENTIA, TEMPERANTIA, CAETERISQVE ANIMI DOTIBVS ADMODVM PRAEDITO, AC NVLLI SVAE AETATIS SECVNDO, AMICA MANV MISERABILITER INTEREMPTO, LVDOVICVS DE GAGLIARDIS HOC AMORIS ET VERAE AMICITIAE TESTIMONIVM POSVIT. OBIIT ANNO DOM. M.D.XLI. DIE VII. MARTII, NATVS ANNOS XXVIII. MENSES X. DIES XXIV.

De Vincilao *secundo* & Pataro Buzzacharinis.

Floruere in militia ex *Buzzacharinis*, sub inclyto duce *Octavio Farnesio* in *Æmilia* proximis annis illustres tribuni, *Vincilaus* & *Patarus* fratres: qui diutina obsidione oppressi, fameque afflicti, pro fide servanda in *Corsica* insula, in oppido sancti *Florentii* inopia commeatus, comedere furfur marinis aquis dilutum coacti sunt. Atqui tandem soluti ex illis incommoditatibus incurabili morbo affecti, post paucos dies ambo defuncti sunt: alter *Parmæ*, alter in patria, maximo mœrore *Octavii* principis, cui fidi admodum fuerant: & matris in primis adhuc superstitis. Epitaphium autem *Vincilao Parmæ* appositum ejusmodi fertur:

A VINCILAO BVZZACHARINO PATAVINO GVID. F. NOBILITATE GENERIS, ET ARMORVM PRAESTANTIA ILLVSTRI, GRAVIBVS AT ASSIDVIS MILITIAE LABORIBVS EXTINCTO, OCTAVIVS FARNESIVS PARMAE PRINCEPS OB EXIMIAM EJVS IN ARMIS VIRTVTEM, FIDEIQVE CONSTANTIAM, HOC MONVMENTVM P. IDEM PATARO EJVS FRATRI BENE MERENTI, DOMI, MILITIAE, VITAE, MORTISQVE SOCIO INFRA TRIDVVM FACTVRVS, NISI ILLE IN PATRIAM REVERSVS AGNETI CAPILISTIAE INFELICISSIMAE MATRI, HOC OFFICIVM ATTVLISSET. VIXIT ANNIS XXXIX. OBIIT ANNO
B M.D.LIV.

De Guidone Anoalio. 324

Sed ab antiquis paulo digressi, rursum (ut res fert) ad alios reversi, de *Guidone Anoalio* referamus: qui cum *Vicentiæ* in curia *Acciolini* tyranni non in postremo loco foret, audita publica decollatione *Guilielmi Campi S. Petri*, sciens morem tyranni esse, ut adversæ partis sibi suspectos sustulisset, quæstiones propinquorum & amicorum eorum facere, atque in intimos familiaresque deinceps vehementer grassari. Quocirca ne & ipse unà eodem gladio paulo post cæderetur,
C qua ratione fugam arripere tuto posset, ita callide excogitavit. Nam cum esset jamjam capiendus, nec exire clam mœnia posset, *Zyramontem Acciolini* fratrem nothum, cui equum sciebat esse vænalem, adit, atque hunc dolose sterni sibi petit ad probandum: quod illico factum est. Mox ad experiendum equi cursum, extra portam urbis venditores cum equo se conferunt: quo ubi primum ventum est (hora erat quasi vespertina) *Guido* equum insiliens (ut erat equitandi peritus) vertens in gyrum equum, quatit calcibus paulatim excitans eum ad cursum: ubi aliquanto longius sese videt, concitato demum equo, laxatis-
D que penitus habenis, quanta potest vi, cursum arripit: & ita, deluso hoste, tota illa nocte fugiens in tutum sese recepit, & ab imminente nece, & à tyranno sese prudenter absolvit, anno Domini M.CC.LI. Hæc refert *Rolandinus* in suis annalibus.

De Aveduto Advocato.

At multo secius audax ex equo factum successit *Aveduto Advocato Patavino* ingentis spiritus viro: qui cum in castro *Brentæ* ab exercitu *Acciolini* tyranni diutius obsideretur, nec se ultra tueri posse speraret, equum ascendit, & armatus
E egressus solus magno impetu in hostes insultans, hasta viam sibi per medios hostes aperit, qua confracta, ense stricto obvios intrepide ferit: sed *Teutonum* turba vallatus, occiso equo, ubi aliquandiu pedes viriliter decertasset, misere circumventus, & ante, & à tergo mox capitur, simulque & arx ipsa mox deditur: *Patavium* deductus, impio *Theobaldi* prætoris judicio in gratiam nequissimi tyranni publice in foro obtruncatur, anno salutis humanæ M.CC.XL.

De Simone Plombiolo *alias* Agelfreto.

F Eruditio & sapientia *Simonis Plombioli* magis fortasse requirebat, ut is superius inter eruditos, quam hic inter fortes memoraretur. Fuit enim vir doctissimus, & amore sapientiæ non contentus patrio gymnasio, *Bononiam* ad perdiscendas leges profectus, ibi magna cum laude aliquot annos versatus est, & doctrinalibus infulis decoratus. Sed cum magis curiæ & foro ad consulendum quam scholis ad interpretandas leges idoneus haberetur, semper vel foris in aliqua lega-

legatione, vel in patria residens, Reipublicæ negotia constanter fideliterque consilio & sapientia procurabat. Quocirca hic eum potius in clarorum civium catalogo, quam superius in doctorum numero censui collocandum. Is igitur ob singularem justitiam, ac præclaram doctrinam, *Bononiam* bis accitus, gloriose ibi Prætorem bis egit. Quinetiam ita obsequiose *Acciolini* tyranni moribus sua se prudentia accommodare didicerat, ut tyrannus ei tantum fideret, quantum suorum necessariorum præterea nemini: quatenus eum præ cunctis ærario suo unum & in primis præfecerit. Verum quia fuerat prudentissimus, & (ut ajunt) omnium horarum, sublata tyrannide, suis ipse civibus, una cum cæteris patriæ libertati congratulatus, vixit in patria pacatissime, gratus & charus omnibus.

De Partenopæo Discalcio.

Non finit se hic tacitum pertransiri *Partenopæus Discalcius:* qui cum esset vir magnanimus, & in arte militari præstantissimus, qua nocte *Franciscus* junior furtim ingrediens patriam, *Patavium* recuperavit, illic cum centum ballistariis in ejus auxilium præsto fuit: & in campo Carmelitarum, pelle vituli, quem forte in cœ-
325 na ipsi manducaverant, vexilli loco (ut tempus ferebat) hastæ appensa. Quæ res principi & ad perterrefacienda subsidia *Galeatii* ducis, & ad excitandos civium animos ad capessenda arma, magnopere eo exemplo profuit. Is propterea, quoad vixit, & togatus in Republica & armatus in bello, semper & ubique illustris fuit: & principi summe gratus, & hostibus valde formidabilis.

De Petro Zabarella.

Nec prætereundum quoque censui hic *Petrum Zabarellam*, militia insignem: qui sub *Carrariensibus*, quandiu *Patavii* ditionem tenuerant, inter tribunos militum honestissimum locum tenuit, & subinde illis expulsis, sub Republica *Veneta* nihilo minore honore habitus, magna cum laude militiæ stipendia meruit. Is etiam hastilibus, sive equestribus ludis adeo strenuus fuit, ut in *Hispaniam* profectus (ut fertur) inde in maxima celebritate illustrium heroum honoris præmium, & laudis coronam reportarit: quo insigni facto nihilo magis patriam, quam universam *Italiam* obnoxiam sibi reddidit. Hanc quod *Patavinus*, illam vero quod *Italus* esse noscebatur. Hunc sepultum audio in sublimi tumulo prope *Antenoris* arcam juxta *D. Laurentii*.

DE VIGONCIIS.

De Archizelino, & Conrado, & Barisono de Vigoncia.

Ab *Archizelino* nobilem *Vigonciæ* familiam claruisse satis constat: qui cum esset prudentissimus, simulavit amicitiam cum *Anseclisio Acciolini* tyranni vicario, nihilo mitiore, nec amiciore nobilibus *Patavinis*, quam immanissimo ipso tyranno: qua sane ratione in tantis malis ab omni angustia tyrannica cum paucis unà cum tota familia sua immunis fuit. Huic fuerunt duo generosissimi filii. *Barisonus* & *Conradus*. *Barisonus* autem (ut fit, quia juxta illud, *Fratrum quoque gratia rara est*) à fratre dissentiens, ubi luxu, alea & nimia prodigalitate omne patrimonium decoxerat, militiam secutus, à *Patriarcha Aquilejensi* inter primos tribunos connumeratus est, & ab eodem stipendiis militaribus, & largis muneribus postea ditatus. Ab hoc autem nobiles *Barisoni* cognomen accepere. Cæterum nescio qua ratione contigerit, ut ii, quibus *Vigonciæ* nomen mansit, *Vigonciæ* vicum, prædiaque *Barisonis* concesserint: qui quidem sicut nec nomen, ita nec insigne *Vigonciæ* familiæ retinent, licet *Vigonciæ* prædia soli possideant.

De Conrado de Vigoncia II.

Fuit autem & alter *Conradus de Vigoncia* nepos superioris *Conradi* vir militaris, & militiæ honoribus præstans, atque duorum castrorum dominus: *Corani* scilicet, & *Vighizzolli*. Is *Canis Scalensis* partes secutus, *Vighizzollum* qua valuit arte, munivit, ubi se cum aliis exulibus, & proscriptis civibus continebat: qui quidem sæpe inde exeuntes agros circumquaque diripientes, *Arquadum* vicum pulcherrimum prius direptum, injecto multis in locis igne etiam combusserunt: anno salutis humanæ M.CCC.XXII. Neque enim is æquo animo ferre poterat, quod esset, prout ipse arbitrabatur, injuste à patria relegatus, eo quod in seditione civili, quæ à *Paulo Dente* concitata fuerat, contra *Carrarienses* ei pugnæ interfuisset: quandoquidem non contra patriam, sed contra seditiosos arma sumpsisset, & non ad inferendam vim, sed pro tollenda potius seditione certasset. Quamobrem his injuriis permotus, ex *Vighizzollo* castro suo valde munito, agros vicinos percurrens, magnas undique prædas agebat. Atqui tandem à *Patavinis* vi & armis inde ejectus, præ ferocitate animi quiescere non va- 326
lens, ingreditur arcem *Coraniam*, quæ est in finibus *Venetorum*: ea nunc dicitur *Delcorame*. Inde etiam cum quibusdam exulibus hostiliter in pagos propinquos eodem modo prædabundus percurrens, publice palamque sese hostem patriæ profitetur: sperans (ut erat animi audacis) agrestes & incolas undique ex illis finibus allectos, prædandi licentia ad se concursuros: atque ita collecta sibi sceleratorum manu, & interceptis commeatibus, se in patriam facile eadem, qua fuerat expulsus seditione rediturum. Sed longe aliter paulo post misero sibi evenit, quam putarat. Rustici enim copiis ejus pollicitisque diffidentes, in fide pro patria permanserunt. Atqui *Patavini* indigne ferentes tantam hujus audaciam, miserunt *Nicolaum Carrariensem*, virum in armis strenuum, & scientiæ militaris maxime peritum, cum satis justo exercitu ad cohibendam hostilem hominis audaciam, & ad comprimendos ejusmodi temerarios conatus, antequam longius coalescerent. Aggressus itaque turrim eam militum corona circundat: & tandem vi multa, & valido impetu munimenta irrumpens, occisis multis, & captis pluribus, & plerisque etiam, dum effugere sperant, in imo fossarum fundo demersis, arcem *Coraniam* vi capit. Qui capti fuerant *Patavium* pertracti, uti patriæ rebelles & hostes morti adjudicati, omnes ad unum laqueo necantur. *Conradus* vero propter generis nobilitatem, & militiæ honorem, *Patavii* intra prætorium capite plectitur, omnibus collachrymantibus, & humanarum rerum inconstantiam, & adversam viri potentis fortunam miserantibus: & præter cæteros vel in primis *Carrariensibus*, quibus fuerat aliquando ob altitudinem animi perquam familiaris & gratus. Hujus funus magna civium frequentia fuit celebratum, & corpus ejus in templo divi *Antonii* Confessoris in sepulchro suorum honorifice tumulatum.

De Alberto Roberto.

Addendus est iis *Albertus Robertus*, bellator fortis, & tribunus militaris rei bellicæ egre-

gie peritus: qui sub principibus *Carrariensibus* illustris copiarum dux fuit, & in magnis & arduis rebus iis valde probatus. *Ziliolam* is *Francisci Carrariensis* junioris filiam *Nicolao Estensi* desponsatam, & suæ fidei commissam, *Ferrariam* deduxit. Is quoque postmodum in hastilibus ludis, qui in nuptiis *Jacobi III. Carrariensis* celebrati fuerunt, quo præclarissimi quique *Italiæ* principes ad spectaculum, & plerique armati concurrerant, honorem ludorum, & certaminis pretium cum ingenti gloria, & applausu universorum ordinum consecutus est. Anno dominicæ incarnationis M.CCCC.III. pridie idus Februarias. Idem quoque cum CCCC. equitibus cataphractis missus in *Insubriam* adversus *Mediolanensium* ducem, cœpit *Laudam*, & restituit eam *Joannino Vignali*, quem ex cive *Laudensi* principem fecit. Egit itidem de aliis multis extorribus, in suas patrias restitutis. Quocirca summa cum gloria ac triumpho *Patavium* ad suos reversus est.

De Jacobo Panico.

Præclarissimum plane factum & maxime memorabile fuit *Jacobi Panici* viri ex nobilissima Comitum de *Pannico* familia geniti: qui cum tempore obsidionis *Patavinæ* esset præfectus arcis *Plebissacci*, tanto animi robore pollebat, ut cum jam pridem totius *Plebatus* ager subjectus *Venetorum* imperiis pareret, & reliqua omnia municipia *Patavina* à *Carrariensi* principe ad Senatum *Venetum* defecissent, nunquam tamen aut aliqua spe præmiorum, aut minarum trepidatione induci potuit, ut arcis deditionem *Venetis* faceret. Atqui tandem capta urbe, ipse ultro postea Senatui *Veneto* sese dedit: à quo (ut par erat) & laudatus, & honoribus auctus recessit.

De Paganino Sala.

Paganinus Sala vir nobilis ac sapiens, per hæc ipsa tempora apud principem *Carrariensem* in maxima fuit existimatione, & primus à consiliis. Is missus legatus ad *Leopoldum Austriæ* ducem, &
327 *Tarvisii* dominum, pro componendis rebus, & pro bello sedando, quod cum *Carrariensi* principe occasione *Tarvisii*, in *Venetorum* societatem acceptus susceperat: cum esset facundissimus orator, & multa prudentia præditus, talem operam in ea legatione præstitit, ut pacem fieri æquis conditionibus brevi temporis spatio impetraverit. Fecit enim ut *Tarvisium* esset *Francisco Carrariensi* & pro impensis *Austriæ* duci solveret centum millia aureorum. Et sic legatus *Patavinus* cum maximo comitatu (ut res tanta poscebat) nomine *Carrariensis* principis *Tarvisium* acceptis de more portarum clavibus ingreditur, & *Franciscus* senior urbe diu desiderata, & tandiu acriter oppugnata, pacifice, & absque ullo tumultu potitur. Anno M.CCC.LXXXI. Idem vero dux paulo post, *Civitale* & *Feltrum* pro quinquaginta millibus aureis eidem principi, præcipua *Paganini* opera & authoritate concessit. Alia præterea multa præclara gessit *Paganinus*, propter quæ in magna ubique existimatione semper fuit: sed nihil æque præclarum ac tanta laude dignum, quam quod tam concupitam à cunctis pacem attulerit suo studio utrique civitati: *Patavinæ* scilicet & *Tarvisinæ*, quæ longo bello æque affligebantur. Nec id minus præclarum, quod & *Civitale* & *Feltrum Italicas* urbes, è manu barbarorum ereptas, absque ulla cæde *Italico* principi reddiderit: qui adiri sine interprete posset, & suas quisque fortunas deinceps, tuto & pacifice possidere. Quod jam diu ob diuturnos bellorum tumultus, & depopulationes hostiles, facere nemo poterat.

De Gagliardo Cittadella, & Hieronymo Gagliardo.

Carrariensibus quoque amicissimus fuit *Gagliardus Cittadella*, vir præclarus: qui cum & armis & consilio in re militari longe præstaret, Comitis *Carrariensis* præcipuus tribunus fuit, & inter primos unus omnium semper habitus: quippe cui in omnibus militiæ rebus ita deferret, ut nunquam fere ardui quicquam sine ejus opera consilioque perageret: usque adeo, ut quicquid præclare ille gesserit, eum sicuti periculi & gloriæ socium, & participem semper habuerit: ex quo evasit celeberrimus, & multi nominis, & ubique in tota *Italia* præclarus. Ab hujus postea nomine, nobilis & antiqua *Gagliardorum* familia: nam quæ *Cittadella* antea dicebatur, deinceps ob eximiam præstantissimi viri famam in hunc diem *Gagliardum* cognomen suscepit: ex qua multi insignes viri hactenus prodiere: uti *Galeacius Gagliardus*, quem in armis aliquando præstitisse nos adhuc adolescentes novimus: & qui magno huic familiæ decori & ornamento nuper fuerat *Hieronymus Gagliardus*, *Urbini* ducis, & copiarum *Venetorum* imperatoris antesignanus, & vexillifer. Erat enim procera statura, & ut corporis, ita altitudine animi, & robore virium præstantiss. & ad militiam ipsam, & labores militiæ perferendos natus. Cæterum adhuc ætate virens extra omnium expectationem gravi morbo perplexus, non immemor pristinæ generositatis, hanc vitam pie Christianeque reliquit. Nam accito sacerdote, peccata sua confessus est, &, acceptis de more sacramentis, astantibus consanguineis, & uxori forti animo vale dicens, paulo post expiravit. Anno Domini M.D.LII. & celebri funere cum suis majoribus conditus.

De Nicolao Musato *Canonico*.

Immortali memoria dignum mihi profecto visum est audax facinus, & intrepidi animi constantia *Nicolai Musati* Canonici nostri *Patavini* & civis præstantissimi. Nam dum patria à *Venetorum* exercitu cincta, & peste & fame undique gravissime premeretur, ut pati diutius nullatenus obsidionem valeret, & populus de deditione ubique mussitaret, sed nemo palam hiscere, & id ad principem deferre audebat: is unus tandem inventus est, qui Dei amore, & pio affectu in patriam, in frequenti civium conventu dum esset, paulo progressus à turba, in conspectu principis precatus prius dicendi veniam, qua potuit modestia, cœpit ex ore omnium enixe principem rogare, & obsecrare, & dicere, ne ulterius tam afflicti populi patientia abuti vellet: satis diu pugnatum esse, & innumeros pene cives, partim fame, partim peste, aut ferro aut fuga sublatos: reliquos vero perturbatos, & tributis, & vectigalibus oppressos, jam omni spe salutis expertes, aut fugam parare, aut deditionem me- 328
ditari: quod ei ex tacito singulorum vultu, ac suspiriis, & lachrymis circumstantium satis constare posset, atque id à se uno, voce dici, quod omnes facere mente cogitant, quando id fieri cogat extrema necessitas: superesse adhuc tempus ei, quo & suis & sibi minori quam possit incommodo consulat, hanc esse Dei optimi maximi voluntatem, cui in tanto rerum discrimine cedere, pium admodum, & Christiani principis opus esse, sicut & sapientis est opportune necessitati parere. *Carrariensis* autem præ iracundia & dolore animi vehementer commotus, ac vix sui compos, ad eam rem nihil respondit: sed acerrime comminatus, ejusmodi monitorem multis ver-

verborum contumeliis affectum, & conviciis acribus impetitum, repente è conſpectu ſuo abire præcepit. Veritus namque tumultum populi fluctuantis in eum immanius quicquam jubere, aut moliri quippiam fœdius, auſus non eſt. Verum poſtea neque dies, neque nox, neque ulla hora quieta fuit, neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori ſatis fidere, cives juxta ut hoſtes formidare, circumſpectare omnia, & ad omnem ſtrepitum ac motum palleſcere. Quare cœpit exinde valde perterritus magis magiſque tacitus meditari ſecum, quo pacto urbis deditionem, honeſtiori quapiam conditione *Venetis* faceret: ſed nihil infeliciſſimo principi ex ſententia aut voto ſucceſſit, niſi fortaſſe mors, quam ſæpius optare incaſſum miſeri ſolent.

DE GROMPIS.

De Petro Grompo.

In hac héroum ſerie non cenſui *Petrum Grompum* ſtrenuiſſimum militem omnino prætermittendum eſſe ſilentio, ac ſine aliquo inſignis facinoris elogio præterire. Is enim *Franciſco Carrarienſi* in urbem, unde ejectus fuerat, redeunti cum magna agreſtium virorum manu obvius factus, ſubter pontem *Bovetæ* prope ædem divi *Jacobi* irrumpens primus cum eo mœnia ingreſſus eſt, primuſque cum ſuis diſcurrens uſque ad Eremitanos magnis clamoribus undique populum illius regionis ad arma concitavit: & ita denique magno impetu, fractis valvis vicinæ portæ, effuſa undique urbana multitudine, in auxilium principis egredientis procurrit in forum, & mox inde perterrito ac fugato ducis *Mediolanenſis* præſidio, & in arcem concluſo, totam urbem libere peragravit, quæ eo die de manu hoſtium incredibili celeritate erepta tota reverſo principi præter arcem patuit: ſed & hæc paulo poſt eadem felicitate, & *Grompi* & aliorum civium virtute in deditionem recepta eſt. Poſtea autem, parta ſic feliciter victoria, ob operam in ea re optime navatam, publice in maxima populi frequentia, *Petrus Grompus* unà cum *Rodulpho Carrarienſi*, & *Mapheo Caſtelnovo*, ac *Ricardo Valvaſorio*, & aliis cum ſumma pompa, honore glorioſæ militiæ ſimul decorati ſunt, & multis muneribus & immunitatibus donati.

De Ubertino Grompo.

Huic frater fuit *Ubertinus*: qui cum eſſet vir ſtrenuus, & prudentiæ ſingularis, electus eſt primus prætor *Annovalis* oppidi *Tarviſini*, anno ſalutis circiter M.CCC.LXXXI. quo illud à *Venetis* ad *Carrarienſes* defecerat: ubi ſtrenue ſeſe geſſit, & maximam inde laudem reportavit.

De Jacobo Grompo.

Addas ſuis hiſce gentilibus *Jacobum Grompum*, juvenem hac noſtra ætate inſignem, hoſtili manu miſerabiliter interemptum: qui licet inſigni animi virtute præditus fuerat, id tamen decus quod pollicebatur, ſi maturiorem conſecutus fuiſſet ætatem, tam paucis annis præſtare non potuit. De hoc *Franciſco Savonarola* hoc cecinit epitaphium:

329 HIC SITVS EST GROMPVS RAPTVS JUVENILIBVS ANNIS,
QVO FVIT EVGANEA NVLLVS IN VRBE PRIOR.
MORIBVS INGENIO, FORMA PRAESTANTIOR ALTER
NON ERAT: HOSTILES HVNC RAPVERE MANVS.

DE CARTORIIS.

De Guilielmo Cartorio.

Guilielmus Comes *Cartorii* vici olim celebris & frequentis, qui nunc aſſiduis alluvionibus amnis *Medoaci* ſeu *Brentæ* funditus disjectus eſt: vir fuit potens, ex nobili *Maltraverſorum* familia genus ducens, cujus majores cum *Bozza Noniano*, & Comitibus *Cortaroduli* de finibus contendentes, militaribus turmis invicem aliquando acriter certarunt. *Guilielmus* bis *Cartorium* reſtauravit: primo quidem anno ſalutis circiter M.CC. à *Veronenſibus* incenſum ac dirutum. Secundo à *Friderici* imperatoris militibus, qui in eodem vico pernoctarant, abſque ulla miſericordia devaſtatum, tanquam hoſtile oppidum combuſſerunt: & ſi tunc *Guilielmus*, *Acciolini* amicus & ſectator eſſet, & partes Cæſaris potiſſimum ſequeretur. Quin tantum odii adverſus *Cartorianos* conceperant barbari, ut (quod vix credibile videtur) cum ſupra cæteras nationes, quam dici poſſit, indulgentiſſime *Baccho* libent, & inebriari tam libenter ſoleant, vites tamen quaſcunque poterant, ipſis *Bacchi* munera impudenter inciderunt: incolas quoque ipſos occiſuri, niſi ſe aut celeri fuga ſubtraxiſſent, aut arce & latebris occultaſſent. Anno ſalutis humanæ M.CC.XXXVII. Fuit autem *Guilielmus* (ut dixi) ſemper in partibus *Acciolini*, ſed *Anſediſio* ejus in civitate vicario maxime inviſus: quia is delere prorſus nobilitatem *Patavinam*, & avide haurire miſerorum civium ſanguinem cupiebat: cujus ſententiæ *Guilielmus* prorſus adverſabatur. Propterea falſo majeſtatis, & perduellionis inſimulatus, ac comprehenſus in carcere animi dolore confectus miſer occubuit, annos natus LXX. *Gerardus* vero & *Acciolinus* ejus filii, una cum *Briſco* & *Vado* nobilibus viris de *Vigoncia* in foro uno eodemque die publice decollati ſunt: ex eo nimirum maxime ſuſpecti, quod eſſent *Daleſmaninis* ſanguine & arcta propinquitate conjuncti. Et ita miſer male fidens amicitiæ tyranni, extitit poſteris exemplum, quatenus ſit tyrannorum amicitia exoptanda, & eorum favoribus fidendum. Tunc ergo una cum *Guilielmo* deſtitit *Cartorii* principatus. Et ſubinde omne jus, à privato ad publicum in *Cittadellam* à Republica *Patavina* noviter conſtructam, tranſlatum eſt: à qua *Cartorium* quatuor millia paſſuum diſtat. Verumenimvero, & ſi in *Guilielmo* defecit omnis illius progenies maſculina, & omnis imperandi juriſdictio tunc ſublata fuit: manſit tamen adhuc ſtirps & cognatio *Cartoriorum*, ex qua ipſa noſtra *Scardeonia* familia defluxit, licet modo ſub alio cognomine vocitetur: quæ alluvione *Brentæ* domibus & prædiis fere ſpoliata eſt, & ad imum depreſſa. Legimus enim tempore *Alberti* ducis *Carinthiæ*, anno Domini M.CCC.XX. quando tota civitas luſtrata fuit, & omnis incolarum numerus recenſitus, *Anſidiſium Cartorium* habitaſſe *Patavii*, cui fuerant tres filii, *Ubertus*, ac *Petrus*, & *Jacobus*: à *Petro* autem *Matthæus* ortus eſt, & ex eo *Tiſo*, ex *Tiſone Bartholomæus*, nobis proavus, qui gentis noſtræ primus, abrogato *Cartorio* cognomine *Scardævonus* deinceps eſt appellatus: quod cognomen familiæ noſtræ in hunc diem perdurat, & hoc à piſce *Scarda*, qui in amne *Medoaco*, qui *Cartorium* interfluit, admodum raro capitur. Veruntamen Dei benignitate factum eſt, ut etſi nobile *Cartorii* cognomen defecit, prædia tamen quæ jam majores noſtri ibidem jam tot annos late poſſederant, nobis adhuc in tot bellorum turbinibus, & aſſiduis alluvionibus *Brentæ*, bona ex parte remanſerint, turri ipſi cohærentia: quæ ad-

adhuc bis demolita in fundo amnis aliquanto supra terram eminet. Hæc obiter nos de nobis pauca, prout hoc loco *Guilielmi Cartorii* commemoratio requirebat. Ipsum autem *Cartorii* nomen quam antiquum sit, saxum ingens vetustioribus
330 notis sculptum indicat, quod *Patavii* in nostris ædibus apud sanctum *Leonardum* conspicitur: & duo alia, quorum exempla hic inferius leguntur.

In nostris ædibus.

Sert. Ursatus. pag. 141. num. 2.

TI. CARTORIO.
TI. LANEROTI
CARTORIAE APTE
CARTORIVS SIBI
ET SVIS VIVOS
FECIT.

Patavii *in ædibus* Alexandri Bassiani.

Sert. Ursatus pag. 50. num. 1.

ACILLIA P. L. BASSIO
SIBI ET
T. CARTO SCIRTO
VXOR MARITO.

Visitur & in collibus *Euganeis* in monasterio *Prataleæ* antiquissimum saxum, hoc epitaphio incisum.

L: CARTORIVS P. F. FAB.
HIC SEPVLTVS EST.
HIC LOCVS PATET IN FR.
P. XX ET A MEDIA FORIS.
IN AGR. P. XXV. HVNC LV
CVM MONIMENTVM DIS
MANIBVS DO LEGOQ.

Antiquum *Cartoriorum* sepulchrum visitur in templo divi *Jacobi*, ad pontem *Molinarium*, ad parietem introrsum, in fronte ubi insigne scutum rubeum, linea intersectum alba. Ædes autem erant è regione cœmeterii Carmelitarum, juxta antiquam turrim, seu domum *Acciolini* tyranni.

De Rodulo Valvasorio.

Rodulum ex *Valvasoria* generosa progenie genitum *Fontaninæ* vici, & postea *Cartaroduli* comitem fuisse legimus: virum profecto insignem, & admodum divitem & liberalem. Is condidit sibi arcem in vico sanctæ *Mariæ Nonii*, juxta amnem *Medoacum*: ubi quidem, non ut privatus civis, sed ut princeps multos cujusvis ordinis homines ad se confluentes hilariter excipiebat, & laute suis facultatibus alebat. Unde factum est, ut ex illa magnificentia ædes ejus, non privata domus, ut reliquæ, sed per excellentiam curia *Roduli*, tanquam clarissimi principis diceretur.
331 Et ita vicus ille *Nonium* deinceps corrupto aliquantisper vocabulo, *Cortarodulum* dictus est: atque ejus propago postmodum *Cortarodula* nuncupata.

De Petro Cortarodulo.

Quo tempore *Patavina* civitas libera fuit, *Petrus Cortarodulus* vir magnæ existimationis, & multæ eloquentiæ factus est scriba maximus Reipublicæ: missusque legatus ad Senatum *Venetum* pro impetrando contra *Acciolinum* auxilio, qui sub nomine imperatoris urbis ditionem sibi subdole & perverso aucupabatur auspicio. Is admissus in Senatum, tanta facundia usus est, ut à clarissimis illis patribus facile quicquid petierat impetrarit. Id autem præcavens vafer *Acciolinus* decrevit, talem virum tantopere sibi infestum, è medio prorsus tollere: quocirca sicarios quos-

A dam *Venetias* usque transmisit, qui eum noctu ad hospitium redeuntem occulto occiderunt. Quæ cædes æque sibi, suisque ac patriæ fatalis admodum fuit, totamque civitatem *Patavinam* summo mœrore affecit, & omne illud Reipublicæ negotium vehementer perturbavit. Postmodum autem in hujus rei memoriam, pro tanti beneficii gratia, quod per eum non steterat, quin patria à tanto imminente discrimine servaretur, concessum fuit posteris ejus à collegio scribarum insigne draconis viridis alati gestandum: quod erat proprium illius collegii signum. Cæterum ejus posteri id nihil curantes, eo neglecto insi-
B gni, quod consueverant majores ferre, deinceps usi sunt, & adhuc utuntur.

DE DALESMANINIS.

De Manfredo Dalesmanino.

Manfredus Dalesmaninus, vir nobilis, & facultatum ditissimus fuit: qui dum *Vicentiæ* à patria Republica missus, prætorem ageret, egit sua prudentia, ut magna & diutina contentio de finibus sopiretur. De hac re extat *Vicentiæ* in marmorea tabula in turri sublimi hoc insi-
C gne elogium:

FEBRVS ERAT, CHRISTOQVE SVIS HYBERNA PRVINIS
TRANSIERAT NATO LVSTRA DVCENTA DECEM,
QVVM SEDATA FVIT PATAVI DISCORDIA LVCI
HOS INTER CIVES, ALTIGRADVMQVE PATREM.
DALISMANINA MANFREDVS ORIGINE CLARVS,
MENTE SENEX JVVENIS CORPORE RECTOR ERAT.
D DIGNVS AD IMPERIVM TOLLI, CVI PROVIDA TVRBA
JVRIS AMANS, CVLTRIX JVSTITIAEQVE FVIT.

De Artuso Dalesmanino.

Ex hac nobilissima familia, olim & ditissima, ortus est *Artusus*, vir clarus & locupletissimus: cui castrum fuerat munitissimum in vico *Noventæ*, charus civibus suis, & consilio, & prudentia cunctis maxime probatus. Is aliquando creatus proprætor, rexit sapienter civitatem. Verum postquam ad *Fridericum Suevum* cogno-
E mento *Barbarossa* tunc *Romanorum* Imperatorem *Patavium* defecit, & per eum in *Acciolini* potestatem devenit, cum iis qui ab *Acciolino* tyranno ob suspicionem comprehendi jussi fuerant, captus à nefario & sævissimo tyranno, ad mortem hac conditione damnatur, ut aut publice in foro, in prædonis morem dilaceraretur, salvo hæredibus censu, aut decollaretur more nobilium manifestatis pecuniis. In angustiis positus homo omnium miserrimus, quum omnino sibi moriendum foret, & alterum faciendum, atque extremum subeundum supplicium, addixit tyranno omnem thesaurum, ut aliquando mitiori mortis genere
F tolleretur.

De Dalesmanino. 332

Magnanimitas *Dalesmanini* junioris præclarissimi, & fortissimi viri hic reticenda non est: qui dum ulcisci *Speronellæ* sororis violentum stuprum parat, patriam primo, & deinde totam ferme *Venetiam* provinciam, unico facto suo ad libertatem restituit. Nam cum Comes *Paganus Friderici* primi *Romanorum* imperatoris *Patavii*

tavii vicem ageret, essetque improbitate barbara tam nobilibus quam plebeis maxime infensus: præsertim quod *Speronellam Dalesmaninam* virginem, forma & pudicitia spectabilem, tum vi, tum dolo è domo paterna turpiter ereptam, & in arcem *Pendisii* tractam, pro sua libidine, diu pro scorto habuit. *Dalesmaninus* autem qui huic antea fuerat amicissimus, occulto egit cum suis, & cum *Alberto Baonio*, & cum vicinis civitatibus, ut una omnes ab imperatore desciscerent, & uno eodemque tempore, unaquæque Respublica vicarios imperiales rejiceret: & ita factum est. *Paganus* id intelligens, *Patavio* relicto, *Pendisium* aufugit, ubi à *Patavinis* obsessus, cum careret alimentis, se dedidit, vita sibi tantum donata: & sic patria in libertatem restituta, consules rursum antiquo more creantur. Quid autem postmodum de ejus sorore factum fuerit, pluribus verbis prosequi non est necesse.

DE SCROVINIIS.

De Reginaldo & Henrico Scroviniis.

Quoniam de *Reginaldo Scrovinio* superius mentio facta est, locus postulare videtur, ut hic de eo aliquid dicamus. Fuit hic nobilis, & inter *Patavinos* ditissimus: qui (ut fertur) ob divitiarum copiam condidit in agro *Patavino Trambachicam* arcem munitissimam: ea nunc *Trambache* dicitur, cujus adhuc vestigia visuntur. Prædicatur à cunctis scriptoribus virum fuisse maxime hospitalem, & ob hospitalitatem clarissimorum virorum, quos frequenter hospitio benigne susceperat, fuisse in universa *Italia* fama notissimum, & celebratissimi ubique nominis. Eratque tam apud suos quam apud cæteros homo omnium gratissimus: quare cum vellet Deo quoque se gratum præstare ductus pœnitentia usurarum, quas nequiter contra jus fasque exegisse se noverat, *Romam* profectus est: & ut absolveretur ab eo reatu, summum Pontificem *Benedictum* olim amicum & hospitem adiit, à quo fuit amanter exceptus, & à peccato præscripta restitutione rite absolutus. Anno salutis M. CCC. VIII. Hunc tamen male absolutum voluit *Dantes Aldigerius*, eo quod ei parum amicus fortasse fuerat, quum (ut nuper dicebam) in suo opere eum cum *Vitaliano Limizzone* (ut dixi) in inferno dedecoris causa collocaverit. Hujus filius *Henricus Scrovinius* pietate ductus, pro eripienda patris anima à pœnis purgationis, & ad illius expianda peccata phanum pulcherrimum ædificavit in *Arena*, ubi olim theatrum, sed nunc infame meretricum lupanar, quod emerat à *Guilielmo Dalesmanino*: atque id nobilissimis picturis *Zoti* excellentissimi pictoris exornavit, & censu etiam abunde dotavit. Verum is postmodum ob suspicionem à patria relegatus, *Venetiis* obiit, & *Patavium* translatus, sepultus est in eadem, quam ipse construxerat Basilica. Anno salutis humanæ M. CCC. XXI. Visitur in sacrario ejusdem ædis marmorea illius statua, facie, habitu, & longitudine ei nequaquam dissimilis, visu sane pulcherrima. Ad aram vero majorem est speciosum atque magnificum sepulchrum in sublimi positum, cum hoc epitaphio:

HIC LOCVS ANTIQVVVS, DE NOMINE DICTVS ARENA,
NOBILIS ARA DEO FIT MVLTO NVMINE PLENA.
SIC AETERNA VICES VARIAT DIVINA POTESTAS,
VT LOCA PLENA MALIS, IN RES CONVERTAT HONESTAS.
ECCE DOMVS GENTIS FVERAT, QVAE MAXIMA DIRAE,
DIRVTA CONSTRVITVR PER MVLTOS VENDITA MIRE.
QVI LVXVM VITAE PER TEMPORA LAETA SECVTI,
DIMISSIS OPIBVS, REMANENT SINE NOMINE MVTI.
SED DE SCROVEGNIS HENRICVS MILES HONESTVM 333
CONSERVAT ANIMVM, FACIT HIC VENERABILE FESTVM.
NANQVE DEI MATRI TEMPLVM SOLENNE DICARI
FECIT, VT AETERNA POSSIT MERCEDE BEARI.
SVCCESSIT VITIIS VIRTVS DIVINA PROPHANIS,
CAELICA TERRENIS, QVAE PRAESTANT GAVDIA VANIS.
CVM LOCVS ISTE DEO SOLENNI MORE DICATVR,
ANNORVM DOMINI TEMPVS TVNC TALE NOTATVR:
ANNIS MILLE TRIBVS TERCENTVM MARTIVS ALMAE
VIRGINIS IN FESTO CONJVNXERAT ORDINE PALMAE.

De Petro, & Henrico II. & Jacobo Scroviniis.

Celebratur quoque ex eadem familia *Petrus*, & *Henricus* alter, & *Jacobus Scrovinii Carrariensium* copiarum duces, viri strenui atque magnanimi: qui in gestis *Francisci Carrariensis* senioris summa cum laude memorantur. *Petri* vero extat elegans epitaphium, extra eandem Basilicam humi in marmorea tabula sculptum:

INCLYTA PROGENIES JACET HIC SCROVINIA, PETRVS
ARMIS, ATQVE ANIMIS, INTEGRITATE, FIDE:
DIGNAQVE JVNCTA VIRO EST ANTONIA CONJVGE TANTO,
CLARA QVIDEM FACIE, CLARIOR INGENIO.
DVXIT AMOR PARILI LONGO CONCORDITER AEVO,
CONJVNCTOS ET NVNC HAEC HABET VRNA DVOS.
HOC PATERIS, QVISQVE HVC SI LVMINA FLEXERIS, ORA
NVMEN, VT AMBORVM MOLLITER OSSA CVBENT.

Hæc *Scroviniorum* familia floruit aliquando *Patavii* & divitiis & honoribus: sed ob suspicionem novarum rerum reddita Senatui *Veneto* suspecta, & ex eo à patria relegata, abiens in *Cisalpinam Galliam*, ibi usque ad hunc diem (ut fertur) satis honeste & nomen familiæ, & propagati generis nobilitatem retinet.

De geminis fratribus Limineis.

Sicut maxima probitas, ita multos suamet insania notos posteris reddit. Orta est olim amens & delira contentio inter duos fratres ex Comitibus *Liminæ*, quæ de ipsis memoriam perpetuam posteris dereliquit, & quæ temere sub specie joci utrisque occasionem impiæ & inopinatæ necis miseris dedit. De hac ipsa familia dictum fuit supra, ubi de beato *Rainaldo* Abbate mentio facta est. Habuit autem familia hæc præ-

præter viros sanctos, de quibus ibi jam diximus, duos fratres, non magis locupletes, quam stolidos, ut in eorum exitu compertum est. Hæc autem relatio legentibus injucunda prorsus videri non debet, neque indigna, ut hic à nobis exempli gratia referatur, etsi tragœdiæ rectius, quam historiæ fortasse conveniat. Non enim præmeditatum scelus continet: sed quod majus est, mutuam duorum fratrum cædem, atque impiam & inopinatam necem ex stultitia per jocum ortam refert. Legimus itaque ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per æstatem ruri noctu post cœnam cum ambo sub dio in atrio domus de diversis rebus diversa inter se loquentes, starent, suspicientes & contemplantes innumeras stellas, quas tunc forte sereno cælo fulgere videbant: per jocum alterum velut ridendo dixisse, *Precari se*, *tot sibi boves esse*, *quot stellas fulgere conspiceret.* Alterum mox itidem per jocum respondisse, *Utinam mihi pratum esset instar cæli latum*: & ad fratrem conversum dixisse, *Ubi tuas pasceres boves.* At illum *in tuo prato*, dixisse. Rursum alterum, *si nollem? te etiam invito*, alterum respondisse. *Tu ne me invito*, inquit? *Te etiam invito* ille respondit. Et ita altercando risu in iram, & mox ira in rixam & in serium furorem converso, dum neuter alteri cedere vult, exertis utrinque gladiis, quibus forte ambo erant infeliciter accincti, se invicem transfixerunt. Et hinc unus, illinc alter humi decidentes, exanimes in suomet sanguine volutantur, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati, intra domum fatali hora properante extincti sunt.

334 DE MACHARUFFIS.

De Macharuffo *primo.*

Fuit item *Macharuffus* nobilis patritius *Patavinus* tam urbanorum, quam rusticorum prædiorum valde dives, & ultra cæteros cives pecuniis abundantius affluens: nominis vero celebritate, ac virtutum fama, illa ætate nulli secundus. Quocirca ab *Henrico* Cæsare IV. valde dilectus, & multis privilegiis & honoribus decoratus, hic duas munitissimas arces condidit: unam in monte *Barbarani*, qui agri *Vicentini* percelebris vicus est: alteram in monte *Buso* loco arduo juxta *Montemsilicem*, municipium *Patavinum.* Is cum requisitus à *Rainaldo* Marchione *Estensi* ejus filiam in uxorem ducere renuisset, eo quod altero pede claudicaret, haud multo post per occultos sicarios ab eo missos, miserabiliter occisus est: quasi maximo id ei probro fuisset, quod filiam ejus tam levi causa contempsisset. Verum eo scelere postea detecto, *Rainaldus* à *Patavinis* biennium *Veronam* relegatus est: sicarii vero comprehensi, *Patavii* publice laqueo necati.

De Macharuffo II.

Fuit subinde & alter *Macharuffus* ex eadem familia vir doctissimus, qui cum in civitate princeps haberetur, tum amore publicæ libertatis, tum æmulatione principatus, assiduas simultates & inimicitias cum *Carrariensibus* gerens, ubi tandem vidit *Jacobo Carrariensi* in longa obsidione patriæ à *Scaligero Veronensi* illata, à tota civitate delatum esse urbis imperium, ulterius dissimulandi occultam mentis invidiam impotens, abiit *Veronam*, & ad *Canem* hostem se contulit, & ei cui amore patriæ antea semper infensus fuerat, postea ad perdendam eam concors adhæsit: ac deinceps unà cum aliis extorribus *Patavinis*, quam tueri patriam debebat, oppugnare aggressus est. Verum haud multo

A post profligato *Canis* exercitu, qui *Patavium* duriter, & longa obsidione premebat, in prælio cum reliquis captivis comprehensus, ad *Jacobum Carrariensem* cujus acerrimus hostis erat, miser deducitur: qui indignum ducens in captivum victrices manus injicere, jussit eum illico à se amoveri, & fide custodiæ cum cæteris mancipari. Atqui *Marsilius Carrariensis* qui juxta aderat, ab eodem graviter antea offensus, cum juvenis esset, & ob id ferventiori ira percitus, continere sese non valuit, quin educto gladio in ultionem patriæ, & suam, illum impudenter quidem vel sic vinctum transfoderet: subsecuti deinde *Carra-*
B *riensium* amici, eum multis vulneribus affectum ibidem miserabiliter condiderunt. Et ita miser qui triumphans patriam ingredi sperabat, captivus in patriam pertractus est, atque in eadem mox crudeliter trucidatus. Elatus est absque ulla funebri pompa, & quod pro magno pietatis munere fuerat, majorum suorum sepulturæ traditus. Anno salutis M.CCC.XXXI.

DE CONSYLVIIS.

De Aldebrandino Consylvio.

Memorabile factum *Aldebrandini Consylvii*, hic
C minime reticendum est, quod & sibi, & posteris, ac etiam patriæ, quinimo & toti *Italiæ* magnum attulit ornamentum. Nam quo tempore *Fridericus* Cæsar cognomento *Barbarossa Patavium* pertransiret, & *Aldebrandinus* nobilis miles in eo comitatu forte cum quodam ejus tribuno de *Italica* virtute, & militari disciplina contenderet, atque barbarus in ea re *Italis* contumeliose detraheret, & *Germanus* mirabiliter exaltaret: ea de re jurgium inter eos exortum est, & odiosa contentio. Atqui tandem cum esset is invicti animi, & expers timoris, & perferre *Italiæ* convicium, & barbaricam petulantiam ultra non
D posset. *Tu*, inquit, *Germanus es*, *& ego Italus*, *vis experiamur vicissim inter nos*, *uter bello & armorum virtute sit melior? & quid Italus*, *& quid Germanus*, *pro sua uterque gentis laude in armis possit?* & sic dicens, *Germanum* compellat, ad ineundum secum singulare certamen, ut hujusce contumeliosæ contentionis veritas, ferri acie, & armorum virtute decernatur. Non detrectavit *Germanus* duellum, cum esset alioqui summo genere natus, audaxque, & magnæ existimationis apud Cæsarem, & armis & præliis assuetus. Quum ergo medio in foro uterque armatus constitisset, 335
accepta à Cæsare dimicandi licentia, ambo sub
E ejus oculis, & ingentis turbæ hominum, suam probare operam pro suis quisque viribus studet. Atqui tandem invicto animo, & infestis gladiis ambo cominus congressi, variis favoribus, spe metuque spectantium, aliquandiu neutro inclinante victoria, crebris ictibus incassum aera uterque verberat. *Aldebrandinus* autem impatiens moræ, dum acrius solito *Germanum* urgere cœpit, & temere præ nimia festinatione sese ostentat, in lævo brachio vulnus accepit: qui ubi se pungi sensit, iracundia concitus, ceu leo saucius toto mox impetu ferox in hostem ruit, & ense fulminans, tam graves, ac terrificos ictus inge-
F minat, ut perterritus *Germanus* minacem vultum, & frequentatos *Aldebrandini* ictus perferre vix posset: adeo ut jam non ferre amplius, sed tantum cavere sibi, seque tueri, & à se repellere ictus haberet satis. At *Consylvius* audacter urgere impetum non desistit, per stadii seu agonis spacium hostem agens, donec fidens corporis viribus, exanimatum barbarum complexus medium, in orbem semel rotatum sternit humi, & premens acriter deditionem fieri sibi poscit. At cum

cum ille jam nihil responderet, haud ultra moratus, educto in guttur pugione, jam eum jugulare parabat. Sed imperator missis repente ministris, duelli conflictum jubet dirimi, & militem suum à morte liberari. *Aldebrandinus* autem, ut erat intrepidus, Cæsarem adiens cum semimortuo *Germano* jam armis nudato, voce magna altius, ut ab omnibus audiretur, dixit: *Ecce inclyte Cæsar, servum mihi armorum virtute partum, hunc tibi dono do, & insuper unà secum ultro lubensque meipsum.* Ad hæc verba Cæsar eum palam in nobili corona heroum commendatum, equitem & comitem creat, & dignis muneribus accumulatum dimittit. *Consylvius* ergo victor maximis acclamationibus à civibus & ab universis *Italis* exceptus, dignissimo comitatu, & magna frequentia domum deducitur, lætus & ovans ob præclaram gloriam sibi, patriæque, ac toti denique *Italiæ*, præstantia sua virtute partam. Anno salutis circiter M.C.LXV.

De Henrico Consylvio.

Nihilo minori laude, & consimili pene virtute, ex eadem gente post aliquot annos emicuit *Henricus Consylvius:* qui post literarum studia, quibus ab adolescentia impense vacaverat, accepta juris laurea, & solitis de more insignibus decoratus: cum ex innata quadam animi ferocia, plus ei arma quam toga, & magis castra quam forum placerent, Christiana insuper pietate pertractus, rejectis studiis, sumpta cruce in *Apuliam* proficiscitur adversus *Saracenos* Christiani nominis hostes, qui tunc *Panormum* in *Sicilia* oppugnabant, & ea loca, & vicinos populos, Christique fideles immaniter infestabant. Illic ergo tam ob literarum quam armorum peritiam, & corporis & animi robur, quo admodum pollebat, innotescere præter cæteros vulgo cœpit, & magno pretio haberi. Neque id quidem immerito. nam ut erat manu promptus, & ingenio perspicax: ita & animo præceps, ac maxime audax. Quare consertis aliquando cum hoste manibus, principem quendam (ut habitus & ornatus præ se ferebat) conspicatus maximum, nunquam destitit persequi hominem, quousque ex equo dejectum obtruncasset, cujus spolia & caput in castra ad suos, summa cum gloria reportavit: qui tam ob recens factum, quam ob alia ejus præclara gesta, in eo bello multis adauctus honoribus, & hostili præda refertus est. Qui victor tandem magna cum laude in patriam ad suos rediit gaudens. Subinde autem in memoriam tam præclaræ laudis, addidit gentilitio insigni stellam cælestis coloris, ut quod prius una tantum aurea stella nitebat, geminato postea sidere familiæ gloriam duplo auctum omnibus demonstraret.

De Francisco Consylvio.

Inter claros ac doctos cives *Patavinos* ex eadem gente clarum fecit *Franciscum Consylvium* Jurisconsultum, virumque prudentissimum insignis illa legatio pro pace universali, quæ *Januæ* auctore summo Pontifice *Bonifacio IX.* inter omnes principes, ac universas Respublicas *Italiæ* per arbitros ad id electos, facta est. Ubi ipse *Francisci* 336
Carrariensis junioris *Patavii* principis legatus interfuit. De qua *Baldus* secundo volumine, consilio C.XCVII. diffuse pertractat. Anno Domini M.CCC.XCII.

De Albertino Botono.

Per eadem tempora apud *Carrarienses* principes floruit *Albertinus Botonus*, *Jacobini* filius *Patavinus*, ex nobili progenie clarissimi Jureconsulti *Bernardi Botoni Parmensis*, cujus insigne adhuc sepulchrum visitur *Bononiæ* cum hoc epitaphio:

BERNARDUS BOTONUS DE PARMA CANCELLARIUS BONONIENSIS, QUI SCRIPSIT APPARATUM SUPER DECRETIS.

Is autem *Albertinus* cum esset ingenio, viribus & fide conspicuus, & propterea *Francisco Carrariensi* gratissimus, factus tribunus militaris, cum valido præsidio missus est *Bassianum*, ad tuendam arcem *Belvedere*, ut ibi exercitui præesset: ubi erat *Franciscus Dottus* prætor, juridicendo destinatus: anno salutis M.CCC.LXXX. Huic nepos fuit *Bernardus Botonus*, vir eloquentia insignis, qui à Senatu *Veneto* aliquando missus est legatus ad illustrissimum principem *Sigismundum Austriæ* ducem: & ad Episcopum *Tridentinum*, pro componendis inter se rebus, & pro tollendis bellorum causis: qui ea in re prudentissime sese habuit, & à Senatu vehementer laudatus. Anno M.CCCC.LXXXII. Ex his defluxit propago *Botonia*, in qua nunc censetur jureconsultus insignis, & sacrarum literarum peritissimus, & hæresium præsentis ævi expugnator acerrimus *Franciscus Botonus*, & ejus nepotes *Petri* fratris filii *Nicolaus* Jureconsultus, & *Albertinus* philosophus: qui adhuc adolescens dialecticam in scholis publice summa cum laude profitetur.

De Hieremia Caldenacii *Comite.*

Hic modo dicendum est de *Hieremia Caldenacii* Comite, cive nobilissimo & antiquo sic dicto, quod oppidi *Caldenacii*, in territorio *Tridentino* ditionem teneret. Erat enim *Patavii* agrorum locupletissimus, & tertiam partem vici *Cortaroduli*, & in vico *Ridi* magna prædia possidebat. Huic fuerunt tres filii admodum prodigi, quibus nullæ omnino opes præ nimia prodigalitate sufficere unquam possent. Quocirca hic *Hieremias* (ut erat vir prudens) paterna pietate ductus, cognita filiorum natura, & futuram eorum inopiam prævidens, statuit tum animæ suæ saluti, tum etiam quo poterat ingenio prævisæ liberorum inopiæ providere. Primo ex suis tantis divitiis ædificandam curavit Basilicam *D. Andreæ* in vico *Cortaroduli*, eamque magno censu ditavit. Pari etiam pietate construxit Abbatiam *Carcerum*, multisque eam possessionibus locupletavit: ea tamen lege (quod Deus averteret) si quando evenisset, liberos posterosque suos egere, ex illis reditibus alerentur, & commode vestirentur, & si idonei militiæ fuerint, equis & armis fulcirentur, quibus & honeste stipendia facere, & egregie prosequi militiam possent. Nec id falso prudens pater conjecerat, aut incassum mandaverat. Nam eo mortuo, haud multum postea *Beltrandus* & *Theobaldus* filii superstites (hæc erant illorum nomina) cœperunt adeo munificos & hospitales supra vires cunctis se exhibere, adeo scortis & alea profuse cuncta distrahere, ut quicquid habuerant *Caldenacii*, *Ridique*, & *Cortaroduli*, paucis annis consumpserint: usque adeo, ut parvo post tempore ad eam devenerint inopiam, ut exire servitio cogerentur, & ad custodiendos & fricandos equos stabulario deservire. Atqui tandem ab Abbate *Carcerum* equis & armis instructi, prout statuerat eorum pater, 337
in *Dalmatiam* ad militandum profecti sunt: ubi militari stipendio usque ad mortem, quo poterant modo, inopem vitam duxerunt. Poterat sane *Hieremias* iste merito stultitiæ non mediocris culpari, nisi eum rei eventus postmodum fecisse prudentissime indicasset.

De

De Monte Patavino.

Non mediocri admirationi fuit olim ingentis ferocitatis plena, sed justa ira strenui viri *Montis*, de *Montesilice Patavini*, quæ illum ad subeundam gloriosam necem compulit, & quæ necatum perpetuæ postmodum memoriæ consecravit: quum & sui & patriæ & civium suorum, quantum in se fuerat, ausu generosissimo se acerrimum vindicem & ultorem præstiterit. Nam cum apud *Acciolinum* proditionis falsò una cum *Arnaldo* fratre insimulatus fuisset, ubi jussi, sed nondum comprehensi, velut ultro satis honeste ad tyrannum ducebantur: erant enim divites & præpotentes, & propterea *Veronæ* potius quam in patria ad amovendam omnem suspicionis causam morabantur: sed nihil ejusmodi consilium illis profuit. Namque ubi ambo ad palatium venerant, cœpit ibi *Montes* conscientia fortassis innocentiæ animatus, elatis clamoribus dicere, *Summam sibi injuriam fieri: cum neque ipse, neque quisquam suorum infamia cujuspiam sceleris laborasset, ita nunc temere & falso ambos proditionis reos fieri.* Audiens hæc verba tyrannus, è palatio foras in propatulum descendit: ubi *Montes* & frater deducti stabant, & propior eis factus torve in *Montem* respiciens, dixit: *Sceleste proditor, etiam hiscere audes?* Ex his verbis tanta mox ira, tantaque indignatio *Montis* animum arripuit, ut neque purgare sese verbis aliter potuerit, neque objectum crimen inficiari ulla tunc ratione curaverit: sed insiliens ad collum tyranni, eum primo impetu in terram prostravit, & cum gladio careret, & pugionem, quo tyrannus accinctus fuerat, diu frustra adimere tentasset, obnixe pugnis, ac dentibus, & quibus poterat viribus, contendit hostem, quem armis conficere non poterat, aut manibus & unguibus necare, aut dentibus dilacerare. Verum adjutus *Acciolinus* à *Jacobo Schinello* strenuo milite *Patavino* & ab aliis apparitoribus, qui eum tunc forte circumstabant, dignam se necem vix evasit: atque ægre inde cruore perfusus, & faciem deformatus, ab illius manibus ereptus, & à suis inde sublatus est. Qui præ pudore multos postea dies latuit, donec opportunis postea medicorum remediis curatus publicum adiit. *Montes* autem dum vel sic inermis, & pugnis, & morsibus indefesse fureret, multis vulneribus cæsus, magna animi generositate, & inaudita ferocitate, & satis gloriosa nece in ipso fine, & quantum in se fuerat, clarus & sui & fratris vindex ibi tunc una cum fratre occiditur, relicta fama tanti facinoris, nulla unquam oblivione, aut temporis spatio interitura: id accidit anno Domini M. CC. LIII.

De Borisco Brescio.

Ausu certe pari, nec dissimili fato cæsus fuit *Boriscus Brescius* vir nobilis: qui quum *Patavium* à prætore, rebellis, & *Acciolini* proditor vocaretur, quo illius bona facilius in fiscum redigi possent, contumeliam tam insignem vir fortis ferre non pervalens, intrepide respondit, *Inique & false mentiris.* Nec mora prætoris satelles cum exerto gladio inermem, & alligatum transfixit: & ita repente occisus est, aliquanto gloriosius quam qui summo probro in foro palam, aut carnificis gladio decollantur, aut laqueo turpius longa mora necantur: aut qui tandem inedia, situ, pædore, immaniter in diro carcere mortem serius impetrant, quam miseri vellent.

De Alberto & Antonio Bibiis.

Commemoratur inter claros cives, fidus & diligens custos thesauri *Acciolini Albertus Bibius*, cujus filius fuit *Antonius* Jurisconsultus egregius, & insignis eques, & in Republica multis honoribus decoratus, & in *Patavinis* annalibus, sæpius honorifice celebratus: ita ut nullatenus hic à me ullo jure prætereundus visus sit, 338
cum de claris civibus *Patavinis* pertractem.

De Alberto Caligineo.

Ejusdem tyranni amicitia fecit etiam *Albertum Caligineum* clarum: quandoquidem, non tam memoratur quod fuerit Juris civilis scientia præditus, quam quod *Acciolini* amicitia difficillimis illis temporibus plurimum potuerit: quod vel ex eo facile judicatur, quod ille ut suas ædes irrigaret, cum maxima vicinorum molestia, quibus ea res damno fuerat, impetravit ab *Acciolino* parvum rivum juxta divum *Leonardum* deduci, per quem quota fluminis pars assidue laberetur. Rivus autem hic *Boveta* dictus est, qui adhuc fluit, & post ædes nostras labitur. In hujus autem rei memoriam mutato *Caliginis* nomine, hujus posteri ab hoc invento postea à *Boveta* vocati sunt. Accidit autem hoc anno salutis humanæ millesimo ducentesimo quadragesimo sexto.

De Beldomando Bobio.

Amœnissimum ingenium, & acutissima cavillatio *Beldomandi Bobii* jurisconsulti *Patavini*, & advocati eximii inter hos omnes eum celebrem reddit: neque hoc loco reticeri illum omnino permittit. Etenim cum aliquando Respublica *Patavina* odio, seu invidia potius prædiorum quibus *Patavinus* clerus affluenter abundat, statuisset capitalem pœnam, si quis de restituenda aqua monachis divæ *Justinæ* semel interceptam amplius in Senatum referret. Is requisitus à *Galbertino Musato* Abbate, ut in tali negotio sibi aliquid idoneæ opis suo patrocinio præstaret. Ipse convocato de more Senatu, impetrataque dicendi venia, fretus sua eloquentia, è suggestu maxima facundia cœpit auditorum benevolentiam captare. Laudans primum supra modum *Patavinæ* civitatis pietatem erga Deum & sanctos ejus, valde extollens divum *Prosdocimum*, & *Danielem*, & ante omnes divam *Justinam*, & divum *Antonium* tutelares, divos, & intercessores & patriæ patronos: quorum ope ab imminentibus & manifestis periculis *Patavini* sæpius fuerant liberati: mox eorum bona, ac fortunas in hoc seculo, illis accurate commendat, atque hoc pacto artificiose, & rehetorico more insinuando inducit *Justinam* poscere à populo *Patavino*, cui toties in afflictis rebus præsto fuerat, jus aquæ, quod sibi inique interceptum aliquando fuerat, juste aliquando restitui. Et interim super his nulla de monachis facta unquam mentione, ita concinne, ita eleganter apteque disseruit, ut sententia de aqua restituenda, absque contradictione protinus fuerit ab omnibus approbata. Atque ita callide pœnalem constitutionem, pia cavillatione, delusit, cum non monachos in sua intercessione (quoniam edicto publico vetabatur) sed divam *Justinam* restitui se ad jus suum pristinum poscentem induxerit.

De Thoma Cavatio.

Thomas Cavatius vir strenuus, in recuperanda patria de manu *Acciolini* tyranni inter præcipuos

puos habitus, hic à nobis merito celebratur: qui cruce munitus, & armis, equo insidens intra mœnia *Patavina* comitatus vigintiquinque armatorum manu per pontem *Prati*, ab ea urbis parte, primus irrupit: ubi quotquot armatis obvius fit, eos hasta feriens prosternit: & demum fracta lancea, ensem vibrans alios vulnerat, alios in fugam vertit & ita primo impetu in urbem ovans & lætus ingreditur. Anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, die duodecima Junii.

339 ## DE RUBEIS.

De Petro Rubeo.

Quoniam proposuimus de claris civibus *Patavinis* dicere, nullatenus præteribo *Petrum Rubeum* egregium sane civem, atque militem in armis præstantem: & (quod tunc temporis perpaucorum fuerat) *Acciolini* perquam familiarem, & domesticum, & ei usque ad mortem amicum. Is sibi ædes construxit *Patavii* apud *D. Bartholomæum* cum excelsa turri, & pinnatis muris, in arcis similitudinem munitas. Similiter ruri in vico *Bruzioli* ædificavit arcem turri muroque & fossis septam, & eo tempore munitissimam. Huic quoque filius erat *Joannes Rubeus*, *Cani Grandi Veronensium* principi, ob egregias animi & corporis dotes, valde amicus, & ab eodem militiæ honore decoratus, ac inter domesticos ac familiares habitus omnium gratissimus. Hinc orta est *Patavii* suspicio, ne quid mali is occulte cum *Cane* adversus patriam moliretur: subesseque aliquid fraudis, ac doli sub ea amicitiæ simulatione. Quandoquidem hic *Canis* adeo natura *Patavinis* semper infensus fuerat, ut ex ejus amicitia à Republica *Patavina* nihil omnino boni sperari tuto posset. Quamobrem *Patavini* id (quod erat fortasse) suspicati, memoratam arcem dirui jusserunt, & reddi penitus immunitam. Anno Christi M. CCC. XIII.

De Solimano Rubeo.

Hic locus idoneus occurrit, quo à nobis admirabile facinus *Solimani Rubei* memoretur. Is enim *Brazioli* arcem, de qua proxime dicebamus, ubi omnis suspicio cessarat, muro rursum, & fossa, & iisdem fere munimentis ut prius Reipublicæ consensu reparavit. Erat is factione potens, & animi virtute, & corporis viribus pollens, & inimicorum ultor acerrimus: quando & unicam filiam suam, quam (ut credere dignum est) vehementer amabat, cum pædagogo, quem domi ad nepotes instruendos habebat, in stupro deprehensam, pudicitiæ domesticæ ulciscendi causa, propriis manibus interfecit: stupratorem vero captum, ac diu excruciatum, & denique multis confossum vulneribus, in profundas fossas *Bruzioli* appenso ad collum saxo dejecit. Habitus est hic vir magnanimus, sed impos animi, ad perpetiendas injurias. Insigne gentilitium hujus familiæ duplici colore constabat, albo & rubro, quadrupliciter distinctum, idem sane cum *Daulorum* insigni, eique omnino simile.

De Carolo Curtio.

Carolus Curtius similiter cum esset virtute bellica insignis, & *Acciolini* tribunus in expugnanda *Brixia* honoris avidus, & appetentissimus gloriæ, una cum *Giramonte Acciolini* fratre notho, primi cum signis victricibus muros ascendisse dicuntur. Sed in tanto victoriæ successu, mutata fortuna, miserabiliter ambo uno ictu è muro decussi, exanimes ceciderunt. Horum

A corpora postea *Veronam* delata, cum maxima funeris pompa sepulta sunt. Hujus familiæ insigne est dactylus virens cum fructu pensili, & radice effossa, & nuda in colore albo.

De Jamboneto Belludo.

Maxima fuit *Jamboneti Belludi* audacia, quæ vel sola illum clarum facere potest. Qui cum extra patriam exularet, non fuit veritus in arce vici *Placiolæ*, cujus erat dominus, cum magna sceleratorum manu, à Republica *Patavina* desciscere, ac factus rebellis per rura vicina grassando B discurrere, & undique prædas agere. Quocirca *Patavini* indignati arcem aggressi facile eam expugnant, & inde miserum & infelicem ducem captivum cum sociis *Patavium* deducunt. Qui perduellionis reus factus, capite pœnas luit: comites vero latronum more laqueo suspenduntur.

De Alexio Musaragno, & Fulco Montagnono. 340

Sicut autem maxime damnanda est impia audacia infelicis *Belludi*: ita magnis certe laudibus extollenda est constantia ac fides *Alexii Musaragni Patavini*, qua usus est acerrime, pro tuenda C arce *Montagnoni* adversus *Acciolinum*. Nam dum *Fulcus Montagnoni* dominus, & ejus fratres, nondum satis adultæ ætatis essent, ut tueri recte per seipsos castrum possent, accito *Alexio*, sibi & amicitia & sanguinis necessitudine conjuncto, seipsum ei in fidem cum tota familia & arce dedit, quam & arte, & natura valde munitam fratres ipsi possidebant. Erat autem *Musaragnus* vir animo promptus, & ad arma, & ad vim ferendam & corpore & animo paratus: audaxque, & acerrimus adversus *Acciolini* tyrannidem libertatis defensor. Hic fuit qui non consensit, ut *Patavium Gaboardo* aut *Acciolino* traderetur, quamvis D id imperatoris nomine posceretur. Quare tradita urbe *Acciolino*, ipse ultro *Montagnoni* arcem petiit, ibique ad omnem belli impetum fortiter sustinendum se munivit. *Acciolinus* ergo cum magno exercitu eo profectus, cœpit primo blandis sermonibus, & ingentibus promissis deditionem suadere: quam nequaquam valuit impetrare. Quocirca multa vi arcem aggressus cum magna suorum cæde, frustra diu annixus est totis viribus expugnare. Sed ubi minime ex animo rem succedere videt, cum arx esset natura & arte munitissima, obsidionem parat: sed dum id incassum fieri videt, quando ad id quoque longissimo E temporis spatio opus foret, & magnis impensis: & denique quicquid accidisset, majoris omnino damni quam lucri futurum: ad blandas pollicitationes reversus, non destitit solicitare obsessos adolescentes, donec inopiæ metu instantibus necessariarum rerum angustiis, deditio ultro facta est, & obsessis abire concessum libere, quo vellent. Atqui *Fulcus* non fidens tyranno, una cum fratribus ad *Accium Estensem* confugit, cujus auxiliis & favoribus, dum occupatus aliis majoribus negotiis *Acciolinus* longius abesset, alteram arcem in *Monte Rubeo* duplo tutiorem priore, mira celeritate extruere adortus est. Verum quam- F primum *Albricus Acciolini* frater id suboluit, extemplo missis eo cohortibus, opus impedivit, & quicquid inde factum fuerat subverti jubet, licet utrinque prius acriter decertatum sit. In ea pugna *Fulcus* adolescens dum incautius obstare contendit, interfectus est. Alii vero cæde ducis perterriti, partim occisi, partim captivi *Patavium* ducti sunt: & (ut erat immanitas tyranni) fere omnes laqueo necati. *Alexius* vero prudentia sua edoctus, ubi resistere non potuit, fugam iniit,

iniit, tutoque *Ferrariam* se recepit: ubi postea brevi tempore & ipse moritur.

De Martino Cane Patavino.

Nihilo sane minoris admirationis fuit singularis animi constantia *Martini Canis Patavini* adversus *Canem Scaligerum Veronensem* principem, quam *Musaragni* adversus *Acciolinum*: quippe quæ multo etiam feliciorem exitum habuit. Nam cum *Canis Vicentiam*, & castella agri *Vicentini*, & *Montemsilicem*, *Ateftemque*, & *Montagnanam* suo subjugasset imperio: & denique ad recuperandum *Patavium*, quod amiserat, victorem exercitum perduxisset, nulla vi, nullo metu, nullisve minis terrere aut allicere promissis hominem potuit, ut sibi *Camisiani* vici arcem traderet, quam firmo fidelique præsidio tenebat, & cujus ipse erat dominus: usque adeo, ut *Cani* tam grandi, tam pusillus *Canis* majus negotium fecerit, quam reliqua castella, & municipia totius agri *Patavini*. Quocirca & si talis tantusque ille vir in multis aliis rebus, & animi & corporis eximiis dotibus præstaret: hac tamen vel præcipui animi generositate mihi visus est maxime dignus, ut hic inter illustres cives merito censeatur.

341 *De* Marsilio Parthenopæo.

Nihilo minoris dignitatis, sed felicioris admodum fortunæ fuit *Marsilius Parthenopæus*: qui in re maximi discriminis, ac etiam difficultatis, ex omni præstantium virorum numero, quibus *Patavina* civitas vel maxime tunc abundabat, unus delectus est, qui ad retinendum *Tridentum* in fide *Patavinæ* Reipublicæ præses ab ipsa Republica mitteretur, ibique primum prætorem ageret. Nam Episcopus *Tridentinus*, cum multo satius spiritualia, quam mundana arma tractanda putaret, timens à *Scalensibus* principibus bellum, *Patavinæ* Reipublicæ cum omni jure secularis ditionis adhæsit, atque in ejus potestatem se suaque tuenda & conservanda tradidit. Is ergo cum satis honesto comitatu ac vexillo Reipublicæ eo missus, ut erat magna animi constantia ac sapientia præditus, quatenus licuit, ita strenue sese gessit, ut ab omnibus illis civibus, uti pater patriæ merito coleretur. Verum cum nobiles reguli, qui in oppidis & castellis circunquaque jacentibus imperabant, Episcopi factum minime probassent, detrectantes ditionem *Patavinorum*, & nolentes Episcopo parere, *Veronensibus* adhæserunt, quibus tunc permolestum erat *Patavinorum* opes & potentiam crescere. Quamobrem per biennium, damnis cædibusque utrinque illatis, immaniter certatum est. Atqui tandem pluribus de causis, quas enarrare brevitas instituta non patitur, *Marsilius* à *Tridento*, & ab agro *Tridentino* copias abducere coactus est. Nihilo tamen minori gloria quod illis temporibus incolumes copias eduxerit *Patavium*, quam si in fide *Tridentum* perpetuo tenuisset. Fuit ergo *Parthenopæus* quoad vixit, charus omnibus, & in Reipublicæ negotiis semper cunctis prælatus. Hæc facta fuerunt anno salutis M. CC. LXXVIII.

De Matthæo Pegoloto.

Celebratur quoque & merito sane memorabile factum *Matthæi Pegoloti Patavini*: qui eo bello, quod à *Patavinis* adversus *Vicentinos* gerebatur, cum ad *Carmignanum* hostile oppidum, quod maximo militum præsidio tenebatur, pugnaretur, & ab hostibus acriter defenderetur, nec esset, qui præ metu missilium appropinquare mœnibus auderet: *Matthæus* animo intrepidus, atque corporis viribus præstans, ingenti ausu, qua parte inexpugnabilis arx incustodita manebat, per summum noctis silentium admotis scalis primus cum paucis arcem ascendit, vexillumque rubeæ crucis, summa turri cunctis ostentat: quo facto, repente clamore sublato, arx ab omni parte circundata capitur: & simul circiter septingenti & triginta sex *Vicentini*, qui *Patavium* deducti, omnes sub custodia mansere, donec compositis rebus inter *Vicentinos* & *Patavinos* pax populis reddita est, & *Vicentia* facta tunc *Patavio* tributaria: hujus victoriæ maxima gloriæ pars ad *Pegolotum* delata est.

DE SANCTO ANDREA.

De Jacobo sancti Andreæ.

Ab egregia stirpe *Scrovinia* sub alio cognomine effluxit familia cognomento *S. Andreæ*, cujus princeps fuit *Jacobus*, quem *Dantes Aldigerius* apud inferos collocat inter prodigos. Nam cum hic opibus valde excelleret, multoque etiam esset animo, quam divitiis locupletior, tantæ prodigalitatis fuisse perhibetur, ut veniens cum magno amicorum comitatu ex venatione imbre madidus, & frigore hyberno algens, combusserit paleariam tegetem viri cujusdam rustici propinquam, ut repente se & socios sine mora exsiccaret, & frigentes calefaceret: pro quo damno illato dedit villico decem terræ jugera, majoris proventus & pretii, quam tres tegetes: quippe qui *Cortarodulum*, & *Marsangum*, ac *Manfredolium* vicos *Cittadellæ* subjectos pene totos possideret. Quin tanto ei ludibrio fuerant divitiæ, quibus exuberantissime affluebat, ut cum *Venetias* aliquando transiret, nec haberet quibus cum alea 342
relaxandi animi gratia luderet: ne prorsus otiosus sederet, argenteos, atque aureos etiam nummos ludens, perinde atque lapillos per summam è navis prora in subjectum amnem jactabat, quot quisque saltus faceret, in summa unda antequam obrueretur annumerans. Evenit quoque aliquando, dum esset ruri, & amicos quosdam præstolaretur, cum illi forte adventum noctu per tenebras distulissent, eis ultro de industria in suo pago, tam ad exhibendum lumen venientibus, quam ad ingentem animi lætitiam, & gaudium ostentandum, quod ex hujusmodi amicorum adventu capi solet, jussit agrestes aliquot, atque humiles casas, seorsum ab aliis juxta viam positas, incendi, ut eo incendio fugatis obscuræ noctis tenebris, absque aliis facibus adventantibus amicis, alacris & festivus occurreret. Atqui tandem tantus divitiarum luxus ei post modicum tempus miserrimi exitus & necis occasionem præbuit: quandoquidem ob eas ipsas divitias & amicitiam, quæ cum *Accio Estensi* sibi fuerat, redditus *Acciolino* tyranno suspectus, cum aliis multis occisus est, quo ipse postea tyrannus tantis divitiis sine periculo, absque alio impedimento securius potiretur.

De Litolpho à S. Andrea.

Litolphus ex eadem familia *S. Andreæ*, & ipse liberalis admodum, & omnium virtutum genere præditus, cum ob id in civitate apud omnes magna gratia præstaret, à Republica *Patavina Vicentiam* prætor missus, tanta benevolentia *Vicentinis* junctus est, & tam arcto affinitatis vinculo copulatus, ut *Vicentiam* sibi & posteris, relicto *Patavio* habitandam delegerit. Unde postea ejus familia *Vicentiæ* floruit, & de ejus nomine in hunc usque diem *Litulpha* appellata. Atqui nescio quomodo res ista se habeat, ut horum proles

les adhuc ſuperſit, quum (ut fertur) majores à A *S. Andrea* ædificaverint delubrum *S. Andreæ* in vico *Cortaroduli*, & id magnis prædiis hac lege dotaverit, ut gentilitio jure, quod dicitur Patronatus, ſemper daretur pauperiori ex ea progenie, quouſque ex eo genere reperiretur quiſpiam, cui dari poſſet. Atqui modo quaſi genus id totum defecerit, jus omne conferendi ad ſummum Pontificem devolutum eſt, & alienis prorſus & à ſtirpe, & à patria ſæpe confertur.

De Petro Altichino, & Rocho Golanto.

Ingentes crudelitates, & pernicioſæ ſeditiones, B per *Petrum Altichinum*, & *Rochum Golantum* excitatæ, & in *Patavio* civitate per ea tempora perpetratæ, eos ad poſteros æque notos atque infames reddunt. Qui quidem etſi ex humilibus parentibus, imo ſordidis geniti fuerant: tamen in maximam ſuam ſuorumque perniciem, ex uſuris & illicitis lucris ditiſſimi effecti, ad tantam ex eo potentiam & ſuperbiam devenerant, ut licet infames, memoriam tamen de ſe perpetuam dereliquerint. Multa horum nefanda facinora in hiſtoriis ſuis *Albertus Muſatus*, valde ſtomachoſe commemorat. Ait enim poſtquam ad partes *Guelphæ* factionis, excluſa plebe, & tribuni- C tiæ poteſtatis jure ſublato, ſumma rerum delata fuiſſet, uſque adeo ex nimia licentia præſidentium excreviſſe auſum & inſolentiam paucorum, quos ſors ex maxima divitiarum affluentia, in ea factione conciliarat, ut ſpreta trecentorum civium ſententia (tot enim civibus eo forte tempore *Patavinus* Senatus conſtabat) ſoli fere Reipublicæ vices agerent, invidioſe *Gibellinorum* calamitatibus gratulantes. Quocirca boni cives ob pacis deſiderium rus profecti, & ad rei ruſticæ curas converſi, pro majori parte Rempublicam deſtituerant. In hoc autem civitatis ſtatu memorati homines, quos ſic ſupra omnes ſors evexerat, ni- D hil tam nefarium appetebant, quod non licere ſibi putarent. Erant enim *Petro Altichino* tres filii ſceleſtiſſimi, atque in civitate ob immanitatem omnibus fere formidabiles. Ipſe autem pater *Altichinus* magnus patronus in foro regnum tenebat: quare factus erat, tam ex aſſiduo pernicioſorum clientum patrocinio, quam ex longo fœnore ditiſſimus. *Rochus* vero *Golantus* longe ſordidiore genere natus, paterno magis, quam proprio fœnore ditatus, homo erat arrogans,
343 immanis & impius. Huic erant duo filii, alter *Verejus* appellatus, perquam patri ſimilis: qui ſemper ſceleſtiſſimorum hominum caterva ſtipa- E tus, ubique incedebat ſuperbus. Is adeo impudicus & inceſtuoſus fuerat, ut in urbe, conjugatas, viduas, virgineſque ubique ſtupraret: in agris vero ita avarus & rapax, ut miſeros agreſtes pecuniis & prædiis ſpoliaret. Alter autem vocabatur *Vivianus*, deformis intus & foris, vix crabrone major. Lupino ore, facieque teterrima, moribus nefandiſſimis homicida primum ſacerdotis inſontis, & poſtea (ut erat humani ſanguinis ſitibundus) tot cædes patraverat, quot ſibi oblata patrandi facultas præbuerat. Hi ergo nefarii homines hac impia ſobole ſe invicem ad omne ſcelus impio fœdere obſtrinxerant, & præ- F ter cætera mala, cunctos nobiles in primis ſummo odio proſequebantur: & præſertim univerſam *Carrarienſem* familiam, in qua tunc maxime divitiis & gratia cæteris in civitate præſtabant. Atqui tandem *Jacobus* & *Ubertinus Carrarienſes* horum faſtum perferre diutius non valentes, in medio foro è curia egredientes aggreſſi ambos obtruncant, & concitato ad arma populo, eorum filios ubicunque latuiſſent, inventos ſimili furore trucidant. Qui omnes in ſepulti jacentes, per biduum ludibrio pueris populoque fuerunt. Ædes vero eorum direptæ, & omnia bona fiſco adjudicata, ut ex eo hominum genere, nil niſi infame nomen poſtea manſerit. Hæc eo retulimus, ut cæteris exemplo ſint, qualis ſceleratorum hominum finis ſperandus ſit: ac ſimul, ut nemo ejuſmodi hominum fortunæ quantumvis proſperæ invidere jure poſſit, cum aſſidue ſub imminenti periculo maximæ cujuſpiam cladis omnis nimia proſperitas ſubſit, brevi & facile ruitura.

De Obicio Rogato.

Obicius ex antiqua familia *Rogatorum* lætiori fato ipſe quoque hic inter claros & illuſtres cives non poſtremum ſortitur locum: qui per multa ſecula antea militiam ſecutus *Deſiderii Longobardorum* regis, ab eo tribunus militum factus, ob navatam in præliis una ſecum inſignem operam honore militiæ decoratus eſt, & honoris cauſa datum ei ac poſteris ejus, in ſuo gentilitio inſigni aquilam auream in viridi colore deferre. Qui quidem ingraveſcente ætate accepto commeatu, multis muneribus donatus, ex *Ticino* in patriam tandem rediit. Huic duo filii nati ſunt, quorum alter *Joannes*, alter *Niger* appellatus eſt, qui fuit egregius juris doctor, & in foro admodum exercitatus: à quo poſtmodum defluxit *Nigrorum* familia, quæ eiſdem inſignibus poſtea ſemper eſt uſa.

De Raimundo Solimano.

Inter claros cives *Patavinos* connumerandus mihi videtur eſſe *Raimundus Solimanus*, etſi temporum vetuſtate nihil habeam de eo quod referam præter quod habetur in magnifico ſepulchro in ſublimi pariete poſito Baſilicæ Eremitarum, à parte Septentrionali indicium ſane veræ nobilitatis: & propterea virum clariſſimum atque liberaliſſimum fuiſſe credendum eſt. Ibi enim inſculptum hoc epitaphium legitur:

ANTRA QVOD HAEC, CINERVMQVE LOCVM STVDIOSE VIATOR
INSPICIS, VT VIDEAS DIRA TROPHAEA NECIS;
RAIMVNDVS SOLIMANVS ERAT, CVI NOMEN AVORVM
INSIGNE, HAEC HVMI BVSTA RELIQVIT HOMO.
VERVS ARIMVNDI SOLIMANVS AMICVS, AMICIS,
HIC PROMPTVM AVXILIVM CONSILIVMQVE FVIT.
PAVPERIEM MISERANS SPECIALITER, ASTRA PETIVIT
MENTE, SED HAC TEGITVR CARNE SEPVLTVS HVMO.

M. CCC. LXVII. III. Octob.

De Altero Solimano.

Floruit *Romæ* ſub *Xiſto* Pontifice Maximo alter *Solimanus*, juris utriuſque conſultus, vir admodum prudens, doctus ac fidelis. Quocirca ſummus Pontifex ejus prudentiæ & fidei plurimum fidens, ærarii apoſtolici negotio eum præfecit, & ſeptemviratus honore decoravit: qui, 344
quoad vixit, in ea re fideliſſime ſeſe habuit: & ſi diutius utrique vivere licuiſſet, erat abſque dubio ad ſublimiora facile aſcenſurus. Sed contigit eodem anno atque fato utrunque ab hac vita migrare. Sepultus eſt *Romæ* à læva aræ maximæ in templo divi *Auguſti*, ubi hæc leguntur:

D. OMN, S.
SOLIMANO EX PATAVINORVM PATR.
FAMIL. IVR. CIVILIS ET PONTIF. CONS.
VII. VIR PONTIFICAL. AERAR. INGENIO
ET FIDE PROBATISSIMO.
QVI VIXIT ANN. LXVI, MENS. VII.
DIES IX. HOR. III.

De Paulo Sermeolio.

Non ab re fore, nec alienum ab instituto nostro existimavi, præclarum & antiquum hoc loco facinus recensere *Pauli Sermeolii*, viri virtute nobilis, consilioque & bellica laude insignis, & hoc vel uno tantum præclaro facinore satis illustris. Anno enim Domini M. CC. XIIII. cum *Tarvisii* publice maximo apparatu, celebrarentur ludi magnificentissimi, & ad eam celebritatem undique ex universa illa regione, & præsertim ex urbe *Veneta* & *Patavio* ditissimi & nobilissimi quique invitati cum uxoribus confluxissent, in medio foro erecta arx stabat, ex tabulis, tapetibus, sericisque pannis, & aulæis pretiosis undique decorata: ibique nobiles, ac speciosissimæ mulieres, gemmis atque auro comptæ, spectantes, spectandæque præsidio arcis aderant. Advenit interim tempus, quando ludicro instar certaminis inito, arx cum maxima hilaritate, pompa, ac ordine militari, à juvenibus circundari cœpta est: ubi alacritate, risu, jocis, nutibus, concentibus res agebatur. Neque enim scalis balearicisve tormentis, aut armis, sed malis aureis, sertisque rosis, floribus, odorumque suffumigationibus, aquis odoriferis, ovorum putaminibus obseratis, buccellis, jentaculis, & ejusmodi telis undique certabatur. Pro classico, & belli tessera, risus, cantus, musicique concentus, longe lateque resonabant. Obsident juvenes, obsidentur matronæ: & sic vicissim cum maxima alacritate exsultantes pulcherrimo certamine, non horrificam Martis pugnam, sed optatissima cupidinis prælia decertabant. Oritur interim (ut in hujusmodi ludicris sæpe fit) non parva seditio inter *Patavinos* & *Venetos*, qui in illis ludis præcipui habebantur. Et repente vexillum *Martium*, quod erat ex parte *Venetorum* & vexillum crucis rubeæ, quod erat *Patavinorum* utrinque uno tempore in altum tollitur, tantis clamoribus, ut non amplius cum mulieribus, sed hostile prælium cum militibus esse videretur: & si tunc juventus illa ita armata fuisset ad pugnandum, ut erat ornata & præparata ad amandum, magna utrinque cædes procul dubio illic patrata fuisset. Verum cum cœpissent undique quæcunque furor administrasset arma parari, *Paulus Sermeolius*, qui à *Patavinis* his ludis præfectus fuerat, vir gravis, & admodum disertus, in medium statim progressus, omnem tumultum ac furorem, & totam illam seditionem, solo aspectu suo & auctoritate repressit, & impetum furibundum brevi oratione sedavit, exclamans indignum facinus: tam benigne exceptos à *Tarvisinis* in oculis civitatis fidem fallere, & sacrosancta hospitii jura violare, & *Venetos* nihil mali meritos sibi & fœdere & affinitate conjunctos temere, tam levi causa, tam iniquo bello lacessere, ac tales, & tot insignes matronas, tam proprias quam alienas incustoditas ac perterrefactas, impudenter stuprandas dare, & prostituere alienis.
345 Idem à *Venetis* quibusdam factum, qui consilio & authoritate præstabant. Quocirca mox utrinque represso tumultu, & sedatis animis, ab armis desitum est, & subsecuto silentio, a ludis cessatum. Mulieres autem ut erant perterritæ & semianimes à suis viris abductæ, in patriam revectæ sunt. Hinc magnæ subinde dissensiones, & diuturnæ belli causæ inter *Venetos* & *Patavinos* postea subortæ fuerunt. Nam cum *Patavini* egregie ulcisci sese vellent, *Bebias* in fine *Venetiarum* magno belli apparatu de finibus pugnaturi bis aggressi, bis à *Venetis* inter paucos dies victi profligatique fuerunt. Postea vero sæpius de finibus inter se pugnatum est, nec antea desitum, donec *Patavium* tandem sub *Venetorum* imperium post annos fere ducentos prorsus venit. Quod quidem quam bonum, quam faustum, quam felix fortunatumque fuerit, jam satis diximus, & ex ipso eventu cunctis patet. Deus faxit, ut hic rerum status nobis sit, quam maxime fieri potest, diuturnus atque perpetuus.

De Joanne Bolpario.

Enituit per ea tempora *Joannis Bolparii* insignis tribuni militum nomen, qui *Carrariensibus* in cunctis rebus semper paratus fuit: & præsertim eo bello, quod eis novissimum contigit ad resistendum *Venetorum* copiis, ubi visus est admodum strenue in ea re contendere. Hujus sepulchrum extat in porticibus divi *Antonii* Confessoris, ubi dum porticus antiqua staret, visebantur in pariete pictæ imagines trium fratrum, sicut epitaphium saxo insculptum indicat:

HAEC SVNT GERARDI ALBERTI SIMVLACHRA IOANNIS,
FRATRVM BVLPARIO GENITORVM SANGVINE CLARO.
INTRA ALTINATEM PORTAM SVNT ATRIA PRIMI,
BVRGI PRIMA NVCVM DOMVS EST SPECTANDA SECVNDI:
AST PROPE NIGRORVM VOLTAM STAT MANSIO TERNI.
OCTO BIS LVSTRIS, SEX DENIS ATQVE DVCENTIS
CVM GEMINIS ANNIS POST PARTVM VIRGINIS HAEC STANT.

Obiit *Gerardus* M. CCC. XC. XVIII. Decembris.

De Mynio Smanioso.

Hic quoque in posterorum exemplum mihi visum est memorare consilium importunum *Mynii Smaniosi* viri præclari, de quo in *Patavinis* annalibus multa referuntur. Is enim cum esset alioqui prudentissimus, *Acciolino* & *Ansedisio* ejus vicario pergratus, quod raris admodum contigerat: tyrannicam tamen sævitiam evadere usquequaque miser non potuit. Nam quo die exercitus *Romani* Pontificis, & *Veneti* Senatus, pro libertate *Patavium* oppugnaret, *Mynius* ibi in præsidio cum *Ansedisio* assistens portæ civitatis, suadere ei cœperat: ut quando amplius armis obstare non posset, sese ultro pro impetranda venia hosti dedat. Tunc *Ansedisius* uti immanis bellua, ira percitus, quod ea sibi protulisset desperationis verba, ense, quem exsertum habebat, unico eum ictu transfixit. Qua cæde patrata, & desperata omnino obsistendi virtute, per portam sancti *Joannis*, urbe relicta, quantum valuit concito equi cursu contendere, celer aufugit. Quem mox *Tiso Campisampetrus*, ubi id rescivit, frustra per quatuor milliaria insecutus, illico ad suos rediit. Verum infelix ille nihil feliciori fuga ad *Acciolinum* avunculum confugit, quam si ab hostibus captus discerptusque fuisset: quandoquidem statim ubi primum tyranno sese obtulerat, interfici jussus est: eadem scilicet rabie & furore, quo & ipse paulo ante innocentem *Smaniosum* interfecerat. Sunt qui scribant ab avunculo, ob suspi-

ſpicionem, quaſi *Patavium* hoſtibus prodidiſſet, tam diu tortum fuiſſe, quoad ejus viſcera paterent: & ita eculeo ſuſpenſum (qua nece dignus erat) ſemilacerum longo & intolerabili dolore, quo injuſte multos affecerat, æque miſerabiliter interiiſſe.

346 *De* Aldrovandino Campanato.

Scribitur quoque in *Patavinis* annalibus *Aldrovandinum Campanatum*, fuiſſe eximium oratorem, & legum doctorem egregium, ac virum magnæ gravitatis & auctoritatis in populo: & multis legationibus & magiſtratibus honorifice geſtis, inſignem, ac propter præclara ſua in Rempublicam merita, magnis prædiis, & aliquot domibus, quæ fuerant proſcriptorum civium, à Republica donatum. Hujus ædes erant in vico divi *Jacobi Molinarii.*

De Henrico Galleto.

Nequaquam prætereundum putavi hic *Henricum Galletum*, prudentem virum, & animi ac fidei conſtantia inſignem, *Carrarienſibus* principibus, & *Franciſco* præſertim juniori valde familiarem, & in ejus fuga, & in omnibus rebus arduis, conſiliarium prudentem, & comitem fidelem, atque in multis legationibus ad diverſos principes & reges admodum probatum: ita ut in tota *Italia* vir maximi ubique nominis haberetur. Verum ex eventu rei vir alioqui ſapiens habitus, multum erraſſe convincitur in diſſuadendo, ne capta aliquando *Brixia*, arcem pro viginti millibus nummûm aureorum, ab ultro ſeſe dedentibus acciperet: quandoquidem paulo poſt miſſis opportunis à Pontifice maximo in arcem auxiliis, coactus fuerit & arcem & urbem relinquere: quod fuit ei omnis futuræ ſuæ infelicitatis initium, quæ poſtea miſerum principem brevi tempore inſecuta eſt.

De Bariſono Vigoncio.

Eadem tempeſtate *Bariſonus Vigoncius* inter cæteros principis *Carrarienſis* duces celebris fama fuit, & conſilio mentis, & animi virtute, & corporis viribus pollens: & ex eo omnibus charus. Is in reditu *Franciſci* junioris, ſexcentos velites, expeditoſque levis armaturæ milites, quod mirabile dictu eſt, ſuis auſpiciis adverſus *Galeacii* ducis præſidium conduxiſſe dicitur, qui ſe pro ſalute ſui principis ſectarentur, quocunque voluiſſet. Quamobrem magnopere à principe laudatus eſt, & magnis poſtea muneribus & immunitatibus donatus.

De quinque viris ſelectis, quibus omnis civitas in armis parebat.

Satis ſuperque immoratus ſum in nominandis ſeparatim militaribus viris, ducibus & tribunis *Patavinis*, qui eouſque per ea tempora bellis ſævientibus innumerabiles pene fuerant in armis præſtantes. Nunc cogor oppreſſus numero, ne uniformis narratio ſatietatem legentibus pariat, & ſatietas poſtea faſtidium, receptui canere. Verum antequam omnino deſiſtam, peropportunum mihi viſum eſt, quinque viros adhuc addere, quos ex omni numero civium, uti præſtantiores, *Franciſcus* junior, cum obſeſſus ab exercitu *Veneto* acriter premeretur, ſibi tunc ſtudioſe delegerat: quorum imperiis populus univerſus, quem centuriaverat, ad tales caſus cum opus eſſet, armatus ſuis quiſque locis aſſiſteret: traditis eis quinque vexillis diverſis, in quinque locis plateæ dominorum, ut ſigno dato per campanæ pulſum,
A omnes ſub ſuis ducibus & ſignis armati ſtarent, & ubicunque opus eſſet, præſto forent. Primum vexillum detulit *Galeacio Gatario*, ſericum, colore cæleſti, orbibus aureis ad mundi formam repletum: & locum ei conſtituit ad ſanctum *Clementem.* Alterum vexillum dedit *Alberto Paſino*, coloris viridis, cum curru rubeo, & caſſide, æthiope alato ornata: ſedem ei aſcripſit circa puteum in media platea. Tertium vero vexillum tradidit *Joanni à Sole*, cum cruce rubea in colore albo, & in quatuor angulis infra latera quatuor rubeis curribus diſtincta. Huic ſedem attribuit in capite plateæ ad Occidentem, à parte 347
B Septentrionali. Quartum vexillum rubeum cum ſcuto albo in medio, & in ſcuto curru rubeo, cum caſſide alata dedit *Petro Cortarodulo*, cui ſtatio data eſt ab altera parte plateæ ad Meridiem ſub magnis ædibus, tunc tabernæ *Lunæ*: ubi nunc ſpecioſa porticus extat, & curiæ publicæ locus. Poſtremum autem vexillum *Antonio Turcheto* delatum eſt, totum candidum, curru magno rubeo inſignitum. Huic ſubjecit equeſtres turmas ex civibus, qui parati eſſent, cum opus foret, equitare, quocunque tubæ clangor vocaſſet.

C *De* Cardino Capivacio.

Sed quando de vexillis militaribus incidit mentio, non ab re fore duxi, hoc loco referre triſte prodigium *Cardini Capivacii*, apertum indicium imminentis exitii *Carrarienſium* principatus. Nam cum is vexillifer eſſet *Ludovici Buzzacharini* copiarum *Carrarienſium* ducis, qui *Galeacio Mediolani* principe defuncto, cum magno exercitu, & belli apparatu, ad recuperandam *Vicentiam* mittebatur, in media area nobilium, quæ nunc *Veneti* Senatus *Platea* dicitur: cum ei *Carrarium* vexillum in manus traderetur,
D nunquam potuit neque à ſe neque à ſuis ulla vi ſuſtineri, quin elapſum de manibus humi caderet. Quod tunc portendiſſe ferunt, ejuſmodi belli apparatum allaturum exitium & finem *Carrarienſium* principatui: quod ita fore brevi rerum eventus oſtendit: quando inde occaſio orta belli eſt, quo dum *Carrarienſis Vicentiam* ſibi vendicare invitis *Venetis* contendit, *Veronam*, *Patavium*, cum principatu, & vitam denique ipſam ſimul cum omni poſteritate filiorum infeliciter amiſit.

Diverſa nomina clarorum virorum militarium.
E

Nimis ſane ac in immenſum creſceret opus, ſi velim ſigillatim uniuſcujuſque titulos, & præſtantiſſimos quoſque cives *Patavinos* referre, qui tum robore corporis, tum animi magnitudine, ſapientiaque præditi, & ſuam, & alienas Reſpublicas vel conſiliis, vel legationibus, vel armis, ſeu magiſtratibus exornarunt. Quales fuere *Franciſcus* & *Henricus Capivacii*, jureconſulti & legati ad *Henricum ſeptimum:* & qualis & *Cato Galbertus* juris utriuſque conſultus doctiſſimus, qui prætorem egit in multis *Italiæ* civitatibus: à
F quo dicta eſt poſtea poſteritas ejus *Catonia.* Quales item fuerunt, & *Joannes Horologius*, & *Jacobus Gaſſarellus* legati ad placandos *Venetos* miſſi. Idem dici poſſet de *Joanne Galmarello* viro ſapientiſſimo *Carrarienſium* legato ad *Maſtinum Scaligerum.* Referuntur & alii pene innumeri, qui in rebus arduis, difficillimiſque temporibus, partim ad ſummum Pontificem, partim ad Cæſarem, & partim ad regem *Pannoniæ*, *Galliæ*, atque ad univerſas Reſpublicas ſeu principes *Italiæ* digniſſimas legationes obiiſſe leguntur. Cæterum quod

de hujusmodi viris sapientibus dictum est, idem dicendum videtur de strenuis ducibus ac tribunis: qui aut olim pro Republica, aut postea sub *Carrariensium* principatu, ubique in præliis, præclara facinora viribus corporis, & militaribus studiis ediderunt. Supra modum enim per ea tempora militia *Patavina* viguit, quum civitas quovis rationis colore præsumpto, vel ad invadendos alienos fines, vel ad suos tutandos, semper in armis staret: quatenus tam nobilibus, quam plebeis (licet diversarum partium) cunctis tamen unum militiæ studium in vita præcipuum esse videretur. Verum ne quis, vel nimis prolixam, vel nimis nudam stomachetur nomenclaturam, de industria pertransimus, inter quos præcipui fuerunt *Petrus Daulus*, magnus copiarum dux in militia, & in Republica maximus senator, qui in obsidione *Coloniæ*, cum audacter pro patria pugnaret, occisus est, anno salutis humanæ M. CC. LXXX. Idem accidit postea ex eadem gente *Antonio Dotto*, qui in oppugnatione *Anoalis* oppidi *Tarvisini* ictu lapidis extinctus est. *Felicius* successit *Zambono* & *Francisco* similiter *Dottis*, qui ambo militiæ insignes fuerunt, amplissimis honoribus & præmiis decorati. Item connumerandus restat *Sicco Caldenacius*, vir præstantissi-
348 mus animi, & invicti roboris, cujus præclarum facinus in expugnando *Mestro* à scriptoribus illius temporis magnopere celebratur. Efferuntur similiter *Jacobus* & *Paganus Capivacii*, equites insignes, & tribuni militares perstrenui. Addendus quoque *Guido de Vigoncia*, *Franciscus Rustica Lendenaria*, habiti ea tempestate fortissimi atque clarissimi viri. Adjicias & *Antonium* Comitem, *Morandum* & *Jacobum Porcilios*: *Lancerotum*, *Petrum* & *Pantaleonem Trapolinos*. Accedant his (si lubet) *Niger ex Nigris*, *Bernardus Scholaris*, *Nicolaus Pugliana*, *Leo Lazara*, *Jacobus Pius*, & *Albertus Leonius*, & *Nicolaus Gazius*, omnes per ea tempora vel copiarum duces, vel saltem tribuni insignes: de quibus in *Patavinis* annalibus honorificentissime legitur. Quando quidem ea tempestate (ut dixi) omne decus in armis erat positum, & à nobilibus sola militia tractabatur. Sed hic nobis modus servandus est, ne institutæ brevitatis propositi prorsus obliti esse videamur, & ne si laudibus propriis singulos impertiri velim, encomiastes dicar verius quam historicus. Ideo omissis bellicosis & turbulentis illis temporibus, quando tot militum tribuni floruere, eos tantummodo prosequamur, qui, posteaquam *Patavina* urbs in *Veneti* Senatus ditionem concessit parta perpetua pace, gloriose tamen domi forisque militiam secuti sunt, & ex armorum studiis insignem sibi laudem compararunt.

De civibus Patavinis *bello Claris. qui posteaquam* Patavina *urbs in Reipublicæ* Venetæ *ditionem concessit, militaris disciplinæ gloria, seu re aliqua memorabili claruerunt.*

Nemini mirum videri debet, si jam antea per ducentos & quinquaginta & amplius annos in urbe nostra, disciplina militaris vehementer excelluerit. *Patavium* enim (ut superius dictum est) inde à primordio urbis usque ad *Carrariensium* excidium semper in armis fuit. Atqui tandem seditionibus sopitis, & tyrannis ejectis, ubi *Patavina* civitas ad Rempublicam *Venetam* quasi inops senioque & laboribus confecta veluti mater ad filiam clementissimam simulque potentissimam profugit: cujus ope sublatis mox factionibus & dissidiis intestinis, ex diuturna multorum annorum pace, tam intra mœnia quam foris in agro,
A & publice & privatim, ad id decus pervenit, ut posito veterno, multo speciosior, multoque præstantior nunc studiis pacis facta sit, quam olim armis, militiæque labore. Et propterea philosophiæ ac rei medicæ, ut utriusque juris studiis, & *Latinis Græcis*que literis, multo tutius ac gloriosius deinceps operam dedit, quam olim armis & militaribus disciplinis. Neque tamen postea in hanc usque diem defuere, qui bellica laude præter superius nominatos tam sub *Veneto* Senatu *Patavii*, quam alibi apud alios *Italiæ* & *Europæ* principes excelluerint. De quibus pauca ex nostro instituto, prout cœpimus, differemus.

B

De Antonio Ridio.

Claruit autem post illa tempora insigni laude, & bellica gloria *Antonius Ridius Patavinus*, vir spectatæ nobilitatis, & industria militari, & armorum studiis excellentissimus: qui *Romam* profectus, tantum nominis sibi in bellicis expeditionibus, tam sub *Martino quinto* quam sub *Eugenio quarto* summis Pontificibus comparavit, ut ad summa quæque militaria munia fuerit exaltatus. De hoc Platina *in Eugenii vita*, & Blondus *in sua historia*, & postremo Paulus Jovius Novo-
C comensis *libro secundo Elogiorum de bellica virtute illustrium virorum*, multa memoratu digna referunt. Is enim constitutus *Adrianæ molis* arci præfectus est: ubi, postquam *Eugenius* metu adversarum partium clam mutato habitu *Roma* festinus abscesserat, obsessus durius à *Romanis*, quam perferre diutius vim posset, armisque omnino diffideret, artibus aliis, & bellica astutia, & no- 349
vo quopiam stratagematis invento agendum censuit. Quare uni ex militibus suis astutissimo, & in certamen prodire solito (quod quotidie fiebat) mandavit, ut de industria sese hosti objiceret capiendum, captusque sermone ad fallendum com-
D modato detrectaret, & diceret quanto iniquius poterat de arcis præfecto: & modo certa pecuniæ spes daretur, se esse cum sociis acturum, ut *Ridius* interficiatur, eisque arx dedatur. Compositis itaque rebus, captus ab hostibus, & ex sententia ad suos actutum dimissus, iterum in arcem, quasi ab hoste elapsus revertitur: atque paucos post dies obsessi, uti convenerant, *Ridii* vestes, & caligas fœno farctas, addita & capitis forma, in crepusculo lucis, de summa turri revinctis post tergum manibus, effigiem ad ejus similitudinem confictam recte suspendunt, ita ut à longinquo à cunctis ipse arcis præfectus omnino esse crederetur. Conclamant tunc milites de tur-
E ri una voce, de scelerato duce sumptum esse supplicium, petuntque, ut juxta condictum ingrediantur aliquot ex optimatibus cum pecunia, quam pacti fuerant, ut ea enumerata, quamprimum arcem recipiant. Non senserunt miseri, dolum fraudemque subesse: sed nihil mali suspicantes, securi cum pecuniis pollicitis arcem ingressi, enumerata pecunia, omnes repente vinciuntur. Fit clamor repente exultantium in arce sociorum: ipseque præfectus è fenestra *Romanis* sese ostentans, eos qui quasi arcem jamjam ingressuri accincti stabant, contumeliose & minaciter increpando, bombardis & missilibus salutat.
F Decepti itaque hoc pacto *Romani*, & qui intus & qui foris manebant, neque attollere oculos præ pudore, nec hiscere quicquam præ metu contra Pontificem deinde ausi sunt. Hoc igitur facto Ecclesiæ libertate reddita, *Eugenius* in sedem *Romanam Ridii* beneficio restituitur. Nimis longum esset, & à nostro brevitatis proposito alienum, si præclarissima quæque præstantissimi hujusce ducis gesta præscribere vellem: quæ pro

pro *Romana* Ecclesia in variis occasionibus bellicis ubique gesserat, & quæ ab illorum temporum scriptoribus de eo gloriose referuntur. Veruntamen hoc alterum præclarissimum illius facinus, quod ad Ecclesiæ libertatem tuendam, nihilo superiore minus profuit, hic nequaquam censui reticendum. Nam cum *Joannes Vitellius Cornetanus* Patriarcha & Cardinalis, universo Ecclesiæ exercitui præesset, nec illius amicus aut defensor, sed occulto impugnator, & hostis potius foret, facta conjuratione cum *Philippo Mediolani* duce adversus *Romanos* & confœderatos *Florentinos*, ipsemet *Romana* arma parabat: sed cognita re, & eorum consilio, ex interceptis ad *Montem Politianum* literis detecto, *Ridius* arcis præfectus admonitus à Pontifice *Romano* quid sibi agendum foret, *Vitellium* in armis præstantem, & cum sex millibus equitum in *Hetruriam* transeuntem (dum copias per pontem *Adrianæ molis* trajicit) in postremis nihil hostile cogitantem, audacter aggressus imparatum & securum nihil tale suspicantem cœpit: neque enim à suis adjuvari amplius poterat, qui jam trajecerant, neque propriis viribus se tueri, utpote imparatus, & quod iste viribus ei longe præstaret. Hujus captivitate exercitus statim dissolutus est, & *Eugenius* & *Florentina* Respublica à metu & à periculo liberata. In *Vitellii* autem locum postea suffectus est *Ludovicus Mediarota Patavinus*, ad *Eugenium* Pontificem Maximum omnium consiliorum arbiter: qui postmodum & Patriarcha factus est, & Ecclesiæ copiis præfectus: de quo supra satis suo loco dicitur. *Ridius* autem post *Eugenii* mortem, à *Nicolao V.* Pontifice Maximo & ipse copiis Ecclesiæ præficitur: & per tres annos (tam diu enim supervixerat) maxima cum fide, & nihilo minori cum gloria in cunctis expeditionibus militaribus & consiliis, tam belli quam pacis pontificiæ dignitati ubique præsto fuit. Sed tandem gravi morbo correptus, accito scriba, hæredem suum legitimum instituit *Nicolaum Ridium* fratrem suum, reliquitque multa & maxima legata. Ditissimus enim evaserat, & quatuor castrorum dominus: quorum duo hæredibus reliquit, videlicet castrum *Pedelucum*, & castrum *Mirandæ*. Castrum vero *Cyperanum* legavit *Nicolao V.* Pontifici Maximo: & castrum *Jubileum* extra pontem *Salarium*, in partibus insulæ, legavit supra memorato *Ludovico Patavino* Cardinali sancti *Laurentii* in *Damaso*. *Joanni* autem *Francisco Ridio* filio notho legavit septem
350 millia aureorum, insuper equos, & mulos, & arma, & aliam supellectilem magni pretii. Domesticis quoque & familiaribus legavit multam pecuniam, prout cujusque conditio sibi postulare visa est: præterea vestimenta funebria singula singulis, quibus omnes familiares indui mandaverat, dari jussit. Reliquit autem Ecclesiæ & pauperibus multa ac maxima munera, præsertim divæ *Mariæ* in *Posterella*: quæ erat juxta ædes ejus in urbe, & sanctæ *Mariæ* montis *Falconis* extra urbem, ubi etiam sepeliri voluit. Obiit anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo. Huic *Eugenius* adhuc viventi in valvis æneis divi *Petri* in *Vaticano* testandæ præclaræ hujus viri in Rempublicam *Romanam* rei gestæ gratia, equestrem statuam jussit exsculpi cum hoc titulo, ANTONIVS RIDIVS. In vestibulo templi sanctæ *Mariæ Novæ* in urbe ad Arcum *Titi* extat hujus equestris statua marmorea cum hoc epitaphio:

ANTONIO PATAVINO SVB EVGENIO PONT. MAX. ARCIS ROM. PRAEFECTO, AC NICOLAI V. COPIARVM DVCI, IOANNES FRANCISCVS FILIVS EX TESTAMENTO FIERI C.

De Bartholomæo Capivacio.

Memorandus quoque merito hic est *Bartholomæus Capivacius*, *Venetarum* copiarum strenuissimus dux: qui cum *Rodigium* suo ingenio, & virtute armorum *Veneto* imperio reddidisset, ob multas vigilias & immensos militiæ labores gravissimo affectus morbo, ex eo paulo post occubuit: post cujus obitum Senatus *Venetus* posteris illius menstrua stipendia ex ærario publico solvenda mandavit.

De Siccone Montagnana.

Eodem laudis genere præstat inter copiarum duces, *Sicco Montagnana*, qui sub *Philippo Mediolanensi* duce in acri bello, quo cum *Venetis* apud *Brixiam* & *Cremonam* diu pugnatum est, strenuissime se habuit: ex quo à Blondo Flavio *Historiarum libro* XXXIII. nominis immortalitate donatur.

De Michaele Livello.

Miles clarissimi nominis perhibetur fuisse *Michael Livellus*, & inter cætera quæ illum clarum reddunt, censentur ludi illi equestres celeberrimi *Patavii* tanta pompa celebrati, ut eorum usque in præsentem diem ingens fama perduret, à poëtis & historicis perpetuis monumentis relata. Nec minus eum celebrem fecit *Ferrariense* bellum, quo à Senatu *Veneto* quingentorum militum tribunus factus, gloriose, & in armis, & in consiliis sese gessit. Anno salutis millesimo quadringentesimo octuagesimoquarto.

De Alexandro Beraldo. 351

Nostris quoque temporibus, sub *Venetorum* auspiciis honoratissime militavit *Alexander Beraldus Andulphi* filius cataphractorum equitum tribunus præstantissimus, & in omni armorum disciplina instructissimus: forma corporis, & viribus insignis, atque equitum sub suo ductu militantium præstantia ubique spectabilis, & ob id Senatui *Veneto* admodum gratus. Verum cum florenti adhuc corporis robore, in *Insubria* apud *Tarrum* memorabili illo prælio, quo *Carolus VIII.* *Gallorum* rex cum maximis copiis à *Venetis* pene victus fugatusque est, inter primas acies progressus magno impetu in hostes ruens, dum *Gallorum* equitatui illo primo impetu plusquam virili pertinacius resistit, & effosso equo, pedes diu viriliterque decertat: tandem equestrem impetum pedester diutius ferre non pervalens, affectus multis vulneribus, non sine magna hostium strage, nec inultus gloriosa morte decubuit, una cum præclarissimis ducibus *Rodulpho Gonzaga*, *Joanne Picinino*, *Galeacio Corregio*, & *Ruberto Strozza* pariter certantibus, pariterque morientibus: qui tunc sua virtute victoriam *Venetis*, & sua morte immortalem sibi nominis gloriam pepererunt. Ægre sane tulit *Veneta* Respublica jacturam tantorum virorum, ac magis etiam patria civis sui clarissimi mortem deflevit: qui si diutius vixisset, patriam proculdubio longe lateque splendore sui nominis illustrasset. Hujus obitus meminit *Paulus Jovius* Historiarum sui temporis libro secundo. Accidit autem hoc anno salutis M. CCCC. XCV. ætatis vero suæ XL.

De Francisco Beraldo & Beraldio *fratribus*.

Claruerunt quoque aliquando his temporibus tam ob militarem virtutem, quam ob splendo-

dorem inclytæ famæ *Alexandri Beraldi* patrui, *Franciscus* & *Beraldius* fratres, ambo insignes equitum tribuni: qui infelici illa clade ad *Abduam Veneto* exercitu profligato, cum patria postea & ipsi infeliciter à *Venetis* ad *Maximilianum* Cæsarem una cum aliis multis desciverunt. Ambo profecto strenui & audaces, sed infelices, utpote qui militari gloria elati, protinus dum volare se credunt, & audacius circumcursant, capti ut aves incaute hostium retibus implicantur: qui postea pædore carceris, & iniquo fato haud multo post infeliciter diem suum obiisse creduntur. *Lucillus* autem *Beraldus* hanc militarem disciplinam gentilitio jure ad se spectantem omnino pertæsus, sepositis armis, humanitatis præclara studia complexus est, & quicquid in rebus publicis ac privatis otii superesset, id totum historicis, & oratoribus, ac poëtis perlegendis ac imitandis impertiit. Quocirca creatus publice utilitatis præses, si quando in curia è suggestu de rebus publicis agit, tanta facundia loquitur, ut omnes eum mirentur, laudent, & clamoribus in cælum tollant, ut habeatur à cunctis jure optimo in dicendo facundissimus. Leguntur ejus carmina & *Latina* lingua & *Hetrusca*, lepide admodum & concinne decantata, ut jam tam propriis, quam alienis scriptis, sicut nobis modo, ita & posteris immortali nominis fama innotescere valeat. Sed id obiter dictum volui, nunc ad alios transeamus.

De Marco Antonio Clemente *cognomento* Malfatto.

Habuit *Alexander Beraldus* in eo prælio, quod proxime dicebam, & gloriæ & mortis socium, *Marcum Antonium Clementem*, cui ex forma corporis à puero *Malfattus* cognomen inditum fuit. Is cum esset animo audaci, & robustis viribus, & manu ad feriendum promptus, multa de se experimenta, & in duellis, & in præliis militaribus edidit: & præsertim cum inter primarios *Francisci* principis *Mantuani* duces haberetur, & quum in eo *Tarensi* prælio adversus *Gallos*, ita strenue sese habuerit, ut nemo fuerit in eo conflictu, ex peditum numero, qui majo-
352 ra præstiterit: qui vero æque magna admodum pauci. Quocirca converso omni robore hostilis exercitus, in hunc ferme unum per multa vulnera invictus per septem horas pugnasse dicitur: tandem dum cædit, cæditur, & denique dum occidit, occiditur: dignus profecto qui ex tam gloriosa morte, immortalem sui nominis gloriam consequatur, quæ sibi suisque ac patriæ sit perpetuo decori. De hoc Paulus Jovius *Historiarum* sui temporis *libro secundo*, ita honorifice memorat: *Vicentius*, inquit, *Corsus*, *qui peditum agmen ductabat*, *Malfattus & Gabanellus*, *qui in prætoria cohorte cum alias*, *tum eo prælio maximam fortitudinis laudem adepti*, *evadenti Mantuano ingentibus rhomphæis sternendo hostes*, *viam aperuerunt.* Hæc illle, & nos hactenus de eo.

De Sebastiano Montesilice.

Idem Paulus Jovius *libro octavo Historiarum* memorabilem reddit *Sebastianum* ex *Montesilice*, egregium peditum ductorem, & in *Græcia* apud *Metonem* belli *Turcici* tempore, præsidio veteri præfectum. *Is quidem ubi acerrime decertaret*, *prorumpentibus barbaris*, *magna cædes patrata est*, *& urbs capta*, *& captivi longis nexi restibus*, *supra mille ad prætorium perducti*, *& in conspectu imperatoris Turcarum omnes trucidati*: *præter eos*, *quos aut ætas*, *aut decora forma ad miserrimam vitæ conditionem servarat.* *Is ergo injectis catenis*

A *Constantinopolim captivus deducitur.* Hæc ille. Quid vero de eo postea factum fuerit, ignoramus. Id ei pro sepulchrali elogio ubicunque conditus fuerit habeatur.

De Alexandro Bigolino.

Non infimum locum tenet inter clara ejusmodi ducum nomina *Alexander Bigolinus*, qui egregia erga Senatum *Venetum* fide, & in recuperando *Patavio*, postmodum in conservando suis aliquantisper impensis, & postea publicis magno levium equitum, atque agrestium peditum numero, adversus hostes ubique præsto fuit:
B & præsertim in obsidione *Cittadellæ*, ubi in vexandis hostibus cum magna agrestium manu strenuam operam navavit: eique propterea deinceps cura data, & stipendium à Senatu missum, ut ad id centum equites levis armaturæ, & pedites trecentos sibi compararet, quod & diligentissime præstitit, & idcirco *Veneto* Senatui quam gratissimus, & unus omnium illis temporibus habitus de Republica optime meritus.

De Sacardo Soncino.

Item *Sacardus Soncinus* in hoc bello equitum
C tribunus clarus extitit: licet *Bartholomæo Liviano* imperatori exercitus, sicut & cæteri *Patavini* parum gratus: Senatui tamen *Veneto* gratissimus. Huic centum equitum cataphractorum, & eorum qui sagittis uterentur, centum viginti præfectura tradita est. Et ipse in magno semper honore habitus, auctusque fuit publicis muneribus, & ei annuæ pensiones pro rebus gestis à Senatu traditæ.

De Bonifacio Soncino.

Bonifacium Soncinum Petrus Bembus *Historiarum libro nono*, ita ab oblivione defendit: *Bo-*
D *nifacio Soncino* (inquit) *quia se amanter pro Republica*, *Patavino bello gesserat*, *auri libra annis singulis*, *immunitasque rerum omnium liberis*, *posterisque ejus: tum ut ipse liberique ejus extra ordinem in Patavino consilio legerentur*, *dono datum.* Hæc ille.

De Achille Boromeo. 353

Capto *Patavio* à *Maximiliano* Cæsare, *Achilli Boromeo* in civitate primario novitas illa male successerat: quando recuperata paulo post à *Venetis* urbe, cum aliis multis metu instantis periculi, quod ex ea mutatione suboriri facile poterat,
E ad *Maximilianum* confugit, & proscriptis interim ejus bonis, à patria relegatus est. Cæterum Cæsar cognita ejus in rebus gerendis prudentia, eum primo præfectum fabrûm constituit totius exercitus, & subinde provisorem annonæ, ac demum consiliarium: atque eum equitem & comitem creavit, & tanto in honore habuit, quanto alterum ex extorribus neminem. Pacatis deinde cum *Veneto* Senatu rebus, millesimo centesimo decimoseptimo, impetrato in patriam reditu, contentus fuit visere tantum suos semel, & lares patrios salutare. Sed paulo post, longum vale dicens patriæ, ad pristinos honores Cæsarianæ mi-
F litiæ sese recepit: ubi postea sub *Carolo Augusto*, & *Carolo Barbono* vicem *Caroli* imperatoris gerente, admirabili prudentia in magna nominis claritate resplenduit, quandiu in vita superfuit. Obiit *Romæ* anno M. D. XXVII. mense Novembris.

De Hieronymo ab Angelo.

Non est hic prætereundus omnino *Hieronymus ab Angelo*, vir strenuus, & militari disci-

sciplina, & ingenti corporis & animi virtute præditus. Is apud *Joanninum Medicem* Pontificii exercitus imperatorem primus dux fuit, & ejus ubicunque abesse contigerat vicem gerens: qui post multa præclara facinora, cum maximo honore patriæ, dum apud *Insubres Girlasdum* oppidum munitissimum expugnare contendit, & dum pluris gloriam quam vitam facit, tormento ictus, in ea pugna gloriose occubuit.

De Hieronymo Lazara.

Haud dispari animo seu fortuna *Romanam* militiam sequi visus est ejusdem nominis *Hieronymus Lazara*, qui cum ingenti & animi & corporis robore præstaret, & profugus à patria militiam sequeretur, tantum sibi nominis in *Picœno* sub *Leone* decimo Pontifice Maximo sua sibi virtute comparavit, ut præfectus legionis factus, ex gestis felicibus tantæ existimationis apud eum haberi cœperit, ut *Joanninum Medicem* Pontificem nepotem in invidiam traxerit, ne sua aliquando gloria fieret gratia tantæ illius felicitatis obscura. Quocirca data opera *Romæ* per insidias circumventus, dum securum se credit, à tergo ab sicario abscissus suras humi repente concidit, & collapsus à præparatis insidiatoribus interficitur: cujus cædem perquam indigne *Leo X.* tulisse fertur, quod virum fortem per invidiam interemptum, & *Romanam* militiam tanto viro orbatam sciebat. Hujus corpus *Romæ* honorifice conditur: sed fama nominis, & gloria gestorum, & necis causa, per totam *Italiam* ubique vagatur.

De Jacobo Spinello.

Jacobus quoque *Spinellus* per hæc tempora militaribus studiis intentus, *Fregosi* præstantissimi copiarum ducis vice functus, & bello & pace ubique in omni periculo semper promptus, strenuissime sese gerens, magnanimi ducis nomen & ipse sibi comparavit.

De Hannibale Testa.

In armorum studiis, & arte militari præstantissimus habitus est, & *Hannibal Testa*, cujus præsertim virtus emicuit sub imperio *Joannis Medicei:* à quo levis armaturæ equitatui præfectus datus, post multa à se præclare gesta, sub muris *Ticinii* magna cum gloria acriter decertando
354 multis confossus vulneribus occubuit. Anno Domini millesimo centesimo vigesimosexto.

De Petro Testa.

Nihilo quoque inferior aut minor in armis fuit *Petrus Testa* ejus consanguineus, equitum levis armaturæ insignis tribunus: qui sub *Veneto* Senatu aliquando stipendia honorifice meritus, & ipse hic inter claros milites, ob eximiam ejus fortitudinem, merito collocandus est.

De Antonio Bologna.

Oblitus ferme fueram annectere his militarem virum, & strenuum tribunum *Antonium Bolognam*: qui post multa & insignia munia militiæ in patria & foris honorifice peracta, cum tandem ad suos reversus in propriis laribus moraretur, adulterii falso insimulatus, nihil tale suspicans, inermis comprehensus, letaliter vulneratur. Qui etsi præsentem necem primo strenue evaserit: ex eo tamen vulnere, paulo post miser interiit. De hujus nece, & conficto adulterio cum *Daria Veneta* tunc ab *Aloysio Galza* marito immaniter occisa, *Angelus Leonicus* edidit pulcram tragœdiam *Italico* sermone compactam: & *Franciscus Savonarola* hoc epitaphium:

LVX ANTENOREI LARIS DECVSQVE,
MARTIS GLORIA, CVI PAREM PERACTA
NEC PRAESENTIA, NEC DABVNT FVTVRA
SECVLA, EVGANEO DOLENTE COETV,
HIC ANTONIVS EST SITVS BOLOGNA.

De Michaele Angelo Chinello, & Petro *filio.*

Magnanimus miles, & clarus tribunus fuisse perhibetur *Michael Angelus Chinellus* eo bello, quod in *Latio* à *Clemente VII. Romano* Pontifice adversus factionem *Colonensem* gestum est: anno Domini M.D.XXVI. in quo multiplici ratione strenuum sese exhibuit, cum omnibus in rebus, tum præsertim quando *Piperni* oppidi prope *Romam* custos datus est: ubi in rebus arduis cum maximo vitæ discrimine, sua prudentia multa memoratu digna fecit, quæ *M. Guacius* noster in historia de illis temporibus multis in locis honorifice refert. Nihilo autem nunc minoris famæ & existimationis ex usu armorum, & peritia artis militaris, habetur hujus filius *Petrus Chinellus*, miles strenuus, & in bello admodum exercitatus: qui ab ineunte ætate, secutus patrem virum in armis præstantem, sub *Clemente VII.* biennium militiam exercuit adversus *Colonenses*, ac proregem *Neapolis*, in expugnandis oppidis, quæ ab *Romano* Pontifice defecerant. Nec minori animo pugnavit adversus *Hispanos Romam* ingredientes, quippe qui non à pugnando prius destitit, quam exercitus *Romanus* profligatus in arcem *sancti Angeli* se reclusit: & inde postea trajecto *Tiberi*, è manibus hostium natando in tutum sese recepit, & in patriam tandem reversus, *Venetorum* post hæc stipendiis militavit: qui cum ubique strenue sese ageret, missus est tribunus in *Græciam*, cum valida peditum manu, ad tuendam *Corcyram*: & postea in *Dulcinum* oppidum, ubi per tres annos commoratus est: inde cum præsidio peditum *Veronam* profectus, ubi cum in his rebus, quæ ad muniendam urbem spectant, admodum commendatus esset Reipublicæ *Venetæ*, auctum ei stipendium fuit. Deinde profectus cum quadringentis equitibus in territorium *Bassiani*, subinde in patriam vocatus, præficitur quingentis peditibus *Plebissacci* municipii *Patavini*. Hæc de *Petro Chinello* hactenus, alii fortasse posthac de eo cum majora fecerit, majora dictabunt.

De Hieronymo Mirano. 355

Viget inclyta fama præclari tribuni *Hieronymi Mirani*, qui præsidio *Veronæ*, & subinde *Tarvisii* præfectus à Senatu *Veneto*, ubique summo cum honore habitus est, & inter tribunos *Venetos* nulli secundus. Quos honores sua sola sibi tam animi quam corporis virtute pugnando paravit. Nam quo tempore *Veneti Carolo V.* Cæsari ex fœdere sociati adversus *Turcas* magna classe pelagus occupassent, & oborta inter confœderatos contentione, abeuntibus cæteris triremibus fugientium more, solus *Galeonus* (sic etiam dicitur) perstitit, qui ob immensam molem suam inde fugere non valebat. Quare ab ingenti hostium classe circumdatus, nulla nisi in armis spes evadendi manserat. Is ergo *Hieronymus* qui illic miles fuerat animo invictus, & corporis robore prævalidus, prosiliens inter primos in jam ascensa à *Turcis* puppi, ensem ambabus manibus fulminans, magno ausu, & majori robore hostiles impetus primo statim aggressu fregit, mortiferis

ictibus sternens quotquot repugnantes obstabant. Perterritos vero & fugientes in subjectum pelagus præcipites dabat. Interim triremes *Turcicæ*, quæ circunquaque stabant, crebris tormentorum ictibus quassatæ, pleræque lassis compagibus fatiscentes, una cum hostibus obruuntur: reliquæ festinanter se elongant, sociorum satis aperto exemplo doctæ. *Veneta* autem navis à tam imminenti periculo erepta, salutem suam Deo Optimo Maximo & *Hieronymo Paduano* (sic enim cognominabatur) acceptum refert. Hinc *Hieronymus* postea à cunctis laudatus, ubi à vulneribus curatus fuit, in demortui præfecti locum suffectus est. Qui ubi *Venetias* applicuit, à Senatu optimo virtutum æstimatore insignis tribunus militum mox factus est. Et assignato stipendio *Veronæ* primum, & postea *Tarvisii* præsidio deputatus, ubi contracto ex aëris subtilitate incurabili morbo, moritur: cujus mors, & Senatui *Veneto*, & patriæ nostræ permolesta fuit.

De Joanne Francisco *cognomento* Paduano.

Vivat ne *Joannes Franciscus Patavinus* præfectus *Gogolæ* arcis in novis regionibus *Indiæ*, apud Dium à *Lusitanis* nostra ætate repertæ, anno Domini M. D. XXXVIII. ut in parvo quodam itinerario impresso *Venetiis* per *Antonium Manutium* M. D. XLIII. legitur, incertum est. Quid autem de eo fuerit, non satis intelligere potui. Legitur ibi eum cum 80. *Lusitanis* cum viriliter sese defenderet, comprehensum à *Turcarum* præfecto, & pro servo abductum.

De Andrea Bizzacomino.

Magna vis & inconstantia fortunæ in utranque partem, *Andreæ Pizzacomino* in his nostris commentariis aptissimum locum dedit. Qui cum polleret ingenio & industria, cum serici & aurei panni, pretiosarumque rerum ejusmodi supellectile in *Ungariam* profectus est, ubi ab *Aloysio Grito Andreæ Griti Venetorum* ducis filio receptus fuit, qui in provinciam *Transylvaniæ*, à *Solimano Turcarum* principe missus in auxilium *Joannis Vaivodæ* regis, ibi proregem agebat. Is ergo in amicitiam admissus numariæ primo officinæ præficitur, ut ejus judicio ex puris metallorum venis publice cuderentur pecuniæ: quam rem iste optime & in primis callebat. Postea publicis similiter vectigalibus salinarum præponitur, & denique magno stipendio, centum cataphractorum equitum tribunus factus est, ac subinde ditissimus & honoratissimus comes. Verum dum sic extollitur, ob invidiam ab *Ungaris* vi oppressus immaniter occiditur, *Italorum* quenquam super se regnare nolentibus. Cujus cædem ipse *Gritus* mox in eum populum, & oppidanos illius cædis auctores, juste quidem & fideliter ultus est. Sed paulo post eodem fortunæ impetu, & ipse *Gritus* comprehensus, dum regnum exoptat *Transylvaniæ*, miserabiliter vitam suam simili nece, *Transylvaniæ* Episcopo jubente, finivit: & ita utrique horum brevi tempore secunda fortuna largita est regnum, & adversa attulit mortem. Sed de hac re alii jam copiose scripserunt, id nobis pro nostro instituto satis.

356 Andreas Lydius.

Nunc ab his qui jam defuncti nullam patiuntur laudis invidiam, ad viventes transeamus, ut in superioribus classibus fecimus, cum quibus moderatius agendum censui, ne adulationis nota inuri à quoquam possim. Inter quos nobis primus occurrit non armis, sed juris æquitate & magistratibus *Bononiæ* inclytæ urbis clarus, *Andreas Lydius* jureconsultus egregius: qui licet in academia *Patavina* non diu, ut plerique alii, versatus sit: tamen æquitatis, & probitatis, & juris peritiæ fama notus, & *Bononiæ* & *Januæ* juredicundo præfuit, & magna cum laude & probatione æquitatis in patriam reversus, æque inter suos uti inter alienos ubique magno honore semper habitus.

De Carolo Castrio.

Clarus honore militiæ, & clarus genere vivit licet jam emeritus tribunus militum *Carolus Castrius* vir nobilis, *Andreæ* filius, & *Angeli Castrii* doctoris illius celeberrimi nepos: qui ab adolescentia non avorum suorum studiis sed armis delectatus, ut illi literis, ita is armis non parum sibi nominis comparavit: & iccirco accitus à *Malatesta Baliono* peditatus Reipublicæ *Venetæ* imperatore, aliquandiu vexillifer & antesignanus fuit: sed postea à *Florentinis* centum equitibus levis armaturæ præfectus est, ubi strenue pro ea Republica adversus hostes sese habuit: tandem pacatis rebus, accepto commeatu, adhæsit illustri duci *Hieronymo Ursino*, & una secum cum turma equitum transivit in *Galliam* ad *Caroli Augusti* exercitum, qui ad reprimendum *Gallorum* impetum festinabat. Atqui denique ubi multas peragraverat regiones, ingravescente jam ætate ad suos reversus, cum summa animi tranquillitate sua contentus perfruitur avitis bonis in pace hilaris, & usquequaque jucundus.

De Ludovico Valle.

Etsi *Ludovicum Vallem*, & robur corporis, & animi præstantia, ubique domi militiæque clarum reddidit: multo tamen clariorem eum fecit fortuna adversa, quam prospera. Nam is cum esset tribunus peditum adversus *Turcas* in *Illyrico* juxta *Broachium*, inito infeliciter cum hoste conflictu, captus ab hostibus cum ex habitu & officio (ut erat) vir strenuus & nobilis haberetur, maxima ei multa pro redemptione ab illis imponitur: qui cum auro sese redimere non valeret, ingenio sese redemit. Etenim tanta animi benevolentia & fide devinxit sibi servum custodem, ut decepto domino, una secum cum maximo vitæ utriusque discrimine post multa pericula, & duros labores, tuto tandem *Venetias* applicuerit: ubi à Senatu *Veneto* benigne susceptus est, & stipendiis auctus, & ad tribunatum pristinum restitutus: & *Patavium* denique in patriam regressus, cum maximo gaudio & admiratione ab universis ordinibus exceptus est. Qui mox voti compos factus ad salutandas divi *Antonii* Confessoris reliquias, cum maxima amicorum caterva profectus, votum supplex exsolvit, & ferreas compedes, cum tabula captivitatis indice lætus obtulit: quæ ibi nunc in testimonium tanti beneficii prope aram pendere cernuntur.

De Colace Sabionio, *& aliis multis.*

Claruerunt & alii multi insignes & equitum & peditum duces *Patavii* diversis temporibus, qui in hoc loco à nobis non recensentur, vel eo quod nondum satis exacte eorum gesta ad aures nostras pervenerint, vel etiam consulto, ne cui nimis longa commemorationis series visa tædium fortassis adferat. Nostra autem ætas quos habuerit insignes tribunos, dissimulare nec possum, nec debeo. nec si possem velim: singulorum enim elogia verbosius referre nimis longum esset. Sed per-

357 pertransire non possum *Jacobum Sabbionium* peditum ductorem, & *Colacem* ejus fratrem, cui uni inter gladiatores suæ ætatis par nemo fuerat: & propterea *Herculi Estensi* gratus admodum, & charus. Is enim plusquam decies in conspectu ejus, in duello ex provocatione decertans, & victoriam consecutus, illustris gladiatoris nomen adeptus est. Nec dicam de centurionibus admodum insignibus, & Senatui *Veneto* perquam fidis: *Bernardino*, scilicet, & *Augustino* fratribus cognomento *Parma*, qui bello & armis, immortalitatis sibi nomen compararunt. Adde & *Marcum Nasellum*, *Hieronymum Fatinancium*, & *Cosmos* fratres, ex municipio *Campi sancti Petri* eximia corporis proceritate formaque præstantes: ita, ut ex giganteo genere esse viderentur: quippe qui humero tenus omnes quamvis proceros supereminerent. Sed jam multi hac tempestate in arte militari præstare dicuntur, qui adhuc vivunt, vel emeritæ militiæ, vel qui nondum satis noti indies magis magisque militaribus studiis clarescent: quos interim pertransimus, ne prolixiores quam initio sumus polliciti, esse videamur. Etenim jam receptui canendum est: quando alii post nos de his suo tempore dicent.

CLASSIS XIV.

DE CLARIS MULIERIBUS Patavinis.

PRÆFATIO.



IXIMUS supra de claris & illustribus viris Patavinis, *consentaneum nunc esse videtur, ut rerum ordinem sequentes, aliquid etiam de fœminis & matronis insignibus dicamus: quæ etsi seorsum scribantur, non sunt eæ tamen debita nominis memoria à viris ullatenus separandæ. Superius enim in principio diximus, de celeberrima priscarum mulierum* Patavinarum *pudicitia, & subinde separatim de quibusdam sanctis & beatis virginibus: hic modo commemorandæ sunt recentiores aliquot dignæ sane, ut ob egregias virtutes suas, merito perenni memoria celebrentur. Quæ quidem si multo pauciores quam viri sint, minus mirandum est, quando mulieres probæ & pudicæ, præ erubescentia innati pudoris latere in occulto malint, quam in publico videri: ac ignorari potius, quam sciri. Non enim more virorum cupidine famæ traduci vulgo desiderant: utpote quas conditio naturæ, & verecundiæ stola, à foro, à judiciis, à scholis, æquè atque ab armis esse procul jubent: quibus fere rebus fama & celebritas nominis comparari vel in primis solet. Quocirca sapientissime* Thucydides Græcus *philosophus ducebat eam mulierem optimam habendam esse, de cujus laude aut vituperatione rumor minimus apud exteros haberetur: asserens probæ mulieris nomen, itidem atque corpus intra domesticos parietes continendum. Mihi vero probabilius sentire videtur, qui mulieris non formam, quæ pudicitiæ periculum apportat, sed egregium nomen præclare continentiæ in exemplum aliarum apud quamplurimos passim vulgandum censet. Quare merito fiet, ut sicut de claris viris* Patavinis *antea diximus, ita etiam de claris mulieribus deinceps dicamus.*

358 *De* Adriana Janusii *principis uxore.*



RIMA ergo post acceptum Christi evangelium, præter supra memoratas sanctas ac beatas, celebranda inter insignes fœminas *Patavinas* occurrit mihi *Adriana*, *Janusii*, vel ut quidam dicunt, *Janni Patavini* principis uxor. Hæc enim *Attilæ* potentissimi *Hunnorum* regis metu (qui innumerabili pene exercitu Alpes ad diripiendam & occupandam universam *Italiam* pertransierat) verita id quod erat facile futurum, ne una cum tota familia, & multitudine magna nobilium mulierum barbaris hostibus præda fierent: dimissis ad tuendam patriam maritis, cum omni pretiosa supellectili ad loca maritima transvectæ, *Venetias* prope *Rivumaltum*, ubi jam cœptum fuerat habitari, tuto appulerunt, & ibi postquam aliquandiu moratæ fuissent, & hæc sibi, & suis satis idonea ad habitandum loca parasset, ut erat pia mulier, cupiens tam propriis filiabus, quam aliis nobilibus puellis, quæ eandem secum fugam arripuerant, consultius providere, ibi monasterium ædificandum curavit, quod archangelo *Raphaeli* dicavit: ubi nobiles virgines caste vivere volentes, sub pia custodia, & sub sancta observantia collocarentur, ut pro incolumitate patriæ hæ ibi Deum assidue precarentur, & ut reducem maritum sub angeli hujus sancti custodia, à tam immani hoste, & in tantis periculis, illæsum servaret. Quod factum est: nam patria incensa, *Janusius* cum reliquis civibus ad uxorem in ea loca devenit, & ædificatis pro tempore ædibus, ibidem cum tota familia, & magno comitatu *Patavinorum* fugientium, postea cohabitavit. Sunt qui dicant hanc profectam ab *Altino*. Non contendo, de

ea sic & in nostratibus memoriis & annalibus legi.

De Berta *ex* Montagnono.

Memoratur in iisdem *Patavinis* annalibus celebris fama *Bertæ* ex vico *Montagnono*, quæ quidem fuit rusticana genere, sed moribus certe perquam nobilis, & animo perquam generosa. Hæc enim tempore *Henrici quarti* imperatoris, quum ejus uxor, & ipsa *Berta* nuncupata, *Patavii* moraretur, ubi etiam nunc in Ecclesia *Cathedrali* defuncta jacet, vel ejusdem forte nominis similitudine, vel propria generositate animi allecta, obtulit ei dono filum tenuissimum, quod eleganter suamet neverat manu, & in urbem vænale detulerat. Quod munus regina hilari vultu accepit, & cum cognovisset nomen & animum mulieris, eam indignam censuit, ut vitam inopem fœminea colo amplius sustentaret suam. Dato itaque filo procuratori suo, jubet ad pagum *Montagnoni* statim proficisci, ubi mulier habitabat, & pro referenda gratia, tot terræ jugera ei ex publico ascribi, quantum spatii filum dono datum, extensum comprehenderet, ac circundare posset. Quod cum cæteræ vicinæ mulieres vidissent, illico *Bertæ* exemplo attulerunt & ipsæ filum, quod reginæ dono darent. At ipsa renuens id ab aliis accipere, peracute respondit: *Pertransiit tempus, quando Berta filabat.* Quæ postea responsio mansit *Patavinis* in proverbium in hanc usque diem: quum velint significare temporis mutationem, & quam mutata fortuna, & rerum conditione felicius, vel infelicius solito quis sese habeat. Ab hac postmodum muliere fluxisse ferunt gentem & familiam nobilem, dictam postea de *Montagnono.*

De Blanca Rubea.

Sed de mulieribus *Patavinis* dicere aggressus non ab re arbitror fore, si commemoremus hoc loco memorabile facinus *Blancæ Rubeæ Patavinæ*, invictæ fortitudinis, & rarissimi exempli fœminæ, & cujus virtus animi, & pudicitia corporis, & amor in maritum à scriptoribus,
359 summis laudibus in cælum fertur. Hæc cum ardenter virum suum diligeret, cum eo in præsidium *Bassiani* tunc municipii *Patavini*, cum cohorte militum voluit omnino proficisci: quod quidem jam una cum *Patavio* ab *Accиolini* tyranni potestate defecerat, anno Domini M.CC.LIII. *Acciolinus* autem audita defectione cum *Patavium* frustra recuperare tentasset, *Bassianum* cum exercitu venit, & dura obsidione cinctum, aggressus mœnia, admotis scalis vi oppidum expugnare contendit. Verum cum populus perterritus deponere arma, & veniam poscere inter se consultaret, *Blanca* nobilis virago animo, plusquam virili omnium prima cum marito exclamans, tyranni promissis non esse omnino fidendum, atque una cum defensoribus facibus accensis, & aquis ferventibus, saxis sagittisque, & id genus missilibus hostes vulneratos, ac ferventibus aquis semicoctos, è scalis præcipites, & è muro in fossam miserabiliter deturbant. Cæterum tyrannus qui tunc nec vi, nec ferro potuit irrumpere, proditione quorundam conjuratorum admissus intra mœnia per portam, quemcunque obvium habet, sine aliqua venia impius miles occidebat: & in primis occidit *Baptistam à Porta*, hoc erat ei tunc cognomen, *Blancæ* hujus maritum, qui primus in occursum accurrens ingredientibus strenue resistebat. *Blanca* vero dum pro marito ulciscendo cum hostibus viriliter decertaret, capitur, atque exuta armis, vi tracta coram tyranno assistitur, qui statim pulchritudine capti-
A væ, quam furor armorum duplo auxerat, captus, jubet eam servari: ad quam paulo post ingressus, blanditiis primo, postea & minis corrumpere ejus pudicitiam contendebat: quibus cum nihil proficeret, comprehensam violenter attrectare ac violare conatur: illa cum sese tueri melius non posset, è fenestra (ut casus tulit) sese præcipitem dedit, malens vel sic fortiter vitam cum jam mortuo marito, quam turpiter pudicitiam cum impio tyranno perdere. Sublata autem de terra, ut erat deturpata sanguine, & semimortua, in lecto reponitur, & diligenter curatur. At post non multos dies, ubi tandem ab ea contusione
B convaluit, rursum oblata tyranno, cum constanter in continentiæ proposito acrius perduraret, nec aliter *Acciolinus* potiri se ea posse speraret: obligatam per servos, ut resistere nullatenus posset, improba vi, nefarius & crudelis tyrannus pudicam mulierem stupravit. Atqui, etsi satis constat, violari corpus non posse, nisi de consensu mentis, veruntamen sic se venereo actu ab eo pollutam fuisse, tantopere pudicam mulierem puduerat, ut noluerit diutius supervivere. Quare aliquandiu dissimulato dolore, impetravit ab amicis ad levandum mortui mariti desiderium,
C rium, & ad sedandum aliquantisper animi mœrorem, ut mortuum ac jam fœtentem maritum cerneret: aperto itaque sepulchro ubi jacebat, mox hæc emisso magno ejulatu, supra fœtidum mariti cadaver sese repente projecit, & repagulo quo lapis sepulturæ sustinebatur impulso, fracta sub lapide cervice, una cum marito quasi in ultionem pudicitiæ, fortiter & intrepide mortua, & (ut optabat) eodem tumulo sepulta. Magnum certe & admirandum facinus, & fortasse facto *Arriæ* illius antiquæ *Patavinæ* anteponendum. Celebratur autem mirifice hoc facinus à scriptoribus nostri temporis, ad extollendam pudicitiam fœminarum. At id à nobis modo rela-
D tum est, in laudem patriæ, & præcipuum *Patavinarum* mulierum decus & ornamentum: quando eæ semper castitatis splendore in omni ætate fulserunt.

De Cunissa Onaria & Cecilia Baonia.

Cunissa quoque ex patre *Acciolino Balbo de Onaria*, matre vero *Auria*, ex *Baonis* comitibus nobilissima fœmina, hic à nobis silentio præteriri non debet, cum in historia illorum temporum, multa de hac ipsa digna scitu comme-
E morentur, & *Dantes Aldigerius* eam in comœdia illa sua præclarissima nominis immortalitate donaverit. Hanc enim Cant. IX. ob præclaras ejus animi dotes ponit in paradiso, multaque ibi de præclarissimis hujus fœminæ moribus refert. Hæc uxor fuit *Tisonis Campisampetri*, viri præclarissimi, & mater *Gerardi* illius, qui vim intulit pudicitiæ *Ceciliæ* filiæ *Manfredi* comitis *Baonis* desponsatæ *Acciolino* cognomento *Monacho*: ex quo stupro tale tantumque odium conceptum 360
est inter utranque familiam, & tantum incendium in Republica *Patavina* exortum, ut nunquam ab eo cessatum fuerit, quousque immani-
F tas *Acciolini* tertii impiissimi tyranni in ultionem tanti facinoris oppressa Republica sublatisque per varia supplicia, & crudelissimæ mortis genera civibus, totum fere *Patavinæ* nobilitatis splendorem extinxerit. *Cecilia* autem ex eo fine ulla sua tamen culpa repudiata ab *Acciolino*, qui novas nuptias fecerat cum *Adeleita* ex *Mangania* domo in Alpibus *Etruscæ* nobilitatis illustri impii tyranni illius matre. Hæc autem *Cecilia* nupsit postea *Jacobo Dalesmanino*, ditissimo ac nobilissimo viro, ex quo suscepit multos liberos, qui po-

postea ab impio tyranno *Acciolino* hujus *Acciolini* filio omnes fere occisi fuerunt, ut ex ea familia *Patavii* nemo superstes manserit: & si quis mansit, paulo post omni mascula prole deleta, tota domus illa ex ea strage defecit, quum tamen esset eo tempore, & viris frequens, & opibus locupletissima, & omni nobilitate præclara.

De Beatrice Estensi.

Non parva laude celebranda hic est *Beatrix Aldobrandini Estensis* filia, cujus forma & pudicitia tanta fuit, ut eam *Andreas Ungariæ* rex honorificentissime exposcerit in uxorem: anno sal. M. CC. XXXV. Quæ post viri mortem quum ex eo filium suscepisset, verita privigni invidiam, occulto induta virili habitu, una cum infantulo incognita, *Veronam* primo, subinde in patriam sese tuto recepit. Quæ postea uti erat animo sublimi, cum nollet ulli viro inferiori tanto rege nubere, nupsit Christo omnium regum domino, & humani generis servatori ac parenti. Ingressaque monasterium *Gemmulæ*, ubi *Beatrix* altera præfuerat, imitata ejus mores pudice ac sancte inter virgines vota religionis professa, vixit deinceps in maxima humilitate, & castitate, & sanctitate vitæ cum illis.

De Allionora Maltraversa.

Celebratur insuper in domesticis *Patavinorum* historiis *Allionora Maltraversa* cordatissima virago, & plusquam muliebris sapientiæ fœmina. Fuit hæc uxor *Papafavæ Carrariensis* à quo postea nobilis familia, destituto veteri vocabulo, feliciori profecto fortuna sortita est novum cognomen *Papafava*. Hæc enim sua ætate in tota *Italia* una omnium virili sapientia prædita fuisse memoratur: utpote quæ ultra morem fœminarum, tantum in consulendo præstaret, ut ad eam nobiles viri, ut ad oraculum quoddam sæpius confluerent, requirentes ab ea, quid in rebus agendis potissimum sibi faciendum putaret: satis persuasi quicquid illa consilii daret, pro comperto habendum fore. Quinetiam (quod magis mirandum est) hæc ipsa ut in rebus agendis, ita etiam in curandis quibusdam ægritudinibus, ope, & consilio, & experientia longe præstabat. Sanabat enim suis medellis nonnullas infirmitates, quæ vel à peritis sæpe medicis habebantur incurabiles. Itidem ex eo quoque est maxime celebris habita, quod mater fuit nobilium filiorum, quorum probitas exinde in successione posterorum usque ad hanc nostram tempestatem indies propagata virescit. Genuit enim ex *Papafava* conjuge sex illustres viros, Comitem *Petrum*, *Bonifacium*, *Ubertinum*, & *Marsilium*, omnes in Republica egregios cives pariter, & fideles: ex quibus propagata est universa *Papafavarum* progenies in hunc diem florentissima.

De Fina Carrariensi *monacha*.

Finæ quoque *Ubertini Carrariensis* principis matris, religiosus ac pudicus animus hic nullo pacto reticendus est. Quæ cum esset ditissima, & juvenis adhuc, & eleganti forma præstaret, post tristem conjugis obitum, contemptis omnibus mundi deliciis, tota ad Dominum conversa, ingressa est monasterium *S. Benedicti*, totamque religioni sese addixit, malens experta semel nuptiarum tædia, & virilis commercii consuetudinem, Deo Opt. Max desponsari, quam alteri rursum viro nubere. Ibi hæc postea tantæ humilitatis fuisse dicitur, ut quæ prius in seculo tanquam domina habebatur, illic perinde atque A ancilla esset, servire omnibus videretur: atque ita per summam vitæ integritatem, toto divino cultui emancipata, temporalem vitam terminavit, pro qua accepit æternam. Hanc autem (ut par erat) *Ubertinus* filius (ut in ejus vita legitur) & viventem, & defunctam, summa semper pietate, ac magna ubique veneratione prosecutus est.

De Balzanella Peraghina.

Ex præclara fœcunditate inclytæ sobolis commendatur *Balzanella Peraghina* nobilissima B fœmina, quæ quidem, cum unica esset ex familia *Peraghina*, nupsit *Marino Baduario* patritio *Veneto*, cujus majores summa semper benevolentia cum *Patavina* Republica conjunctissimi fuere: quandoquidem prætores aliquot ex ea familia antiquo Reipublicæ tempore *Venetiis* acciti, *Patavinum* populum summa cum justitia paceque rexerint, & imperio auxerint, & publicis ædificiis ornaverint. Ex hac muliere orta est pulcherrima illa proles, quæ aliquandiu *Patavii* commorata, antiquato fere *Baduario* cognomine, à *Peraga* vico *Patavino Peraghina* à cunctis dicebatur. Unde *Bonaventura* Cardinalis, & alii in- C signes viri, de quibus satis superius dictum fuit, orti sunt. Idem cognomen adhuc in sepulchris illustrium illorum, quos supra retulimus, ex duabus familiis conjunctum legitur, ut dicantur ubique *Baduarii de Peraga*. Ex hac ergo sobole feliciter profluxere postea nobiles *Baduarii*, hi præsertim qui nostra ætate floruerunt, *Joannes* doctor & eques, & *Andreas*, ambo proximis annis prætores hujus nostræ civitatis clarissimi: & *Franciscus Joannis* filius senator illustris. Nec non *Petrus Baduarius* senex vir integerrimus, & præstantissima sobole quatuor filiorum felix ab omnibus, dum vixit, judicatus. Hujus autem D fœminæ dos fuit fertilissima, rura *Peraghæ*, *Mirani*, *Piunchæ*, *Murellarum*, *Stratæ*, *Sambrusonis*, & alia innumera prædia, cum amplissimis privilegiis immunitatis antiquæ: quæ olim principes *Carrarienses* huic familiæ ob ejus in Rempublicam merita concesserunt.

De Thadea Carrariensi.

Memoranda quoque est hic præcipuo merito prolis *Thadeæ Carrariensis* felicitas, quæ (ut ante dictum est) nupsit *Mastino Scalæ* principi *Veronæ*, cui *Patavium* civitas dos fuit: an- E no sal. M. CCC. XXVIII. mense Septembris. Hæc ex *Mastino* suscepit quinque filias, quarum una ex *Bernabove* vicecomite principe *Mediolani*, qui apellabatur Regina, genuit quatuor mares, & duodecim fœminas, quarum una nupsit *Petro Cypri* regi: altera *Ludovico* primogenito regis *Galliæ*. Tertia illustri *Bavariæ* duci. Quarta inclyto duci *Austriæ*. Quinta *Galeacio* vicecomiti amplissimo: postea duci *Mediolani*. Sexta *Leopoldo Austriæ* duci, qui fuit avus *Federici III.* imperatoris. Septima duci *Bavariæ*. Octava *Friderico* regi *Siciliæ*. Nona *Francisco Gonzaghæ*. Decima *Ernesto* duci *Monachi*. Undeci- F ma *Friderico* ejus fratri juniori. Duodecima *Dimundo Cantiæ* Comiti primogenito regis *Britanniæ*. Ex quarum generosa prole postea & duces, & reges, & imperatores, qui regnarunt, & ad hunc diem regnant, universi fluxere: veluti ex *Cybele* quondam tot heroes orti, ut sit ex eo dicta mater omnium deorum. Nec minus quidem felix habenda videtur hæc, quam *Lampida Lacedæmonia*, quæ (ut *Plinius* refert) una omnium fœminarum felicissima in omni ævo refertur: quæ

regis filia, regis uxor, regis mater fuit. Hæc legi *in antiquis chronicis Veronæ*, etsi ab his *Sarayna* novus historicus *Veronensis* aliquanto dissentire videatur.

De Daria Baonia.

Non tacetur hic *Daria Baonia Alberti* filia, uxor *Gerardi Campisamperii*, cujus virtus major fuit, quam in fœmina possit desiderari. Audere enim inter tot cæsos viros, immanitatem tam atrocissimi tyranni non pavere, prodire intrepidam noctu, in maximo periculo, nonne constantissimi, ac maxime virilis animi fuit, &
362 plusquam heroica virtute præditi? Nam quum *Acciolinus* sævissimus tyrannus, ac teterrimus omnium mortalium ob inveteratum in *Campisamperios* odium, *Guilielmum Campisamperium* juvenem nobilem, formosum, strenuum in foro obtruncari ac dilacerari jussisset, canibusque relinqui: hæc una cum *Maria* sua ex *Gerardo Campisamperio* filia, audacter pieque frusta discerpti sic infeliciter cadaveris colligi fecit, & timore deposito funus secutæ, noctu multis luminibus cum tacito comitatu ancillarum & servorum in cœmeterio *D. Antonii* Confess. sepulturæ dederunt. Quod sane facinus fœminam hanc multis aliis nominibus claram, clarissimam, & immortalem posteris reddidit. Hoc accidit an. M. CC. L. Extat in hujus generosæ viraginis perpetuum monumentum, vicus in montibus *Euganeis*, qui hucusque de hujus nomine *Vallis dominæ Dariæ* appellatur.

De Petra Scrovinia.

Celebratur quoque à poëtis illius tempestatis *Petra Scrovinia*, filia *Ugolini Scrovini* pudicissima fœmina, atque adeo in omnibus scientiis liberalibus erudita, ut quamlibet literarum omnium disciplinam optime calleret. Quæ quidem sicut doctrina, ita quoque pudicitia & forma cæteris virginibus longe præstabat. Quamobrem quum *Hengelmarius Theutonicus* tunc forte ab imperatore *Ludovico V. Bavaro* cum magno militum præsidio *Patavio* præfectus fuisset, ut civitatem in Cæsaris fide teneret, captus hujus pulchritudine atque virtute, quum diu puellam dolose blanditiis ac muneribus frustra tentasset, vi aggredi parat. Quæ ubi semel deprehensa dolose, multum diuque reluctando admirabili constantia impudicum juvenem à se repulisset, verita tandem insani principis potentiam, statuit fuga à tam imminenti periculo sese subtrahere. Quocirca patriam derelinquens, una cum matre, ac fratribus ac tota familia, magnis relictis opibus, *Venetias* commigravit: malens ibi totius rei ac patriæ, quam pudicitiæ ac famæ jacturam facere. Hæc autem, ubi recessit insidiator sui pudoris, in patriam rediit, & statim collocatur in matrimonium cuidam nobilissimo juveni *Forzateo*: quæ brevi marito viduata, cum à multis nobilibus procis in matrimonium exposceretur, pertæsa thalamos, nunquam induci potuit, ut priori marito fidem falleret. Vixit ergo postmodum sanctissime in perpetua castitate, literarum studiis tantummodo delectata, & spreta prorsus *Venere*, soli *Palladi* omni cultu serviens, fuit exemplo cæteris viduis pudicitiæ, & fidei conjugalis.

De Magdalena Scrovinia.

Ex hac ipsa familia effulsit *Magdalena Petræ* hujus cognata, & ei moribus & studiis literarum perquam similis, & ab eadem fortassis erudita: quæ aliquanto prior ætate fuisse videtur.

A Huic *Lombardus Sericus* vir probus & literatissimus (ut suo loco dictum est) dicavit libellum *De laudibus aliquot fœminarum gentilium, aut literis aut armis illustrium.* Hanc unam in operis exordio impense laudans, ita alloquitur: *Dignum ad te opusculum scribere constitui: neque id quidem frustra (ut arbitror) si eundem virilem animum ad illustriora quæque paratum, dum te fœminam opere negas, in sublimi loco arcis Minervæ, ut dudum consuevisti, residere contendis: quem eruditiss. quibusque admirandum trado, quum omnem fœminarum sexum natura ignavum & inertem, ingenio & literis collustrata virtutum gloria transcendas,* B *ita ut in tenebris mortalium tibi ipsa lumen afferas. Nam fœminea imbecillitate dimota, ac mollitie, insigniori materia ad excellentiora generosum pectus armasti, ac docile ingenium sic tuo jucundissimo fomite refovisti, ut non sexui, sed discretæ naturæ obsequens se supra se excedere videreris. Ignea namque tibi virtus adest, & ardentis spiritus calor æthereus, qui terrena linquens, sublimis atque purissimus extollitur.* Et reliqua sequuntur. Hæc enim & alia ejusmodi multa in laudem hujus præstantissiæ fœminæ, is auctor edisserit: quæ brevitatis causa prætermitto, hoc elogio vel solo contentus, quod nobis hujus celeberrimæ ea æta- C te fœminæ memoriam pene sublatam restituat.

De Fina Buzzacharina Francisci *senioris* Carrariensis *uxore.* 363

Fuit & altera *Fina Pathari Buzzacharini* filia, & uxor *Francisci Carrariensis* senioris principis *Patavini*, sapientissima ac religiosissima fœmina. Quæ inter cætera, quæ memoratu digna fecerat, id omnino reticendum non est. Quum enim ædes amplissimæ *Nicolai Carrariensis* perduellionis rei, de more diruptæ & adæquatæ solo fuissent, mulier Deo devota impetravit à D marito ædificari ibi templum, Dei matri virgini gloriosæ dicandum. Quare eo in solo ita derelicto ædem divæ *Mariæ* cognomento Servorum extruendam curavit. Item perfecit pulcherrimum phanum *D. Joanni Baptistæ* Ecclesiæ Cathedrali contiguum, sublimi testudine insigne, ac speciosissimis picturis laudatissimi pictoris, cum veteris ac novi testamenti historia sursum & deorsum, & circunquaque ornatissimum, & visu maxime jucundum. Ibi inspicitur ejus effigies habitu supplicantis. Obiit anno salutis M. CCC. LXXVIII. & cum maxima pompa sepulta est in eodem sacello sancti *Joannis Baptistæ*. Hæc E etiam erexit altare in æde *S. Benedicti*, ubi epigramma sequens in saxo conspicitur:

Capella ædificata & dotata per nobilem *D. Finam de Buzzacharinis* consortem clarissimi Domini domini *Francisci*, domini *Paduæ*: & instaurata per dominam Annam de *Buzzacharinis* Abbatissam, anno Domini M. CCC. XCIIII.

De Anna Buzzacharina.

Anna hæc quam proxime nominavimus, istius *Finæ* soror, quanta virtute prædita, & quam merito à nobis hic memoranda sit, indicat tabula marmorea sepulturæ in prædicto loco sancti F *Benedicti* posita: ubi legitur hoc epitaphium:

HOC TVMVLATA JACET BVSTO VENERABILIS ANNA,
EGREGIO PATHARO SATA MILITE BVZZACHARINO,
QVAE FVIT ISTIVS PRVDENS, JVSTISSIMA, SOLERS
ABBATISSA LOCI, PERAGENDIS DOCTA VIRAGO,

NOR-

NORMA PVDICITIAE, FVLGENS EXEMPLAR HONESTI,
ADJVTRIX INOPVM, VIRTVTI SEMPER AMICA,
IPSA QVATER DENIS AC VNO PRAEFVIT ANNIS
HVIC FANO, CVNCTIS MODERATRIX GRATA SACERDOS.
NAM REXIT MONACHAS TAM JVSTE, TAMQVE BENIGNE,
QVOD SVA PERPETVO BONITAS RECITABITVR AEVO.
JVRA MONASTERII PROVENTVS AVXIT, ET ARAM
HANC STRVXIT: NECNON REPARAVIT PRAEDIA MVLTA.
IN QVO TOT FVERANT PROBITATES CORPVS OBIVIT:
AT SVA MENS SVPERA FRVITVR BEATISSIMA LVCE.

Alterum epitaphium inferius in altera tabula marmorea.

HIC JACET SPECTABILIS AC GENEROSA DOMINA DOMINA ANNA OLIM RECOLENDAE MEMORIAE NATA SPECTABILIS, ATQVE GENEROSI MILITIS DOMINI PATHARI DE BVZZACHARINIS DEI GRATIA ABBATISSA S. BENEDICTI DE PADVA. OBIIT AN. D. M CCC. XCVII. DIE MERCVRII VII. FEBRVARII, CVJVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

364 *De* Maria Carrariensi.

Nihilo dissimili gloria, sed diverso proposito fulsit *Maria Nicolai Carrariensis* filia unica, quæ defuncto patre (qui *Francisco Carrariensi* principi ob eam, qua valebat, gratiam in civitate suspectus, relicto *Patavio*, *Venetiis* habitaverat) nupsit *Aloysio Storlato S. Marci* procuratori primum, postmodum *Francisco Contareno* patritio *Veneto* insigni viro: ex qua natus est illustris vir *Zacharias Contarenus*, eques, *Francisci* sancti *Marci* procuratoris proxime vita functi pater, & *Petri Paphi* Episcopi viri eximia pietate ac probitate conspicui: & subinde proles generosa nepotum gloriæ & opum ditissima, quæ hanc familiam gestorum gloria, & morum probitate jam admodum claram, indies clariorem (ut speratur) efficiet. Huic *Mariæ* dos fuit rus *Placiolæ*, rus *Sallæ*, aliaque prædia ingentia immunitate donata, atque nullis omnino vectigalibus subjecta. Quæ viduata postremo marito, *Patavii* in vico *Pontis sancti Joannis* intra mœnia in propriis vixit ædibus, & defuncta tandem in ultima senectute, sepulta est in templo divi *Augustini* apud suos.

De Nigra de Nigris.

Quod *Contarenis* clarissimis viris ex dote *Mariæ Carrariensis* evenerat, idem nobilibus quoque *Obiciis*, ex locupletissima hæreditate *Nigræ* prudentissimæ fœminæ contigit: quæ ex antiqua *Nigrorum* familia sola superstes, cum esset dote ditissima, & optio ei foret, quem potissimum juvenem vel ex omni *Patavina* nobilitate, vel aliunde sibi in maritum eligeret: elegit *Antonium Obicium* illustrem virum, *Luca Etruriæ* urbe oriundum, *Florentinorum* legatum: qui in equestribus ludis, *Patavii* tum forte celebratis, dum ibi concurreret, ultra cæteros ei ob singularem virtutem & eximiam formæ præstantiam, mire placuisse perhibetur. Ex hac muliere orta est postea præclara *Obiciorum Patavii* familia, in hunc diem *Patavii* & viris equestris ordinis, & opibus valde insignis, & *Patavii* omnium fere locupletissima. Nunc florent ex ea familia superstites tantum *Hieronymus* & *Pius Æneas* fratres, qui liberalitate, & divitiis, & humanitate maxime præstant.

De Catherina Manzona.

Magno quoque decori sexui muliebri, & multo etiam majori, virginum choro, religionem profitentium fuisse constat *Catherinam Manzonam Athestinem*, olim monasterii *Salarolæ* venerabilem Abbatissam, antequam sancti *Matthæi* cœnobio jungeretur. Hujus autem sacratæ mulieris præstantiam indicat elogium insigne, quod *Salarolæ* in ejus sepulchro insculptum legitur. Anno M. CCCC. V. Julio mense.

Epitaphium:

HIC CATHERINA JACET MANZANA STIRPE CREATA,
QVAE FVIT ISTIVS TEMPLI VENERANDA SACERDOS.
STRATA CVBAT SECVM CLAVSTRALIS FORMVLA VITAE,
NORMA PVDICITIA, FVLGENS EXEMPLAR HONESTI.
NVNC SALAROLA FLEAS DEFVNCTA PRAESVLE TALI,
QVAE TVA SOLERTI STVDIO BONA MVLTIPLICAVIT.
DOTE NITENS MVLTA VENERABILE CORPVS OBIVIT:
AT SVA LAETA FRVENS CHRISTO MENS AETHERE VIVIT.
JAM DECIES OCTO, SIMVL VNVM LVSTRA DVCENTA
A CHRISTI FVERANT ORTV DE VIRGINE LAPSA.

De Sibylla Bonifacia.

Non est sua defraudanda laude *Sibylla Baldi Bonifacii Plombini* uxor, raræ fidei, & singularis pietatis fœmina: quæ hæres mariti facta, ipsa sibi pauperes Christi fecit hæredes, quando hospitale sancti *Francisci*, quod ejus maritus cœperat, constanti proposito perficiendum curavit: quod magnis postea locupletavit proventibus. 365
Cui patronos & gubernatores perpetuo esse voluit illustre jurisconsultorum collegium, quod adhuc in hunc diem extat, & est amplissime auctum, & summa cura gubernatum. Hoc cœptum est anno Domini M. CCCC. XXI. XII. Calen. Januarii.

De Theophila Bebia *Abbatissa.*

In tam præclaro fœminarum cœtu locum sibi invenit *Theophila Bebia* monacha, ex municipio *Monte Anniano* virgo religiosissimi plane animi, & prævalidi ingenii, quæ imminentibus bellis, quum tutam ibi fore inter milites virginem non speraret, *Patavium* proficiscitur: ubi annuente *Patavina* Republica auctoritate Pontificis Maximi una cum aliquot aliis virginibus ad Ædem D. *Bartholomæi* annuente sacerdote, qui in alteram migravit domum, se collocavit: & ibi cœptum est sacrum cœnobium, quod indies, & loci amplitudine, & numero virginum, & sanctitate vitæ mirum in modum coalescit. Hoc cœpit anno salutis M. D. X.

De

De Iſabella Ravignana, *puella agreſti.*

Etſi magnam laudis jacturam nobiles mulieres *Patavinæ* ex eo feciſſe videantur, quod hic modo puella ruſticana obſcuriſſimi nominis, pudicitiæ ſplendore præ cæteris luceat: ego tamen ex eo patriam noſtram tam præclari facinoris laude fraudandam non cenſui: quin potius de tam generoſi ac pudici animi conſtantia, vel ſic ignotæ puellæ ad priſcum decus *Patavinæ* pudicitiæ, quicquid olim de hac ipſa in alio noſtro opere, de caſtitate jam dixi, hic rurſum referendum putavi. Nam quo tempore *Maximilianus Auguſtus* totam ferme *Venetiam*, & præſertim agrum *Patavinum* excurſionibus devaſtabat: quum turmatim agreſtes omnes in urbem confugerent, puella iſta agreſtis, humili loco nata, ſed nobiliſſimo animo, & honeſta forma prædita, ubi urbem ingreſſa eſt, à propinquis ſuis (ut fit) ignara viæ à recto itinere ex nimia trepidatione deflexit: & dum ita ignara locorum, errabunda, lachriymans, omnia circumluſtrat, in manus forte incidit militum *Venetorum*, qui præſidio urbis ſtabant: à quibus tracta eſt in proxima contubernia, ut ibi interim ludibrio haberetur ejus pudicitia. Sed neſcio quo colore & fato proſiliit miſella domo, & recta ad portam, qua paulo ante ingreſſa fuerat, feſtina procurrit, putans ſe tutiorem fore inter hoſtes, & in agris, atque ubique locorum, quam intra mœnia, & inter præſidia civitatis. Inſequuntur inceſti illi ac impii prædones. Fugit exterrita puella more trepidæ & imbellis damæ, quæ à canibus rapta, fugam rapit in nemora & ſaltus: & ubi evadere amplius non ſperat, de prærupta ſaxi crepidine ſeſe præcipitat, malens ſubito caſu conteri, quam comprehenſa ludibrio eſſe rabidis moloſſis. Haud ſecus infelix virgo, ubi effugium nullum reliquum videt, de ponte *Corvo*, ubi forte aderat, in adjacentem fluvium ſeſe præcipiti ſaltu demittit, pudicitiam ſuam Deo ſervandam committens. At dum propoſiti tenax ab illis adjuvari recuſat, & exterrita enatare neſcit, nec curat, abſorpta mox à flumine ſuffocatur: quæ paulo poſt inventa in proxima ripa, ſine funebri officio ſepelitur: haud digna, meo quidem judicio, quæ ſic ſepeliretur. Sed certum eſt, quod ſicut nihil prodeſt impiis celebris ſepultura: ita nihil obeſt juſtis vilis ac nulla. De iſta *Joannes Noventanus Patavinus* cecinit hoc epitaphium:

EVGANEAS INTER PRAESTANS VIRTVTE PVELLAS,
HOC JACEO INDIGNE CONDITA VIRGO LOCO.
NAM QVVM ME PETERET LASCIVVM MILES AD VSVM,
MVNERA POSSE MORI MAGNA FVERE MIHI.
DISCE AGE, SIT QVANTI VIRGO SERVARE PVDOREM,
PRO QVO NIL TIMVI PERDERE CORPVS AQVIS.

366 *De* Lucia Solis.

Eximia corporis forma, & ſpectabilis oris decor, & pudicitia ſingularis in pulcherrimo corpore, *Luciam* nobilis viri *Jacobi Solis* filiam in patria aliquando, nunc autem in orbe fere toto illuſtrem facit. Hæc enim à parentibus *Gaſpari* benedicto matrimonio copulata, quum è paternis laribus prodiiſſet, quaſi novus ſol cum ſumma omnium admiratione, ab omni populo ſpectabatur. Quum autem ſicut forma, ita & pudicitia longe præſtaret, & à cunctis ob eximias
A animi dotes laudaretur, & immodicis laudibus uno omnium ore extolleretur in cælum (heu miſellam) contigit ei tertio partu infeliciter mori: tanto omnium mœrore, ut ad ejus exequias contra patrium morem, tota ferme civitas ſuis prope ſedibus excita, ſumma pietate confluxerit. Illa vero in æde protomartyris *Stephani*, in ſepulchro gentilitio mariti, magnifico funere ſepelitur. Hujus ſane occaſus multos poëtas, ac præſtantes doctrina viros ad ſcribendum excitavit: qui verſibus *Latinis*, *Græcis*, & vulgaribus affixis ad tumulum chartulis, lugubre funus immortali gloria celebrarunt: qui poſtea ſelecti, & in
B volumen redacti, ad perpetuam memoriam impreſſi, per totum orbem diſperſi ſunt, & adhuc intra mœnia poſt tot annos permanent. Primus autem qui eleganter *Latinis* verſibus deflevit hujus mortem, ex noſtris fuit *Lazarus Bonamicus*, *Hieronymus Panicus*, *Franciſcus Bonafides*, *Alexander Baſſianus*, *Alexander Leonardus*, *Petrus Fidentius*: ex peregrinis, *Joſippus Pheb. Juſtinop. Joannes Andreas Viſcardus Berg. Petrus Vid. Vinc. Stephanus Caſtellanus* & *Joannes Azzalinus*, ambo *Alliniacenſes*, nunc ſacerdotes, & doctores inſignes, ac mihi chariſſimi: *Joan. Ambr. Barbavar. Mediol.* Cæſar. duc. *Brix. Petrus Franc.*
C *Zinus*, doct. *Veron.* atque ſacerdos integerrimus atque doctiſſ. & *Joan. Franciſcus Zinus* ejus frater, *Joan. Mar. Tir. Philibertus Apingon. Sabaud. Dom. Medul. Joan. Hod. Senon. Franciſc. Luviſinus Forolivienſis*, & alii: ſed omnium conſenſu *Laz.* carmen principatum obtinuit.

Carmen Lazari Bonamici.

Extinctum eſt Patavi lumen: nam Lucia Solis
Lux ipſa, hinc lucem ſuſtulit ad ſuperos.
Inter & aſtra micat, Veneris comes, æmula ſolis:
Non erat illa diu his digna manere locis.

D *Aliud ejuſdem.*

Lucia candida lux, mens candida, cui comes olim
Gratia, forma, lepos, dulcis in ore pudor:
Ante diem rapta eſt, florente ætate, vel ipſos
Quæ poterat ſanctos luce movere Deos.
Luget amor, plorat Cypris, flet patria, ſolis
Terra ſui ablato lumine mœſta gemit.
At choreæ, & cantus ſuprema in ſede Deorum
Sunt, aucto lætis lumine ſideribus.

Hieronymus Panicus.

Solis honor, luciſque decus, benedictaque vere
E *Occidit: heu triſtis Cypris amorque dolent.*
Dant gemitum Charites cineri, pia thura Cupido
Ex arcu, & pharetra, conſtituitque pyram.
Impoſitique rogis, una exarſere lepores,
Ægra Venus cineres texit, & oſſa cado.
Quiſquis amat, largis conſpergat fletibus urnam,
Qua tegitur pulchri quicquid in orbe fuit.

Fuerunt & aliæ multæ *Patavii* percelebres, ſed (ut arbitror) nullæ æque felicibus numeris celebratæ, niſi forſan quas *Franciſcus Savonarola* elegans poëta ſuis cultiſſimis epitaphiis exornavit: quas hic breviter aſcribendas cenſui, ut eſ-
F ſent huic operi non mediocri decori atque ornamento.

De Juſtina Urbina.

Fœminei Juſtina chori decus occidit ingens
Urbina: en nobis nunc ſine luce dies.
Nullus honos poſthac, & gratia nulla puellis:
Ille nec extabit, qui fuit ante decor.

Reſpon-

Responſum.

Major honos, majorque decor, mox gratia major,
Illarum poſthac gratia major erit.
Tres fuerant Charites, nunc quatuor eſſe videntur:
Exauget multo lumine quarta ſoror.
Vos ſimul ante rogum Patavinæ flete puellæ,
Hic niveo annoſum fundite lacte merum.
Spargite odoratas Eoo littore merces,
Albaque Peſtanis lilia juncta roſis.
Hic Urbina ſui lux & ſpes conjugis umbris
Errat, & expectat poſt ſua fata virum.

De Alba Facia.

Fœminei fuit Alba chori, ſpecimenque, decuſque,
Moribus, ingenio, mente, pudore, fide.
Paſina de gente pater, Faciaque maritus
Iſti erat, iſtius nomine, vita tibi eſt.

367 *De* Julia Anſelma.

Quicquid in antiquis veteres dixere Sabinis,
Quicquid Palladiis artibus eſſe poteſt,
Clauditur hic, tædas Parcarum præda ſub imos,
Abſtulit Anſelmæ Julia gentis honos.
Poſſidet Elyſium victrix, nemus, umbra, viator
Da lachrymas, & te thura dediſſe puta.

De Alba Trapolina.

Gentis honos Daulæ, Trapolini ſanguinis ingens
Gloria, & Euganeæ fama pudicitiæ:
Eximium formæ, morum decus, alma quieſcit:
Cum qua ſunt Charites, atque ſepulta Venus.
Nunc aurora diem monſtrat mortalibus, Alba
Grata erat in terris, gratior aſtra tenet.

Alterius poëtæ.

Apud *Atheſte* in porticibus monaſterii *S. Mariæ*, in ſepulchro lateritio legitur.

De Hieronyma Miliaria.

Virginei ſpes ampla chori Miliaria virgo
Hieronyma, excellens norma pudicitiæ,
Proh dolor, hic recubat, quartum quæ vixerat annum
Tunc decimum, Lacheſis ſtamina cum ſecuit.
Nobilis unde parens Antonius ora Joannes
Fletibus aſpergens condere fecit humo.

De Blanca Boromea.

Blanca Boromea matrona inſignis inter reliquas *Patavinas* mulieres, nulli neque moribus neque forma cedens, vere illud *Patavinarum* antiquum decus referens, in ætatis flore decuſſa, lachrymabile funus cunctis exhibuit. Quocirca multis viris doctis viſa eſt digna immortali elogio celebrari, & honorificentius ſuis carminibus decorari. Unde *Laurentius Gambara* poëta eximius, hoc de ea cecinit carmen:

Flos veluti, quem rivus aquæ, cum Sirius ardet,
Liquit, & attrito cæſpite languet humi:
Quem fruſtra liquidi fontes ſolantur, & umbræ,
Et placidi ſpirans leniter aura Noti.
Candida ſic cecidit viri adveniente juventa,
Sic cecidit roſeo plurimus ore color.
Illam Medoaci flerunt ad flumina Nymphæ,
Incuſantque Jovem, ſpicula rupit amor.

Achilles Statius Luſitanus.

Dum viret, & roſeum formoſa dat ore colorem
Candida, cura hominum, Candida cura deûm.
Impatiens non ipſe ſuos fert Juppiter ignes,
Ardet, opemque nova doctus ab arte petit.
Nam nec jam aureus ille imber placet, ut miſer ante
Fecit inſano quicquid amore deus.
Ergo caſta merum cupidi ſitit arte tonantis
Fœmina, fitque liquens Juppiter ipſe merum:
Et bibit, & leni mox Candida victa ſopore
Tollitur, atque æquo nunc Jove magna dea eſt.
Sic ſitiens miſſos flos ut bibit æthere rores,
Dejecto madidus procubuit capite.
Sol redit, ille in ſe redit, olim lætior arvis,
Nunc oſtentat opes unde, comanſque caput.

Alexander Leonardus Patavinus.

Candida honor Patavi immatura morte perempta,
Ut roſa vix florens ungue reciſa cadit:
Tecum omnis virtus, tecum omnis forma receſſit:
Æterni merito te voluere Dei.

Obiit autem anno ſalutis M. D. LVII. & magnifico funere in ædes ſancti *Benedicti Novelli* omnibus collachrymantibus ſepelitur.

De Aquilina Bonfia.

Sed ut de viventibus in eo ſexu aliquid quoque attingam, nitet matronale decus in *Aquilina*, nobiliſſima *Pauli Bonfii* jureconſulti & equitis filia, forma, pudicitia ac moribus præter alias virtutes, quæ *Patavinis* fœminis ineſſe ſolent, præſtantiſſima uxor olim clariſſimi comitis *Bernardini Fortisbrachii*, ducis & equeſtris centuriæ tribuni, & *Capuæ* principis illuſtriſſimi *Bracii* imperatoris exercitus *Venetorum* filii, de cujus præclaris geſtis hiſtoriæ plenæ ſunt. Quo defuncto ſine legitima prole, ubi annuus luctus præteriit, juſſu *Veneti* Senatus nupſit rurſum *Ruberto* illuſtriſſimo viro *Caroli Malateſtæ*, olim *Arimini* principis, & *Veneta* civitate donati, atque in Senatum recepti, filio. Quibus nuptiis *Robertus* magnis ſtipendiis auctus eſt, quando huic, ut ei nuberet, Senatus ſingulis annis quoad ipſa vixerit, trecentos aureos donavit. Is modo inter præcipuos *Venetæ* militiæ tribunos, fide & fortitudine, & admirabili vigilantia præſtantiſſimus habetur. Merito ergo *Aquilina*, prudentia, pietate & pudicitia inſignis, tam illuſtri conjugio copulata, à nobis inter illuſtres matronas, quas honeſta ratione pertranſeo, adhuc vivens celebratur.

De Julia Bigolina. 368

Verum ſicut eximia præſtantia duorum conjugum iſtam reddit celebrem, & in numerum mulierum illuſtrium haud infimum locum ſortiri facit: ita nunc *Juliam Bigolinam* facundia ſingularis, lepor, gratiaque ſermonis, & eximia *Etruſcæ* linguæ peritia vehementer extollit: cui quantum per otium ab opere *Palladio* vacare contingit, magnopere annititur ad perpetuam nominis immortalitatem ſibi parandam: quando quidem poëticam facultatem, non aliam in viris quam in fœminis eſſe ſuo ingenio manifeſte demonſtrat. Scribit enim & rhytmica & ſoluta oratione, idiomate vernaculo elegantiſſime, ut in eo genere dictionis, nemini veterum aut recentium ſcriptorum invidere merito poſſit. Scripſit hactenus complurima lectu digniſſima, quæ ſane à cunctis legentibus magno applauſu probantur, & ſumma delectatione leguntur: & in primis quaſdam comœdias ſeu fabulas, ad *Boccacii* morem (ſervato tamen ubique matronali decoro) inſigni argumento, artificio mirabili, eventu

tu vario, & exitu inexpectato. In quibus licet de amore tractetur, & intermisceantur amantium affectus: ita tamen & pudice, & modeste omnia, ut quamlibet honestam matronam decere possit: quod nihil prorsus oleat impudici: neque aliud sapiat, præterquam assiduas afflictiones, fallaces spes, & inanes cogitationes, & perduram amentium potius quam amantium juvenum servitutem: omnia sane honeste dicta, verbis & sententiis instructa, & rebus accommodata: utpote quæ, & lectorem ad amplectendam virtutem allicere, & à vitiis deterrere facile possint. Vivunt *Patavii*

A

plurimæ insignes matronæ, quæ possent hic, sicut de viris factum est, merito recenseri: sed quoniam parum decet sacerdotem de fœminis judicare, minusque de earum laudibus in vita, sine aliqua suspicionis nota tractare, quamvis innumeræ certe sint, quæ tum forma, tum moribus & pudicitia, adde etiam quæ facundia *Etrusca* præstent: tamen quoniam mihi non licet de his curiosius, ut de maribus factum est, indagare, sed potius ignorare: & ut soleo, aversus & cæcutiens vale dicens pertransibo.

369

CLASSIS XV.

DE CLARIS PICTORIBUS, Cælatoribus, Fusoribus & Architectis Patavinis.

PRÆFATIO.



VANTÆ existimationis tam apud Græcos, *quam apud* Latinos *semper fuerint pictores, statuarii, fusores, architecti, & ejusmodi ingeniosi artifices, nemo qui accurate illorum temporum historias legerit, ignorat. Est enim pictura tacita poësis, non infimum inter liberales artes locum tenens.* Euphranus *quidem philosophus sua ætate (ut fertur) admirandus cunctis fuit, non tam ob id tantum, quod optimis studiis, & liberalibus disciplinis inter præcipuos doctores præstaret, quam quod & pingendi, & fingendi idem mirus artifex haberetur. Rex* Attalus Aristidis Thebani *pictoris tabulam tanti fecit, ut eam centum talentis licitatus fuisse dicatur. Cæsar duas tabulas* Timomachi *pictoris emit octoginta talentis. Rex* Demetrius *cum iratus esset* Rhodiis, *pepercit incendere* Rhodum, *ne, quam sciebat ibi esse* Protogenis *tabulam, una forsan cum urbe cremaret.* Alexander *ille* Magnus *totius orbis domitor tanti fecit ejusmodi artis peritiam, ut edicto publico vetuerit, ne quis se alius pingeret, quam* Apelles: *neque ex ære alius fingeret, quam* Lysippus: *neque ex saxo exsculperet alius, quam* Praxiteles: *quod putabat illorum artem etiam sibi gloriæ aliquando fore, quod tales artifices corporis simulachra sui nota posteris fecissent. Quinetiam ex* Romanis *quidam nobiles pictura mirum in modum delectati, non mediocrem ex eo sibi studio laudem compararunt. Unde* Q. Fabius Rom. *ex nobilissima illa* Fabiorum *familia, quod ædem Salutis sua manu eleganter pinxerit, & sibi & posteris cognomen indidit, ut* Fabius pictor, *tunc à cunctis, & deinceps ab omni posteritate diceretur. D. quoque* Hieronymus *in epitaphio* Nepotiani *ita scribit*: Artem pingendi in Q. Fabio adeo mirata est antiquitas, ut is quamvis Romanus scriptor historiæ fuerit, magis tamen ex pictura, quam ex literis nomen invenerit. *In divinis quoque scripturis laudantur* Besotehel *de tribu* Juda, *&* Hican *de tribu* Neptalin, *quod alter plenus sapientiæ & spiritus Dei, tabernaculi ædificium, alter supellectilem templi, fabricati fuerint. Et apud* Græcos *celebratur nobilis quidam sophista, quod fuerit præter liberales disciplinas, diversarum quoque artium etiam minutarum, picturæ scilicet, & statuariæ artis egregie peritus. Quippe qui balneum cum omni supellectile propriis manibus se fabricasse jactabat: & omnem rem, qua utebatur, usque ad pallium sua factam manu gloriatus est. De statuis autem, & marmoribus sculptis, aut fabricis antiquis, quantum ætas illa vetustissima floruerit, non est opus evolvere historias, sub oculis sane sunt adhuc illorum temporum marmoreæ statuæ, sepulturæque omnis generis elegantissimæ fabricæque & numismata, quæ nondum penitus sicut tabulæ & picturæ tantopere à scriptoribus commendatæ, jamdiu situ aut carie perierunt. Accidit autem hic artibus, quod & studiis literarum, quæ sicut consepulta aliquandiu cum istis artibus jacuerant: ita pari etiam modo cum istis nunc artibus revixerunt: & quemadmodum liberales artes extollere sese, & exire paulatim de tenebris cœperant: sic etiam artes istæ mechanicæ sensim & ipsæ una secum in lucem prodiere. Extant in hac urbe adhuc ab annis trecentis & amplius, signa & picturæ, quæ in templis antiquis visuntur: ita informes, rudes & distortæ, ac sine ulla prorsus arte conflictæ, ut nemo pictor nunc quam-* 370

vis

vis imperitus, eas melius & elegantius non effingat. Etenim in hac nostra ætate cunctæ artes tam liberales quam mechanicæ ita vigent, ita florent, ut nihil merito invidere ullo pacto possint antiquitati: imo multo etiam admirabiliora videmus à posterioribus quotidie excogitari, & antiquis inventis addi, ut si reviviscant illi, suaque iterum videant, periculum sit, ne eos pingendi artem unquam didicisse pœniteat. Etenim nunc pro pace & bello, & ad totius vitæ commodum & ornatum, atque ad cultum politicum cuncta longe felicius, quam olim antiquis illis temporibus præstant. Videntur enim nunc omnia ad perfectionem & consummationem quarumlibet artium devenisse, atque ad illam vetustissimorum temporum felicitatem: vel nunc (quod ausim dicere) multo majorem cumulum accessisse omnium commodorum. Hujus autem præstantissimæ rei veritas patere potest, vel hic Patavii *ex commemoratione nostrorum civium, qui in ejusmodi artibus feliciter præstiterunt.*

De Justo *pictore.*


NTER primos pictores, ex quo deperdita jam diu pictura agnosci, ac (ut ita dicam) renasci cœperat, floruit admirabili ingenio, & doctissima manu *Justus* pictor *Patavinus*, illius deperditæ artis fere primus instaurator. Extat ex hujus præclarissimis ac mirabilibus monumentis quod visitur sacellum speciosissimum divi *Joannis Baptistæ*, adhærens Ecclesiæ Cathedrali, ita excellenti structura sublatum, ut possit profecto utrobique tam de ipso ædificio, quam de pictore, *Patavina* civitas merito gloriari: quandoquidem illud ei magno decori in structuris, & istius arte magnæ jucunditati in spectandis picturis existat. Præterea pinxit sacellum Eremitarum juxta meridianam portam, ubi vitia, & virtutes, artesque liberales conspiciuntur: simulque probi viri, qui virtutibus claruerunt: & contra improbi, quomodo hæresibus provoluti, in enormia delicta, & errores impios præcipites corruerunt. Fertur is quoque pinxisse tabulam illam beatæ *Mariæ* virginis, quæ mira pietate, & religioso cultu deferri consuevit in supplicationibus ad pluviam seu serenitatem poscendam: & affabre eam ad imitationem beati *Lucæ*, qua valuit arte, & ut potuit, penicillo & coloribus effinxit. Quam postmodum nobilis fœmina *Antonia Zabarella* reliquisse legitur Ecclesiæ Cathedrali statuendam ad aram gentilitiam divi *Petri* & *Pauli*, ubi insunt suorum sepulchra majorum. Anno salutis M. CCC. XLI. mense Novembris: ut publicis documentis constare certo scimus. Hujus nunc virginis ara multis oblationibus & donariis insignita est, & à tota civitate ad poscenda suffragia, summa cum veneratione, atque divinis honoribus decoratur.

De Guariente *pictore.*

In hoc albo non infimum locum sortitur *Guarientes Patavinus* pictor egregius, qui ob eximiam illius artis peritiam accitus à *Veneto* Senatu *Venetias*, pinxit ibi curiam magni consilii pulcherrimo apparatu colorum & figurarum: quæ modo partim diutino situ vetustateque fere collapsæ sunt, & pro his recentes aliæ ab aliis pictoribus repositæ.

De Francisco Squarzono.

Excelluit quoque haud multo post in ea re *Patavii Franciscus Squarzonus*, *Joannis* curiæ principis scribæ filius: dictus ipse pictorum pater: qui à pueritia pingendi studio maxime delectatus, mox (ut de se ipsemet scribit) ubi egressus est ex ephebis, & sibi per ætatem suo vivere modo

A licuit, statuit orbem invisere, & urbes remotas, & populos, & nationes diversas peragrare. Quocirca adnavigavit in *Græciam*, & totam illam provinciam pervagatus est: unde multa notatu digna, tum mente, tum chartis, quæ ad ejus artis peritiam facere visa sunt, inde domum secum detulit. Circuivit similiter totam *Italiam*, & multos nobiles sua sibi affabilitate & virtute fecit 371
amicos. In patria denique cum constitisset, prima uxore sine liberis defuncta, alteram duxit, ex qua suscepit *Joannem* & *Bernardinum*, qui & ipse patrem imitatus, pictura plurimum delectatus est: sed animum suum ad illam parentis perfectionem non appulit. *Squarzonus* igitur ita
B floruit in pingendi arte, ut pictorum gymnasiarcha singularis & primus omnium sui temporis haberetur. Qui non contentus id solus scire, quia humanitatis plenus erat, delectabatur eam ipsam quam callebat artem posteris tradere, & docere quamplurimos: usque adeo, ut (sicut ipse de se in quodam libello asserit) habuerit ex diversis urbibus, centum & triginta septem discipulos, inter quos emicuerunt in primis *Andreas Mantinea*, vir in ea arte præstantissimus de quo statim dicemus: & *Nicolaus Pizzolus*, *Andreæ* ipsius in sacello Eremitarum quod *Patavii* visitur, compictor & æmulus. Item docuit *Matthæum Puteum*, *Marcum Zottum*, *Darium Tarvisinum*, *Gregorium*
C *Sclavonem*, & plerosque alios, qui fuerunt in pingendo excellentissimi. *A Squarzono* autem ex arte sua non sunt partæ multæ divitiæ, sed eximia potius & illustris fama. Fuit quidem ei satis honestum patrimonium, & habitavit *Patavii* apud *D. Antonium* Confess. in ædibus propriis: *Venetiis* autem aliquandiu in conductitiis. Quid vero interim pinxerit, mihi non constat, nisi (quod non ausim affirmare) in Ecclesia *D. Antonii* Confessoris intra portam Occidentalem figuras quasdam nullis indutas picturæ coloribus, sed tantum obscuro & albo, ut tunc ferebat ætas illa. Fuit profecto vir maximi in ea arte judicii:
D sed (ut fertur) non multæ exercitationis. Signa autem pictasque tabellas plurimas habuit, quarum magisterio & arte *Andream* & reliquos condiscipulos instruxerat, magis quam editis à se archetypis, aut ditatis, seu novis exemplis ad imitandum præbitis. Cæterum is fuit magni nominis, habebaturque ea tempestate adeo illustris, ut ob nominis celebritatem *Fridericus* imperator, quum *Patavio* pertransisset, eum accersiri fecerit, ut videret hominem, & alloqueretur: quod fuit sibi maximæ laudi. Hoc etiam ei feliciter evenit, quod visitatus aliquando fuit à divo *Bernardino* dum viveret, adhortatusque ad bene beateque vivendum: similiter à multis principibus &
E Cardinalibus, sed etiam ab *Aquilejensi* Patriarcha humanissime salutatus. Obiit octogenarius, & sepultus fuit, ut in suo testamento mandaverat,

in atrio divi *Francisci*, jam antea à se picturis viridibus exornato, quibus sancti illius miracula referuntur, Anno Domini M. CCCC. LXXIIII. Hujus imago conspicitur in sacello Eremitarum, ubi *Mantinea* effinxit ad ejus similitudinem satellitem senem discinctum prominente aqualiculo, viridi indumento vestitum, & hastatum mucronem manu tenentem.

De Andrea Mantinea.

In istius societatem gloriæ sese immiscet merito insignis discipulus illius *Andreas Mantinea Patavinus*, pingendi arte conspicuus, qui longo intervallo superavit non magistrum solum, sed omnes qui sua ætate, & usque ad ea tempora per multa secula pinxere. Etenim usque ad eam tempestatem nemo melius rerum imagines in eodem plano sitas, recessibus & umbris, lineisque tanquam remotas expresserat. Quamobrem is à multis postea scriptoribus celebratus, immortalitatem nominis consecutus est, ut si quando ejus monumenta senio defecerint, fama interim nominis nulla unquam intercapedine temporis interire amplius possit. De hujus viri excellentia non tantummodo nostra, sed etiam *Matthæi Bossi* viri eruditissimi verba subjiciamus, qui in epistola octogesima quarta sui voluminis ita scribit: *Mantineam nostrum audio filii mortem dolentius ac gravius ferre, quam par sit: cui digne compatior atque condoleo, tum propter seipsum inter pictores unicum plane, qui primam gloriam nostro ævo est assecutus: & si de priscis loquendum est, Zeuxim ipsum, & Apellem, & quotquot æternæ memoriæ gratissima consecravit antiquitas, facile non modo sit æmulatus, sed adæquavit, si non superavit: tum propter juvenem, cujus obitu heu quantum spei est subreptum*
372 *Italiæ: qui felicibus suis cœptis nobis pollicitabatur egregium se paternæ laudis hæredem futurum. Sed (quod solet secundissimis in rebus accidere) invidit fortuna, vel (ut fidelius dicam) Deus ipse non tulit in patre & filio tantam gloriam. Sed quanto præstat penniculo, præstet & animo, noster Andreas, ne dixerim ingenio, quod plane altissimum habet, omnia prævidens & complectens.* Hactenus *Bossus* patrem pariterque filium tanto decoravit testimonio. Pinxit *Mantinea Patavii* pene puer, in Æde *S. Sophiæ* icona *Mariæ* virginis, ubi legitur: *Andreas Mantinea Pat. an. septem & decem natus, sua manu pinxit*, M. CCCC. XLVIII. Pinxit & alteram insignem tabulam altaris ad corpus *D. Lucæ* Evangelistæ in Æde *D. Justinæ*, ubi nomen ejus artificiose comprehenditur. Pinxit thalamum vetustæ domus super fornicem prope *D. Luciam*, cum historia *Gatamelatæ*. Pinxit postmodum sacellum Eremitarum, & primo historiam *D. Jacobi* apostoli incertis coloribus: quam cum *Squarzonus* ejus magister, & pater adoptivus satis commendasset, & colores damnasset, stomachatus ejus verbis *Mantinea*, sub illa postea pinxit historiam *D. Christophori*, quæ ibidem pingenda restabat: & in ea non amplius imagines à *Romanis* statuis, ut prius, quas adumbrare tantum licebat, sed à vivis hominibus traxit: quæ quidem vulgo magis approbantur, ac longo intervallo prioribus præferuntur: quamvis auctor ipse picturas à *Romanis* imaginibus extractas quam à vivis corporibus, magis probaret: hac potissimum ratione, quod statuarii & sculptores antiqui de multis corporibus perfectas ipsorum partes sibi eligebant, absque vitio formandas. Sed qui naturam tantum uniuscujusque viventis imitatur, cum nullum fere corpus reperiatur, quod vitio careat, necesse sit eos, qui ejusdem naturæ imitatores esse velint, eodem vitio cum
A ipsa natura peccare. Is ergo tam ex hac admirabili arte picturæ, quam etiam ex aliis animi sui dotibus, quibus maxime à natura præstabat, equestri dignitate summa cum gloria * decoratus est. Vixitque magnifice, lateque celeberrimus, & magnis principibus valde gratus. *Romam* quoque aliquando ab *Innocentio VIII.* Pont. Max. accitus, augustissimum delubrum in palatio *Vaticano* depinxit: ubi quum aliquod sacerdotium dari uni ex filiis suis in retributionem diu frustraque sperasset, jussus aliquando à Pontifice ut pingeret septem vitia capitalia, de industria fecit, ut vacaret locus, in quo appinxit ingratitudi-
B nem. Interrogatus autem à Pontifice, *cur quum septem sint tantum vitia, octavum sic injussus addiderit?* Respondit, *quum locus vacaret, quia ego nullum vitium existimavi scelestius ingratitudine, eam ipsam vacuo spatio cum aliis septem peccatis jure apponendam esse putavi.* At Pontifex calliditate pictoris agnita, dissimulans, subrisit, dicens: *Recte tu sane. Sed quoniam ex hoc latere octo vitia apparent, quamvis septem tantum sint: ita quoque è regione in altero latere septem illis virtutibus octavam appinges patientiam, quæ non infimum sane locum inter virtutes tenet, quamvis cum illis septem virtutibus non connumerentur, sicut nec ingratitudo*
C *cum septem peccatis.* Cognovit *Mantinea* vir astutus callidam imposturam Pontificis & dissimulans id nosse dictum, sicut & ille factum & dolens se esse pari astutia, & non ut optabat, liberali quapiam gratia compensatum: perægre tamen tanto Pontifici paruit. Atqui tandem peracto opere, bona spe frustratus, subtristis, *Roma* relicta, *Mantuam* ad principem *Ludovicum Gonzagam* reversus est, à quo liberaliter speciosis ædibus juxta ipsius principis regiam, & prædiis locupletatus, & civitate donatus, ibi deinceps cum tota familia in maxima nominis claritate, quamdiu vixit, demoratus est, ratus (ut tragicus ait) *pa-*
D *triam esse cujusque ubi quis recte ageret.* Quocirca postea ab aliquibus scriptoribus parum prudentibus falso habitus est *Mantuanus.* Pinxit autem ibi triumphos Cæsaris in septem tabulis arte stupenda, & admirabili judicio, & alias laudatissimas tabellas æreas, incisas formis ad effingendos *Romanos* triumphos: & festa *Bacchi*, & marinos Deos. Item depositionem Christi de cruce, & collocationem in sepulchro, & alia permulta. Eæ modo tabellæ sunt in maxima existimatione, & à paucis habentur: novem tamen ex his apud nos sunt, omnes diversæ. Is tandem obiit con-
E fectus senio *Mantuæ*, an. sal. millesi. centesi. decimosept. suæ vero ætatis octuagesimosexto, ibique sepultus est humi in phano divi *Andreæ*, ubi æneum capitis ejus simulacrum visitur, quod sibi suis conflaverat manibus, cum hoc disticho ibidem inciso:

ESSE PAREM HVNC NORIS, SI NON PRAEPONIS APELLI, 373
AENEA MANTINIAE QVI SIMVLACHRA VIDES.

* A Ludovico Gonzaga Marchione Mantuæ.

De Lancilao *pictore* Patavino.

F Claruit *Romæ Lancilaus Paduanus* inter pictores sui temporis, ut attestatur *Georgius Vasarius Aretinus* in vita *Lippi* pictoris *Florentini*: quid autem præter celebrem hujus viri famam memoratu dignum extet hactenus nihil compertum habui.

De Hieronymo Patavino.

In magna quoque fama nominis, novæ miniandi artis opere (ut refert proxime memoratus auctor)

A auctor) fuit *Hieronymus Paduanus*, ut constare dicit *Florentiæ* in Basilica divæ *Mariæ* novæ, cujus libros miniavit & pinxit elegantissime, ut vel ex eo meruerit inter peritissimos quosque illius artis pictores haberi.

De Jacobo Montagnana.

Habetur etiam horum imitator vel maximus *Jacobus Montagnana*, cujus præclarum opus conspicitur in æde plumbea divi *Antonii* Confessoris, in sacello, ubi utriusque *Gatamelatæ* patris & filii, sepulchra speciosa visuntur. Pinxit testudinem altaris majoris in Ecclesia *Montis Or-* B *toni* cum historia admirabilis inventionis tabellæ virginis matris Dei. Pinxit Christi resurrectionem super portam in prima aula Episcopatus: & alia plurima, quæ non est otium numerare.

De Laurentio Canotio.

Sunt qui laudant, & merito manum *Laurentii Canotii*, qui quantum & pictura, & sculptura, & cælatura valuerit, sedilia chori illius celeberrimi divi *Antonii* Confessoris manifestissime nobis insinuant. De cujus laudibus, & scripta sunt, & impressa volumina. Hic sepultus est in atrio ejusdem Basilicæ, ubi ad parietem in tabu- C la lapidea legitur hoc epitaphium:

CANOTIVS JACET HAC LAVRENTIVS MOLE SEPVLTVS,
QVI DECVS EVGANEIS VNICVS HOSPES ERAT.
VMBRIS PARASIVM, PICTVRA AEQVAVIT APELLEM,
FORMIS LYSIPPVM, MARMORE PRAXITELEM.
NAM CHORVS AETERNI NARRAT MONVMENTA LABORIS,
QVI MIRIS TEMPLO FVLGET IMAGINIBVS.
M. CCCC. LXXVII. XIII. CALEND. APRILIS.

De Stephano ab Aggere, & Dominico Campagnola *cum aliis*. D

Non desunt hac nostra quoque ætate clari pictores, hic inter cæteros supra memoratos merito connumerandi: quorum ubique in civitate tam in templis, quam in privatis ædibus insignes picturæ visuntur, & eæ in primis: in æde *D. Mariæ* servorum ad altare majus, nitet insignis tabula majoris altaris *Stephani ab Aggere*. In Basilica *S. Annæ* ad altare majus, est tabula *Dominici Campagnolæ*. Jampridem obiit ejus consanguineus *Galterius*, qui suo ævo in arte illa in- E ter primos est habitus. Sed inter opera alia pinxit ædes nostras juxta *S. Leonardum*, & innumeras alias. Sunt & alii plurimi nobis minus noti, sed fortasse non minus excellentes, quos alii postea suo tempore celebrabunt. Hunc autem præterire non possumus, qui jam immatura morte functus, ad eam perfectionem quam pollicebatur, pertingere non potuit *Aloysius Benetellus* [374] *Patavinus*, cujus memoria in templo *D. Annæ* ubi jacet ejus corpus, celebratur hoc epitaphio:

P. S.
ALOYSIO BENETELLO PATAVINO SVMMAE SPEI ADOLESCENTI, MORVM PROBITATE, INGENII F CELERITATE NVLLI POSTHABENDO, PICTORIQ. SVPRA AETAT. EGREGIO: CVIVS OPERA NISI ACERBA ATQ. IMMATVRA MORS INTERCESSISSET, CVNCTIS ALIIS CELEBRIORIB. PROCVLDVBIO AEQVIPARANDA FORENT. FEBRE AVT. FERVENTISS. OPPRESSVS,
INTERIIT DIE MERCVRII XXVII. MART. M. D. LV.
AETAT. ANN. XXI.
IO. BAPT. ROTA PAT. AMICO INCOMPARABILI
P.
ANN. M. D. LX.

De Bellano.

Sub idem tempus in sculptura & cælatura mirus artifex fuit *Bellanus Patavinus*, cujus opera ex ære conflata, quamplurima visuntur: sed in primis tabulæ æneæ insignes circa chorum templi D. *Antonii* Confessoris, quibus insunt historiæ veteris testamenti. Item in Basilica D. *Francisci*, ubi statua cathedrata *Rochæ Benellæ* medici excellentissimi: atque altare ibidem propinquum puerperæ Virginis, cum imaginibus sanctorum ex eodem metallo conflatis. Quidam tradunt hunc à *Pio II.* Pontif. Max. accitum *Senis*, conflasse ei statuam æneam ibi publice collocatam præstantissimi operis, cum hac subscriptione. BELLANI PATAVINI OPVS.

Is enim in tota *Italia* suo ævo celebratissimi nominis fuit, & dilectus discipulus illius magni *Donati Florentini*, qui conflavit equestrem statuam *Gatamelatæ*, quæ stare visitur sub dio in amplo cœmeterio prædictæ Basilicæ. Novi ego adolescens hominem ætate pene confectum. Obiit circa annum Domini M. D. ætatis suæ annorum XCII.

De Francisco à S. Agatha *argentario* Patavino.

Admirantur omnes *Herculem* buxeum *Francisci* argentarii *Patavini*, qui apud *Marcum Antonium Maximum* insignem antiquarium ostenditur: tanta enim præstat forma, & est humanæ veritatis tam similis, ut certe nec *Polycletus* ære, nec *Phidias* ebore expressius potuisset effingere: testimonium summæ laudis ei perhibet pretii magnitudo, quod vix unciæ sex buxi æstimentur (ut fertur) aureis C. Is autem *Franciscus* ut ex illo opere conjici potest, fuit maximus cælator: sed mirum, quod nihil reliquerit magis memorabile ligneo hoc *Hercule*, à cunctis supra modum commendato, & tanto pretio æstimato. Incidit hoc opus (ut audio) per otium, anno salutis M. D. XX.

De Andrea Riccio *sive* Crispo. [375]

Nihilo minori in ea re ingenio & arte, ac fortasse etiam majori præstitisse creditur *Andreas Riccius*, alias *Crispus* à crispa capitis coma nuncupatus. Nam fastiditus barbarum nomen, *Crispus* dici maluit. Is fusor & cælator fuit eximius, qui præter miræ artis marmoreas statuas *Adami* & *Evæ* primorum parentum, quæ magna cum illius laude visuntur *Venetiis* in atrio majoris curiæ, candelabrum etiam æneum admodum insigne in medio choro templi D. *Antonii* Confessoris magnæ pulchritudinis & venustatis, mira arte conflavit. Itidem ad imitationem *Bellani*, duas & ipse æneas tabulas dextra lævaque januæ ejusdem chori ex ære maxime admirandas effudit: in quarum altera *Judith Hebræa* sopitum seu potius vino sepultum obtruncat *Olophernem*: in altera vero trahitur arca fœderis, quæ de domo *Aminadab* cum maximo triumpho, præeunte *David* cum citharis, tympanis & cymbalis, tripudio solennique saltu adducitur in sanctam civitatem. Præterea in æde divi *Canciani* effinxit ex creta sepulchrum Christi speciosissimum, & flentes circunquaque imagines fictiles, quæ spirare videntur, & propterea à cuncto populo, in die Parascevæ singulis annis summa cum veneratione flexis genibus salutantur. Fecit & alia multa, quæ nimis longum esset omnia sigillatim recensere. Obiit non plane senex millesimo quingentesimo trigesimosecundo, die decimosexto Julii, ægri-

ægritudine ex assidua æris fusione ad ignem diuturno labore contracta. Hujus effigies à se nummo incusa visitur cum hac subscriptione:

ANDREAS CRISPVS PATAVINVS AENEVM D. ANTONII CANDELABRVM FECIT.

Ex altero autem latere est lauri truncus fractus ac aridus, ab imo pullulans, viridi planta. In ejus apice est stella: circa orbem autem hæc inscriptio:

OBSTANTE GENIO.

De hoc legitur hoc distichon *Francisci Savonarolæ*.

Marmore Praxiteles, pictura clarus Apelles,
Ignipotens ferro: Riccius ære valet.

Sepultus est hic in cœmeterio *D. Joannis* in Viridario, ubi proxime ab ejus commissariis, sive hæredibus ingeniosum monumentum tali viro dignum constructum est cum hoc epitaphio:

ANDREAE CRISPO BRIOSCHO
PAT. STATVARIO INSIGNI
CVIVS OPERA AD ANTIQVORVM
LAVDEM PROXIME ACCEDVNT.
IN PRIMIS AENEVM CANDELABRVM
QVOD IN AEDE D. ANTONII CERNITVR
HAEREDES POS.
VIX. ANN LXII. MENS. III. DIES
VII. OBIIT VIII. ID. JVLII
M. D. XXXII.

376 SI CRISPI DECORA INVIDI TACEBVNT,
QVAE SPIRANT OPERA HVJVS, VSQVEQVAQVE
VOCE HAEC PERPETVO CANENT SONORA.

De Joanne Cavinio.

Huic succedit cognatione, ingenio & arte proximus *Joannes Cavinius* amicus noster, incisor auri, argenti, ærisque præstantissimus: qui antiquam illam cælandi cudendique artem unus omnium revocavit in lucem: cui modo (nisi me fallat amor) & cudendi nova, & recudendi antiqua numismata parem magistrum in tota *Italia* ad similitudinem antiquorum vix alterum censeo reperiri. Recudit omnes Cæsares ex antiquis numismatis ita similes ita expressos ut nequeant omnino discerni ab antiquis, nisi quod suspecti ex sua præstantia ac nitore haberi possint. Hic ergo, etsi in quovis hujuscemodi artis genere plurimum valet: tamen restituto tam ingeniose veteri hoc cudendi artificio, par habendus est profecto veteribus, quum in eo jam recentioribus, qui hactenus fuerant, longe præstet. De his vero numismatis XII. Cæsarum ita affabre excusis, cecinit ad *Alexandrum Bassianum* id procurantem *Savonarola* poëta noster hoc carmen:

Hæc tibi bissenos posuere numismata divos,
Qui datur auspiciis vivere posse tuis.
Cavinius vitam Patavus tibi sculpsit ab illis,
Cujus ab invento vincere fata potes.

Idem.

Cusor Cavinius, scriptor Bassianus, uterque
Est Antenorei fama decusque laris.
Semper ab illorum tibi vita numismata Cæsar
Clara erit, inventis vivet uterque suis.

De Antonio Minello *sculptore.*

Præcipuus & clarus extitit in arte sculpendi *Antonius Minellus*: qui quidem in diversis locis publice privatimque multa ingenii & artis suæ monumenta reliquit. Extat inter cætera in Æde divi *Joannis* in Viridario *Calfurnii* illustris rhetoris, statua ex vivo sumpta. Visitur ad aram divi *Antonii* Confessoris, insignis tabula marmorea prima, à parte læva, ubi divus *Antonius* tunicam religionis induitur. Hujus sepultura est in phano divæ *Lucæ*, ubi in rubeo lapide extat hæc inscriptio *Joannis* patris ejusdem quoque artis peritissimi.

IOANNES MINELLVS DE BARDIS, VIVENS SIBI POSTERISQVE SVIS POSVIT M. D. XXVII.

De Titiano Minio.

Mortuus est is proximis annis *Titianus Minius* cognomento *Liciarius*, homo ingeniosus, cælator eximius, sculptorque & fusor celeberrimus, cui pater fuit *Guido Liciarius*, in effingendis & conflandis formis cujusvis rei peritissimus: qui etsi liciorum & pectinum arte viveret, multa tamen ingeniose ad usus comœdiarum, & struendorum apparatuum, & ad oblectationem spectantium ingeniose parare solebat, ut sunt *Satyri*, *Fauni*, *Panes*, *Bacchus*, *Silenus*, & hujusmodi monstruosi gentilium dii mira formarum varietate conficti: ex quo toti civitati fuit admodum gratus. 377 Hujus tantum scio extare tabellam æneam ad januam Baptisterii Cathedralis, ubi lictor *Herodis* regis jussu, *Joannis Baptistæ* caput amputat. Atqui *Titianus* dimisso liciorum opere intentus in sculpendis & conflandis signis, non patrem tantum est imitatus, sed insignes artis hujus reliquos fere artifices superare, vel saltem adæquare nitebatur. Et propterea cum Senatus *Venetus* præcipuum sculptorem quæreret ad conflandam lavacrum baptismale, eum *Venetias* accersivit, ubi in *D. Marci* templo in ædicula præcursoris, tanta arte marmorei fontis æneum operculum effinxit, ut candelabro æneo *Andreæ Crispi* nihil prorsus invideat. Item hujus opus est Gypsea testudo delubri ubi jacent sanctæ reliquiæ *D. Antonii* Confessoris. Parabat quoque cancellos æneos admirabili ingenio, & arte conflandos, ad circundandum præfatum sacellum: at vix tanti operis formas effinxerat, quando (quum minime putaret) de hoc mundo migravit. Sculpebat tunc forte ex saxo justitiam, inter duos leones sedentem in novo prætoris palatio, quamvis morte præventus alterum leonem ad unguem perficere non potuit. Obiit anno salutis M.D.LII

De Augustino Zotto Patavino.

Addas huic sculptorem atque fusorem insignem, de palma cum superioribus vel etiam cum antiquis certantem *Augustinum Zottum*. Cujus præclara opera non hic tantum, sed & *Romæ* & *Venetiis* multa visuntur. Sed unum solum hic inter multa annumerabimus, quod extat in templo divi *Antonii* Confessoris ad nobile sepulchrum *Alexandri Contareni Veneti*, ubi ex utroque latere adsunt servi duo ingentis staturæ: qui quidem eximiam hujus hominis artem commendant, faciuntque quid de reliquis ejus operibus credamus certiores.

De Joanne Maria Musca.

Vivere dicitur adhuc hujus discipulus *Joannes Maria Musca*, marmorarius insignis, cujus opus extat *Venetiis* statua magna divi *Rochi*, & alibi privatim publiceque multa laudatissima opera. Is modo (ut fertur) à rege *Poloniæ* magnis pollicitationibus accitus est, & magno stipendio donatus pro sepulchro regio illic magnificentissime

tissime construendo: ex eoque regi reginæque quam gratissimus.

De Francisco Pociviano, *cognomento* Mauro *sacerdote.*

Perpulchrum sane esse existimo quenque nostrum, & si in omnibus, saltem in aliquo quovis honesto studio, seu laudis genere præ cæteris non mediocriter eminere. Atqui vero non mediocris laus censenda est, in ea re longe præstare, quæ non hominem tantummodo privatum, sed & maximos imperatores exornasse comperitur: quod est venuste & speciose scribere. Unde *Augustus* Cæsar, & *Titus Vespasianus* ab historicis magnis laudibus efferuntur, quod non tam pugnando, quam etiam scribendo manu fuerint excellentes. In eo autem *Franciscus Pocivianus* cognomento *Maurus* sacerdos *Patavinus* hac tempestate ita excellit, ut quoscunque librarios penna & calamo, & omnes sculptores celte & scalpro, in pingendis aut sculpendis literarum formis, possit non æquare solum, sed etiam facile feliciterque superare. Extat hujus manu in medio templo divi *Antonii* Confessoris, marmorei *Bembi* exsculptus titulus. Et in porticibus claustri epitaphium *Jacobi Rosei* theologi Minoritæ. Visuntur ejusdem manu tituli imperatorum *Romanorum* in aula magna urbis præfecti, & in ædibus generosi Comitis *Julii Zabarellæ*, effecti pulcherrimis characteribus, annis proximis palam triduum in publico palamque ad ostentandam peritiam manus suæ, literarias tabellas inscriptas insigni nota, & speciosissima forma, & admirabili pulchritudine exposuit conspiciendas, vel potius admirandas ultra trecentas characterum varietates diversis ductionibus delineatas: quæ spectatores cunctos incredibili stupore affecerant, demirantes, quomodo unica manus de industria tam affabre effinxerit talem tantamque & tam multiplicem & speciosam literarum varietatem. Propterea *Joannes Sambucus Trinaviensis* hoc sequens epigramma, suo opere impresso edidit:

Qui calami ductu noverunt pingere Mauri,
Cesserit illorum non studiosa manus.
Hunc ego mirabar quum primo fronte polite
Scribere vidissem, cultaque multa daret.
Dextera non ullis jam commoritura diebus
Vivet in obstructos, non moritura rogos.
Tali ego censerem ductoris jussa Moysi.
Ni digitis staret scripta fuisse Dei.

De Cypriano Fortibrachio.

Cum *Mauro* pari fere passu ambulat *Cyprianus Fortibrachius Patavinus*, qui in formandis literarum elementis tantopere excellit, ut impressa prorsus typis ita esse videantur, ut non facile discernantur. Sed is etiam in eo maxime laudandus est, quod ut manu in scribendo præstat, ita quoque in elegantia *Hetruscæ* linguæ maxime pollet. Legi ego pridem quendam illius dialogum ea lingua dictatum, de qualitate hyemis & æstatis, utra potior: qui quidem mihi non minus ex charactere, quam ex styli ornamento complacuit.

De Aloysio *antiquo architecto.*

Non ab re esse mihi visum est hic in hoc catalogo nobilium architectorum inter primos scribere *Aloysium* antiquissimum architectum, qui anno Domini circa quingentesimum sub Theodorico rege *Italiæ Patavii* tunc prorsus diruti civis erat: ad quem extat epistola quadragesima magni *Aurelii Cassiodori lib.* 11. Quæ cum multa de *Aponi* fonte scitu digna contineat, in hoc opere totam describendam putavi, & apponendam superius ubi de *Apono* dicitur.

De Francisco Guerino Patavino.

Sed quia semel ingressus sum scenam loquens de architectis, hic quoque *Franciscus Guerinus Patavinus*, nobis omittendus non est, qui clarus in opere fuit, & præsertim in propriis ædibus, quas sibi paraverat intra pontem *Tadorum*, licet non ad plenum morte præventus cœptum opus perficere potuerit. Is mortuus est sine liberis, & reliquit uxorem hæredem: & quia senex erat, & illa juvenis & pudica, in præmium amoris pudici testamento mandavit, ut maritum doctorem duceret, qui postea cognominaretur *Guerinus*, cum omni posteritate: & si sine liberis decederet, tota hæreditas esset monialium *B. Antonii Peregrini.* Et ita evenit, ut jam defunctis omnibus, ejus facultates devolutæ sint ad hoc monasterium. Hic sepultus est in media Basilica Eremitarum humi sub albo lapide cum hoc titulo:

FRANCISCI GVERINI VIRI ILLVSTRIS, AR
CHITECTI CLARISSIMI INGE. MO. AC DOCTRI
NA PRAEDITI CIVIS PATAVINI, CASSANDRA
CONIVNX AMANTISSIMA PIENTISS. Q. IN
MEMORIAM .M. POSVIT.

De Baptista Ferro. 379

Quam dolenda est hic importuna mors *Baptistæ Ferri* superioribus annis defuncti, qui à pueritia initiatus clericalibus ordinibus, quum genio suo ad picturam magis & ad architecturam inclinaretur, quam ad religionem, & in ea re adhuc adolescens mirabiliter pro ætate præstaret, decrevit *Romam* petere: ubi cœpit in architecturæ peritia vulgo innotescere: & præsertim ob palatium, quod *Viterbii* præfectus fabricæ insigne formaverat. Quo circa invitatus à regiis legatis, honesto stipendio in *Poloniam* regem adiit. Verum quum ibi indies ejus fama crebresceret, eum *Ferdinandus Romanorum* rex accersi jubet: quo ex consensu regis *Poloniæ* ductus, mox ob virtutem suam invisus architectis regiis, cœpit ab eis acriter infestari, ac contumeliis gravibus impeti: quæ quum ex generositate animi perferre non posset, iræ impatiens sibi conviciantem occidit, captusque mox atque convictus homicidii, damnatur pœna capitis: sed quum esset præstanti forma juvenis, & fama virtutum suarum illustris, & rex ipse tam præstantem virum ægre occidi permitteret, reginæ domestica, & aulica puella oppido nobilis, excitata hujus juvenis forma & virtute, miserationeque pertracta, permittente rege ac regina, hunc ut à morte eriperet, deposcit in maritum: qua ratione juxta morem patriæ ei concedi jure debuit. Liberatus ergo à morte, quum nollet esse ingratus, & animæ salutem attenderet, eripere puellæ virginitatem noluit, quod maritus ei legitime esse non poterat, propterea quod esset subdiaconatus ordini consecratus. Quocirca sapienter egit hoc negotium, cum sponsa, & accepta ab ea bona pecuniæ quantitate, quia erat ditissima, *Romam* pro dispensatione impetranda adire constituit, & inter eundum suos visere. *Patavium* ergo venit, ubi paulo post mortifera febre correptus interiit, cum maximo omnium dolore, qui eum norant. Sepultus est in templo *S. Luciæ.* Extat hujus imago impressa propria manu ex speculo deducta, & sphæræ zonis inclusa summo artificio: quæ impressa formis, vænalis per totam *Germaniam*

niam & *Galliam*, atque etiam *Italiam* circumfertur: tanta autem arte effićta, talibusque carminibus & imaginibus ornata, ut ad exprimendam artem, & ingenium hominis nihil posset excogitari excellentius. Id solis verbis sine inspectione tabellæ satis apte nequit exprimi. Carmina vero quæ ibidem describuntur, hæc sunt. Circa imaginem suam in sphæra artificiose zonis conclusam, insunt hæc verba: *Qui vivam ex speculo suam duxit imaginem, æternam illam fecit.* Supra sphæram vero in sublimi erat apex ornatissimus cum corona, & sceptro, affabre elevatus, cum hoc carmine:

Quæ bona sunt longe, celsaque in sede morantur.

Ab utroque latere sphæræ erant viri duo: alter videbatur circino & pertica latitudinem orbis metiri: alter vero perpendiculo sive bolide scru-

A tari profundum, super quos erat hoc carmen:

Et longum, & latum, & metitur utraque profundum.

Sub sphæra autem erat basis artificiosa, super quam sphæra ipsa stabat pulcherrimo ornatu, cum hoc carmine:

Quæ mala sunt passim occurrunt mortalibus ægris.

In lateribus vero basis à dextris, erat caput aridum defuncti, super quod erat lucerna ardens, cujus flamma videbatur vi ventorum fortiter reluctari, ubi legebatur hoc carmen:

Virtutis vis nulla valet extinguere lumen.

A sinistris videbatur testudo alata, repens su-

B per librum, ubi erat hoc carmen:

Et labor, & virtus humile & grave tollit in altum.

Clarent in urbe nostra insignes pictores alii.

380 AUCTOR AD CANDIDUM LECTOREM.



EMO mihi succenseat rogo, si in hoc catalogo tot virorum illustrium aliquot fortassis desideret, de quibus à me nihil penitus dici videt. Id enim propterea factum est, quod sicut fortassis aliquot memoria dignos nescius præterierim, ita aliquot ab aliis scriptoribus pro Patavinis *habitos, sciens prudensque pertransierim, sicut est* Leonicus Thomæus *vir doctissimus, qui ab ineunte pueritia,* Patavii *educatus edoctusque fuerat, & civis insitus factus: cum tamen in ejus epitaphio* Petrus Bembus *eum* Venetum *nominat. Etsi (quod sciam) ipsemet* Leonicus *in suis scriptis, usquam neque* Venetum *se neque* Patavinum *appellaverit, licet utraque patria magno sibi poterat esse decori. Sic dicendum de* Ricardo *à* S. Victore, *quem* Raphaël Volaterranus *è converso in suis commentariis, ubi de ordine Canonicorum regularium disserit, patria eum* Paduanum *fuisse testatur, quum sit* Gallus. *Itidem scribunt quidam de* Jacobo Zoccho, *cum tamen constet* Ferrariæ *natum, sed* Patavio *civitate donatum, ac* Patavii *tumulatum. Nec secus fecit* Rutilius *gravis auctor in* Vitis illustrium Jur. Consul. *qui* Paulum Cittadinum *doctorem* Patavinum *appellat, cum tamen* Mediolanensem *in ejusmetipsius scriptis fuisse legamus: simili modo* Pileus de Prata *Cardinalis, & Episcopus* Patavinus, *à* Blondo *historico celebratur* Patavinus, *& si è* Forojulio *oriundus fuerit, &* Patavii *civis, & Episcopus factus, atque magnifico ibidem Mausoleo sepultus. Hæc indicasse volui, ne quis unquam cum forte legerit, imprudentiæ me falsò accuset, quod præclaros hosce viros quasi ignotos tacitus pertransierim, quos plerique scriptores in suis monumentis pro* Patavinis *celebrarunt. Atqui vero id quoque non ignoro, multos etiam hic à me prætermissos fuisse, quos fortassis putabit quispiam maxime dignos esse memoratu, & multos è converso nominatos, quos existimet reticendos. Suum profecto cuique ingenium est, & sua cuique censura placet: adeo ut nemo unus satisfacere cunctis possit, & sibi. Quare candidi lectores æqui bonique consulite quæso, & hanc culpam, si culpa est, aliis nostris in Rempublicam meritis condonetis. Etenim quicquid dictum est, felle caret atque mendacio: sed non omnia possumus omnes, neque soli nos omnibus satisfacere. Spero tamen quod si fortassis præsens ætas malignius quidpiam (uti iniquus rerum æstimator sæpe solet) interpretata fuerit, subsequens inde posteritas simplicius & candidius existimabit: nec ero propterea fructum nihilo minoris laudis consecutus.*



APPEN-

381

APPENDIX.
DE
SEPULCHRIS INSIGNIBUS PATAVII JACENTIUM.

PRÆFATIO.



ACTENUS ſatis ſuperque ſit tot claſſibus dixiſſe de omni genere *Patavinæ* antiquitatis, & de illius monumentis antiquis, atque *de Claris civibus Patavinis.* Lubet poſtremo ad faſtigium conſummati operis, in coronidis vicem clara atque illuſtria *Inſignium exterorum* in hac noſtra urbe defunctorum nomina recenſere: quibus aliqua honeſta de cauſa hic habitare, & mori, & hoc demum ſepeliri ſolo contigit. Qui quidem ſicut patriam ſuam præclare geſtis decorant: ita quoque urbem noſtram ſuis modo cineribus ornant. Non enim illuſtres viri, ornamento ſunt tantummodo urbibus ubi nati educatique fuerint, verum etiam ubi diutius morati defunctique jacent. Quare ſicut patrio quodam amore propriis civibus procurare nominis immortalitatem pro viribus ſtuduimus: ita quoque hoſpitii jure, eundem honorem hoſpitibus deferre pari modo tenemur, quos intra mœnia, ſub tectis, & in templis, & aris, communi ſorte, ultro fide data amanter ſuſcepimus. Statui itaque labore ac cura *Jo. Baptiſtæ Rotæ Patavini* eximiæ ſpei juvenis, & hujus rei, ſicut cujuſvis alterius ſtudioſiſſimi, & mihi admodum grati, ex cunctis baſilicis urbis & agri *Patavini* ad perenne noſtræ urbis decus advenarum epitaphia, & monumenta inſignia memoratu digna referre, quæ aut inſculpta ſepulchris, aut tabulis lapideis inciſa viſuntur: eaque his noſtris claſſibus addere. Et quia nefarium plane atque impium videri merito poſſet, quum ubique in templis ſingulis ſecularium hominum ſepulchra annumerarim, ſanctorum advenarum tumulos derelinquere: quando eorum nomina jam ſcripta ſunt in libro vitæ. Ne ergo cuiquam ob id reus fiam, horum quoque ubi jaceant ſepulchra breviter attingam.

Sanctorum advenarum ſepulchra.

In Baſilica Cathedrali jacet corpus *S. Danielis* martyris, & pes uſtulatus *S. Laurentii* martyris, cum aliis multis ſanctorum reliquiis.

In Baſilica *D. Juſtinæ* jacent corpora *D. Proſdocimi* Epiſcopi *Patavini*, & *D. Lucæ* Euangeliſtæ, & *D. Matthiæ* Apoſtoli, & *B. Urii.* & oſſa trium innocentum: ac puteus repletus oſſibus ſanctorum martyrum, & aliorum ſanctorum.

In delubro *S. Leolini* jacet corpus ipſius *Leolini* Epiſcopi *Patavini.*

In templo *D. Antonii* Confeſſ. jacet corpus *D. Antonii* & *D. Felicis PP.* & martyr.

In vico *Fontamina* jacet corpus *S. Bertrandi.*

In oppido *Montiſſilicis* jacet corpus *B. Georgii.*

In vico *Saliti* jacet corpus *B. Fidentii.*

In vico *Villænovæ* jacet corpus *S. Hengulphi* militis & martyris.

In vico villæ *Vigontiæ* jacet corpus *S. Simeonis* militis *Germani.*

A In Baſilica Cathedrali in primo ingreſſu introeuntibus ad lævam ſpectatur epitaphium in pariete inter duas imagines. 382

Berta & Henricus Rex.

PRAESVLIS ET CLERI PRAESENTI PRAEDIA PHANO DONAVIT REGINA IACENS HOC MARMORE BERTA HENRICI REGIS PATAVI CELEBERRIMA QVARTI CONIVNX TAM GRANDI DONO VENERANDA PER AEVVM.

Ibidem è regione viſitur epitaphium *Gajetani Tienei*, & ejus ſimulacrum habitu juventutem è ſuggeſtu docentis.

B *Gajetanus Tieneus.*

GAIETANO CLARA EX TIENE FAMILIA CANONICO PATAVINO VIRO INTEGERRIMO, PROBOQVE THEOLOGORVM PRINCIPI, PHILOSOPHO EXIMIO, CVIVS DOCTRINA CVNCTA ORBIS GYMNASIA ILLVSTRANTVR, LOCVS HIC DATVS EST.

B. Scardeonius.

Ab eodem latere in sublimi pariete, est sepulchrum *Bovetini Mantuani* doctissimi Jureconsulti, & archipresbyteri *Patavini*, ubi hoc epitaphium legitur:

Bovetinus Mantuanus.

MANTVA QVEM GENVIT PATAVIS BOVETINVS ET ORBI
A BOVE NOMEN HABENS, PATIENS SINE FRAVDE DOLISVE
QVAM SIBI PLVS ALIIS VIGILANS PIETATIS ALVMNVS
LARGVS ERAT STVDIO, LARGVS CLERO, SIBI PARCVS
CANONICVM ILLVSTRIS DOCVIT JVS, TER TRIBVS ANNIS
DEME DVOS: OBIIT AVGVSTO JAM MILLE TRECENTIS
ELAPSIS JACET HIC: COLVIT TE SVMME COLENTI
VIRGO PATROCINIVM, PRECIBVSQVE ASSISTE VOLENTI
VMBRA HVMANVM EJVS, O PIA VOCE TVIS VT
SVPPLICE CONSERVES PRECIBVS TE VOCE PRECATVR.

383 In medio Ædis humi in lapidea tabula, legitur hoc epitaphium:

Marcateli.

SISTE GRADVM VIATOR, ATQVE HAEC PAVCA SI LVBET LEGE: ANDREAS, BARTHOLOMAEVS, NICOLAVS, FRATRES MARCATELI HIC SITI SVMVS, POSVERE SVPERSTITES HIERONYMVS, BERNARDINVS NEPOTES: DE NOBIS ALII FORTASSIS ALIA, NOS NIHIL ALIVD. M. D. XXXVII.

Ibidem.

Petrus Barocius.

PETRO. BAROCIO. BELLVNENSI, PRIMVM. ANTISTITI. PONITIF. DEINDE. PATAVINO. SANCTIMONIAE. PIETAT. ERVDITIONIS. BENEFICENT. INCOMPARABIL. SENATVS. VENETVS. MONVMENTVM HOC FACIENDVM CVRAVIT.

Hoc porro tam insigni elogio, & magnificentia sepulchri, *Petrus Barocius* antistes olim noster, ex publico decreto Senatus *Veneti* merito decoratus est. qui ob pietatem in DEVM, & charitatem in proximum, nihil fere sibi post mortem relinquendum duxerat, præter nomen bonum, & sanctæ conversationis exemplum. Fuit is quidem in omnes munificentissimus, sed in pauperes & egenos unus omnium liberalissimus. Sanctitate vitæ, & continentiæ virtute illius ætatis, & totius sacerdotalis ordinis ornamentum, qui centesimus à *D. Prosdocimo* Episcopus circa xx. annos *Patavinam* Ecclesiam pie sancteque rexit: & jam plane senex, intestinis tandem oppressus doloribus migravit ad Dominum. Verum paulo ante mortem dum à domesticis & propinquis pertinaciter urgeretur, ut conderet testamentum, accito scriba, & paratis tabulis, testibusque rogatis. *Quando*, inquit, *testari mihi necesse est*, *ut meis morem geram*, *scribe: Ego Petrus Barocius Episcopus Patavinus*, *relinquo animam meam Deo*, *corpus terræ: facultates vero quascunque possidebam, si quæ restant, relinquo quibus de jure debentur.*

Et ita sanctissimus vir, notari & scribi voluit. Is à *Pio II.* Pontifice Maximo primus omnium destinatus fuerat Cardinalis: sed re infecta, paucis post diebus summus & sanctus ille Pontifex cum magna Christianæ Ecclesiæ jactura, è vita sublatus est. Præterea cum esset omnium liberalium artium doctissimus multa scripsit, eleganter, & carmine, & soluta oratione: etsi nihil adhuc editum sit, præter libellum *De ratione bene merendi*, *& consolatorium* opusculum, & spirituales quasdam preces ad petendam pluviam, & ad arcendam tempestatem, & ad deprecandam pestilentiam: quæ quidem omnia nos in ejus plurimum de nobis bene meriti gratiam impressoribus excudenda tradidimus, ut ab omnibus commode legerentur. Reliqua ejus præclara monumenta, tam soluta oratione, quam carmine extant quidem, sed nondum in vulgus edita. Hæc de tanto Episcopo uti de cive *Patavino* præter morem addenda censui.

S. M. S. 384

PETRO BAROCIO PATRITIO VENETO PONTIF.
PATAVINO SACRAR. Q. LITERAR. CVLTORI EXIMIO
FIDE RELIGIONE AC PIETATE INCOMPARABILI
VT PARES PAVCOS
SVPERIOREM HAB. NEMINEM
QVI NON SINE MAGNA PAVPERVM IACTVRA AC TOTIVS PATAVINAE VRB. DOLORE MIGRAVIT AD DOMINVM
ANN. CHRIST. SALVT. M. D. VII. DIE X. JANVARII. CVM ANN. AGERET SVAE ÆTAT. LXVI.

IO. BAPT. ROTA PAT. PETRI F. IIII. Q. EIVS AVSPICIIS PATAVIA GERMANIAE
CVM PATAVIO ITALIAE COMMVTANS
HIC SEDEM COLLOCAVERIT.
TANTAR. CELEBERRIMI VIRI VIRTVT. AC PLVRIVM IN SE PARENTES Q. SVOS MERITOR. NON IMMEMOR DEBITAM EFFIGIEM ET LAPIDIS INSCRIPTIONEM
PATRONO
B. M.
GRATVS APPOSVIT.
ANN. A PARTV VIRG. M. D. LX.

Ibidem in pariete, in sublimi & insigni arca legitur hoc elogium:

Pileus Prata Card.

STIRPE COMES PRATAE, PRAECLARVS ORIGINE, MVLTIS
DOTIBVS INSIGNIS, SECLO CELEBERRIMVS ORBE:
DEFVNCTVS STATVIT SVA SIC SVPREMA VOLVNTAS,
HAC CARDINALIS PILEVS TVMVLATVR IN VRNA.

In eodem sacello humi in lateritio conditorio ad tempus:

Vincislaus Brugnara.

VINCISLAO BRVGNARAE ET PVRILIARVM COMITI NON MINVS GRAECE QVAM LATINE DOCTISS. ET INGENIO PHILOSOPHIAEQVE STVDIIS EXCELLENTI, 385
QVI VIXIT ANN. XLIIII. OBIIT M. D. XL.
LVCRETIA MARTINENGA VXOR OPTIMA, ET VIRI AMANTISS. POS.

Ex-

Extra portam Meridionalem ſub arca lapidea legitur in ſublimi pariete hoc epitaphium.

Bartholomæus Beneventanus.

NATE BENEVENTO TIBI IVS CIVILE CATHEDRAM
DVM COLERES PADVAM BARTHOLOMEE DEDIT.
TV VIGIL AD CAVSAS, TV TRADERE IVRA DISERTVS,
TV PLACIDVS CVNCTIS DAPSILITATE TVA:
VIXISTI PRVDENS, PRVDENS MORIENDO DICASTI
HVIC TVMVLO CORPVS, OSSIBVS AMPLA PIIS.
TV PROPRII FRATRIS TVMVLO DARE CORPVS EIDEM
MANDASTI, FACTVM EST, PARCAT VTRIQVE DEVS.

Ante fores *D. Auguſtini* ad portam *Aquilonarem* humi in arca marmorea legitur.

HIC CORPORE SEPVLTVS IACET .9. DOMINI AEGIDII DE DINO FILIVS NOMINE DOMINVS DINVS OFFICIO IVDEX, CVIVS ANIMA M. CC. LXXXIIII. INDICTIONE XII. XV. INTRANTE IANVARIO SVI CORPORIS NEXV SOLVTO LVTEO, DE PRAESENTIS VITAE MISERIA COELI LOCATVR HORREO PRO SVORVM OPERVM MERCEDE CONDIGNA.

Ibidem à dextris ad portam *Aquilonarem* in arca ſublimi legitur hoc epitaphium:

Nicolaus Malumbra.

386 EDITE NOBILIBVS CELSE NICOLAE MALVMBRIS,
VRBE CREMONENSIS SOLERS VTRIVSQVE PROFESSOR
IVRIS, CAVSIDICVM DOCTISSIME STRENVE FAVTOR
IVSTITIAE, VIVAS ORO PER SECVLA FELIX.

Intra portam ad lævam in tabula lapidea in pariete inſculptum legitur hoc elogium:

Nicolaus Catarus.

NICOLAVS CATARVS VIR OPT. ET IN AMICOS OFFICIOSISS. REI BELLICAE ITA PERITVS, VT EXEMPLVM DESIIT, ET IN VENETAM REMPVB. ADEO FIDELIS, VT PAREM FORTASSIS, ALIQVEM VERO SVPERIOREM HABVERIT NEMINEM. IS VENETO SENATVI, SVB CVIVS IMPERIO PER XL. ANNOS MILITAVIT, ADEO CHARVS, VT NEC PACE, NEC BELLO AB EXPEDITIONE VNQVAM VACVVS FVERIT: ET VBI MAJVS PERICVLVM INSTARET, IBI FVIT PRAESIDIO. CVM SVMMIS MILITARIBVS HONORIBVS DEFVNCTVS EST. OBIIT A CHRISTI NAT. M. D. XL. AETAT. AVTEM SVAE LXXVII. BRIXIAE OPPIDO. HVJVS CINERES AB ANTONIO FIL. IVRECONS. RELATAE.

Ibidem ab altero pariete non longe ab horologio ſpectatur hoc epitaphium, in marmorea tabula inciſum:

Joann. Bapt. Aurilliacus.

IOAN. BAPT. AVRILLIACO
ADOLESCENTI LAETISSIMO
NATO IN GALLIA TRANSALPINA
PATRE VIRO CLARISS. ET
GRATIONOPOLI SENATVS
PRINCIPE, QVI PATAVII
QVO STVDIORVM CAVSA
VENERAT, MORTE ACERBISS.
PRAEREPTVS, MAGNVM
MOERОREM SVIS ATTVLIT.
CLEMENTIA CAILE MATER 387
FILIO CHARISSIMO
PONENDVM CVRAVIT
ANNO M. D. XXXVI. DIE XIIX. APRILIS.
OBIIT ANNO M. D. XXX. CAL. SEP.

Ad Orientalem portam in pariete legitur hoc epitaphium.

Aſcanius Sozinus.

ASCANIO SOZINO SENENSI SVMMAE SPEI INGENIIQ. AMABILIS PVERO LONGE PLVSQVAM ILLA AETAS POSTVLABAT IN PRIMIS IAM BONAR. ARTIVM STVDIIS ERVDITO, QVI VIXIT ANNOS XII. MEN. VI. D. X. MARIANVS IVNIOR PATAVII CIVILIS IVRIS PRIORE LOCO INTERPRES, ET CAMILLA PARENTES MOESTISS. FILIO DVLCISS.
P. C.
M. D. XXXVIIII. SEPT. ID. APR.

Ibidem non longe ab organo humi in marmorea tabula hæc inſculpta leguntur:

Paulus Rhamnuſius Jurecons.

SCRIBA DVCIS VENETVM PATRI HVNC BAPTISTA IOANNES
PAVLO E RHAMNVSIA PROLE DEDIT TVMVLVM.
IVRISCONSVLTVS FVIT IS, PHOEBIQVE SACERDOS,
MERSIT ET AONIO SAEPIVS ORA LACV.
VERVM DVM VENETVM IVSTISSIMA REGNA PERERRAT
IVS DICENS, MAGNA NON SINE LAVDE PERIT.
IPSE QVOD ES LECTOR, FVIT IS: SED TV QVOQVE FIES
QVOD FVIT: HOC MELIOR SORS SVA, SORTE TVA.

Humi ante altare majus, in tabula rubri marmoris hæc inciſa leguntur:

MARIETA MATER QVONDAM
IACOBI CYPRI REGIS VIVENS
SIBI FECIT.

Ibidem non longe ante aram humi in marmorea tabula: 388

ZACHI CYPRI REGIS
CERLOTA F.
H. SEP. T.
ANN. SVAE AETAT. XII. M. III.
M. CCCC. LXXX.
XXIIII. IVLII.

Ibidem non longe in pariete in tumulo deaurato:

MARIETA MATER
QVONDAM IACOBI
CYPRI REGIS
VIVENS SIBI FECIT
M. CCCC. LXXXIII.
DE MENSE
SEPTE.

Sub porticibus monasterii in urna sublimi in pariete visitur hoc epitaphium:

Jambonius Gasius.

DOMINVS IAMBONIVS DE
GAZO CREMONENSIS
DOCTOR PARISIENSIS
SCIENTIAE MEDICINAE
EST HIC SVPERIVS, ET
SVI SVNT HIC INFERIVS.

Floruerunt autem ex hac nobilissima *Gaziorum* familia, omni ævo multi illustres & celeberrimi viri tum armis tum literis clari: & præcipue nostris temporibus *Laurentius Gazius* monachus *S. Justinæ*, in cujus memoriam *Joan. Baptista Rota Patavinus*, hujus clarissimi sibique amicissimi viri virtutum maximus admirator hoc elogium.

P. C.

389 S. D. S.
LAVRENTIO GAZIO. CREMONENSI
MONACHO CASINEN. VIRO SVMMA RELIG. CONSPICVO, AC IN MVSICAE ET ARITHMETICAE STVDIIS THEORICAEQ. SCIENTIAE PERITISS.
ET CVNCT. ERVDITOR. HVIVS TEMPESTAT. IVDICIO EXCELLENTISS.
ET SCRIBENDI ARTE ITA PRAECLARO,
VT PAREM FORTASSIS ALIQVEM, SVPERIOREM VERO HABVERIT NEMINEM.
QVI SENIO TANDEM CONFECTVS, PATAVII NONAGENARIVS OB. NON SINE AMICOR. MOERORE ANN. DNI M. D. LII. XIIII. KLS SEPT.

Ibidem non longe humi in tabula lapidea antiqua juxta capitulum hæc leguntur:

Lanzalotus Anchosciolus Placent.

HIC IACET NOBILIS STRENVVS MILES DOMINVS LANZALOTVS DE ANCHOSCIOLIS DE PLACENTIA QVI OBIIT AN. A NAT. DOMINI NRI IESV XPI M. CCC. LVIIII.

Is fuit contemporaneus & amicus celeberrimi vatis *Francisci Petrarchæ*, ut videri potest ex epistola de remediis amoris famil. *Epist. lib.* VII. *fol.* 761.

Ibidem sub porticibus humi in lapidea tabula.

Sander Orosianus.

SANDRO OROSIANO MVSARVM ALVM.
B. M. Q. VI. D. MART.
M. D. I.
ROXA VX. P. SIBI Q. ET POST.
V. P.

Ibidem non longe in pariete sub arca marmorea in tabula lapidea: 390

Ziliolus Rosolinus.

INDOLIS EGREGIAE ZILIOLVS DE ROSOLINIS
AEVO QVI LONGO VIVERE POSSET, ERAT.
SI PROBITAS ANIMI, MORVM, VEL GLORIA FANDI
PROTEGERET CORPVS, SPES LEVIS INTERIIT.
DVMQVE SACRAS LEGES, CIVILIA JVRAQVE SVDAT,
IAM PROPRIVM PALMAE MORS RAPVIT JVVENEM.
CORPVS IN HOC SAXO CONCLVDITVR, ASTRA BEATAM
ACCIPIVNT ANIMAM, FAMA VOLAT POPVLO.
QVI LEGIS HAEC JVVENIS, NE FIDAS FLORE JVVENTAE,
ANTE DIEM SVBITO SPERATVM MORTE FVRENTE.

M. CCC. LXXII. DIE XXVIIII. MAJI.
LAVDABILITER REQVIEVIT.

In pariete introeuntibus è regione sub statua lapidea legitur:

Petrus Piccardus.

PETRO PICCARDO PEDEMONT. VIRO MAGN. IN DEO PIETA. ET RELIG. AC IN HOMINES PRAESERTIM AMICOS FIDEI, ET INTEGRITA.
QVI DVM LXX. SVAE AETA. ANN. AGERET, ANIMAMQ. DEO ET CORP. TERRAE REDDIDISSET,
IOANN. PICCARDVS NEPOS HER. EX TEST.
PATRVO IAM VI. MENS. APVD SE DEFVNCTO PIENTISS. P.
ANN. D. M. D. XLVIII. IIII. IDVS IVLII.

In Æde media humi in lapidea tabula hæc leguntur:

BALTHASAR CARDVCIVS FLORENT.
IN PATAVINA ACADEMIA PRIVS PONT. MOX. CAESA. IVR. ANTESIGNANVS
LVDOVICAE VXORI BENE MERITAE
POSVIT:
M. D. XVIIII.

EXTERNO HEV TVMVLATA SOLO CHARISSMA CONJVNX 391
HAEC SI FATA VOLENT VRNA DVOBVS ERIT.

Ibidem prope sacrarium in magnifico mausoleo cum simulachris æneis:

Paulus Castrensis.

PAV.
DE CASTRO
AVO ET ANG.
PATRI NICOLA
VS SVO AERE
DONA-
VIT.

PAV-

PAVLVS DE CASTRO IVR. CONSVL. DISERTISS. MAXIMAE AVCTORITATIS APVD OMNES HABITVS QVOD FLORENCIA TESTATVR, CVIVS IVS MVNICIPALE INNOVAVIT, ET IN EA CONIVGATVS PETRAE VXORI VICARIATVS OFFICIVM IN SPIRITVALIBVS RO. PONTIF. DECRETO EXERCVIT, VBI ETIAM IN BONONIENSI ET PATAVINO GYMNASIO PVBLICE PROFITENDO FLORVIT, AETERNAMQVE SIBI GLORIAM COMPARAVIT, RELINQVENS CONSILIORVM ET IN IVRE VOLVMINA PLVRA EDITA, QVAE INTER MANVS VERSANTVR: ET IPSIVS ANGELVS FILIVS CLARVS INGENIO AMBORVM IVRIVM TENENS FASTIGIA, QVADRAGINTA ANNOS PATAVII IVRA DOCVIT, EOQVE NICOLAVS CANONICVS PADVANVS QVI AB HIS PROCESSIT, ET IPSE PARENTVM VIRTVTEM ADEPTVS, HOC IMMORTALITATIS OPVS ILLIS CONSECRAVIT. M. CCCC. LXXXXII.

Humi vero hæc leguntur:

PAVLO DE CASTRO AVO
ET ANGELO PATRI COMITI PAL. VTRI. IVR. DOCTORIBVS ET IN ORBE MONARCHIS
NICOLAVS DE CASTRO
VTRI IVR. DOCT. CANONICVS PADVANVS
APLIC. CVBICVL. ET
COMES PALAT. FIERI
FECIT
M. CCCC. LXXXVIIII.

In Sacello juxta ſacrarium humi ad tempus:

Epiphanius Columbus.

D. O. M.
EPIPHANIO COLVMBO REALDI COL. FILIO OPTIMAE INDOLIS AC SVMMAE SPEI PVERO: QVI CVM PRAECLARA OMNIA A SE EXPECTANDA SIGNIFICASSET, IMMATVRA NIMIS ATQVE INVIDA MORTE PRAEREPTVS, MAXIMVM SVI DESYDERIVM OMNIBVS RELIQVIT.
PARENTES MOESTISS. P. P.
VIX. ANN. V. M. VIII. D. XIX.
OB. VIII. KAL. OCT. M. D. XLIV.

Ibidem paulo ſuperius in pariete levi manu picta hæc carmina viſuntur:

HVC NIGRAS PVERI VIOLAS FVSCOSQVE HIACYNTHOS,
PVLCHRAQVE PVRPVREI SPARGITE FILA CROCI·
NEC LACHRYMAS COHIBETE, PVER HIC FORMOSVS ET IDEM,
QVI VESTRI FVERIT GLORIA PRIMA CHORI,
QVIN ET MVLTA AVSVS PLVSQVAM PVER, ILLE ANIMANTVM,
ILLE HOMINVM TENERA MEMBRA SECARE MANV.
393 AT VOS O NIMIVM CRVDELIA FATA, NIMISQVE
IMPIA MORS, ET QVAE NIL NISI SAEVITIA ES.
VIX COELO OSTENSVS FVERAT, CVM PROTINVS ILLVM
LANIFICAE NOBIS SVRRIPVERE DEAE.
DIC HOSPES BONA VERBA, BONVMQVE PRECATVS ABITO
VT LVBET, ATQVE TIBI DII MELIORA FERANT.

A Ibidem ſub porticibus monaſterii humi in lapide fracto:

Apollinaris Fuchs.

PVLCHER APOLLINARIS FVCHS PER ---- ----
FVCHS EGO DICTVS ERAM, TOTO JAM COGNITVS ORBE,
HIC JACEO, ET MECVM VIRTVTIS OMNIA MATRIS
ET PATRIAE SPES VNA PERIT STVDIIQVE LABORES,
B QVOS EGO DVM SACRI JVRIS SVCCENSVS AMORE
FERRE LIBENS STATVI, PESTIS FVROR IMPIVS VRGENS
VITAE EXTREMA DEDIT, PATAVI SIC OSSA QVIESCVNT.

In Baſilica *S. Mariæ* in Vancio prope januam introeuntibus ad dexteram in lateritio conditorio ad tempus hæc ſcripta leguntur:

Caſſanus.

C HIC DEDIT ANTIQVAE QVOD ERAT MORTALE PARENTI
CASSANVS MEDICAE MAXIMVS ARTIS HONOS.
IS PEDEMONTANAE TANTVM DECVS ATTVLIT ORAE,
QVAM CHOIS OLIM CIVIBVS HIPPOCRATES.
ESSE SENESCENTI INFERIOR SED MAGNVS APOLLO
DVM TIMET (HEV) COELO MALVIT ESSE PAREM.
D CONDITVR HIC CORPVS TERRENO CARCERE LIBER,
SPIRITVS ASTRA COLIT, FAMA PER ORA VOLAT.

Ibidem humi juxta ſacrarium in marmorea tabula cum effigie Epiſcopi dormientis:

Daniel Scotus.

HIC IACET REVS. IN CHRISTO PAT. 394
DNS DANIEL DE SCOTIS, DE
TARVISIO EPS CONCORDIENSIS
E AC DNI NRI EVGENII PAPAE
QVARTI THESAVRARIVS.
QVI OBIIT XI. IVLII M. CCCC. XLIII.

In Baſilica *D. Juſtinæ* in ſacello *S. Danielis* in arca marmorea cum effigie doctoris dormientis viſitur hoc epitaphium:

Raphael Raimondus.

RAPHAEL HIC SITVS EST ANTIQVA AB ORIGINE PATRVM,
F QVI QVONDAM GEMINI GLORIA JVRIS ERAT:
HVNC RAIMONDA DOMVS, HVNC COMVS PATRIA LVGENT,
HVNC SIBI PRAEREPTVM FLET STVDIOSA COHORS.
FLETE SVPER QVONIAM TALEM VIX PRISCA TVLERVNT
SECVLA, NEC SIMILEM FORTE FVTVRA DABVNT.

Ibidem in ſacello *D. Lucæ* euangeliſtæ in lateritio conditorio ad tempus:

Brigida Urſina.

BRIGIDAE VRSINAE NICOLAI NOLAE PITILIANIQVE PRINCIPIS AC VENETORVM EXERCITVS IMPERATORIS FILIAE MATRONAE PVDICITIA AC RELIGIONE INSIGNI RICARDVS ALIDOXIVS VX. CHARISS. POSVIT.
VIXIT ANN. XLV. OBIIT DIE XXII. MAII. M. D. XXXIX. NVNC IDEM RICARDVS FRANCISCVM FILIVM GRAECE LATINEQVE ERVDITVM SVMMO CVM DOLORE PONENDVM CVRAVIT.
VIX. ANN. XXXV. DIES XXIX. AVGVSTI. M. D. XLIII.

Prope ſacrarium humi, in tabula marmorea legitur hoc epitaphium:

Bartholomæus Bonvicinus.

395 BARTH. BONVICINO BRIX. L. DOCT.
QVI PRAEMATVRE CHRISTIANISS. TAMEN
DEO OPT. MAX. LARGIENTE V. EXCEDENS
PEREGRINA HOS DERELIQVIT
FRATRES V. SVPERST. F. MATER F.
VXOR F. CHARISSIMO. C. PIENTISS.
.P.
M. D. I. VII. CAL.
OCT.

A parte ſiniſtra chori veteris ſub euangeliſtario juxta altare majus humi in arca cum inſigni ſtatua hæc leguntur:

Jacobus Zochus.

IACOBVS DE ZOCHIS EXCELLENTISSIMVS LEGVM DOCTOR.

Ibidem in capitulo monachorum humi in tabula marmorea viſitur hoc epitaphium ſub Epiſcopali ſtatua:

Ludovicus Barbus.

MILLE QVADRINGENTIS DOMINI CVRRENTIBVS ANNIS
QVADRAGINTA TRIBVS SEPTEMBRIS MENSE FLVENTI,
PROGENIE VENETA BARBO LVDOVICVS IN ASTRIS
MENTE NITENS TVMVLO CLAVSO SEPELITVR IN ISTO.
SPLENDIDVS ILLE FVIT LVCENS VIRTVTE PER ORBEM:
QVIN ETIAM CLEMENS, HVMILIS, SVPER OMNIA CASTVS,
ALMAE JVSTINAE PATAVAE TVNC EXTITIT ABBAS,
QVVM SANCTI NORMAM BENEDICTI CONSOLIDAVIT:
ILLINC ITALIAE CELEBRES LVSTRANDO PER VRBES,
ORNAVIT MONACHIS CHRISTO FAMVLANTIBVS ALTO
CONSILII SANCTI PRAESES, PRAEFECTVS ET AVCTOR,
ECCLESIAE PACEM TRACTANDO SCHISMA REMOVIT,
EVGENII QVARTI PRAECEPTO PRAESVLIS ORBIS
ANTISTES NOLENS, EST TARVISINVS INVNCTVS.

Ibidem ſub porticibus in pariete depictum viſitur diſtichum:

Joannes Aquila.

HIC CINERES ADIIT MELIOR PARS ASTRA JOANNIS, 396
MIRVM, QVI POTVIT? SED JOVIS ALES ERAT.

Ibidem humi legitur.

IOANNI AQVILAE PATRI PIENTISS. DOLENTES FF. POS.

In Baſilica *D. Antonii* intra portam ſub inſigni ſtatua è ſuggeſtu juventutem docente, in pariete à dextris ſpectatur hoc epitaphium:

Simon Ardeus.

SIMONI ARDEO MINORITANAE RELIGIONIS SPLENDORI, QVI DVM EX PATAVINIS ATHENIS OMNES TERRAS ILLVSTRASSET, PHILOSOPHORVM ET CHRISTIANORVM THEOLOGIAM SVMMA CVM LAVDE OMNIVMQVE INVIDIA SVPERATA PROFESSVS: VIAM TANDEM VNIVERSAE CARNIS INGREDIENS, DORMIVIT IN DOMINO: F. BERNARDINVS ALVMNVS RERVM ET COGNOMINIS HAERES NON INGRATVS P.
OBIIT ANNO M. D. XXXVII. AET. SVAE LXV. III. KL. MAIAS.

Ibidem non longe ſub ſtatua marmorea inſigni ornatu circundata, legitur hoc elogium:

Petrus Bembus.

Hieronymum Quirinum Iſmerii filium patr. *Venetum*, *Petrus Bembus* Card. ita dilexit, ut eum moriens & in ſecundis hæredibus ſcripſerit, & teſtamenti ſui executorem eſſe voluerit. *Quirinus* ergo ut viventibus ſuam in *Bembum* vita functum, ſingularem pietatem oſtenderet, ipſius Card. imaginem marmoream *Daneſii Catanei Carrarienſis* eximii noſtræ ætatis ſtatuarii manu factam, poſteritati dicavit. Impetrato prius à Republica *Patavina* loco, qui jam viventi *Bembo* ad tumulum *Maurocenæ*, & *Lucilii* illius filii publice decreto decurionum datus fuerat.

PETRI BEMBI CARD. IMAGINEM 397
HIERONYMVS QVIRINVS ISMERII F.
IN PVBLICO PONENDAM CVRAVIT
VT CVIVS INGENII
MONVMENTA AETERNA SINT
EIVS CORPORIS QVOQVE MEMORIA
NE A POSTERITATE DESYDERETVR.
VIX. ANN. LXXVII. D. XXIX.
OBIIT XV. CAL. FEBR. M. D. XLVII.

Ibidem è regione in magnificentiſſimo mauſoleo legitur hoc epitaphium:

Alexander Contarenus.

HANC ALEXANDRI CONTARENI VENETAE CLASSIS CVM SVMMA POTESTATE FORTISS. LEGATI DIVI MARCI PROCVRATORIS QVEM NEC VENETI IN PERICVLOSISS. REIP. TEMPORIB. RETARDARVNT VNQVAM. ET HARIADENVS BARBAROSSA OTHOMANICAE CLASSIS IMPERATOR POTENTISS. SAEPE TIMVIT TAM MIRABILI ARTIFICIO DVCTAM EFFIGIEM MAGNI INDICEM ANIMI PRAECLARVMQ. TOTIVS MARITIMAE DISCIPLINAE SIMVLACHRVM VT POSTERITAS HABERET QVOD INSTAR IMMORTALITATIS AC GLORIAE VNICE COLERET NE QVIDQ. PATAVINO SPLENDORI DEESSET PETRVS ET PANDVLPHVS FRAT. OPT. P. VIXIT ANN. LXVII. DIES VIIII.
OBIIT XVII. KL. APRILIS M. D: LIII.

Ibidem non longe:

Hieronymus Michael.

398 HIERONYMO MICHAELI PATRIT.
VENETO FORTITVDINE ANIMI INTER
CAETEROS PRAESTANTI, IMMATVRA MORTE TOTIVS CVM
CIVITATIS LVCTV PRAEREPTO,
MELCHIOR PATER IDEMQVE DIVI MARCI PROCVRATOR FILIO
CHARISSIMO HOC MONVMENTVM PONENDVM CVRAVIT.
VIXIT ANNOS XXXV. MENSES V.
DIES XXVI. OBIIT ANNO
SALVT. M. D. LVII.
IDIBVS SEPTEMBRIS.

Ibidem è regione in ſublimi poſito abſque titulo eſt *Cortoneus Anglicus*, in cujus memoriam clariſſimus *Bernardus Georgius Patavii* Prætor hoc carmen cecinit:

Anglia quem genuit, fueratque habitura patronum
Cortoneum, celſa hæc continet arca ducem.
Credita cauſa necis regni affectata cupido,
Reginæ optatum tunc quoque connubium:
Cui regni proceres non conſenſere Philippo
Reginam regi jungere poſſe rati.
Europam unde fuit juveni peragrare neceſſe,
Ex quo mors miſero contigit ante diem.
Anglia ſi plorat defuncto principe tanto,
Nil mirum, domino deficit illa pio.
Sed jam Cortoneus cœlo fruiturque beatis,
Cum doleant Angli, cum ſine fine gemant.
Cortonei probitas igitur, præſtantia, nomen,
Dum ſtabit templum hoc, vivida ſemper erunt.
Anglia hincque etiam ſtabit, ſtabuntque Britanni:
Conjugii optati fama perennis erit.
Improba naturæ leges Libitina reſcindens,
Ex æquo juvenes præcipitatque ſenes.

Ibidem in ſacello primo à parte Meridionali in pariete ſub inſigni ſepulchro, cui *Eraſmi Gattamelatæ* incubat imago habitu quieſcentis:

Gattamelata.

399 DVX BELLO INSIGNIS, DVX ET VICTRICIBVS ARMIS
INCLYTVS, ATQVE ANIMI GATTAMELATA FVI.
NARNIA ME GENVIT MEDIA DE GENTE, MEOQVE
IMPERIO VENETVM SCEPTRA SVPERBA TVLI.
MVNERE ME DIGNO, ET STATVA DECORAVIT EQVESTRI,
ORDO SENATORVM, NOSTRAQVE PVRA FIDES.

Huic extra templum in ingenti area ſub dio equeſtris ſtatua armati equitis militare ſceptrum tenentis poſita eſt publico decreto à Senatu *Veneto* ob egregiam fidem cum ſumma virtute conjunctam, & illa quidem magnificentiſſima, utpote quæ ingenio præſtantiſſimi ejus ætatis ſtatuarii, cui *Donatello* nomen fuit, facta fuerit: ea hodie ab omnibus non ſine admiratione ſpectatur, ita inſcripta:

OPVS DONATELLI FLORENTINI.

In eodem ſacello è regione *Gattamellatæ* patris.

Joannes Antonius F.

TE QVOQVE JOANNES ANTONI IMMITIA FATA
MORTE LICET DOLEANT, ERIPVERE TAMEN.
CLARA TIBI FACIES, NEC NON VICTRICIA SIGNA:
INQVE ACIE VIRTVS FVLMINIS INSTAR ERAT.
VNICA SPES HOMINVM NAM TV JVVENILIBVS ANNIS
CONSILIO FVERAS, ET GRAVITATE SENEX.
GATTAMELATA PATER DECORANT PIETASQVE FIDESQVE,
INGENIVM, MORES, NOMEN ET ELOQVIVM.

Ibidem in ſacello propinquo in pariete ſub arca marmorea legitur hoc epitaphium:

Guielminus Rubeus.

QVATVOR HOC MARMOR PROCERVM TEGIT OSSA SEPVLCHRI.
HECTORE QVIS POTIOR, QVIS NESTORE DOCTIOR ISTIC
GVIELMINVS ERAT RVBEIS SATVS, INCLYTA PARMA
EDIDIT HVNC ANIMOSA DVCEM, CVM QVO GENITOS TRES
ARCA TENET, FELIX TANTI GENITVRA PARENTIS.
ROLANDVS VIRTVTE ANIMI GENEROSVS IN OMNI
DOTE NITENS DEXTRAE, TREMOR HOSTIBVS, AXIS AMICIS,
ARDENS PARMIGENIS LAMPAS, PIETATIS ASYLVM,
SVPRA HOMINEM CINCTVS TITVLIS MARSILIVS ARMIS 400
STRENVVS, IRRIGVVS LIBRATI CONSILII FONS,
SPES PATRIAE: DOMVIQVE JVBAR, PARMAE DECVS ALTVM.
QVID PETRE MVSA CANET, DE TE NISI QVOD POLVS VNQVAM
NON FLVXIT PROBITATE PAREM, NON DVX VAFER ALTER:
SCIPIO MAGNANIMVS FVERAS SVPER ARDVA MARTIS
EDOCTVS DVXISSE ACIES PER BELLA FVRENTES,
TESTIS ADEST VENETVS SVPER HIS, ET LILIA RVBRA,
QVOS PROCVL A PATRIA BVSTO HOC FORTVNA COEGIT
CARRIGERVM AFFINES COMMIXTO FOEDERE TEDAE·
CORPORE FORMOSOS, ANIMI VIRTVTE CORVSCOS
IMPRIME ROMVLEIS HORVM SVA GESTA TRIVMPHIS

POSTERITAS: LINGVIS RESONIS RECOLENDA PER AEVVM
VT LOCET A DEXTRIS DEVS HOC SVPPLEXQVE PRECARE.

OBIIT PRAEFATVS DOMINVS PETRVS PARVM ANTE ALIOS TRES PRAEDICTOS DE M. CCC. XXXVII. AVG. VII.

In eodem Sacello ſub arca marmorea in pariete:

Bonifacius Rubeus.

PROH DOLOR, HIC MILES JAM BELLO CLARVS ET ARMIS,
JAM TERRA PELAGOQVE MICANS BONIFACIVS ATRA
MOLE JACET, QVEM PARMA TVLIT, QVI MARCHIO VIXIT
SORANEAE GENTIS DECVS HIC, ET SVMMA LVPORVM
GLORIA, PRO LATH QVI QVONDAM PLVRIMA GESSIT
PRAELIA DVCTOR HERIS, ET SAEPE DECORA TRIVMPHIS
HIC HIC CVJVS ERAT CONSVLTA RESVMERE LAETVS
IMPERIALIS APEX, REGIQVE DOMESTICVS, IDEM
ASTITIT VNGARICO DOMINO VIR GRATVS VTRIQVE.
QVID IN CONSILIO FVIT HIC PROBITATE, FIDEQVE,
JVSTITIAQVE NITENS, SVPERVM DEVOTVS ET ALMAE
RELLIGIONIS AMANS, QVO NON PRAESTANTIOR ALTER
RECTA SEQVI, MAJORQVE SVI DILECTOR HONORIS.
AT QVID FATA VIRVM TANTI PROSTRASSE JVVABIT?
SYDERA MENS SCANDIT, GELIDVM LICET OSSA SEPVLCHRVM
STRINGAT, ET AETERNVM SVA JVVET FAMA PER AEVVM.

M. CCC. LXXXVIII. DIE XXVIII.

401 Ibidem non longe ad portam clauſtri à parte læva in arca cancellis ferreis cincta in pariete:

Federicus Lavellongus.

RECTOR IN OFFICIIS MAGNVS ROMAEQVE SENATOR
ELECTVS PROBITATE ANIMI FEDERICVS IN ARMIS
STRENVVS ISTE FVIT MILES, PIVS ATQVE SEVERVS
DE LAVELLONGO, NOVIT QVEM BRIXIA NATVM.
OSSEA PARS SAXO CLAVSA EST, MENS GAVDET IN ASTRIS:
FAMOSVM MERITIS NOMENQVE CELEBRE RELICTVM.

M. CCC. LXXIII. INDIC. DECIMA DIE PRIMA DE MENSE SEPTEMBRIS.

Ibidem non longe à dextris in pariete in tabula marmorea è regione chori:

Frater Paulinus.

QVI LEGIS HAEC FRATRIS PAVLINI, CERNE SEPVLCHRVM:
PARS JACET HIC, CVJVS PARS TAMEN ASTRA TENET.
ASTRA TENET, QVONIAM PACEM DILEXIT, ET ILLAM
SERVARI MONITIS SANXIT IN VRBE SVIS.
CVJVS MVLTA LICET FVERINT PRAECONIA, SALTEM
HAEC TIBI QVAE REFERAS, ACCIPE POSTERITAS.
VIR FVIT IN LAQVEO VITAE LONGAEVVS HONESTAE,
ASSIDVVS NORMAE DOGMA TENERE SVAE.
DVLCIBVS ELOQVIIS, CVI PERSVADERE QVIETEM
CIVIBVS ET PATRIAE SEDVLA CVRA FVIT.
PACIFER HIC PATAVAE SEDAVIT SCANDALA TERRAE,
EXVLIBVS PATRIOS RESTITVITQVE LARES.
FOEDERA DVM REGI FERRET LAVDANDA BOHEMO,
VRBE TRIDENTINA TVRBINE FEBRIS OBIT.
TRANSTVLIT HIC CHARVM PADVAE RESPVBLICA CORPVS,
QVOD COLVIT TEMPLO, QVI CVBET IPSE SVO.
DENA BIS IN TAVRO PRAEBEBAT LVMINA TITAN
CVM TRIBVS EXORTO, MILLE TRECENTA DEO.

Ibidem prope januam chori in lateritio conditorio ad tempus:

Joannes Paulus Manfronus.

BELLIPOTENS MAVORS VENETVM TVTAMEN IN ARMIS 402
JOANNES PAVLVS LVMEN HONORQVE DVCVM,
HIC JACET: AST ANIMVS SPOLIIS REDIMITVS OPIMIS,
MANFRONVS VIVENS INTEGER ASTRA TENET.
MARCELLOS REFERENS ANIMO VIRTVTE CAMILLOS,
OCCIDIT IMPVLSA SVLPHVRE ET IGNE PILA.

Ibidem non longe humi in lapide albi marmoris apud Sacellum nobilium de *Capiliſteis* cum ſtatua Epiſcopi dormientis hæc pauca leguntur:

Nicolaus Triviſanus.

HIC TVMVLATVR VENERANDVM CORPVS
REMI DOMINI NICOLAI TRIVISANI OLIM
EPI NONSIS ARTIVM ET SACRAE —
DOCTORIS EXIMII QVI OBIIT
ANNO DOMINI
M. CCCC. LI.
MENSIS SEPTEMBRIS DIE SEPTIMO.

Ibi-

Ibidem in sublimi arca ad dextrum cornu aræ maximæ cum lapidea statua legitur hoc epitaphium:

Raphael Fulgosus.

FVLGOSVS RAPHAEL VIRTVTVM JASPIS VTROQVE
JVRE STVPOR TANTVS QVI FAMA QVANTVS ET ORBIS
SCRIPTIS MORTE VACAT, TAM PARVO CLAVDITVR ANTRO.

Ibidem rursum de eodem paulo inferius:

EMERITAE PRAEDIGNA GERENS COGNOMINA LAVDIS
FVLGOSVS RAPHAEL CONDITVR HOC TVMVLO.
CONSVLVIT NEMO MELIVS FVLSITQVE DOCENDO
CAESAREAS LEGES JVRAQVE PONTIFICVM.
CLARVIT ELOQVIO, QVEM BLANDA PLACENTIA FORMA.
ET GENERE INSIGNEM, MENTE PIVMQVE TVLIT.

403 Ibidem non longe in sacello nobilium de *Lanzarotis* ad tempus in lateritio conditorio humi:

Camillus Pallavicinus.

CAMILLO PALLAVICINO CVIVS EXCELLENS INGENIVM, SVAVISSIMI AC SANCTISSIMI MORES, IN LITERARVM STVDIIS PROGRESSVS, QVAM PRO AETATE TANTA FRANCISCVM PATREM IPSI CHARITATE DEVINXERAT, VT OMNI ALIA CVRA POSTHABITA, EVM QVOCVNQVE IPSE EXCOLENDI INGENII GRATIA SE CONFERRET, PERPETVO COMITARETVR, ACERBA ATQVE IMMATVRA MORTE PRAEREPTO, DOLORE EXANIMATVS PATER QVA PIETATE VIVENTEM EADEM MORTVVM HVCVSQVE COMITATVS MONVMENTVM HOC PRO TEMPORE POSVIT.
HEV INCERTAM HOMINVM SORTEM HOC MIHI A TE OFFICIVM PRAESTARI DEBVIT FILI.
VIXIT ANNOS XV. MENS. V. DIES XXIII.
OBIIT ANNO M. D. LVI. QVARTO KL. AVGVSTI.

Ibidem humi in medio sacello beatæ *Mariæ* virginis, quod est nobilium *Obiciorum* ubi illorum majores quiescunt, legitur in tabula lapidea:

Joann. Paenz.

NOS HIERONYMVS PIVS AENEAS ET ROBERTVS FRATRES DE OBICIS HVIVS SACELLI DOMINI LIBERALITATE NOSTRA PERMISIMVS, VT HIC CLAVDATVR EGREGIVS IOANNES PAENZ LVSITANVS, OLIM OB EXIMIAM VTRIVSQVE IVRIS SCIENTIAM ET MORVM PROBITATEM A SERENISS. PORTVGALIAE REGE IOANNE III. IN SENATORVM ORDINEM COOPTATVS, TANDEM AB EODEM LEGATI NOMINE INSIGNITVS AD CONCILIVM TRIDEN. VNDE REDIENS, OBIIT PATAVII DIE XXII. IVNII ANNO DO. M. D. LII.
AETATIS VERO SVAE
LVI.

Ibidem in pariete à Septentrione in sublimi mausoleo cum simulachro dormientis hæc pauca insculpta visuntur: 404

Antonius Roycellus.

MONARCHA SAPIENTIAE ANTONIVS DE ROYCELLIS.
M. CCCC. LXVI. DIE XVI. DECEMB.

Erasmus Cretcovius.

D. O. M.
ERASMO A KRETHKOVV. POLON. PALATIN. ID BRIESTEN CASTELLANO GNESNEN. CAPITAN. PISDREN. ET CAET. QVI ANN. AETAT. SVAE QVINQVAG. OBIIT PATAV. DIE MAII XVI. M. D. LVIII. AMICI POSVERVNT.

HIC TE CRETCOVI MORS ET TVA FATA MANEBANT,
CVM TERRAS OMNES, ET CVM MARIA OMNIA CIRCVM
LVSTRARES NVLLO DEFESSVS MEMBRA LABORE.
TE RAPIDVS GANGES, GELIDAEQVE BORISTENIS VNDAE:
TE TAGVS, ET RHENVS, TE RIPA BINOMINIS ISTRI,
ET SEPTEM GEMINI NOVERVNT OSTIA NILI.
NVNC CONCESSISTI MAGNVM VISVRVS OLYMPVM,
AETHEREASQVE DOMOS: VBI DIIS IMMISTVS INANES
ET CVRAS, ET SPES HOMINVM LAMENTAQVE RIDES.

In atrio prope januam sacrarii in lapidea tabula formosis characteribus:

Jacobus Roseus.

IACOBO ROSEO THEOLOGO MINORITAE PATRIA DANDACO NATIONE SICVLO ANIMI CANDORE CHRISTIANAE RELIGIONIS STVDIO MORVM INTEGRITATE DOCTRINA PRVDENTIA ET CHARITATE INSIGNI QVI VARIIS LABORIB. AERVMNIS ET MORBIS IN CONCILIO TRIDENTINO CONFECTVS HIC TANDEM QVOD SEMPER OPTAVERAT DORMIVIT IN DOMINO CORNELIVS MVSSVS PLACENT. EPISCOPVS BITONTINVS ILLI VNI PROXIME ET SECVNDVM DEVM VIRTVTES HONORES FORTVNAS OMNIA DENIQVE ACCEPTA REFERENS TANQVAM PATRI DE SE OPTIME MERITO PERPETVVM SANCTISSIMAE EDVCATIONIS MONVMENTVM POSVIT.

MORTALI OPTASSET TECVM CORNELIVS VNA 405
CARCERE AD AETHERIAS ROSA REDIRE DOMOS,
NON LICVIT QVANDO, ERGO TIBI SVMMA OMNIA DEBET
FORMASTI ENIXV QVEM PATER IPSE PIO.
CVM NVNQVAM POSSET MERITAS TIBI REDDERE GRATES,
VIRTVTIS TANTAE TEMPVS IN OMNE MEMOR.

HVNC TVMVLVM EXTRVXIT, MORIENTEM FLEVIT, ACERBVM
VVLNVS ADHVC ANIMO NOCTE DIEQVE GERIT.

VIX. ANN. LXXV. MEN. X. OBIIT ANN. DOMINI M. D. XLVIII. KL. IVNII.

Ibidem inter transeundum sub fornice in arca cum simulàchro militis armati, in epitaphio quod à celeberrimo viro *Francisco Petrarcha* olim editum in suis operibus Latinis legitur:

Mannus Donatus.

MILES ERAM MAGNVS FACTIS, IN NOMINE MANNVS,
DONATOS QVOS FAMA VOCAT CELEBRATQVE VETVSTI
SANGVINIS AVCTORES HABVI: MANVS INCLYTA BELLO
DEXTERITASQVE IMMENSA FVIT, NEC GRATIA CLARAE
DEFVERAT FORMAE, DVBIIQVE PERITIA MARTIS,
DVM PIA JVSTITIAE FERVENS AMOR INDVIT ARMA:
NIL METVENS MVLTIS LATE VICTRICIA CAMPIS
SIGNA TVLI, MVLTOS POTVI MERVISSE TRIVMPHOS.
FLORENTINA MIHI GENEROSA STIRPIS ORIGO,
CHARA DOMVS PATAVVM SEDESQVE NOVISSIMA BVSTI
CONTEGIT EXIGVO FESSVM SVB MARMORE CORPVS,
REDDITA MENS COELO, NOMEN SERVATE SEQVENTES.

M. CCC. LXX. AVGVST. VLT.

Ibidem in lateritio conditorio humi ad tempus:

Fulvius Verdellus.

FVLVIO VERDELLO CREMENSI ADOLESCENTI NOBILISS. ELOQVENTIA, ET LEGVM, VT AETAS PATIEBATVR, PERITISS. MORVM PROBITATE, INGENII CELERITATE NVLLI CONFERENDO, GRAVI MORBO SVB INITIA SVORVM STVDIORVM PAVLO POST IMMATVRA MORTE CORREPTO, SVMMO PARENTVM ET AMICORVM DOLORE.

406 FAVSTINA MATER INFELIX ET MARTIVS FRATER MOESTISS. P.
VIXIT ANN. XVIII. MENS. XI. DIES XXVI. PRID. NON. APRIL. M. D. LII.

Ibidem non longe ad tempus in lateritio conditorio:

Joann. Mauleonus.

IOANNI MAVLEONO GALLO GENERIS NOBILITATE, INGENIO ET ELOQVENTIA CLARO, QVEM MORS INIQVA ET FORTVNA STVDIIS BONIS OMNIBVS OCCVPATVM A SVIS SEIVNCTVM INTER LASCIVIENTES ET STVLTAS DESIGNANDO RECTORI TVRBAS, ACERBO SVO DVORVMQVE DOMESTICORVM FATO RAPVERVNT, SVMMO PIENTISS. MOERORE AFFECTI PARENTES PONI IVSSERVNT.

MAVLEO VESTER HONOS GALLI MVSAQVE DIIQVE
OCCIDIT, O TENVI GRANDIA CLAVSA LOCO.

ANN. AETATIS SVAE XXI. IIII. KL. AVG. M. D. XLVII.

Ibidem non longe in sublimi arca legitur hoc epitaphium:

Rainerius præceptor Bartholi.

LIVIA QVEM GENVIT RAINERIVS ALMA, QVIESCIT
HOC SAXO, LEGALIS APEX, VENERABILE LVMEN.
LEGIBVS IN MVNDO JVRIS SVMMVSQVE MONARCHA,
FIDVM CONSILIVM, DVBIIS RATIONIS AMICVS.
HOC PEREVNTE PERIT LEGVM VENERANDA POTESTAS,
VIRTVS STRATA JACET ZELO VIDVATA PATERNO.
HVC HVC VERTE OCVLOS, LACHRYMANS HIC SPONTE QVERARIS
PLEBS STVDIOSA PATREM, QVIA VIX HANC PASSA RVINAM
HEV TANTVM SECLO DAMNVM RELEVARE FVTVRO
COMPOS ERIS, NATVMQVE FLEAS ARCENDA PROPAGO.

Ibidem juxta portam in tabula lapidea ad parietem: 407

Janus Drencuvardius.

QVIS HIC VIATOR CONDITVS IACEAT ROGAS. EST IANVS E DRENCVVARDIORVM NOBILI NATVS PATAVIAE FAMILIA, IN QVEM CVM PARENS NATVRA RERVM OMNES ET ANIMI ET CORPORIS DOTEIS BENIGNE CONTVLISSET, INVIDA MORS VERITA NON IMMORTALITATE EVM QVOQVE VIVVM BEARET. GLORIA HAEC AIT MIHI PROPRIA DICABITVR. NEQVE MORA MANVM INJICIT. PRIMOQVE IN AEVI FLORE PRAECERPTVM VBI PIAE ANIMAE DEO FERVNTVR, IN SVPERVM PLAGAS SEDESQVE TRANSTVLIT BEATAS AETHERIS.
VIXIT ANN. XV.
MORTVVS ANNO M. D. LI.
IDIB. AVGVST.

Ibidem in lapidea tabula sub porticibus in pariete legitur hoc epitaphium:

Camillus Bonaventura.

CAMILLO BONAVENTVRAE IVLI. FIL. NOBILI ROMANO ADOLESCENTI ET MORIBVS ET INGENIO PRAESTANTISS. QVI DVM PATAVII OMNI STVDIO VIRTVTIBVS INVIGILABAT, E VITA DECESSIT. ANNO DOMINI M. D. LIII. VIXIT ANN. XX. MENSIB. V. DIEB. XXIX. HIERONYMVS IVSTINIANVS AMICO CHARISS.
P. C.

Ibidem in pariete in insigni tabula legitur:

Erasmus Dilphus.

ERASMO DILPHO BELGAE ANTVERPIENSI SVMMAE VIRTVTIS AC NOBILITATIS VIRO QVI PROCVL A PATRIA MAGNO CVM DOLORE OMNIVM EX DEPLORATA VALETVDINIS INFIRMITATE EXTINCTVS EST AMICI MOEST. B· M. POSVERVNT:

Τῷ δε τάφῳ πατρίας μέγα φῶς ἀνάκειται Ἐρασμὸς
Δίλφος, ἀεὶ μνηστῇ ἔξοχος εἴη ἀρετῇ.
Ὃν διὰ τὴν παντὸς λίαν εὐσέβειαν φίλοι ἄνδρες
Θαύμασαν, ἀλλ' αὐτοῖς ἄλγεα θῆκε θανών.
Τῷ δ' ἐπὶ ἠὴρ στυγερὸν γῆρας ῥα φθόνησε μελαίνη:
Αὐτὰρ ἐς οὐρανίους νῦν ἀνάβησε θεούς.
Ὅστις εἶ ὃς σεμνοῦ ξένε τοῦτ' ἐπὶ σῆμα παρέλθῃ,
Ἡσυχίην ψυχῇ εὔχεο πολλὰ φίλῃ.

Quod carmen ita Latine expositum est:

In hoc sepulchro magnum lumen patriæ jacet Erasmus
Dilphus, qui virtute perquam memorabili clarus fuit.
Hunc ob facilem in omnibus pietatem amici homines
Admirati sunt, sed eos moriens dolore affecit.
Huic parca in tristi senectute invidit funesta:
Attamen ad cælestes ascendit Deos.
Quicunque hospes prope hujus præclari viri sepulchrum transis,
Tranquillitatem animæ habe multum gratæ.

Ibidem in pariete in lapidea tabula:

Henricus a Cram.

D. O. M.

HENRICO A CRAM GERMANO SAXONI
EX NOBILI FAMILIA
SVMMAE PIETATIS RARAEQVE MODESTIAE
ADOLESCENTI CONTINENTISS.
INGENIO HVMANO ERGA OMNES,
ET PRAECIPVE PAVPERES LIBERALI
OPT. ARTIVM COGNITIONE, AC
IVRIS CIVIL. SCIENTIA ITA INSTRVCTO,
409 VT SVIS MAGNO DECORI ESSET,
REIPVBL. ORNAMENTO MAXIMO FVTVRVS.
POSTQVAM ABSOLVTO PENE STVDIORVM
CVRSV IN IPSO REDITV AD SVOS,
ACERBISS. FEBRE OPPRESSVS,
ANIMAM DEO CORPVS TERRAE,
AMICIS SVMMO SVI DESIDERIO RELICTO
REDDIDISSET, ASCANIVS FR. PIENTISS.
CVM SORORE MOESTISS.
POSVERE.
OBIIT M. D. XXXXV. XXVIIII. OCTOB. VIX. ANN. AETAT. XX.
PROCVRABAT BARTOLDA MANDESLO CONR. F. ET NAEVIVS.

Ibidem in tabula lapidea cum ænea effigie, & piramide affabre sculpta, unde flamma in apice exhalat:

Flaminius Maleguiccius.

FLAMINIO
ANNIBALIS F. MALEGVCCIO NOBILI FAMILIA REGIENSI ORTO, GRAECIS LATINISQVE SVPRA AETATEM ERVDITO, ET IVR. CIV. STVDIOSO MOERENS HORATIVS FRATER HEV ADOLESCENTI FECIT OPTIMO. VIXIT ANN. XV. MEN. II. DIES VI. OBIIT A NATA. CHRISTI
M. D. LII. V. IDVS
APRILIS.

In piramide hæc verba insunt:

SIC SPRETIS ILLECEBRIS, TERREO ERVMPENS VASE FLAMINIVS COELVM PETIIT.

Ibidem in pariete in tabula lapidea:

Caspar Penthelingus.

D. M. 410
CASPARI PENTHELINGO NOBILI SICAMBRO
SVMMAE ERVDITIONIS PROBITATISQVE VIRO
IN PRIMO STATIM ITALIAE INGRESSV CVM
MAXIMO AMICORVM LVCTV
EXTINCTO CONTERRANEI
PARENTVM IVSSV P.
V. KAL. FEBR. M. D. LII.
VIX. ANNOS PLVS MINVS XX. ET VIII.

Κασπαρὶ τῷ Πενθελίγγῳ γερμάνῳ Σικάμβρῳ, ἐπὶ σωφροσύνῃ, εὐσεβείᾳ, δικαιοσύνῃ τε, καὶ φιλοπονίᾳ μεγάλως εὐδοκιμήσαντι; ὃς τοῦ τρίτου μηνὸς, ἐξ οὗ εἰς τὸ Πατάβιον τῆς νομικῆς ἕνεκα γυμνασίας παραγένετο, πυρετῷ λοιμικῷ ἔντυχον τὸν βίον ἐν ἡλικίας ἐτελεύτησαν ἀκμῇ, οἱ οἰκεῖοι καὶ φίλοι λυπούμενοι μνημεῖον ἔθηκαν.

Quod Latine sonat:

CASPARI PENTHELINO PATRIA GERMANO SICAMBRO, TEMPERANTIA, PIETATE, INDVSTRIAQVE VALDE PROBATO: QVI TERTIO MENSE, EX QVO PATAVIVM STVDIORVM LEGALIVM GRATIA VENERAT, FEBRE PESTIFERA IN IPSO AETATIS FLORE DECESSIT, DOMESTICI AC AMICI MOERENTES MONVMENTVM POSVERE.

Ibidem in lateritio conditorio ad tempus:

Francus Cæsar Puteus.

FRANCO CAESARI PVTEO VENETO QVI DVM PHILOSOPHIAE STVDIIS ACRITER INCVMBERET, HEV MORTE PRAEVENTVS
OBIIT.
PARENTES PIENTISSIMI NON SINE LACHRYMIS
FILIO VNICO P.
TE JVVENEM IMMATVRA NIMIS MORS ABSTVLIT, IDQVE
VNICVS VT FIERES VNICE NATE DOLOR.
TE FRVSTRA NOS ESSE DEAM CLARISSIMA VIRTVS
CREDIMVS HVMANIS SVBDITA FACTA MALIS.

VIX. ANN. XXI. MENSES VIIII. ET D. XXVIII. DECESSIT ANN. A NATALI CHRISTIANO. M. D. LII. XXVII, NOVEMB.

411 Ibidem humi jacet ſub albo lapide *Pierius Valerianus*, vir doctiſſ. abſque elogio:

Pierius Valerianus:

PIERIO VALERIANO BELLVNENSI
POETAE RHETORIQVE AMPLISS.
CVIVS PIA VMBRA NON POENITENDVM
HIC TVMVLVM SORTITA EST.
B NAM VT OPTABILIVS IN PATRIA,
ITA SPECIOSIVS PATAVII
SVPREMI OFFICII DECVS
FATO AMISSVM VIRTVTE RECVPERAVIT.

PETRVS CARRARIVS AC IOANN. BAPT. ROTA PATAVINI VNANIMES
GRATO HOSPITI.
P.

Idem P. *Carrarius.*

PIERIDAS DVM PIERIVS SECTATVR, ET ORCI
NIL TIMET INSIDIAS, HVNC FERA MORS RAPVIT.
C ILLA NECEM, AETERNAE OSTENTANT HAE MVNERA VITAE:
HINC MEDIVS VITAE PIERIVSQVE NECI.
ABSTVLIT HAEC ANNOS TRISTES: AT PRAEMIA LAVDVM,
ATQVE ANIMAM HAE SERVANT, INVIDA MORS MORITVR.

Ibidem non longe ſub dio in antiqua urna rubri marmoris in ſublimi pariete:

Jacobus Beldebonus.

D HIC IACET DOMINVS JACOBVS DE FERRARIA, QVONDAM DOMINI GERARDINI DE BELDEBONO, DOCTOR DECRETORVM.

Ibidem ſuper arcam *Guidonis Lucii* in lateritio conditorio ad tempus:

Julius Areoſtus

412 IVLIO AREOSTO PATRIA FERRARIENSI LEPIDISS. ATQVE INCORRVPTISS. MORIBVS ADOLESCENTVLO NOMINE AVI SATIS CLARO,
E VIRGINIVS P. AD TEMPVS F. I.
IIII. NON. OCTOBRIS.
M. D. LIII.
VIXIT ANN. XIII. MENS. VNVM D. XVI.

Ibidem in pariete templi in tabula lapidea ſub ſepulchro marmoreo leguntur hæc carmina:

Symon Lupus.

EGREGIVS MILES, QVEM STIRPS GENEROSA LVPORVM
F PROGENVIT, SYMON RVPE SVB HAC TEGITVR.
PATRVVS HIC SECVM FRATRES DVO PACE QVIESCVNT,
HEV COLIT EXIGVAM TVRBA QVATERNA DOMVM.
ORTV CRISOPOLIS DECORAVIT MARCHIONATVM
SORANIAE SENSV MORIBVS ATQVE FIDE.

A JVSQVE DEDIT PATAVIS BIS PRAESES JVRE SECVNDO
DEFECIT, CASTRIS DVX FVIT ARMIGERIS.
MENSQVE RECEPTA DEO EST: MERVIT SVPER ASTRA LEVARI
DOTIBVS INNVMERIS, LVCIDA FAMA PATER.

QVI DOMINVS SYMON OBIIT M. CCC. LXXXV. INDICTIONE VIII. DIE X. IANVAR.

Ibidem humi in tabula lapidea cum muliebri effigie:

Bitina Bononien.

B SEPVLTVRA DOMINAE BITINAE FILIAE QVONDAM DOMINI JOANNIS DE BONONIA ARCHIDOCTORIS DECRETORVM, ET VXORIS DOMINI IOANNIS DE SANCTO GEORGIO DE BONONIA DOCTORIS DECRETORVM.

QVAE OBIIT ANNO DOMINI M. CCC. LV. DIE LVNAE V OCTOBRIS.

C Ibidem ab altero pariete juxta capitulum legitur hoc epitaphium: 413

Angelus Borghinus.

D. O. M.
ANGELO BORGHINO DOMINICI F. FLORENTINO GENERE, MORIBVS LITERISQVE CLARO FRATRES FRATRI OPTIMO LVGENTES.
P. C.
D ANN. M. D. LVII.
VIX. AN. XLIX. MEN. VI. D. XXII.

Ibidem in pariete in inſigni tabula deaurata legitur:

Jacobus Soraga Brixien.

D. M.
NOB. VIRO IACOBO SORAGAE BRIXIEN. OB EGREGIVM EIVS IN GERMANOS STVDIVM GERMANICA NATIO AD SEMPITERNAM GRATI ANIMI MEMOR. VNANIMIS
E P.

CONSILIA RIONATION. SYFRIDO PFINTZINGO PROCVRATORIB. CHILIANO SCHENPICHLERO ET IACOBO ZAGARO ANN. A PARTV VIRGINIS
M. D. LIII.

Ibidem humi in lapidea tabula fracta:

Valeranus Lambardus.

HIC DOCTOR LEGVM VALERANVS PACE QVIESCIT,
F VIRTVTVM HOSPITIVM NOBILE GERMEN ERAT.
∴ ∴ ∴ VERIVS QVEM MILES HONORVM
LAMBARDAE STIRPIS STEMMATE PROGENVIT.
CLARVIT OFFICIIS RECTVS TOTVSQVE FIDELIS 414
CARRIGERIS: MENS EST GLORIFICATA POLO.

Ibi-

Ibidem humi in tabula rubri marmoris juxta capitulum:

Paulus Freschus.

CVI GENVS E FRESCHIS, CVI CLARA MAROSTICA TELLVS,
PAVLVS IN EXIGVO CONTEGOR HOC TVMVLO
DOCTOR ERAM JVRIS, CENSVRA CLARVS VTRAQVE,
ET VIVENS TOTA NOTVS IN AVSONIA.
NOCTE DOMVM REPETENS, NOCTVRNO TRVNCOR AB HOSTE,
ME DEDIT HVIC VIRTVS INVIDIOSA NECI.

M. CCCC. XCVIII.

Ibidem in capitulo medio in magnifico mausoleo ante aram cum effigie Episcopi dormientis hæc incisa leguntur:

Cæsar Riarius.

CAESARI RIARIO
PRIARCHAE ALEX..
EPO MALACITANO.

Extra templum supra portam delubri contigui quod dicitur *Luporum* in lapidea tabula hæc incisa leguntur:

ORATORIVM HOC SVB AVSPICIIS BEATI GEORGII VBI CONDENTIS EST SEPVLCHRVM PRO EIVS PARENTVMQVE AC FRATRVM ET NEPOTVM IN DELENDA MEMORIA MILES EGREGIVS RAYMVNDINVS DE LVPIS PARMENSIS SORANEAE MARCHIO AEDIF. FECIT.

ANN. DNI M. CCC. LXXVII. DE MENSE NOVEMBRIS.

In medio delubro extat pulcherrimum sepulchrum cum imaginibus decem militum armatorum: à parte autem læva delubri in pariete in tabula marmorea deaurata legitur hoc epitaphium:

Raymundinus de Lupis.

415 MARCHIO SORANIAE MILES PIETATIS ASYLVM,
HOC RAYMONDINVS MARMORE PACE CVBAT.
IN BELLIS PVGIL INDOMITVS RECITANDA LVPORVM
FAMA VIRENS ARMIS CONSILIVMQVE FVIT.
GRISOPOLIS GAVDE TANTO CELEBERRIMA NATO,
CVJVS CVM SVPERIS MENS SEDET ANTE DEVM.

QVI DOMINVS RAYMVNDINVS OBIIT M. CCC. LXXVIIII. XIII. NOVEMB.

Hæc nomina insculpta sunt sub singulis simulachris stantibus è marmore circa sepulchrum dispositis:

D. ROLANDINVS EGREGIVS MILES SORANEAE MARCHIO PATER.

DNA MATHILDA EIVS CONIVNX MARCHIONISSA MATER.

D. RAYMVNDINVS MARCHIO SORANEAE MILES FILIVS.

D. ANTONIVS MARCHIO SORANEAE FILIVS.

D. CONSTANTIVS MARCHIO SORANEAE FILIVS.

D. BONIFACIVS MARCHIO SORANEAE FILIVS.

D. GVIDO MARCHIO SORANEAE FILIVS.

D. ANTONIVS MARCHIO SORANEAE MILES NEPOS.

D. SIMON MARCHIO SORANEAE MILES NEPOS.

D. FVLCHVS MARCHIO SORANEAE MILES NEPOS.

In Basilica *D. Francisci* introeuntibus ad lævam spectatur hoc epitaphium in lapidea tabula in pariete:

Michael Pegius.

MICHAELI PATRIA MEDIOLANO PEGIORVM FAMILIA HONESTISSIMISQVE VITAE MORIBVS ILLVSTRI IMMATVRA MORTE DVM AETATIS ANNVM VNDE VICESIMVM AGERET ET CAESAREI IVRIS STVDIO INCVMBERET PRAEVENTO PARENTES, PIENTISSIMIQVE FRATRES POSVERE.

NON EXTREMA PATI ME FATA DEDERE, NEC AVRVM,
NEC VIRTVS, NEC STEMMA DECENS, NEC FORMA INVENTAE.
SOLATVR SPES VNA DEO PAR IMAGINE VITA.

OBIIT DIE XVI. MAII
M. D. XXIIII.

Ibidem supra portam sub monumento alibi lapidis: 416

Antonius Berardus.

D. O. M.

ANTONIO BERARDO IO. F.
FLORENTINO GENERE CLARO,
CVIVS ACTA VITA PRVDENTIAE,
FORTITVDINIS, PROBITATIS
TESTIMONIVM DEDIT,
LAVR. FR. MOER. FRI. OPT. P. C.
VIX. AN. LVI. OB. SEX. ID. MART.
M. D. LVIII. AB INC.

Ibidem à læva in pariete in lapidea tabula visitur hoc epitaphium:

Fabritius Saccus.

FABRITIO SACCO
QVEM LAVS TVLIT POMPEIA
ET IVRIS CANDIDATVM
RAPVIT FLEBILITER ANNVS
VNDEVICESIMVS CANONI.
INSIGNEM SACRVM DICARVNT
MOESTISS. SENES QVOD
ACCIPERE DEBVERANT
M. D. XXIIII. IDIB. AVGVSTI.

Ibidem ad tempus:

Dorotheus Brigottus.

D. O. M.

DOROTHEO BRIGOTTO AB ATRIA VRBE SAMNITVM VETVSTISSIMA IVR. DOCT. CONSVLTISS. VITA ET MORIBVS INTEGERRIMO, QVI CVM MVLTOS ANNOS SOLA ANIMI TRANQVILLITATE, AC STVDIORVM DVLCEDINE CONTENTVS PATAVII EGISSET, CVM SVMMA
417 OMNIVM BENEVOLENTIA, POSTREMO (VT FINIS ERAT) ACERBISSIMO SVORVM DOLORE DECESSIT, QVORVM NONNVLLI PRAESENTES MOESTISS.

P.

PIETATIS AC MERITI TESTAMENTVM.
OBIIT VIIII. KL. IVN. M. D. LV.
VIXIT ANN. XLII.

Ibidem humi in medio Ecclesiæ in albo lapide hæc incisa visuntur:

Hieronymus Michael.

HIC IACET HIERONYMVS MICHAEL EX NOBILI BARCHINONIA MILES OLIM SIPONTINAE ARCIS SERVATOR, APVLIAEQVE GVBERNATOR SERENISSIMVS FERDINANDO ET ALPHONSO NEAPOLITANIS REGIBVS IN HVMANIS AGENTIBVS ANNO DNI M. D. IIII. DIE VERO XXVIIII. MARTII SIBI ET POSTERIS

Ibidem humi à parte dextra in tabula insculpta sub doctoris imagine:

Victor Dulcis.

VICTOR EX DVLCI FAMILIA FELTRENSI NATVS IVRIS PONTIFICII ACCVRATISSIMVS INTERPRES HOC MARMORE CLAVDITVR, QVI VT SAPIENTIA NOSTRA CLARVIT AETATE, ITA EXVTVS VITA, FAMA NVNC PERBEATE LVSTRAT.

OBIIT M. CCC. LIII.

Ibidem in pariete sub ænea effigie:

Hieronymus Niger.

418 D. O. M.

HIERONYMO NIGRO VENET. IVRISCONS. ET CANONICO PATAV. PHILOSOPH. ET ELOQVENTIA CLARISS. ROMAE A VIRIS PRINCIPIB. PROPTER SVMMAM SAPIENTIAM ET INTEGRITATEM MAXIM. ORNAMEMTIS AVCTO. FRANC. FR. ET FELICITA. SOR. MOESTISS. P. C.

VIX. ANN. LXV. OBIIT VII. KL. XBR. M. D. LVII.

A Ibidem in pariete sub statua legentis, publice personam referente:

Hieronymus Cagnolus.

HIERONYMO CAGNOLO VERCELLENSI, VIRO OPT. ET IN IVRIS CIVI. SCIENTIA INTER NOSTRAE AETATIS EMINENTISS. ET PROPT. TAVRINI P. DEINDE PAT. MAIORI STIPENDIO QVAM QVISQVE AELIVS IVS. CIVILE MAG. CVM LAVDE ATQVE OMNIVM
B ADMIRATIONE PROFESSO. NOB. GEN. ILL. DVCIS SABAVDIAE MVNERE SENATORIO, ET EQVESTRI DIGNIT. PRAEFVNCTO FIL. SVMMA ERGA TALEM PATREM PIETATE HOC MON. POS.

VIX. ANN. LIX. OBIIT KL. FEBR. M. D. LI.

Ibidem non longe in pariete in lapidea tabula legitur:

Petrus Luillerius.

D. M. S.

C PETRO LVILLERIO GVL. LVILLERII F. EQVEST. ORDI. VIRI SVMMOS HONORES IN VTRAQVE GALLIA PVBLICE ADEPTI. NAM PRIMVM MEDIOLANI SENATOR, DEINDE PRAETOR TICINI LECTVS, POSTEA IN SVPREM. SEV COLLEGIVM INDE LIBELL. IN REGIA MAGIST. AC CANCELLAR. TANDEM BRITANNIAE MINORIS CREATVS MAX. CVM LAVDE MAGISTRATVM GESSIT 419
MAGNAE EXPECTATIONIS IVVENI, IN AMPLISS. GALL. VRBE LVTETIA PARISIORVM NATO, ET LIBERALITER EDVCATO, IVDICIO ACRI, TENACI MEMORIA, VITAE AD HAEC
D INTEGRITATE, ET RARA QVADAM INNOCENTIA PRAEDITO, QVEM CVM GRAECE LATINEQVE DOCTISS. SEVERIORVM DISCIPLINARVM ERGO PATAVIVM SE RECEPISSET, HIS VIRTVTIBVS, SPECTATISQ. INGENII DOTIBVS, AD PATERNAE GLORIAE FASTIGIVM GRAVITER CONTENDENTEM (PROH DOLOR) FATA INVIDA VNICVM MATRI INFELICI SVPERSTITI SOLATIVM, ET PATRIAE ORNAMENTVM INGENS, PROPERE ERIPVERVNT.
GOVBERVILLEGVS. NORM. AMICO INCOMPARABILI AMICVS INTEGERRIMVS, ET FAMILIARIS CVM LACHRYMIS. B. M. P.
E VIX. ANN. XXII. M. V. D. V.
OBIIT XIIII. KL. DECEMBRIS M. D. IIL.

Ibidem in pariete in lapidea tabula legitur hoc epitaphium:

Joannis Verlani Bordac Patavi epitaphium.

TE VITA EGREGIVM JVVENEM INGENIOQVE BONISQVE
ARTIBVS ANTE DIEM MORS PERACERBA TVLIT.
F JOANNES COELO QVAM TERRA DIGNIOR, AD QVOD
CREDIBILE EST IPSOS TE RAPVISSE DEOS.
GERARDVS MOERENS, MOERENS HIERONYMVS ILLI
FIDI OLIM HVNC TVMVLVM COMPOSVERE TVI.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Εἴποτε σωφροσυνῄ τὶς ἐράσμιος, εἴποτε πᾶσιν
Ἤθεσι τοῖς ἀγαθοῖς ἦν νέος εὐδόκιμος;
Εἰ θεοῦ εὐσεβείῃ τὶς ἐτέρπετο, εἴ τις ἀμύμων,
Οὗτος ὁ τυμβευθεὶς ἐνθάδε Ἰαννὸς ἔην.

420 Declaratio,

Si aliquando quispiam fuit amabilis temperantia, vel omnibus
Optimis moribus probatus adolescens:
Si quis Deorum pietate delectabitur, si quis alter fuit innocens:
Is fuit Joannes hoc tumulo conditus.

Ibidem non longe in pariete in marmorea tabula:

Christophorus Longolius.

CHRISTOPHORO LONGOLIO BELGAE ROMANAM CIVITATEM OB EXIMIAM IN STVDIIS LITERARVM PRAESTANTIAM ADEPTO, SVMMO INGENIO, INCREDIBILI INDVSTRIA OMNIB. BONIS ARTIBVS PRAEDITO, SVPRA IVVENTAE ANNOS IN QVA EXTINCTVS EST, MAGNO CVM ITALIAE DOLORE, CVI INGENTEM SPEM SVI NOMINIS EXCITAVERAT, PETRVS BEMBVS AMICO ATQVE HOSPITI POSVIT.

TE JVVENEM RAPVERE DEAE FATALIA NENTES
STAMINA, CVM SCIRENT MORITVRVM TEMPORE NVLLO,
LONGOLI TIBI SI CANOS SENIVMQVE DEDISSENT.

Ibidem in pariete in tabula marmorea:

Leonicus Thomeus.

LEONICO THOMEO VENETO MITIORIBVS IN LITERIS, PANGENDISQ. CARMINIBVS INGENIO AMABILI PHILOSOPHIAE VERO IN STVDIIS ET ACADEMIA PERIPATETICAQ. DISCIPLINA LONGE PRAESTANTI, NAM ET ARISTOTELICOS LIBROS, GRAECO SERMONE PATAVII PRIMVS OMNIVM PVBLICE DOCVIT, SCHOLAMQVE ILLAM A MVLTIS LATINIS INTERPRETIB. INCVLCATAM PERPOLIVIT ET PLATONIS MAIESTATEM NOSTRIS HOMINIBVS IAM PROPE ABOLITAM RESTITVIT, MVLTA PRAETEREA SCRIPSIT, MVLTA INTERPRAETATVS EST,
421 MVLTOS CLAROS ERVDIIT VIROS, PRAETER VIRTVTEM BONASQVE ARTES TOTA IN VITA NVLLIVS REI APPETENS. VIX. AN. LXXV. M. I. D. XXVII. INTEGER.

Petrus Bembus amico incomparabili P. C. adscripto carmine quod sibi vivens fecerat:

Νῦν ὄντως ἀδεὴς καὶ ἀελπὴς, ὑπὸ πλακὶ τῇδε
Ὕπνον ἐκοιμήθην πᾶσιν ὀφειλόμενον.

Quod Latine sonat:

Nunc vere securus, & omnis spei immunis sub hac marmorea tabula
Somnum dormivi omnibus dormiendum.

Ibidem in pariete in insigni mausoleo cum statua ænea cathedrata:

Petrus Rocabonella.

PETRO ROCABONELAE VENETO LVDOVICI MEDICI FILIO ACADEMIAE PATAVINAE ASSERTORI, SVMMO OMNIVM LIBERALIVM ARTIVM MEDICINAE IN PRIMIS PROFESSORI EMINENTISS. NON TAM STVDIO ET DOCTRINA, QVAM NATVRA, ET MORIBVS IN OMNIVM RERVM VSV SAPIENTISS. ANDREAS FRATER, ET LVDOVICVS FILIVS VIVENTES POSVERE M. CCCC. XCIII.

A dextris in tabella ænea legitur:

VIXIT ANNOS LXXIIII.

A sinistris legitur:

PHIAM MEDICINAMQ.
XL. ANNOS DOCVIT.

Ibidem humi in tabula lapidea:

CELEBERRIMI D. PETRI FILII D. ALOYSII DE ROCABONELLA EXCELLENTISSIMI ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS DEFVNCTI, SED VIVIT VTERQVE PHAMA PERENNI: HIC OSSA, ET PRAEDECESSORVM MOLLITER QVIESCVNT REDITVRA ITERVM SED POTIORA SIMVL. M. CCCC. LXXXXI.

Ibidem è regione super columna apposita visitur tabella exemptilis in membrana, ubi hæc carmina leguntur: 422

Stanislaus Dzierzgoniskl scholaris Pathavien. Polonus ad Lectorem.

HIC POSVI CORPVS, SED SPIRITVS ASTRA PETIVIT,
CREDITVS IN DOMINI SCILICET ILLE MANVS.
QVIS FVERIM, QVAERIS: PROCVL ISTA NATVS AB VRBE,
NATVS EQVES PROAVIS QVIPPE POLONVS ERAM.
VIX STVDIVM, MORESQVE TVOS SATVRNIA VIDI,
FINIVIT VITAM FEBRIS ACERBA MEAM.
TV MEMOR IPSE TVI, QVI ME MIRARE CVBANTEM,
SIT MIHI PROPITIVS, QVAESO PRECARE DEVS.
SI TABVLAM NESCIS MIHI QVIS CVRAVERIT ISTAM,
CVRAVIT, DICAM, VIR MIHI CREDE PIVS.
HIC EADEM MONIMENTA GERIT, JASSCIENSCIVS ILLIS
DICITVR, IN QVORVM EST EDITVS ILLE SOLO.

PRAESENS TABVLA POSITA EST VII.
MENSIS AVGVSTI
M. D. XLV.

In Basilica *D. Bernardini* in pariete à sinistris in arca lapidea cum doctoris effigie dormientis:

Christophorus Ricinensis.

CHRISTOPHORO
RICINENSI MEDICO
CELEBERRIMO ET
PHILOSOPHORVM INCLYTO
QVEM VNIVERSA ITALIAE
GYMNASIA PERIPATETICAE
SCHOLAE PRINCIPEM
LVXERE
S.

Paulo inferius in tabella legitur:

VIX. ANN. LVI. MENS. VII. D. XXVI.
DECESSIT ANNO SALVTIS
423 M. CCCC. LXXX. III. KL.
FEBR.

Humi verò hæc pauca visuntur non integre:

CHRISTOPHO ∴ ∴ ∴
RICINEN ∴ ∴ ∴
PERIPATET ∴ ∴ ∴
CLARISS. ∴ ∴ ∴
LOCVL ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Basilica *D. Bartholomæi* humi in communi tumulo:

Bernardinus Danielius Lucen.

Hic ignotus humi in communi tumulo summissè, absque elogio funeratus jacet *Bernardinus Danielius Lucensis*, Rhetoricæ ac Grammaticæ eruditissimus: cujus nomen quia scripsit eleganter, atque edidit multa præclara opera, cum parva jactura sepulchri perennius quam sculptum lapidibus est ad posteros duraturum, neque unquam uti ignobile aut obscurum, ex ore legentium abiturum. Verum quanto felicius huic contigit *Patavii* mori, & ita humi in sacro loco humiliter condi, quam ejusdem eloquentiæ viro *Aloysio Pulcio* nobili *Florentino*: qui *Patavii* defunctus ob scripta prophana, prophano in loco juxta cœmeterium *S. Thomæ* martyris prope puteum absque solitis sacris sepultus jacet:

P.
BERNARDINO DANIELO LVCENSI
POETAE RHET. Q. CLARISSIMO,
QVI HETRVSCOS VATES IN PRIMIS COLVIT,
QVOS ET NVNC IN ELYSIIS COMITATVR.

PETRVS CARRARIVS AC IO. BAPT. ROTA PATAVINI VNANIMES HOSPITI B. M.
P.

In Basilica Eremitarum juxta portam Meridionalem in sublimi monumento marmoreo à dextris spectatur hoc epitaphium:

Benedictus Plombinus.

CORPVS HVMO, COELIS ANIMAM, FAMAMQVE DEDISTI
LAVDIBVS, ET LEGVM BENEDICTE MONARCHA FVISTI,
NOMINIS EFFECTV RADIANS VIRTVTIS IMAGO,
PISANVS CIVIS PLOMBINI CLARA PROPAGO,

A OMNIBVS ITALIAE STVDIIS TVA LECTIO FVLSIT,
PVBLICA DVM LEGIS, HIC TIBI TE LIBITINA REVVLSIT.
MARTIA TVNC ORBI LVX BIS SEPTENA NITEBAT, 424
MILLE QVATERCENTVM BIS QVINQVE ANNOSQVE MOVEBAT.

Ibidem humi in marmorea tabula:

Franciscus Malchiostrus.

B FRANCISCO MALCHIOSTRO IVRISCONSVLTO PARMENSI CLARISSIMO, IN PATAVINO GYMNASIO PVBLICE PROFITENTI, SICARII MANV CRVDELITER EXTINCTO,

BROCARDVS MALCHIOSTRVS FRATER MOESTISS.
P.
M. D. VII. DIE OCT. VII.

Ibidem à parte læva in pariete in magnifico sepulchro cum statua marmorea è suggestu legentis personam referente:

Jacobus Forolivius.

C FORLIVIVS JACET HIC IACOBVS, QVO CLARIOR ALTER
NON FVIT IN LATIO, ET GRAECIA DOCTIOR ILLO.
ALTER ARISTOTELES, ITALIS HYPOCRAS FVIT ALTER,
OLIM QVI TERRAS FAMA, NVNC SYDERA LVSTRAT.

QVI OBIIT ANNO DNI M. CCC. XIII.
DIE XII. FEBRVAR.

D Ibidem in pariete cum pyramide, ubi in lapidea tabula legitur hoc epitaphium:

Ludovicus in Leonrot.

D. O. M.
LVDOVICO IN LEONROT ET
DIETEHOPHEM EQ. FRANCO
ADOLESCENTI, ET SVMMO
INTER SVOS LOCO NATO, ET
NATVRA MODESTO, QVI CVM
IN HAC VRBE STVDIORVM
E GRATIA, NON TANTVM GERMANIS POPVLARIBVS SVIS, SED
HOMINIBVS ETIAM ITALIS
CARVS VIVERET, FEBRE 425
OPPRESSVS FERVENTISS.
INTERIIT VIII. ID. MAIAS ANN.
M. D. LVII. IOH. GEORGIVS
AB LEONROT PATRVVS ET
PHILIPPVS FRATER
F MOESTISS.
P. C.

Ibidem humi in tabula lapidea:

Joannes Passara.

ARTIBVS EGREGIIS VERIS MEDICATIBVS INGENS
FAMOSVS DOCTOR NOTVS IN ORBE FVI.
IANVA ME GENVIT, STIRPS PASSARA CLARA, IOANNES
NOMEN ERAT, FRAGILEM QVEM BREVIS VRNA TENET.

Ibi-

Ibidem in pariete in lapidea tabula:

Stephanus Lambertus Lucen.

STEPHANO LAMBERTO
IOANN. BAPT. PATRICII LVCEN. FILIO,
QVI OB INCREDIBILEM MORVM,
ET SING. INGEN. PRAESTANTIAM,
ASSIDVOSQVE IN CIVIL. STV. LABORES
NVLLI VNQVAM DVM VIVERET
CREDITVS EST VITALIS
PATAVII DEFVNCTO
PARENTES MICHAELQ. FRAT.
MOESTISSIMI POSVERVNT.
OBIIT XIIII. KL. MAIAS
M. D. LVIII.
ANNO AETA. SVAE CLIMACT. XXI.

426 Ibidem in Æde media humi sub rubro saxo cum muliebri imagine:

Beatrix Palavicina..

HIC IACET RECOLENDAE MEMORIAE DNA BEATRIX DE PALAVICINIS DE PARMA MARCHIONA VARRANI ET PELEGRINI
QVAE OBIIT ANN. DNI M. CCCC. XXXVII.
DIE XXII. IANVAR.

Ibidem humi in tabula lapidea albi marmoris à tritu pedum mutilata:

Eduardus Cortenau.

EGREGIVS ET STRENVVS BONAE MEMORIAE MILES DOMINVS EDVARDVS CORTENAV ANGLICVS NATVS ILLVSTRIS COMITIS ∴ ∴ ∴
INCLYTI REGIS ANGLIAE SOR ∴ ∴ ∴

Ibidem in pariete juxta horologium in lapidea tabula insigni cum literis deauratis cernitur hoc epitaphium:

NE PLORES HIC AMISSOS GERMANIA NATOS:
TEMPORE QVENQVE SVO FATA LOCOQVE MANENT.
FELICES NE CONSPICIANT INCENDIA MVNDI,
ANTE MORI SVMMVM QVI POTVERE DIEM.
CVM NVTANTE BREVI COELVM DABIT AXE RVINAM,
ET TANDEM FALSVM NON SINET ESSE DEVM.
ANNO. DNI. M. D. LII.
CONSILIAR. NICOLAO RIBEISEM PROCVRATORIB.
MELCHIORE HAINTZL, ET CAROLO BOMBERGO.

In lapidea tabula humi vero legitur:

SEPVLTVRA GERMANORVM IVRISTARVM.

427 Ibidem in pariete apposita est tabella lignea ubi hæc in papyro scripta sunt:

EPITAPHIVM RENDO AC GENEROSO DOMINO ANDREAE CHMALCZOVOSKII CANTORI VITILEN. ECCLESIAE SCHOLARI PATAVIEN.

CERVICEM MIHI FREGIT EQVVS DVM LVDO, SODALES
HVNC CINERI TVMVLVM COMPOSVERE MEO.
AT VOBIS VEL OB HOC MERITVM DENT FATA REVERTI
OMNIBVS IN PATRIAM, QVOD VETVERE MIHI.
CVRAVIT TABVLAM NOBIS JASSIENSCIVS ISTAM,
QVEM MERITIS FACIANT CRESCERE FATA SVIS.
VII. MENS. AVGVSTI M. D. XLV.

Ibidem in pariete sublimi visitur:

Bernardinus Fortibrachius.

In media ferme Basilica, à parte Septentrionali, in loculo ligneo, panno serico cooperto, in sublimi posito, appensis vexillis & victricibus signis jacet Comes *Bernardinus Fortibrachius*, insignis tribunus *Venetorum*, illustris *Brachii* eorundem *Venetorum* ducis filius: de cujus gestis *Campanus* integrum volumen edidit.

OBIIT AVTEM BERNARDINVS ANNO SALVTIS M. D.

Ibidem ante altare majus humi in insigni tabula marmorea:

Beatrix Turriana Veronen.

BEATRICI VXORI IRRECVPERABILI VII. NATORVM MATRI
MEDIO AEVO PARTVS DIFFICVLTATE PRAEREPTAE HIE-
RONYMVS TVRRIANVS VERO- 428
NENSIS MEDICVS VIDVATI
TORI MOERORE DOLENS
MARITVS SVPERSTES POSVIT.
H. M. H. S.

Ibidem ab altero pariete è regione horologii levi manu scripta hæc pauca leguntur:

Jacobus Baronus.

IAC. BARONI LIBERO ANTIQVA
STVBEMBERGIA FAMILIA ORTO,
QVI CVM SEXENNIVM FERME HONESTIOR. STVD. CAVSA PATAV. VERSATVS, AC TANDEM FEBRI XXVII.
FEBR. EXTINCT. FVISSET, FRATR. MOEST. P.
M. D. LIX. AETAT. VERO SVAE XVIII.

In sacrario ejusdem in pariete à dextris circa statuam cathedratam spectatur hoc epitaphium:

Paulus Venetus.

HIC IACET SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR CLARISSIMVS ET PHILOSOPHORVM MONARCHA MAGISTER PAVLVS DE VENETIIS, ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,
QVI OBIIT ANN. DNI
M. CCCC. XVIIII.
DIE XV. MENS. IVN.
CVIVS ANIMA REQVIESCAT
IN PACE.

Extat alibi de hoc aliud epitaphium à *Joanne Marcanova*:

VIR PATAVI PERIT HIC, VTINVM TVLIT, IVIT AD VRBEM
ADRIACHAM PVER, HINC NOMINE PAVLVS HABET.
DOCTVS ARISTOTELES DVBIOS EXPONERE SEN-
SVS 429
AVDET, ET AEGIDIVM, CARPIT VBIQVE POTENS.

A Sub porticibus monasterii in pariete juxta portam communem:

Albicus Malaspina Florent.

HAEC EST SEPVLTVRA ALBICI QVONDAM MALASPINAE DE MALASPINIS DE FLORENTIA ET SVORVM SVCCESSORVM.

In Basilica Carmelitarum super portam Meridionalem, sub statua armata spectatur hoc epitaphium:

Naldus.

NALDVS EGO HIC JACEO, MONVMENTVM ET GLORIA BELLI
NON LEVIS AVSONIOS INTER HABENDA DVCES
ASSVETVS BIS CENTVM EQVITES IN OMNE PERICLVM,
BIS TERNAS PEDITVM DVCERE CENTVRIAS.
FLAMINIAM MEDIO FVRIBVNDI ARDORE GRADIVI
INGENIO REXI, TEXIQVE AB HOSTE MANV.
DVM PREMEREM ANGLIVM, ET INTVS PREMERENTVR HIBERI,
TRANSFIXIT PECTVS PLVMBEA MASSA MEVM.
VIXI LVSTRA NOVEM, GENVITQVE FAVENTIA MATER,
VRBS PATAVI SEPELIT, ME GEMIT ITALIA.

M. D. XXVIII.

Ibidem in pariete in tabula lapidea:

Babonus Naldus.

BABONO NALDO VIRO ET PRVDENTIA ET PROBITATE CLARO: QVI MVLTOS ANNOS NOBILISS. VENETORVM IMPERIO PEDESTRES COPIAS DVCENS, OPERAM FIDEMQVE SVAM STRENVE PRAESTITIT.
PAVLVS AC DIONYSIVS FILII SVAE IN EVM VOLVNTATIS TESTIMONIVM ID PONENDVM CVRARVNT.
430 VIXIT ANN. LXX. OBIIT PRID. ID. APRIL. M. D. XLIIII.

Ibidem super portam Occidentalem sub arca marmorea tabella:

Hieronymus Centellus.

HIERONYMO CENTELLO BART. F. CIVI ROMANO, PRISCAE VIRTVTIS VIRO, QVI OMNIBVS OB MVLTAS ANIMI SVAVITATES IOCVNDVS, PROPINQVIS VERO AC FAMILIARIBVS SVMMIS OFFICIIS ET SAEPE COMMVNICATIS FORTVNIS PERVTILIS ETIAM FVIT: HONESTI OCII DESIDERIO HIC SEXTVM IAM COMMORANS ANNVM, INFELICI CASV MAXIMO SVORVM, PATAVINORVMQVE CIVIVM MOERORE EREPTVS, BART. FR. IVSSV AMICORVM BENE ME. P. VIX. ANN. LI. OBIIT KL. MAII. M.D.LV.

Ibidem à parte læva in sublimi pariete juxta chorum sub arca marmorea deaurata legitur hoc epitaphium:

Mattheus Reina Burgien.

MATTHEO REINAE BVRGIENSI, QVEM SEN. VENETVS PROPTER FIDEM SINGVLAREM, ET REI MILITARIS COGNITIONEM SEMPER CARVM HABVIT,
B ALBA VXOR
MOESTISS. POSVIT,
M. D. XXXIII.

In Basilica *D. Joannis* Viridarii introeuntibus à dextris in pariete sub arca spectatur hoc epitaphium, in lapidea tabula incisum:

Joan. Bapt. Albanus.

C IOAN. BAPT. ALBANO BERGOMATI IVRIS CONSVLT. OPT. FRANCISCI EQVESTRIS ORDINIS FIL. PATAVIVM PROFECTO, GRAVI VALETVDINE VITA FVNCTO, ANNIS XXVIII. NATO, IO. HIERONYMVS IVRISCONSVLT. ET EQV. INSIGNIS IN DVLCISS. FREM PIVS P.
M. D. XLII. DIE III. APRILIS.

Ibidem non longe à latere in pariete insigne mausoleum cum statua publice docentis, ubi hoc epitaphium: 431

Jo. Calphurnius.

D Τοῦ πάνυ ἐυσυνέτου καλπούρνου ἐνθάδε σῶμα:
Φέρτερον αὖ κείνου πρόσλαβεν ἄστρα μέρος.

Calphurni cineres sunt hic, possessor Olympi
Est animus, volitat fama per ora virum.

Ibidem à læva in pariete sub statua lapidea visitur hoc epitaphium:

Jo. Antonius Rubeus.

E IO. ANTONIO RVBEO PATRICIO ALEXANDRINO SVPREMI SENATVS SABAVDIAE SENATORI EQVITI COMITIQVE CAESAREO OPTIMO VIRO ET IVRE CONSVLTO ET IN PROFITENDO IVRE TICINI PRIMVM DEINDE VALENTIAE TVM TAVRINI POSTREMO PATAVII PRIMVM LOCVM SVMMA CVM GLORIA CONSEQVVTO MARGARITA VXOR ET MOESTISSIMI FILII POSVERE VIX. ANN. LV. MEN. III. D. XVI. OBIIT ANN. M. D. XLIIII. XVI. KL. APRILIS.

Ibidem non longe humi in lateritio conditorio ad tempus:

F *Andreas Appellatus Brixien.*

ANDREAE APPELLATO
PHILOSOPHO AC MEDICO
PRAESTANTISS.
MOESTISS. CONIVNX
VIX. ANNOS XLVIII.
M. D. LVIII.

In

In Basilica *D. Hieronymi* in lateritio conditorio ad tempus:

Franciscus Roseus.

432 BRIXIA QVEM GENVIT FRANCISCVS CLAVDITVR VRNA:
COGNOMEN ROSEVM, QVI TVLIT A PATRIBVS.
DVM PETIIT EVGANEOS LVDOS VISVRVS EQVESTRES,
MOX IMMATVRA FATA DEDERE NECI.

In Basilica divi *Benedicti* introeuntibus ad lævam sub statua Episcopali habitu ornata quiescentis imaginem referente:

Marcus Niger.

MARCO NIGRO
THEOLOGO
PONTIFICII CAESAREIQVE
IVRIS CONSVL EXCEL.
AVSERIENSI CHERSIQ. EPO
RELIGIOSISSIMO AC
PIENTISSIMO
SACRVM.
ANNO SALVTIS
M. CCCC. LXXXV.
XIII. KL.
AV.

In Basilica *D. Petri* introeuntibus à dextris in pariete in lapidea tabula legitur hoc epitaphium:

Guolphgangus Schurffius.

GVOLPHGANGO SCHVRFFIO GERMANO ADOLESCENTI OPTIMO QVEM NON SINE MAGNO DOLORE SVORVM QVIBVS PRAECLARAM SPEM NOMINIS EXCITAVERAT MORS IMMATVRA SVSTVLIT SEBAST. ZOTTVS ABERNNEGG. STVDIORVM SOCIO DE SE B. M. P. OBIIT IIII. NON. SEXTILIS ΑΠΟ ΤΗΣ ΘΕΟΓΟΝΙΑΣ M. D. XXXVII. AETA. SVAE XIIII.

A I G L H H H M T I

433 FRANC. PETRARCHAE ARCHIDIAC. PARMEN. CANONICO PATAV. VITA, MORIBVS, DOCTRINA ET ELOQVIO ITA CLARO, QVOD EXEMPLVM DESIT: IS PRIMVS OMNIVM LATINAM LINGVAM A BARBARICAE PRAVITATIS. MENDIS INCVLCATAM RESTITVIT, AC VNDIQVE LACERAM EXORNAVIT. QVANTVM AVT IN ITALICO NOSTRO IDIOMATE VALVERIT, RHYTHMI OB LAVRAE AMOREM COMPOSITI SATIS TESTANTVR, VT OB EOS ALTER NEMO VNQVAM NISI IPSE SOLVS (PACE OMNIVM DIXERIM) QVOD NON MODO PRIMVS, VERVM ETIAM VLTIMVS, MERITO AB ERVDITIS OMNI AETATE SEMPER HABENDVS SIT.

IDCIRCO OB EXIMIAS SVAS TAM ANIMI QVAM CORPORIS DOTES, PRIMAE ALIAR. TOTIVS ORBIS CIVITAT. ROMA SCILICET ET PARISII, VNO EODEMQVE DIE INVICEM CERTANTES (QVOD MIRVM EST) AD PERCIPIENDAM LAVREAM POETICAM, NVNTIIS AC LITERIS EVOCARVNT.

QVO FACTO, ANN. DNI M. CCC. XLI. IDIB. APRIL. IN RESVRRECTIONIS FESTO, AMICOR. CONSILIO, SOLENNITER ROMANO IN CAPITOLIO MAXIMA TAM ROMANOR. QVAM ADVENAR. PROCERVM ET ALIOR. ASTANTIVM FREQVENTIA, AB VRSO ANGVILLARIAE COMITE, ROMANOQ. SENATORE, LAVREA CORONA INSIGNITVS EST.

QVAPROPTER REGVM ET PRINCIPVM FAVORIB. ET NOBILIVM AMICITIIS VSQVE AD INVIDIAM FORTVNATVS EXTITIT, ET ITA CVM QVIBVSDAM FVIT, VT IPSI QVODAMMODO CVM ILLO ESSENT.

POSTREMO VT FINIS ERAT, EIVS ANIMA TERRENA EXVTA SPOLIA (VTI CREDENDVM EST) COELVM PETIIT: ANN. M. CCC. LXXIIII. DIE XVIII. IVLII, CVM IAM GRATO IN CARCERE LXX. ANN. SPATIO, VNA MINVS DIE, ABSQ. TAEDIO PERMANSISSET.

434 Corpus vero ingenti funere depositum tumulatur *Arquadæ* in collibus *Euganeis* sub dio in sepulchro rubri marmoris, ubi hoc incisum adhuc spectatur elogium:

FRIGIDA FRANCISCI LAPIS HIC TEGIT OSSA PETRARCE
SVSCIPE VIRGO PARENS ANIMAM. SATE VIRGINE PARCE.
FESSAQVE IAM TERRIS CELI REQVIESCAT IN ARCE.
M. CCC. LXXIIII. XVIIII. IVLII.

Circa basim sepulchri.

VIRGO INSIGNI F.P. LAVREATO FRANCISCOLVS DE BROSSANO MEDIOLANENSIS GENER. INDIVIDVA CONVERSATIONE AMORE PROPINQVITATE ET SVCCESSIONE MEMORIA.

IOHAN. BAPTISTA ROTA PATAVINVS AMORE, BENEVOLENTIA OBSERVANTIAQVE DEVINCT. AC TANTAR. CELEBERR. VATIS VIRTVTVM ADMIRATOR AD POSTEROS.

H. M.
B. M.
P. C.

Super arcæ pinnaculum collocata est ænea ipsius *Petrarchæ* imago, sub qua est incisum hoc elogium:

FR. PETR. PAVL. VALDEZVCHVS PAT.
POEMATVM EIVS ADMIRAT. AET.
AGR. Q. POSSESSOR, HANC EFF.
P. ANN. M.D.XLVII. IDIB. SEPTEMB.
MANFREDINO COMITE VICARIO.

In eodem loco in pariete Basilicæ, in marmorea tabula spectatur hoc epitaph. 435

DANTI ALDIGERIO FRANCISCO PETRARCHAE, ET IOANNI BOCATIO, VIRIS INGENIO ELOQVENTIAQVE CLARISSIMIS, ITALICAE LINGVAE PARENTIBVS, VT QVORVM CORPORA MORS ET FORTVNA SEIVNXERAT, NOMINA SALTEM SIMVL COLLECTA PERMANERENT: IOANNES BREVIVS CANONICVS CENETENSIS HVIVS BASILICAE RECTOR IN SVI ERGA EOS AMORIS OBSERVANTIAE QVE TESTIMONIVM POSVIT. M.D.XXIIII.

Intus autem in ipsa Basilica apposita est tabella his carminibus inscripta: quæ cum sint lectu digna, non indignum censui, si hic quoque apponantur.

Cornua cui musco, & torta circundatus herba,
Innixusque urna guttis madentibus Arnus
Non solum assurgit, sed quem divine Petrarcha,
Et Tyberis rerum dominus miratur & Indus,
Et Tagus, atque Ister, sitienti & Bagrada ripa,
Pansa ego visendi studio, qua conderis urna,
Huc veni, linquens ultro patriamque laresque.
En supplex voco te ad cineres, omnesque per aras
Thure litans tumulum amplector, manesque liquenti
Expio aqua, spargens violas, florumque maniplos.
Huc adsis, nec te pigeat venisse, per agros
Seu juvat Elysios spatiari, & texere serta
436 *Heroum manui immixtum, vatumque choreis:*
Atria stellantis seu tu radiantia Olympi
Metiris divum ex adytis penetralia captans.
Ah quantum umbrosæ valles collesque supini
Invideo vobis, quibus est data cura sepulchri.
O vos felices nimium nimiumque beati,
Æquora, felices rivi, felicia prata,
Felices Bacchi vites, oleæque Minervæ:
Sed mage felices rami Daphneidos umbræ,
Fortunatæ lacus, fortunatissima tempe.
Euge poeta veni, vultusque attolle serenos,
Illustres animas tecum longo ordine ducens.
Sis bonus ô, felixque mihi, numerosque doceto
Aonios, quibus extollis super æthera Lauram,
Et notam Eois populis & Gadibus: ô sic
Lilia, vernantesque rosæ, violaria, odores
Aspirent, Vere & foveant tua busta perenni.
O salve æternum, oque vale æternum optime vates.

PAVLI PANSAE.

In oppido *Atheste* municipio *Patavino* quindecim milliaribus ab urbe, in templo *D. Francisci* in magnifico tumulo à parte læva in pariete:

Joannes Guarna.

PRAEDITVS ARMIPOTENS VERA PIETATE JOANNES,
MARTIS HONOS, INSIGNE DECVS, CELEBRISQVE SALERNI
GLORIA, QVAM SOBOLES CONTVLIT INCLYTA GVARNAE
GENTIS, IN HOC TANDEM CONFECTVS MORTE RECVMBIT.

M. CCCC. LXXXIII.

Paulo inferius hæc leguntur:

HOC OPVS IACOBVS DE PORLICIA SCVLPSIT.

Ibidem apud altare majus à parte læva in insigni sepulchro in pariete:

Tadeus & Bertholdus Estenses.

HIC VENETI DECVS IMPERII, CERTISSIMA QVONDAM 437
PRAESIDIA, INSIGNES ARMIS BELLOQVE TADEVS,
BERTOLDVSQVE JACENT, PATER ILLE, HIC FILIVS: AMBOS
STIRPS TVLIT ESTENSIS, GENITOR DECESSIT AD ORAS
CENOMANVM, SERVATA CANIT CVI BRIXIA LAVDES.
HIC, TVRCIS ISTHMO EXPVLSIS, PROPE CELSA CORINTHI
MOENIA PROCVBVIT: PIETAS TVA MAXIME BORSI,
COGNATOS CINERES SVB EODEM MARMORE CLAVSIT.

ANNO DOMINI CCCC. LIII.

Apud *Montem Annianum* municipium *Patavinum*, jacet *Galeottus Martius*, vir & armis & literis admodum illustris: de quo in musæo *Pauli Jovii* legitur hoc epitaphium:

Galeottus Martius.

HANC GALEAM, HVNC POSVIT GALEOTTVS MARTIVS ENSEM
MAR TIBI, ET HANC CITHARAM DOCTO CVM PECTINE MVSIS,
MILITIA FVNCTVS, DECANTATAQVE POESI.

In rure *Creolæ* quinque milliaribus ab urbe, in delubro novo est nobile sepulchrum, ubi legitur hoc epitaphium:

BENEDICTO CRIBELLO FORTISSIMO PEDITVM DVCTORI, OB EXIMIA EIVS
MERITA IN REMP. VENETAM
MAGNIS MVNERIBVS DONATO,
SIMVLQVE A SENATV VENETO
IN PATRICIVM ORDINEM ACCITO,
ALOYS. PISANVS D. MARCI PROC. HAERES EX TESTAMENTO BENEFICII MEMOR.
OBIIT ANN. M.D.XVI.

F I N I S.



INDEX

INDEX RERUM
Et
NOMINUM MEMORABILIUM:
Cum Cognominibus plurimis ante Nomina tanquam notioribus.

B.

Car-

D.

De-

Ere-

H.

Livel-

M.

N.

O.

P.

Pata-

Po-

Q.

R.

S.

San-

T.

Vi-

FINIS.

LAURENTII PIGNORII,

Patavini, Canonici Tarvisini,

ORIGINES PATAVINÆ,

Et

ANTENOR,

una cum ejusdem PIGNORII *Animadversionibus.*

Latine vertit, suisque Notis auxit,

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS:

Accedit

LAURENTII PIGNORII Epistola super Antiquissimam Picturam, quæ Romæ visitur, de Ritu Nuptiarum;

ut & ejusdem PIGNORII *Vita, Bibliotheca & Museum, Auctore* JACOBO PHILIPPO TOMASINO;

& denique

OCTAVII FERRARII *Oratio de Laudibus Urbis Patavii.*

Editio Nova, prioribus accuratior & auctior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

LAURENTII PIGNORII,

ORIGINES PATAVINÆ, ANTENOR,

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

LAURENTII PIGNORII *JACOBO*

PIGNORII
PHILIPPO TOMASINO;

OCTAVII FERRARII

PETRI VANDER Aa,

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET GRAVISSIMO,

VIRO,

Dno. CAROLO CRUCIO,

INCLYTÆ CIVITATIS

LEIDENSIS

CONSULI PRIMARIO:

NEC NON

AD REI MARITIMÆ PRÆFECTURAM,

QUÆ

AMSTELODAMI EST,

QUONDAM DEPUTATO:

ITEMQUE

JURIS RERUMQUE CIVILIUM,

PATRIÆ MAXIME,

ADMODUM PERITO,

UT ET

SINGULARI DOCTRINA, VARIISQUE LITERIS

ERUDITO,

IN LITERAS COLENTES

PERHUMANO,

LAURENTII PIGNORII

ORIGINES PATAVINAS,

ET

ANTENOREM;

UNA

CUM EJUSDEM PIGNORII EPISTOLA,

SUPER

ANTIQUISSIMAM PICTURAM,

QUÆ

ROMÆ VISITUR,

DE

RITU NUPTIARUM,

D. D. D.

ET

CUM OMNI HONORUM CULTU,

IN SIGNUM GRATI ANIMI,

ANTE ARAM BENIGNITATIS

ET

COMITATIS TUÆ,

Perquam Officiose deponit

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

Assiduus Cultor

PETRUS VANDER AA.

†



LECTURO SALUTEM.

LAURENTII PIGNORII *damus* ORIGINES PATAVINAS *pariter, atque* ANTENORA, *Viri, si quis alius, Antiquitatis omnis scientissimi, cujus egregia in præclaro isto studio volumina passim omnium teruntur manibus, lingua, quæ Doctis communis est, perscripta. Sed & vernaculo idiomate nonnulla composuit, ut & hæc præsertim, civibus suis. Nos ea cunctis legenda proponimus, haud translatitio a nobis studio elaborata atque emendata. Nam & mendas complures sustulimus, & Auctoribus, ubi citabantur, Libros passim, capita atque versus, addidimus, & ubi opus videbatur, nostras etiam Animadversiones subjunximus, illa, quæ* PIGNORIUS *profert Antiquitatis cimelia, cum similibus, quæ adhuc exstant, contulimus; sed & ipsas* PIGNORII *Notas, quæ in extremo Opusculorum suorum latebant, locis, quibus decebat, insertis, contextui, ut vocant, substravimus. Opere autem absoluto, quum in V. Codice Membr. Hygini, qui in Bib. Lugd. Bat. asservatur, sese nobis obtulissent Persei atque Aquarii figuræ, pileo Phrygio, qualem describit operosius Auctor, exornatæ, suo loco, id est Tabula* X. *Num.* V. VI. *Pag.* 44. *in-*

inseri curavimus. Selectum præterea ejus Commentariolum super antiquissimum Monumentum, *quo* RITUS NUPTIARUM *refertur*, *addidimus. Nec inutile duximus Vitam Auctoris*, *prout edidit* JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS, *addere*, *ut & ejusdem Museum*, *nam & ex ornatu ejusdem plus semel cimelia sua & suppellectilem antiquariam Auctor in hoc Opere advocat. Propter Argumenti denique similitudinem accessit* OCTAVII FERRARII *Oratio de* LAUDIBUS URBIS PATAVII. *Et cum semel non inglorio isti labori nos addixerimus*, *nihil omisimus*, *quod ad ornatum libellorum horum pertinere arbitrabamur. Vale*, *& nobiscum hisce deliciis fruere.*

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO, PATRONO MEO MULTUM COLENDO,
DOMINO
SCIPIONI COBELUZZI,
CARDINALI SANCTÆ SUSANNÆ,
BIBLIOTHECARIO APOSTOLICO, &c. &c.

Adeo venerabilis est, ne prope divina dixerim, Origo Populorum atque Urbium, Illustrissime & Reverendissime Domine, ut antiquissimus ille Sanctissimusque Scriptorum omnium, qui sine dubio *Moses* est, non sit dedignatus longam ejusmodi tenere seriem, in Libro suo, qui Rerum continet Primordia.

Sed & præter hunc, suas sibi partes eas sumpsit, largeque prosecutus est *Esdra*, sive quicunque collegit *Paralipomenon* Libros.

Imo quicunque præteritorum longe temporum res memoriæ posteritatique mandare voluere Auctores, hanc sibi viam ineundam existimavere. Neque aliter *Herodotus* egit, ille *Græcarum* Historiarum pater, neque *Thucydides*, haud minus, & scriptis illustribus clarus, & insigni jam olim scribendi arte nobilis. Ut autem ad Nostros veniamus, magnus ille & Senator, & Dux, & Orator *Cato* Libros ejus generis septem conscripsit, in quorum sparsis hic illic fragmentis, tanta enitet Antiquitatis *Italicæ* notitia, ut præduro corde maloque ingenio sit oportet, qui non indignetur tantum tempori licuisse injuriæ atque perniciei, quod nobis tam egregium atque nobile opus abstulerit. *Trogus* etiam *Pompejus*, qui plus quadraginta Libris Historiam complexus est Universalem, paucos emisit Libros, qui non hujus illiusve Nationis continerent originem.

Hanc etiam omnes cordatiores Scriptores iniere rationem, ut oculis ante eorum, qui lecturi essent, injicerent magnam utilitatis, commodi atque dependentiæ, partem, quæ scilicet occultæ sunt, quibus mundana cuncta continentur, catenæ.

Utinam vero ævi nostri Scriptores, sive sutores potius variarum lacernarum, in sola peccassent stili majestate, discedentes longe a nobilitate ista Priscæ Historiæ, neque etiam pessundedissent hæc utilia adeo, atque cognitu digna. Quorum sæpe neglectu

accidit, ut vel in clarissimis temporum nostrorum memoriis cæcas Lector incurrat tenebras.

Origines quidem Patriæ meæ, multum olim illustris, quarum hactenus non prodiit digna pro merito Collectio, ego ILLUSTRISSIMÆ SERENISSIMÆQUE D. V. offero, non quod iisdem pro condigno colligendis parem me sentiam, sed ne bonæ voluntatis desit testimonium. Tibi autem multas ob rationes dedicare visum est. Et quidem primo, quod tam rara polleas in Antiquitatibus Italiæ cognitione, ut & diligentissimus ille *Philippus Cluverius* valde sit admiratus, tantam Humaniorum Literarum, tamque exquisitam Antiquitatis Italicæ scientiam in tam grandi fortuna, multoque majore adhuc merito, regnare. Dein, quo, elapsis jam duodecim, a quo Liber meus *De Servis*, præfulgido Illustris tui Nominis honore exiit, exstaret novum insignis reverentiæ & studii, quod erga Nomen tuum Inclytum vigens semper est & novum, documentum. Qui labor, si Tibi gratus fuerit, ut spero, quis scit, an non forte aliquando in manus veniat Supremi Principis populorum Humaniorumque literarum; & an Ill. D. V. illum non introducat atque tueatur, manumque det, ut recipiat faventem aliquam auram illius supremæ Benignitatis, quæ nostrorum studiorum est anima. Sed quo me rapit desiderium meum, forte nimia nixum audacia!

Quod si ex amicis quidam meis non recte factum putent, quod *Italo* Sermone hoc contexuerim opusculum, quum passim talia & Exteris majestate altioris Linguæ communicari soleant, eos ego oro, ut considerent, ad tantum jam *Italum* Sermonem nostrum fastigium pervenisse, ut & montes suos supergressus passim & ubique sui inveniat æstimatores: sed & me sciat civibus meis scripsisse.

Quod si non iste Libro meo contingat honos, ut & apud Exteras sibi aditum inveniat Nationes, quibus alias Latino Scripto laborem nostrum commendavimus, bene contentus ero, si modo

———— vedrallo il bel paese
Ch' Appennin parte, e 'l Mar circonda e l'Alpe.

Ad hoc si mihi adspirare liceat, sub ILLUSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ D. V. protectione, nihil ultra expeto. Quæ hoc meum Opus, quod spero, pro humanitate sua placide excipiet, communicans etiam de suo præfulgido splendore radios, tangens saltem illud limbo Sacræ Vestræ & benemeritæ purpuræ, quum ab illa recepturum sit calorem & applausum in præsenti apud homines emunctæ naris, & postea apud posteros, & vitam & immortalitatem.

Finem facio in hoc læto augurio, & flexo poplite reveritus humillime Ill. & Rev. D. V. opto eidem cumulum votorum omnium.

LECTORI S.

Photium *Patriarcham* Constantinopolitanum, *variæ virum & multijugis lectionis, judiciique limatissimi, reprehendisse memini* Cephaleonem *quendam, qui nescio quam* Historicam Epitomen *compilaverat, eo quod tumens vana gloria atque ambitione puerili, contexuisset Catalogum Auctorum, ex quibus suas hausisset Narrationes. Ista vero jam adeo inter Literatos increbuit consuetudo, pauci ut exeant Libri, qui istam non suspensam habeant hederam. Et ego pariter hisce quorundam subtexui nomina, non quasi in partes advocem, ut quibus in hisce scribendis* Originibus *sim adjutus, cum nullo modo auctoritate illorum uti voluerim, sed ut Lectorem cautum monerem, ne hosce, quos citare nolui, falsis & fictis deceptus nominibus & titulis, pro veris & antiquis reputet. Quod quidem monendum duxi, quum istis non solum ignaros antiqui ritus & sermonis homines, sed &* Literatorum*, ut ita dicam, coryphæos deceptos viderim.*

Auctores vero, quibus, ut falsis & suppositis, & fabularum inventoribus, uti nolui, hi sunt.

Archilochus de Temporibus.
Berosus Chaldæus de Antiquitate Mundi.
Catonis fragmenta de Originibus.
Fabius Pictor de Seculo Aureo.
L. Fenestella de Magistratibus.
Manethonis Ægyptii ad Berosum Supplementa.
Messala Corvinus.
Myrsilus Lesbius.
C. Sempronius de Italiæ Divisione.
Xenophon de Æquivocis.
Jo. Annius Viterbiensis.
Dares Trojanus.
Dyctis Cretensis.
Jo. Goropius Becanus.

PLINIUS JUNIOR LIBRO VIII. *EPIST.* XIV.
REVERERE GLORIAM VETEREM, ET HANC IPSAM SENECTUTEM, QUÆ IN HOMINE VENERABILIS, IN URBIBUS SACRA EST. SIT APUD TE HONOR ANTIQUITATI, SIT INGENTIBUS FACTIS, SIT FABULIS QUOQUE.

GRATULOR TIBI, MI PIGNORI, ET SÆCULO NOSTRO.

QUOD ad *Antiquissimæ & inclytæ Urbis Origines* conscribendas accesseris instructus accurata notitia penitioris Antiquitatis. Quæ Tibi viam munivit ad veritatem eruendam ex arctissimis tenebris, in quibus infeliciter errat, ac turpiter labitur, quisquis germanæ eruditionis facem non præ se tulerit. Non alium sane *Theseum* flagitabat hic Labyrinthus, ex quo victor evasisti, mactatis tot monstris Fabularum, errorum, ineptiarum. Quamobrem scito, ipsamet Patria pro te intercedente S. C. Tibi decretum esse Triumphum, Quod Bene ac Feliciter Tantam Provinciam Administraveris. Non deerunt, qui victi, & inviti præcedant coronatas Quadrigas. Certe omnes Docti & Antiquitatis probe periti sequentur candidum hunc Gloriæ tuæ Currum, subinde acclamantes IO PIGNORI, PATER PATRIÆ, DE QUA OPTIME MERITUS ES; IO TRIUMPHE, IO TRIUMPHE.

Veritatis, Patriæ, Tui

Studiosissimus

MARTINUS SANDELLIUS

Patavinus.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.


CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CA-

ELENCHUS CAPITUM.



LAU-

IMAGINES PRINCIPUM CARRARIENSIUM DOMINORUM PATAVII.








































LAURENTII PIGNORII ORIGINES PATAVINÆ.

CAPUT I.

Euganei quinam fuerint. Nominis istius etymologia. Hercules ejusque in Hispanias expeditio. Quibus in rebus antiquorum sitæ fuerint divitiæ. Herculem quinam affirment in Hispaniis diem supremum obiisse. Geryonis oraculum. Bauli. Torreglia. Euganei his oris nomen imposuere. Dominatus illorum. A quibus pulsi fuerint istis terris. Reditus illorum. Euganei nominis vestigia. Pelasgi. Tyrrheni. Spina urbs. Italia vocata Tyrrhenia. Mare Tyrrhenum. Japheti posteri.



PAtriam nostram, hasque terras, sub dominatu nunc temporis Serenissimæ (quæ nunc unica adhuc superest antiquæ libertatis Italæ gloria & splendor) Reipublicæ *Venetæ*, priscis temporibus, quæ antiquissima fama est, habitarunt *Euganei.* Comites illi fuere *Herculis* ab Hispanica expeditione redeuntis, postquam *Geryonis* armenta acquisiverat. Nomen vero illud *Euganeorum*, a generis, ut volunt, præstantia est deductum, prout & *Plinius* affirmat, scribens *Lib.* III. *Cap.* XX. *Præstantesque genere Euganeos, inde tracto nomine.* Hæcque adeo vetus est opinio, ut passim apud omnes obtineat. De expeditione modo ista *Herculis* dubitavere nonnulli, quod & patet ex verbis *Dionysii Halicarnassæi*, auctoris gravissimi, quæ profert *Libro* I. *Antiquitatum Romanarum*, ubi fabulæ accenset illam de armentis narrationem. Alii etiam plus quam unum statuunt *Herculem*, resque gestas unius alteri etiam tribui solere, prout ad *Pomponium Melam* notat *Vadianus.* Contrarium tamen omnis affirmat antiquitas, licet & narrationibus illis, utpote multum antiquis, falsa veris passim multa mixta sint. In *Bibliothecis* suis *Diodorus Siculus* pariter & *Apollodorus* scriptum id reliquerunt, & cum illis *Palæphatus*, nec non *Justinus* Historicus, Poëtæ, *Virgilius* & *Silius Italicus*, atque Orator *Claudius Mamertinus*, aliique.

Et sane divitiæ veterum primis istis temporibus armenta erant, prout *Justinus* iterum, *Varro* atque *Columella* testantur. At vero quid dicemus de Afrorum testimonio? Scribit enim *Sallustius* in *Bello Jugurthino*, & ex illo *Isidorus* in *Originibus Libro* IX. in *Hispaniis* diem suum obiisse *Herculem*, copiasque ejus ex variis collectas populis huc illuc fuisse dispersas, idque habere sese ex *Libris Punicis*, quæ fuere Regis *Hiempsalis*, affirmat *Sallustius.* Non equidem memini apud alios scriptores hanc opinionem legisse, quæ tamen, ut ut vera sit, non impedit, quo minus in hisce terris consederint *Euganei.* *Græcos* enim patriæ desiderio tractos, qui in castris fuere *Herculis*, rediisse verosimile est. Verum, ut dixi, communis magis est opinio, rediisse & ipsum *Herculem*; in cujus rei argumentum bina in terris nostris exstant documenta. Primum quidem est *Geryonis* Oraculum, quod *Patavio* vicinum fuisse narratur, & forsan in monticulo quodam ex nostris, non longe a fon-

A te *Abano.* Testatur certe *Diodorus Siculus Libro* IV. sua adhuc ætate superfuisse prope *Leontinos* in *Sicilia* Templum, quod *Geryoni* dicaverit *Hercules.* Et ultra, quemadmodum *Baulis* in *Campania* boves, qui erant inter armenta *Geryonis*, dedere nomen, unde:

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coëgit
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat, occulto nominis indicio.

prout scribit *Symmachus Epist. Libro* I. & *Servius* ad *Æneid.* VI. quid vetat, quo minus conjecturam ineamus & nos, appellationem *Torreglia*,
B quæ inter montana nostra obtinet, a *Latinorum* derivatam esse *Taurilia*, inde quod *Hercules* ibi tauros suos concluserit? Qui vero aliquem habet antiquitatis gustum, facile conjecturam nostram approbabit. Narrat enim, diligentissimus scriptor, *Pausanias*, in *Pylo*, patria *Nestoris*, speluncam monstrari, quam olim bovile fuisse *Nestoris*, atque ante illum *Nelei* afferant incolæ. Totus autem iste locus, quoniam in multis cum opinione nostra concurrit, inspici meretur. [1] Est autem in fine *Libri* IV.

Ab istis *Euganeis*, qui longo tempore hasce terras incoluere, deductum loco nomen. *Tellure*
C *Euganea* est apud *Silium*, & *Euganeis oris* apud eundem, *Euganeos lacus*, & *Euganeas oras* laudat *Martialis.* *Juvenalis* etiam initio *Satyræ* VIII.

—— *Euganea quantumvis mollior agna.*

Sido-

1 *Est autem*] Præclarus iste *Pausaniæ* locus ita sese habet, Καὶ σπήλαιόν ἐστιν ἐντὸς τῆς πόλεως. Βοῦς δὲ ἐνταῦθα τὰς Νέστορος, καὶ ἔτι πρότερον Νηλέως, φασὶν αὐλίζεσθαι. Εἴη δ' ἂν Θεσσαλικὸν τὸ γένος τῶν βοῶν τούτων, Ἰφίκλου ποτὲ τοῦ Πρωτεσιλάου πατρός. Ταύτας γὰρ δὴ τὰς βοῦς Νηλεὺς ἕδνα ἐπὶ τῇ θυγατρὶ ᾔτει τοὺς μνωμένους· καὶ τούτων ἕνεκα ὁ Μελάμπους χαριζόμενος τῷ ἀδελφῷ Βίαντι ἀφίκετο ἐς τὴν Θεσσαλίαν, καὶ ἐδέθη μὲν ὑπὸ τῶν βουκόλων τοῦ Ἰφίκλου, λαμβάνει δὲ μισθὸν ἐφ' οἷς αὐτῷ
D δεηθέντι ἐμαντεύσατο. Ἐσπουδάκεσαν δὲ ἄρα οἱ τότε πλοῦτόν τινα συλλέγεσθαι τοῦτον ἵππων καὶ βοῶν ἀγέλας· εἰ δὴ Νηλεύς τε γένεσθαί οἱ βοῦς ἐπιθύμησε τὰς Ἰφίκλου, καὶ Ἡρακλεῖ κατὰ δόξαν τῶν ἐν Ἰβηρίᾳ βοῶν προσέταξεν Εὐρυσθεὺς ἐλάσαι τῶν Γηρυόνου βοῶν τὴν ἀγέλην. Φαίνεται δὲ καὶ Ἔρυξ τότε ἐν Σικελίᾳ δυναστεύων, δεινῶς οὕτως ἔχων ἐς τὰς βοῦς τὰς ἐξ Ἐρυθείας ἔρωτι, ὥστε καὶ ἐπαλαῖσαι πρὸς τὸν Ἡρακλέα, ἆθλα ἐπὶ τῇ πάλῃ καταθέμενος τάς τε βοῦς ταύτας καὶ ἀρχὴν τὴν ἑαυτοῦ· πεποίηκε δὲ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι, ὡς Ἰφιδάμας ὁ Ἀντήνορος τὰ πρῶτα τῶν ἕδνων, ἑκατὸν βοῦς τῷ πενθερῷ δοίη. Ταῦτα μὲν τὸν λόγον μοι βεβαιοῖ, βουσὶ τοὺς τότε μάλιστα χαίρειν ἀνθρώπους. Id est, *Ostenditur in ipsa Urbe spelunca, in qua Nestoris, & ante illum Nelei boum fuisse stabulum dicunt. Boves eas Thessalicas fuisse genere, de grege Iphicli, Protesilai patris: eas Neleum à filiæ pro-*
E *cis sponsalitium munus depoposcisse: Melampodem itaque Biantis fratris adductum gratia, in Thessaliam venisse, & a pastoribus quidem Iphicli in vincula primum conjectum, deinde vero pro responsis, qua roganti Iphiclo dedit, vates cum esset, mercedem boves cepisse. Fuit hoc præcipuum illis temporibus divitiarum studium, luculenta habere equorum & boum pecuaria. Nam præterquam quod Iphicli boves Neleus expetivit, Herculi etiam imperavit Euristheus, ut ex Hispania boves, quas eximia ibi specie esse compererat, ad se abigeret. Ejusdem pecoris ex Erythea abacti mira fuisse incensum cupiditate Erycem in Sicilia, ex eo constat, quod, cum in luctæ certamen cum Hercule descendisset, hinc Herculis boves, illinc Erycis Regnum præmia victori proposita fuerunt. Testatum etiam in Iliade reliquit Homerus, Iphidamantem Antenoris filium boves centum, sponsalitium munus, socero suo dedisse. Quæ omnia satis perspicuo argumento sunt, bobus inprimis priscos illos homines delectatos fuisse.*

Sidonius Apollinaris commemorat *ulvosum Lambrum*, *cœrulum Adduam*, *velocem Athesin*, *pigrum Mincium*, *qui Ligusticis, Euganeisque montibus oriebantur*, *paulum per ostia adversa subvectus* &c. Paucis vero verbis dominium *Euganeorum* aptissime atque admirabiliter nostras expressit *Livius*, scribens, *qui inter mare Alpesque incolebant*, Alpibus altera, altera parte mari cinctam innuens. Fusius vero de isto agemus inferius *Cap.* XIII. In isto terrarum tractu triginta quatuor magnas urbes numerasse *Catonem* auctor est *Plinius Libro* III. *cap.* XX. qui & *cap.* XIX. *Veronam* oppidum *Euganeorum* vocat. Isto vero *Cap.* XX. *Euganeis* annumerat *Triumpilinos*, hodie forsan *Val Trompia*, *Camunos*, nunc forte *Val Comonica*, *Lepontios*, *Salassios* & *Grajarum Alpium* incolas. *Pierius* vero *Valerianus* in quibusdam suis de *Antiquitate Bellunensi* Dissertationibus, nuperrime publicatis industria *Ludovici Lollini* Episcopi *Bellunensis*, viri doctissimi, contendit, *Euganeos* condidisse *Mantuam*, *Veronam*, *Vicentiam*, *Bassanum*, *Trevisium*, *Feltriam*, & multa in ditione *Bellunensi* oppida. Fuit iste *Pierius* vir sane valde doctus, qui si veterem quem, ex quo hausisset id, scriptorem adduxisset, facile fidem ipsi haberem. *Euganei* autem isti, usque ad *Antenoris* adventum quiete terras istas habitarunt, isto vero advenientе, vi cedentes majori e terra, ut verosimile est, in insulam sese receperunt. Multos illorum *Pierius* dicit valles *Vicentinos* occupasse, alios super *Bassanum* cessisse, bonam etiam partem intra *Feltriæ* & *Belluni* fines consedisse, nonnullos etiam ulterius in *Carinthiam* atque *Austriam* penetrasse. Narrat idem Sriptor *Urbanum* patruum suum, virum Græcè admodum intelligentem in Alpino itinere multas voces *Homericas* in istis locis observasse, quibus iidem nuncuparentur, quæ apud illum videri possunt. Ab *Euganeis* etiam nonnulli in *Patavino* agro locum derivant, qui appellatur *Brusegana*, quasi *Urbs Euganea*, multi etiam *Val Sugana*, quod nonnulli volunt esse antiquum
12 *Ausungum* in *Antonini Itinerario*, quod secundum accuratissimum *Cluverium* est *Asiago*, eundem vero *Pierium* vicinus *Eridani* fluvii fonti locus *Agonia*. Verum omnia ista timide valde affirmari possunt, cum spissas obtenderit tenebras antiquarum memoriarum destructor tempus, quod cuncta abolet.

Quinam vero ante *Euganeos* ista loco inhabitavere? Ego quidem *Pelasgos* autumo, qui juxta *Dionysium Halicarnassæum*, prope *Eridani* aliquod ostium consedere, vocabatur autem id *Spineticum*, ibique urbem condidere, quæ dicitur *Spina ricca*, jam olim nobilem ex *Strabonis* testimonio *Libro* V. *Tyrrheni* vero isti, seu *Pelasgi*, (admodum enim hi apud antiquos Auctores confunduntur) magnam *Italiæ* occupavere partem, quam *Tyrrheniam* appellavere, prout scribit *Dionysius*, ut & alia loca mare usque, quod ab illis *Tyrrhenium* etiamnum appellatur, usque eo, ubi ab *Hispanis* vocatur *di Majorica* & *di Minorica*, a *Latinis* vero olim *Balearicum*. Adnotat id *Antonius Augustinus Dialogo* III. & VII. *Antiquitatum*, ex antiqua, quam *Romæ* in ædibus *Chisiorum* vidit Inscriptione, firmatque *Ausonii* & *Paulini* locis. Concludimus vero cum *Georgio Cedreno*, *Jo. Zonara*, *Benedicto Ariæ Montano*, in *Apparatu* suo *ad Biblia Regia*, & *Martino Del Rio* super *Genesim*, posteros *Japheti* harum terrarum antiquissimos fuisse habitatores, quæ etiam opinio est barbari istius compilatoris *Eusebii* & *Africani* a *Scaligero* quondam editi.

A

CAPUT II. 13

Antenor Vincentii Contarini. Antenoris ejusdem forma & statura. Animi dotes. Splendor in patria. Manu fortis. Proditionis in patriam insons. Ab Ovidio Senex appellatus. Terra Veneta aliquando Gallia nuncupata. Hospitii Sanctitas & leges apud Antiquos. Antenor Menelai & Ulyssis hospes. Signum ex quo Græci domum ejus noverunt. Virgilius & Servius paullum aliter sentire videntur.

TAm notus *Antenor* est ex illis, quæ de illo tradidere multi Scriptores fide digni, B ut superfluum videatur verba de illo facere. Si quis tamen super illo nos interroget, remittimus illum ad *Antenorem Vincentii Contarini*, quem vir ille paucis abhinc annis eruditionis domesticæ flos & decus, accurate scripsit atque digessit; [1] si tamen velit ille, cui tradita sunt opera eximii hujus viri Remp. Literariam tanta ditare utilitate, in memoriam sui & nostri amici, mortui sane in illo temporis puncto, quo omnes expectabant, & non sine ratione, ut illustraret *Italiam* splendore Humaniorum Literarum.

Ut itaque a corporis forma ordiamur, longus magnusque statura *Antenor* fuit, gracilis quidem, C sed vividus, minutis oculis, iisque coloris cœrulei, naso adunco, capillis albis, cute & corpore candidus. Quod vero ad animi pertinet dotes, ingenio præditus fuit magno, constantis animi, atque intelligens, insuper eloquio potens, prout scriptum in *Characteribus* suis reliquit *Isaacius Porphyrogeneta* ex Editione viri politissimi *Jani Rutgersii Variarum Lectionum Libro* V. Quod ut confirmet, ipse *Daretem Phrygium*, atque incerti Poëtæ versus Latinos in partes advocat, qui quidem sub *Cornelii Nepotis* ambulat nomine, & hoc titulo a viro docto, cui multum deferri solebat, editus est. D Quoniam vero nonnihil a *Rutgersii* recessi versione, rectum esse judico edere rationem, non quo magno isti viro obtrectare velim, sed ut ostendam interiori mihi curæ esse hocce opusculum, addiscere ipse tam 14 cupidus quam docere alios. Sed ipsa verba, prout a *Rutgersio* citantur, inspiciamus.

ΑΝΤΗΝΩΡ.

Ὁ Ἀντήνωρ μακρὸς, λεπ͂λὸς, ἰσχυρὸς, λευκὸς, μικρόφθαλμος, γλαυκὸς, καμπηλόῤῥιν, λευκοχδράκληρος, εὔλγος, ἀσφαλὴς, πολυΐςωρ, ἀλλόγιμος. In hisce verbis autem λευκὸς a me vertitur canus, non vero *albus & rufus*, neque enim ultimum meE moratur, prius vero mox illi tribuetur, dixi autem *oculis* fuisse *minutis*, id enim ad verbum significat μικρόφθαλμος, qui aliter vertit animo sibi obversantem habuit vocem μακρόφθαλμος, quod facile fieri potuit. λευκοχδράκληρος, una tantum literula permutata, converti debet in λευκοχαράκληρος, quod ut facerem, monuit me excellens Literator *Joannes Thuilius*, qui mihi pro eo dixit paratum se, ut vetus est proverbium, Jovem lapidem jurare. Pro εὔλγος puto debere reponi εὔλογος, quod *eloquentem* fuisse dicit, ἀλλόγιμος vero mutatur a me in ἐλλόγιμος, ἀσφαλὴς autem videF tur mihi illam indicare soliditatem, quæ prudentiæ

[1] *Si tamen velit ille*] Insignis *Contarini*, quod hic citat Auctor, opusculum, quod *Antenorem* vocaverat, abhinc nactus fuit, estque id ipsum, quod auctum atque in decentem ordinem redactum sub eodem titulo, ad calcem Libri hujus adjunxit, prout & nos *Latio* jure donatum una publicavimus. Narrat *Pignorius* in Præfatione sua ad illud Opusculum, se id nactum fuisse opera præstantissimi Abbatis *Albertini Barisoni*, cui id ipsum communicaverat *Dominicus Molinus*, Senator gravis, atque omnis elegantiæ copiosus atque judiciosus promus condus.

tiæ propria est. Atque ita animi dotes in Heroe nostro perlucere etiam intrinsecus apparet.

Quod vero ad canos *Antenoris* capillos attinet, mihi unus adhuc restat scrupulus. Recordor enim dixisse quondam mihi *Vincentium Contarinum*, honoratæ memoriæ, observasse sese [1] apud *Lycophronem*, quod ibi appelletur ὠμόθριξ, hanc enim vocem de *Antenore* capi volunt, quod quidem ille non ut *Scaliger* interpretabatur *horripilus*, sed *crudicapillus*, quo senex ille haud *canus* fuisse innuitur, sed ut de *Charonte Virgilius*:

— — *cruda Deo viridisque senectus.*

Verum nihil novi est, si diversa de illo apud scriptores sit opinio, cum & in materia graviori ad manum talia sint exempla. *Laocoon*, quem *Neptuni* sacerdotem *Virgilius* vocat, *Antenoris* habetur filius *Tzetzi*, uxorem autem *Servius* scribit habuisse *Antiopam*, & duos ex illa celebres filios *Ethronem* & *Melanthum*. Filium eundum *Hyginus* facit *Acetis*, & fratrem *Anchisis*, filios vero ejus vocat *Antiphatem* & *Thymbræum*, exempla vero opinionum similium diversitatum mille adduci possent. Itaque ad *Antenorem* redeamus.

Animi ejus dotes prudentia fuere atque eloquentia, quarum testem modo produximus Scriptorem illum *Græcum*, qui ex cognomine noscitur Imperatoriæ in *Constantinopoli* fuisse familiæ, atque inde apud me maxime fide dignus.
15 Confirmat idem *Homerus Libro* III. *& VII. Iliados*, ut & *Dio Chrysostomus Oratione* XI. ubi *Antenorem* laudat, ut justum, fortem atque prudentem. Eloquentia vero ejus *Euripidis* celebrata fuit testimonio apud *Athenæum* in perpulchro isto *Libri* XV. *Deipnosoph.* initio, ubi nescio quis a Diis sibi precatur εὔγλωσσον μέλος *eloquens melos Nestoris* atque *Antenoris*, *Homerus* etiam de illo agens *Libro* III. haud vituperat virum (ut falso ibidem autumat *Eustathius*, verum laudat. Vitæ bonæ gravitatem maximamque integritatem supra quam novimus agnoscit in illo *Pomponius Sabinus* Grammaticus, qui patrum nostrorum vixit temporibus, in *Commentario* ad *Librum* I. *Æneidos*. *Tryphiodorus* insuper in Poëmatio, quod *Ilii* nuncupavit *Excidium*, vocat *Hospitalem Diisque parem*. Post *Priamum* vero (quæ ingens ejus fuit auctoritas) principem apud suos tenuit locum, quod ex *Homero* observare licet, qui bis in *Libro* III. primum ejus post *Priamum* locat nomen. Bellatorem vero fuisse non opus puto probare, id enim acta ejus & victoriæ ostendunt, & insuper appellatio evincit, qua apud *Homerum* ornatur, qui *Libro* XIV. *Iliados* ejus meminit ut ἱπποδάμοιο, id est, *equorum domitoris*, quod ad fortitudinem ejus indicandam sufficit, prout apud *Virgilium* insignis ille *Messapus* appellatur *equûm*, *domitor*, namque, ut idem,

Bello armantur equi — — —

Patriæ etiam & pacis, æqui & honesti amatorem facit *Livius*, ut non videam, quomodo in illum quadret nota, quam maleferiati quidam Scriptores illi inurunt, proditæ patriæ. *Dionysius* enim *Halicarnassæus* multas de illo congerens opiniones, in transitu tantum istius meminit, & ita ut filiis ejus magis quam ipsi adscribatur pro-

A ditio. Idem narrat culpam istam in *Æneam* transferri a *Menecrate Xanthio*, qui tamen passim istius absolvitur criminis. [1] Sic & *Servius*, sive alius quis sub ejus nomine Grammaticus, *Æneam* pariter & *Antenorem*, ex testimonio quasi *Livii* pariter ejus noxæ accusat, cum ne verbum quidem tale apud Scriptorem istum exstet. Prout etiam *Lutatius* quidam in libello, cui titulus *Origo gentis Romanæ*, pariter *Antenorem* atque *Æneam* culpæ socios agnoscit, quæ rursus opinio ab illa differt, qua solum *Antenorem* a quibusdam supra feriri vidimus. Totus vero iste liber abortivus
B mihi videtur atque suppositus, quod facile probari posse confido. *Sisenna* antiquus Historiæ *Romanæ* scriptor, solum ex *Servii* relatione incusat *Antenorem*, verum satis auctoritatis ista *Sisennæ* non habet affirmatio, & forte juventa sua excu- 16
sandus venit auctor, ut advertit *Vellejus Paterculus Histor. Libro* II. ne jam dicamus ejus interfuisse ut ita scriberet, prout notatur a *Sallustio* in *Jugurthino Bello*. Sufficit vero notare jam frigide satis de hac re loqui *Servium*, qui alias facile cœlum terra miscuisset. Quod vero ad *Dantem* pertinet, virum alias excellentissimum, suspectum atque odiosum illum facit impietas in magistrum
C suum, qui sæpe miratus est tale quid de *Antenore* ab illo credi potuisse. *Aristoteles* autem *Libro* II. *Ethices Cap.* IX. laudans prudentem sermonem seniorum, qui (prout narrat *Homerus Libro* III. *Iliados*) reddendam censebant *Helenam*, absque dubio noxæ eximit *Antenorem*, etiam inter senes illos nomen ejus recensens. Quod & *Horatius* credidit, canens:

Antenor censet belli præcidere causam.

Homerus ejus enim meminit inter illos δημογέροντες, qui *Thryphiodoro* titulo venit φιλοξείνοιο γέροντος. Ex quo facile mentem percipimus *Ovidii*, ita canentis *Libro* IV. *de Ponto*, *Elegia ult.*

D *Ingeniique sui dictus cognomine largus,*
Gallica qui Phrygium ducit in arva senem.

[2] Quidam scilicet *Largus*, cujus nomen, ut & prænomen nescio, quoddam carmen composuerat, in quo fuse agebat de adventu *Antenoris* in terras nostras, quas *Gallica arva* vocat *Ovidius*. Non fugit me Romanistas quosdam potius quam Historicos hisce versibus probare nixos futilem de *Trojanorum* in *Franciam* adventu opinionem, prout videre est apud *Michaëlem Riccium Regum* suorum *Libro* I. sed & illud scio, antiquitus & *Ovidii* quidem tempore *Venetias* venisse sub *Galliarum* nomine, prout & in progres-
E su Opusculi hujus probabimus.

Hinc

---

1 *Apud Lycophronem*] Cujus exstat locus in *Cassandra versu* 340.

Ὅταν χέλυδρος πυρσὸν ὠμόθριξ βαρὺν,
Ἀπεμπολητὴς τῆς φυταλμίας χθονὸς
Φλέξας.

Vertit *Scaliger*,

Quando Chelydrus horripilus, venditor
Altricis terræ, face accensa
Gravi &c.

1 *Sic & Servius*] Quæ hic ex *Servio* narrat, inveniuntur in Commentario ejus ad *Lib.* I. *Virgilii versu* CCLVI.

Antenor potuit &c.

Livium autem istum, quem *Servius* citat, non puto cum *Pignorio* scriptorem *Patavinum*, Historicum illum nobilem esse, sed *Livium Andronicum* Poëtam Tragicum, qui præter *Odysseam* varia conscripsit, ex *Trojano* Bello petitis plerisque Argumentis. Qui idem & simpliciter *Livii* iterum nomine *Servio* venit ad *Virgilii Æneid.* I. *versu* XCVI.

F 2 *Quidam scilicet Largus*] Hisce quæ scripsimus de *Largo* isto, qui de Adventu *Antenoris* Poëma composuit, adjungi potest, quod scribit *Strabo Libro* III. Pag. CL. *Edit. Græc. Lat. Casaub.* Πάλιν ἦτε τοῦ Αἰνείου περιδέδοται πλάνη, καὶ Ἀντήνορος, καὶ ἡ τῶν Ἐνετῶν· ὡσαύτως καὶ ἡ Διομήδους τε, καὶ Μενελάου, καὶ Ὀδυσσέως, καὶ ἄλλων πλειόνων. Id est, *Ergo cum Æneæ peregrinatio memoriæ mandata est, & Antenoris pariter atque Henetorum: tum Diomedis, Menelai, Ulyssis, aliorumque complurium.* Neque aliud indicare voluit *Livius*, qui initio Historiarum suarum scribit, *casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum* &c. *venisse in intimum maris Hadriatici sinum.* Verum hæc latius olim conscripta ab Auctoribus frustra hactenus desiderantur. PIGNOR.

Hinc est, quod *Vitruvius* appellet *Gallicas paludes* istas, quæ sunt circa *Ravennam*, *Altinum*, atque *Aquilejam*, prout videri potest in fine *Cap.* IV. *Libri* I. Inspici insuper meretur *Carolus Sigonius* in Libris suis *De Antiquo Jure Italiæ*, ut & *Jo. Ravisius Textor* in *Epithetis* suis, qui cum *Pontano* Jesuita, istos *Ovidii* versus de *Antenore* explicat.

Troja itaque capta atque incensa, *Antenor*, prout *Livius* scribit, *& vetusti jure hospitii, & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctor fuerat*, servatus a *Grajis* victoribus atque illæsus est dimissus. Itaque non extra oleas erit, si paucis perstringamus, in quanta passim apud antiquos veneratione fuerit jus Hospitale atque communis
17 mensa, de quo & *Virgilius* loquitur *Æneid. Libro* I.

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)

Qui idem secundum *Livium* commemorat *Libro* III.

Hospitium antiquum Trojæ.

Testatur enim *Homerus Iliados Libro* III. hunc *Antenorem* hospitio excepisse *Menelaum* atque *Ulyssem*, idque confirmat *Strabo Libro* XIII.

Et hic locus liberat *Antenorem*, ut adeo proditio patriæ obtrudi illi non possit, quod *Grajos* istos hospitio exceperit, id enim, ut Juridici dicerent, *ex officio* fecit. [1] Antiquitus enim iste mos obtinebat, ut in singulis civitatibus essent, quibus publica hospitum cura demandata erat, quod patet ex *Julio Polluce Libro* III. *Cap.* IV. & ad oculum demonstratur isto epitheto, quod illi tribuit *Tryphiodorus*, a quo *Antenor* vocatur φιλοξείνοιος. Ita etiam ista Apostoli *Pauli ex Epistola Ad Romanos Cap.* XII. φιλοξενίαν διώκοντες *Versio Latina* exprimit per *Hospitalitatem sectantes*, ubi ista Apostoli explicans *Sedulius Scotus*, inquirit in officium Hospitis Publici. Adverti etiam debet, quod idem Apostolus ad *Timotheum* scribens, & de requisitis in bono Episcopo ipsum instruens, velit illum debere esse κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικὸν, *pudicum*, *hospitalem*, *doctorem*, quæ idem ille memoratus modo *Cœlius Sedulius* explicans, in hæc verba prorumpit. *Laicus enim* (inquit) *aut duos, aut tres, aut paucos recipiens, implevit hospitalitatis officium; Episcopus, nisi omnes exceperit, inhumanus est.* Atque ita ad Jus Hospitale respicit, quod non simplici vice apud Veteres laudatur. Imo tanta ejus erat reverentia, ut vel in ipso bello hospiti occurrens hospes sacrilegium facere putaret, nisi arma cum illo permutaret. Clara ejus rei exempla sunt apud *Homerum Iliadis Libro* VI. in *Diomede* & *Glauco*, atque apud *Livium* nostrum *Libro* XXV. in *Quintio Crispino* & *Badio*. Quæ quidem a nobis in medium afferuntur, quo magnum istum virum culpa absolvamus, scribit enim *Servius* cognitum ab *Antenore* fuisse *Ulyssem*, nescio qua occasione alias indutum vestes, verum non fuisse proditum. Quod *Livius* hisce indicare voluit, *& vetusti jure hospitii*, quod & *Vincentium Contarinum* sensisse puto. Scio quidem quid ænigmatice scriptum reliquerit *Lycophron*, qui omni disquisitione defungi puto, si modo dicam tam de *Sinone* verba ejus posse capi, quam de alio quoquam, quod & accuratissimus pervidit *Canterus*, ipsumque illud Poëma, quod magna cum ratione σκοτεινὸν fuit appellatum, lucis parum possit afferre in re dubia. Scoliastem vero ejus parum curo, 18
certum enim est multis in locis egregie a vero aberrare, & in ipsa, quam de *Antenore* facit, relatione valde hæsitare, quod primum verbum ejus φασὶ ostendit, quo *id quidem a nonnullis afferri* dicitur. Ut enim recte scripsit *Ad Nationes Tertullianus*, *Nemo famam nominat, nisi incertus, quia nemo sit fama, sed conscientia certus: nemo famæ credit, nisi stultus, quia sapiens non credit incerto.* Denique quis nescit *Trojanos* odio a *Græcis* habitos, maledictis etiam illorum patuisse. Legatur *Dionis Chrysostomi Oratio* XI. quæ est *De Capto Ilio.* Adeoque super isto odii sui fundamento malesanas suas fabulas omnes confinxere Poëtæ.

Videamus insuper, an & alio adhuc argumento probare possimus culpa ista omni vacare Conditorem nostrum. Objicitur scilicet illi, quod hospitio exceperit *Menelaum* atque *Ulyssem*, qui a *Græcis* ad repetendam *Helenam* missi erant Oratores. Atqui jure Gentium antiquissimo dico Legatos publice receptos esse, unde ista *Hannonis* apud *Livium* verba: *Legatos ab sociis & pro sociis venientes, bonus Imperator vester in castra non admisit, jus Gentium sustulit.* Si vero quis respondeat, non *ab sociis & pro sociis Menelaum* atque *Ulyssem* venisse *Trojam*, cum eodem illi regero *Hannone* quæ sequuntur: *Hi tamen, unde ne hostium quidem Legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex foedere repetunt*, quæ enim alia in *Menelao* atque *Ulysse* profectionis causa? Pro Hospitio vero *Antenoris* nihil aliud dicere necesse habeo, quam, prout intuli, primum illum a Rege *Priamo* inter *Trojanos* fuisse, cum etiam hodieque, quantum scio, in Magnatum aulis viri post Regem principes curam Legatorum gerere sint soliti. Si itaque illi *Trojam* venere nondum crudescente bello, prout venere, dein vero capta urbe, humanitatis hospitis sui nondum fuerint obliti, quænam *Antenori* vel hospitii vel effugii nota inuri potest? Quin imo si vel *Rachabæ* laudi datum fuerit, quod a *Josua* emissos ad speculandam *Cananiticam* terram, & hospitio exceperit, & elabi docuerit, quare salva illi domus & vita fuit, quis quæso *Antenori* litem movebit de antiquissimo apud Gentes Hospitii jure, aut *Græcis* de grato quem vicissim præstiterunt animo? Cur non potius celebramus cum *Ovidio*?

——— *Trojanæ suasorem Antenora pacis.*

& dicimus ipsos etiam hostes virtutem in isto viro honorasse.

Signum autem, quo cognitum fuit a *Græcis* palatium *Antenoris*, suspensa ante fores pardi pel-
lis fuit, secundum *Sophoclem* a *Strabone* citatum, 19
nisi in versione ibidem error sit, cum pantheræ agnoscat pellem *Scoliastes Pindari*.

Sed & *Virgilius* perversæ isti opinioni haud adhæsit, dum *elapsus* scribit, ubi *Servius* notat, *invidiose noluit dicere dimissus, sed elapsus*, sed qui ista interpretatione ostendit, non satis sincere in *Virgilii* sensu sese versari, quasi vero insignis iste Poëta non potuerit habuisse auctores suos, qui *Antenoris* pariter ut *Æneæ* abitum docuerint, ut partim cedentes pereuntis patriæ calamitatibus, partim vi aditum per hostes sibimet parantes evaserint, quomodo fere *Servii* verba sunt ad

---

1 *Antiquitus enim iste mos*] Integrum de Hospitalitatis jure capitulum Libro suo *Exemplorum* inseruit *M. Antonius Sabellicus*, dicitque VII. *Pag.* XCV. quosdam sancire Philosophos cujuscunque parentelæ jura hospitali pectore minora esse. *Carolus Pascalius* etiam, nostris temporibus, in Libro quodam suo, cui titulus est *Virtutes & Vitia Cap.* LIII. expressis hisce verbis utitur. „Contra Hospitalitas multis multa bona attulit, ut „*Admeto*, cui *Hercules* uxorem Diis Manibus ereptam „restituit, & *Antenori*, quem cladi *Trojanæ* superstitem „esse *Agamemnon* jussit, scilicet propter veterem Hospi„talitatem, qua ipse, ac *Theano* uxor ejus quosdam „*Græciæ* proceres coluerant. Idem in prioribus multa in laudem Hospitalitatis coacervaverat, sicut & nobile de eadem condidit opusculum *Scipio Ammiratus*. PIGNOR.

ad ultimum versum ex *Libro* II. *Æneidos*.

Insuper dicere videtur *Servius* ad istum *Virgilii Æneid.* II. versum XV.

Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant.

Antenoream ad domum pro insigni fuisse picturam equi. Sed & *Naugerius* elapso illi ad *Italiam* ducem facit *Palladem* hisce versibus:

Urbs quam vetusto vectus ab Ilio
Post fata Troum tristia, post graves
Tot patriæ exhaustos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
Diis fretus Antenor secundis
Condidit Euganeis in oris.

Hausit vero ista ex custodia *Palladii*, quæ uxori *Antenoris* concredita erat, prout paullo inferius dicemus.

Finem autem huic Capiti imponemus recitato elogio, quod *Antenori* ex vero tribuit ingenium grande & supra temporum nostrorum conditionem *Julius Cæsar Scaliger*, quem, quidquid alii sentiant, civem nostrum & antiquæ atque præinsignis agnoscimus familiæ. Epigramma vero ejus tale est:

Diis fretus, Diis indigenis, quibus ultima cordi
Inter fata Deum, fata fuere Phrygum,
Dextræ Asiam forti, justæ acria Pergama linguæ,
Victorem docui cedere velle mihi.

20

CAPUT III.

Antenoris filii a Vincentio Contarino enumerati. Helicaon & Polydamas cum patre suo in acquisitas bello venere terras. Helicaon illorum præcipuus. Pugio ejus Delphis dedicatus. Dalechampii error. Nicolaus Leonicus. Helicaon terris nomen fecit. Calderini ad Martialem error. Laodice Helicaonis uxor. Glaucus & Erymas filii Antenoris in Creta. Acamas & Hippolochus in Africa. Arma filiorum Antenoris qualia apud Pindarum.

Filiarum *Antenoris* meminere *Homerus* & *Virgilius*, ut & *Attius* quidam olim in Tragœdia sua, quæ jam quidem amplius non exstat in rerum natura. De illis autem videri potest, qui exquisite scripsit *Contarinus*. Dicemus tantum, illos *Troja* simul cum patre excessisse, hasque simul occupasse terras. *Servius* duos ex filiis ejus celebrat ad *Librum* I. *Æneid.* nominatque *Polydamanta* & *Helicaonem*. Sæpius vero *Polydamantis* meminit *Homerus*, facta ejus perhonorifica inter strenuos atque prudentes mentione, prout & facit *Philostratus* in *Heroum Vitis*. Nomen ejus *Persius* quoque profert *Satyra* I. ex quo loco patet *Atticum Labeonem* quendam, prout vocat *Casaubonus Iliadem Homeri* vertisse *Latine*. Nominat eundem *Hyginus*, in *Fabulis* suis CXV. *Silius Italicus* etiam *Punicorum Libro* XII. inducit *Pedianum*, ex majoribus forte *Asconii* illius *Pediani*, pugnantem in armis *Polydamantæis*, ita canens:

Polydamantæis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox, Trojanaque semina & ortus,
Atque Antenorea sese de stirpe ferebat.
Haud levior generis fama, sacroque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret,
Seu Musas placidus, doctæque silentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores
Non ullum dixere parem, nec notior alter.

Helicaonem inter *Antenoridas* principem celebrat 21
Homerus Iliados Libro III.

Τὴν Ἀντενορίδης εἶχε κρείων Ἑλικάων.

Id est,

Quam Antenorides habebat præstantissimus Helicaon.

Hic Delphis æreum dicaverat pugionem, quod & Inscriptio testatur,

ΘΑΗΣΑΙΜ' ΕΤΕΟΝ ΓΑΡ ΕΝ ΙΛΙΟΥ ΕΥΡΕΙ ΠΥΡΓΩ
ΗΝ, ΟΤΕ ΚΑΛΛΙΚΟΜΟ ΜΑΡΝΑΜΕΘΑΜΦΕΛΕΝΗ.
ΚΑΙ Μ' ΑΝΤΗΝΟΡΙΔΗΣ ΕΦΟΡΕΙ ΚΡΕΙΩΝ ΕΛΙΚΑΩΝ
ΝΗΝ ΔΕ ΜΕ ΛΙΤΟΙ ΔΟΥ ΘΕΙΟΝ ΕΧΕΙ ΔΑΠΕΔΟΝ.

Id est, MIRAMI, IMPEROCHE IO MI TROVAI DA DOVERO SUL' ALTE TORRI DI TROIA, QUANDO SI COMBATTEVA PER HELENA DALLE BELLE CHIOME. MI PORTAVA IL FIGLIOLO D' ANTENORE ELICAONE IL PRENCIPE, ET HORA IO SONO NEL SACRO TEMPIO DEL FIGLIOLO DI LATONA.

Refert vero *Phanias* in Libro quod inscripserat *Siculorum Tyranni*, citaturque ab *Athenæo Libro* VI. *Deipnosoph.* Ita autem de novo *Italicè* interpretatus sum, & quoniam nobilis admodum est memoria, & quoniam doctus alias *Athenæi* interpres *Dalechampius* hanc Inscriptionem minus recte vertit. Et forsitan difficultas hæc, quæ in *Græco* occurrebat contextu, deterruit *Nicolaum Leonicum*, qui *Variarum Historiarum Libro* II. *Cap.* XCIV. narrans quæ *Athenæus* scripta reliquit, *Helicaonis* mentionem nullam facit.

Quod vero de *Polydamante* diximus, nomen ejus superstes in hisce mansisse oris, id etiam contigit *Helicaoni*. Poëta *Martialis Libro* XIV. agens de vestium genere, quod & secundum *Strabonem Libro* V. solebat confici *Patavii*, ut & inferius dicemus, ita scribit:

Nos Elicaonia de regione sumus.

Ad quæ verba delirat Interpres *Domitius Calderinus*, dum quasi de *Lycaonia* dictum accipit, prout & videre est apud *Raderum* Jesuitam, qui illum refutat, & nobiscum veram in *Martialis* etiam altero loco *Libro* X. rectius retinet.

Si prius Euganeas Clemens Elicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis.

Ut ita plane fallatur *Calderinus*. Uxor vero *Elicaonis* fuit pulcherrima filiarum *Priami*, ut *Homerus Iliad.* III. scribit, *Laodice*. Hujus etiam mulieris meminit *Apollodorus*, qui in *Bibliotheca* sua scribit *Hecubam*, postquam *Paridem* enixa esset, peperisse *Creusam*, *Polixenam*, *Laodicen* & *Cassandram*. Periisse autem *Laodicen* una cum cadente patria scribit *Tryphiodorus*. 22

Præter vero hosce non memorat *Servius* alios ex *Antenoridis* cum patre *Troja* egressos fuisse. *Leonicus* tamen, quem superius citavimus *Libro* III. *Cap.* XLIV. scribit *Glaucum* & *Erymanthum*, *Antenoridas*, post excisum *Ilium*, ductu *Menelai*, usque *Cretam* venisse, ibique munitiones exstruxisse, inque generis memoriam collem ibidem ab *Antenoridis* appellatum fuisse. Narrat insuper *Lysimachum*, quem alii *Symmachum* vocant, scriptum reliquisse, ex *Antenoris* filiis, post *Trojæ* ruinam, in *Africam* usque penetrasse, *Oplaucum*, *Acamantem* & *Hippolochum*, ubi similiter collis quædam non longe a mari ab *Antenoridis* nomen adepta sit, cujus & *Ortelius* meminit, in *Thesauro* suo *Geographico*, in voce ΜΥΡΜΕΧ. Hausit autem istam relationem *Leonicus* ex antiquo *Pindari Scoliaste*, qui ad *V. Pithiorum Odam*

dam quidem *Menelai* meminit non vero *Cretæ*.

Quoniam vero *Pindari* mentio incidit ex illo obſervamus ænea *Antenoridarum* fuiſſe arma Pag. CCCXCV. *ex Edit. Bened.*

Ἔχοντι τὰν
Χαλκοχάρμαι ξένοι
Τρῶες Ἀντενορίδαι.

— quam incolunt
Æneis armis gaudentes hoſpites
Trojani Antenoridæ.

Et hæc ex more antiquo, prout & *Euripides* de *Hectore* teſtatur, & nos in *Helicaonis* obſervavimus pugione. Scribit etiam *Heſiodus* tertia hominum ætate ærea fabricata fuiſſe atque in uſu permanſiſſe arma. Legimus etiam apud *Virgilium* in hunc ſenſum *æratus acies* & *florentes ære catervas*. Quare & *Leonicus Var. Hiſt. Libro* I. *Cap.* LI. arma veterum Heroum ex ære fuiſſe annotat. Unde *Hieronymus Magius Miſcell. Libro* III. *Cap.* III. recte obſervavit artem quandam habuiſſe veteres, qua æs ad belli & agriculturæ uſum temperarent, idque *Procli* & *Tzetzis* auctoritate probat. Adeoque ipſe memini antiquiſſimum me gladium, ex ære factum, vidiſſe, qui in collibus noſtris apud *Mirandolam* in imis terræ viſceribus repertus fuit, & etiamnum inter alias res antiquas [1] æream ſervo bipennem antiquiſſimam, qualis illa *Piſandri* deſcribitur ab *Homero Iliados*
23 XIII. inventam in *Creta*, cum vetus detegeretur ſepulcrum, ut & teli cuſpidem æreum, illi ſimilem quem in *Merione* deſcribit *Homerus*. Plura autem, quæ ad æris apud Antiquos uſum pertinent, curioſius exſecutus ſum in Expoſitione *Menſæ Iſiacæ*, ut & *Antonius Cerrius Satyr. Scolaſtic. Centuria* II. *Cap.* XXI.

CAPUT IV.

Theano Antenoris uxor Palladis ſacerdos fuit. Palladium curæ ejus commiſſum. Quid fuerit Palladium. Abſtulerunt id Diomedes atque Ulyſſes. A quibus & quando rurſus inventum. Minerva Ilienſis. Palladii figura. Error Benedicti Ægii Spoletani. A quibus Romæ fuerit cuſtoditum. Virgo Maxima, Vitta Veſtalium.

UNa cum *Antenore* filiiſque *Troja* relicta, in has advenit terras *Antenoris* uxor *Theano*, ut *Servius* ſcribit, mater *Helicaonis* & *Polydamantis*. Soror iſta fuit *Hecubæ*, & *Ciſſæi* Regis *Thracum* filia, ut narrat *Homerus Iliados Libro* XI. Ejus pulchritudinis etiam meminit *Tryphiodorus*, dicitque *Atridem Menelaum* quater meminiſſe menſæ ejus hoſpitalis, quam ut inſignem matronam laudat etiam *Lucianus* in *Imaginibus*; & in *Quæſtionibus Phyſicis*, ut taciturnitatis exemplum proponit *Theophylactus Simocatta*. Niſi forte (ut potius exiſtimo) illa ſit *Theano*, quæ grande inter *Pythagoricas* nomen habuit, ut *Jamblichus* atque *Photius* teſtantur. In tranſitu advertere licet errorem *Abrahami Ortelii* in *Theſauro Geographico Editionis primæ*, in voce *Theanorum*, quam putabat erronee apud *Triphiodorum* non uxorem *Antenoris*, ſed nomen urbis ſignificare, errorem vero iſtum in *Editione Secunda* ſuſtulit.

Sacerdotem *Palladis* ſive *Minervæ* facit *Homerus Iliados Lib.* VI. ubi vocat καλλιπάρῃον, id eſt *genas pulchras habentem*, ut & rurſus *Libro* XI. *Itali* dicunt *dalla bella guancia*, *Patavini* vero *dalla bella gualta*, quod alias epitheton *Helenæ* tribui ſolet ab eodem Poëta. Non potuit vero

1 *Æneam ſervo bipennem*] Effigiem hujus ut & aliorum armorum æneorum videre eſt depictam inferius in *Antenore*.

A non commiſſum fuiſſe curæ ejus *Palladium*, quoniam narrat *Homerus* ipſam portas Templi aperuiſſe *Hecubæ*, atque, quæ illam ſectabantur, matronis. *Palladium* vero *in ſumma* fuiſſe *arce* ἐν πόλει ἄκρῃ, narrat *Homerus*, illumque ſecutus 24
Virgilius Libro Æneid. II. In illa itaque *Theano* portas aperuit, atque peplum ſuper genua poſuit *Minervæ*.

Palladium autem iſtud ex oſſibus *Pelopis* compoſitum fuit ſimulacrum, ut ſcribunt *Arnobius libro* IV. *Contra Gentes* & *Julius Firmicus De Errore Profanarum Religionum*. Atque eadem hæc fuit ſtatua, unde per vim *Caſſandram* abripuit
B *Ajax Locrenſis*, ut ſcribit *Hyginus* Libro notato. *Antonius* autem *Auguſtinus* nefandum iſtud factum depingit ex Marmore Antiquo. Quod ſi ita eſt, neceſſe eſt dicamus deceptos fuiſſe in *Palladii* furto, qui illud ſuſtulere *Diomedes* atque *Ulyſſes*, prout ſcribit *Dionyſius Halicarnaſſæus Libro* II. De quo & *Servius* meretur inſpici, qui curioſius quædam perſequitur *Æneidos Libro* II. *verſu* CLXV. Atque ex illo patet, *Cajum Fimbriam* tempore Belli *Mithridatici* inveniſſe in *Ilio*, ab antiquiſſimis uſque temporibus abſconditum in concameratione quadam *Palladium*, prout aliqui ſcriptum reliquerunt. *Julius* etiam *Obſequens* ejus me-
C minit, ſed diſcrepat ab opinione ejus, qui Elogia Illuſtrium virorum compoſuit, atque ambulat ſub nomine vel *Plinii*, vel *Sexti Aurelii Victoris*, aliuſve. Alter enim una cum *Minervæ* Templo incendio periiſſe narrat, alter intactum flammis remanſiſſe. Illa vero erat *Minervæ Ilienſis*, cujus meminit *Dio Chryſoſtomus* & *Ulpianus*.

De figura autem *Palladii* iſtius aliqua dicemus, quoniam nondum ita vulgata ſunt. Scriptum reliquit *Apollodorus Bibliothecæ Libro* III. ex verſione *Benedicti Ægii Spolitani*, magnitudinem habuiſſe trium cubitorum, quæ noſtra fe-
D re duo brachia adæquant, pedibus ambulantis ritu compoſitis. Haſtam dextra tenebat, læva vero fuſum atque colum. *Procopius* vero, cui in hiſce plus fido, *Libro Gothicorum Bellorum* I. ſcribit, ætate ſua ignotum, ubi eſſet, fuiſſe *Palladium*, verum in Templo *Fortunæ* ad æream *Minervæ* ſtatuam, figuram ſaxo fuiſſe inſculptam, certantis haſtamque vibrantis ritu, prolixis admodum veſtibus. *Minervam* vero iſtam *Ægyptium* magis redolere opus quam *Græcum*. Narrari vero, *Conſtantinum* Imperatorem *Palladium* ſurreptum defodi feciſſe *Conſtantinopoli*, in foro, quod ab illo nomen tulit. Verum non licet mihi tuto
E concludere, quanam revera figura iſtud fuerit *Palladium*. Id tamen certo ſcio aſſerere *Virgilium*, haſta atque clypeo armatam Virginem & vittis inſuper ornatam fuiſſe. Qualis vitta forſan ex- 25
primitur in ſtatuæ antiquæ fragmento, quod *Romæ* eſt, atque Virginem repræſentat Veſtalem, apud *Lipſium De Veſta & Veſtalibus*.

Verum in Numiſmatibus *Romanis*, & præſertim in uno, nuperrime *Patavii* ſeu *Paduæ* invento, conſpicienda venit *Veſta*, dextra manu ſuſtentans *Palladium*, neque enim alia figura eſſe, poteſt, quæ repræſentatur *Tab.* I. *Num.* I.

F Et ſane hoc ipſum atque verum puto eſſe *Palladium*, vulgo enim creditum refert *Dionyſius Halicarnaſſæus*, repoſitum fuiſſe in Templo *Veſtæ*. In aliis etiam Numiſmatibus conſpicitur *Veſta* eadem, dextra gerens *Palladium*, addita inſuper ad pedes ara ignita, ſive ſacro foco. Scribit inſuper *Valerius Maximus Libro* I. *Cap.* V. *Memorabilium*, Pontificem Maximum *Metellum*, flagrante *Veſtæ* Templo ſervaſſe *Palladium*, quod & confirmat *Plinius Libro* VII. *Cap.* XLIII. licet *Cedrenus* velit *Martis* Templo intuliſſe *Romulum*. Quod vero ad faciem ejus atque

TAB. I.

Æs.



I

In Cameo.



II

In Cameo.



III

Hyacinth. incis.



V

In Cameo.



IV

Lazul. incis.




VI


Sard. incis.



VII



VIII



IX



X

que pedes attinet, quantum *Apollodorus*, *Procopius* & *Marcianus Capella* scribunt, meretur conferri pictura, quam alio tempore in *Mensa* nostra *Isiaca* dedimus, atque explicavimus. Notandum etiam est ipse *Apollodori* contextus *Græcus*, prout sese mihi, quod valde blanditur, obtulit in doctissimis *Scaligeri* ad *Eusebium* Notis, ubi non legitur, prout passim *Latine* interpretari solet,
26 *pedibus ita compositis*, *ut ambulare videretur*, sed tantum τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκός, id est, *pedibus conjunctis*, prout in statuis *Ægyptiacis* fieri solet, quæ causa est, cur etiam præter faciei picturam, quæ vitta cingebatur superius, sive cooperiebatur, ut *Marcianus* dicit, singularitatem in *Ægyptiorum* statuis & pictura agnoscat *Procopius*. Error etiam Interpretis errare fecit *Natalem de Comitibus Mythologiæ Libro* IV. *Cap.* V.

Sicut vero *Theano* curæ suæ sacrum id depositum habebat, ita apud *Romanos* primum, ut puto, familia *Nautia*, dein vero subsecutis temporibus Virgo Vestalis Maxima, prout patet ex *Lucano Lib.* I. *versu* DXCVII.

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas videre Minervam.

Nam sane idem *vittatæ* epitheton Virgini Vestali Maximæ dat *Juvenalis Sat.* IV. *versu* IX. quam *Plinius Epist. Libro* IV. & Suetonius *Corneliam* appellant.

Nemo malus felix, *minime corruptor*, & *idem*
Incestus, *cum quo nuper vittata jacebat*,
Sanguine adhuc vivo terram subitura, *Sacerdos*.

[1] De vittis autem istis Libro citato inspici potest *Lipsius*.

Georgius vero *Cedrenus*, & nescio, quis alius apud *Suidam* in voce Παλλάδιον, referunt, quod *Theano* sacrum istud simulacrum prodiderit tradideritque *Græcis*, quæ sane res cum veritate pugnare mihi videtur, cum contrarium affirment gravissimi Scriptores, *Dionysius Halicarnassæus*, *Virgilius*, doctissimusque Poëtæ ejus Interpres *Servius*, atque insuper *Procopius*, quibus adjici potest, quod scribit *Pausanias Libro* II. unde manifeste patet asportatum in *Italiam* fuisse *Palladium* ab *Ænea Trojano*, neque, prout venditant *Græci*, surreptum ab illis fuisse.

Qui vero plura de *Palladio* scire aveat, *Servium* consulat ad *Æneid. Lib.* V. *vers.* DCCIV.

Tum senior Nautes, *unum Tritonia Pallas*
Quam docuit.

Plutarchum etiam in *Camilli Vita*, atque *Appianum Alexandrinum* in *Bello Mithridatico*, ut & *Georgium Cedrenum*, inter recentiores vero [2] *Balthasarum de Vias*. Appellatio autem *Palladii* nihil significat aliud quam *signum Palladis*, ut ex *Suida* patet, in voce Παλλαδίων χρυσεμένων, & Poëtæ *Lucretii* versibus.

1 *De vittis autem istis*] Quæ passim adhuc cum in Numismatibus antiquis, tum & in Gemmis atque Marmoribus apparent. Sed & Vestalem habitum matronæ severioris disciplinæ imitatæ sunt, unde *Tibullus* I. VII. *versu* LXXIII.

Sit modo casta doce, *quamvis non vitta ligatos*
Impediat crines.

Utrumque patet ex *Tab.* I. in Monumentis ex *Begero* atque *Sponio* collectis.

2 *Balthasarum de Vias*] Scripsit *Balthasar* iste *de Vias* librum, quem vocavit *Sylvas Regias*, atque de *Palladio* ibidem egit *Pag.* LXXXVIII. *Solinus* & de illo loquitur *Cap.* VIII. & *Meursius* in *Areopago Cap.* XI. PIGNOR.

A

CAPUT V. 27

Euganeorum Rex quomodo fuerit appellatus. Pilæmon Rex Paphlagonum. Appellata Pilæmonia ab illo Paphlagonia. Nomen Pilæmonis commune ejus populi Regibus. Catalogus nationum qui cum Antenore advenere. Ateste & Opsicella comites Antenoris. Epitaphium Atestis. Heneti & Veneti. Ex Francia non venere Veneti, sed unde. Veneta provincia. Antenor ante Æneam in Italiam advenit.

SIcut expeditionis suæ socios uxorem atque filios habuit *Antenor*, ita & cum illo satis ingens ab
B *Ilio* hominum numerus est profectus; quod sane evidens est ex *Dionis Chrysostomi* testimonio, & necessarium, quoniam solus aut parva cum manu veteribus terræ hujus incolis bellum inferre haud valuit. *Euganeisque* dicit *Livius* (qui plura scire noluit) *qui inter mare Alpesque incolebant*, *pulsis*. Quin & Epitaphium ejus de illo dicit,

Expulit Euganeos —— ——

Et de eodem scribit *Servius* Grammaticus *ad Virg.* I. *versum* CCXVI. *Bello exceptus ab Euganeis*, *ex Rege Veleso victor.*

C Patet hinc *Velesum* fuisse dictum *Euganeorum* Regem, de quo quidem nihil apud alios legisse memini. Gentes quæ cum illo venerunt, ejusque a *Servio* appellantur comites, fuere *Trojani* multi, itemque *Heneti*, qui exciti ex *Paphlagonia* Regem suum *Pilæmonem* ad *Trojam* amiserant, prout narrat *Livius*.

Meminit ejus *Homerus Iliados Libro* II. ubi *Henetorum* patriæque illorum mentionem facit. *Libro* vero V. Regem istum a *Menelao* interfectum docet. Meminit etiam *Pilæmonis* alterius, item *Paphlagonum* Regis *Libro* XIII. *Iliados.* Ut ita recte scribere videatur *Plinius Libro* VI. *Cap.*
D II. *Paphlagoniam* a nonnullis fuisse appellatam *Pilæmoniam*, atque etiam *Justinus*, qui *Libro* XXXVII. in fine, notat Regem *Paphlagoniæ* appellatum fuisse *Pilæmonem*, prout sane *Ægypti* Reges passim *Pharaones*, atque *Ptolemæi*, *Bythiniæ* vero *Nicomedes*, nostra vero ætate *Hispaniarum Philippi*.

Hominum autem qui una cum *Antenore* venere, ad duo millia & quingentos adscendisse vult vir doctus, *Joannes Sulpitius Verulamius*, qui avorum memoria in *Lucanum* commentatus est, ad illum Poëtæ istius versum *Lib.* VII. *versu* CXCIV.

Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

E

Hic mihi numerus fidem magis mereri mihi videretur, nisi postea definitum hoc modo vidissem apud *Daretem* & [1] in *Chronico* quodam *Estensi*, quod *Girolamus Atestinus* publici juris fecit, sed in quo permulta deprehenduntur mendacia. Scio 28
tamen sæpe specialiora quædam traditione ad posteros devolvi. *Brunetus* vero *Latinus*, *Thesauri Libro* I. *Cap.* XXXIX. armatorum virorum tredecim illi assignat millia, duodecim millia autem *Jo. Villanus*, multoque ante illum *Marianus Scotus*. Quomodocunque denique se de numero res habeat, exiguus esse nequiit, quoniam armato
F exercitu antiquos invasit & pepulit colonos, quod ipse testatur *Livius*.

Superest vero adhucdum memoria illorum, qui *Antenorem* comitati sunt, *Atestis* præsertim, de quo licet antiquus auctor nobis ad manum non sit,

1 *In Chronico quodam*] *Supplementorum Chronici* Auctor *Libro* IV. scribit venisse cum duobus *Trojanorum* millibus, atque inde pepulisse *Hectoris* filios. Quod pugnat cum illis quæ vulgo de hac expeditione dicuntur, sed nec secum ipse Auctor satis concordat. PIGNOR.

sit, tamen ex *Girolami* istius testimonio *Scardeonius* Antiquitatum *Libro* I. *Classe* I. hoc ejus publicavit Epitaphium.

Est via, quæ populum ducit Junonis ad ædem,
Fons ubi nativis aëra pulsat aquis.
Quisquis ad hanc pergis Periandri transige Thermas
Antra, domos, curvis parva theatra locis.
Et ripas Athesis, Phrygiique palatia Jani,
Regia septa, lares, atria, templa, forum.
Inde celer subeas magni delubra Tonantis
Qua fert sublimes Martia porta gradus.
Hic & Atheste jacet, qui post Antenora nomen
Laudibus & Titulis tollit in astra suum.
Transtulit huc Henetos, & parvam condidit urbem
Cujus & ossa Ducis nunc brevis arca tegit.

Hoc vero Epigramma, ut antiquum publicatum fuit a *Petro Pithæo*, sive quisquis ille fuerit, qui *Epigrammata & Poëmatia vetera* in lucem edidit, talis enim istius libelli titulus est. Ex ejus vero Editione multas correximus voces, quæ vitiose apud *Scardeonium* legebantur, sed tamen cum *Pithæus* in penultimo legat versu,

——— ——— *Patavinam condidit urbem*

melius cum *Scardeonio* retinuimus

——— ——— *& parvam condidit urbem.*

Verum idem *Girolamus*, qui de Epitaphii istius dubitat antiquitate, paulo post in illo suo *Chronico* hocce profert Epigramma.

Vicerat Euganeos Enetorum ductor Ateste;
Cui Rex Antenor Dardana tela dedit.
Et profugus nostram fundavit mœnibus urbem,
Mox obit, & magnum parva sepulcra tegunt.

In medio vero relinquens duo hæcEiptaphia sive vere antiqua, seu utraque (quod potius existimo) ficta sint, nomen illud *Atestis* valde convenire video cum *Acestis*, qui, quod certo constat, ex *Trojanis* unus fuit.

29 Quoniam vero *Homerus Iliados Libro* II. *Mesthlem* & *Antiphontem* filios vocat *Pilæmonis Paphlagonum* Regis, sæpe animum subiit cogitatio urbem *Mestre*, quæ in *Trevisiano* agro est, ab illo forsan *Mesthle* nomen accepisse. *Mestram* autem appellat *Sabellicus*, *Mnestorem* vero *Leo Baptista Albertus Libro* III. *Architecturæ*.

Sed & hæc ut ut sint, nostram modo proponimus conjecturam, neminem ut illam recipiat cogentes. Similiter vero aliud *Chronicum*, quod inspexi MSS. scribit ab *Aquilo Trojano* quodam conditam fuisse *Aquilejam*, atque item aliud item MSS. quod variarum Urbium descriptionem atque originem continet, similiter idem affirmat, idque auctoritate *Carini* cujusdam, qui quidem mihi est ignotissimus. Sed etiam hæc arbitrio lectoris sunt permittenda.

Comitem vero alterum *Antenoris* nomine *Opsicellam* memorat *Strabo Libro* III. qui in *Biscaja* nomine suo condidit civitatem, scribitque in descriptione *Hispaniæ* quadam *Asclepiadis Myrleani*, qui *Turdetaniæ* artem profitebatur Grammaticam, id sese legisse.

Opsicella vero iste una cum *Antenore* filiisque ejus in *Italiam* venit. An autem *Antenor* dehinc ulterius peregrinatus sit nescio, verum credo, relicto, qui ibi sedes occupaverat, *Antenore*, ulterius penetrasse *Opsicellam*.

Venisse cum illo duodecim comites insigniores scribit *Ludovicus Lalarellus*, qui equitum armatorum ludum *Paduæ* celebratum versibus heroicis celebravit, commemorans & *Paulum Doctum* quendam, cujus etiam mentionem fieri puto apud *Scardeonium*.

Habeo penes me Auctorem istum MSS. verum liber mutilus nec satis est correctus. Carmen suum dedicavit *Joanni*, Comiti & Archidiacono *Lincolniensi*, *Anglo*, quem vocat *Principem Gymnasii Patavini*, quo *Rectorem* significari puto. Versus autem ejus hi sunt.

Bis senique equites celantes corpus in armis
Quadrupedes pressant, quos mixta albente tegebant
Veste rubra, femori subnixaque lancea inhæret,
Pectus aprina tegit, galeis caput atque elephantus
Cernitur atratas inter se attollere cristas.
Nam totidem referunt Italas comitatus ad oras
Antenor Patavi egregiam cum condidit urbem.
Inter quos Doctæ jam primus originis auctor
Paullus erat.

Verum ut tam accuratum credam numerum, majorem requiro auctoritatem.

Quædam vero nostræ Memoriæ volunt *Antenorem* in itinere appulisse *Sardiniam*, & fortasse *Ilienses*, nominatos a *Solino*, qui teste *Pomponio Mela*, *Libro* II. *Cap.* VII. antiquissimi *Sardiniæ* populi sunt, originem inde habuisse. Nisi tamen *Antenor*, ut *Sardiniæ* situs videtur requirere, prius fuerit in *Africa* vel in *Hispania*. 30

Exercitus ille, qui una cum *Antenore* venit, compositus fuit ex *Trojanis* & qui ex *Paphlagonia* sese illis adjunxerant *Henetis*. De prioribus testantur *Livius*, *Virgilius*, & *Cato* apud *Plinium* & *Servium*. De posterioribus idem *Cato* testimonium præbuit, qui sane versatissimus fuit in Originibus & Antiquitatibus *Italiæ*. Quem alii adducunt, *Polybium*, non in partes voco, ad scopum enim nostrum nihil facit. Quantum vero ad *Paphlagonum*, de qua silet *Polybius*, accuratiorem notionem, satis superque est *Livius*, cui, utpote vernaculo Auctori major fides debetur, quam aliis centum. Sed & *Plinius* pariter id affirmat *Libro* XXXVII. *Cap.* III. licet videatur dubitare *Libro* VI. *Cap.* II. Quibus adde *Solinum Cap.* XLVI. *Servium* ad Libr. I. & VI. *Æneid. Marcianum Capellam Libro* VI. *Nuptiarum Mercurii & Philologiæ*, & *Terentianum Maurum* Grammaticum antiquum, cujus hic versus legitur:


Quos Homerus dixit Ἐνετὸς, *ille Venetos autumat.*

[1] Fuitque illorum in *Italiam* adventus longe ante quam vel *Galli* de terra ista somniarent, ut demonstrat *Sigonius.*

Ipsi etiam *Veneti* nostri *Medorum* se coloniam affirmant, non vero *Gallorum*, prout scribit *Herodotus Libro* V. Quocum *Eustathius* super *Dionysium Periegetem* facit, narrans ex *Arriano*, venisse in hac terras *Venetos*, qui longo ex bello, quod cum *Assyriis* gesserant, superfuere. *Herodotus* autem *Libro* I. vult fuisse *Illyricos*, ut & *Dio Chrysostomus* & *Servius*, quos annotat in Opere suo eruditissimus *Cluverius*.

Et sane, quod notandum venit, Marmor Antiquum, quod in Urbe nostra visitur ad vetusti ædi-

1 *Fuitque illorum in Italiam adventus*] scribit in principio *Libri* XX. (quem necesse est ea habere ex *Trogo Pompejo*] *Justinus*, Tyrannum *Siciliæ Dionysium* arma tulisse contra *Græcos*, qui *Italiæ* occupaverant littora, recensetque ibidem *Hetruscos*, qui ex *Lydia* venerint, *Venetos*, duce *Antenore* profectos *Troja*. Pariter *Græciæ* originem debere ostendit *Adriam*, *Arpos*, *Pisam*, *Tarquinios*, *Perusiam*, *Ceren*, *Latinos*, *Faliscos*, *Nolanos*, *Abellanos*, *Campanos*, *Bruttios*, *Sabinos*, *Samnites*, *Tarentinos*, aliosque. Sed & ipse *Ovidius Libro* IV. *Fastorum*, originem *Italiæ* deducit ab *Evandro*, *Hercule*, *Ulysse*, *Telegono*, *Haleso*, *Antenore*, *Diomede*, *Ænea* & *Solymo*. ut ita haud barbari, prout finxere nonnulli, fuerint *Trojani*, quos origine bene *Græcos* fuisse constat ex *Dionysio Halicarnassæo*, *Servio* aliisque. PIGNOR.



TAB. II.

In Lapide Exsculpto.



I









Ex Porphyrite.



II

Æs.




VIII

Ex Porphyrite.



VII



ædificii frontiſpicium in *S. Laurentii* vico, opere, quod Galli *basrelief* vocant, Sphingem plane & prorſus Thebanæ ſimilem exhibet, prout jam a me delineata eſt ad Librum[1] *de Deorum Imaginibus Chartarii Pag.* 276. ex Antiqua Gemma, ſub Sphinge vero in Marmoreo monumento ſerpens eſt capite humano hoc pacto,[2] prout in *Tabula* II. repræſentari juſſimus.

1 *De Deorum Imaginibus Chartarii*] Hunc ſcilicet Librum *Italo* idiomate, una cum Notis eruditis atque Augmentis ſuis edidit *Pignorius*, impreſſum *Patavii* MDCXXVI. & alibi. Ibi vero ex Cameo repræſentatur notiſſima illa *Sphingis Thebanæ*, adſtante *Ædipo*, aliove Duce, figura, rupi inſiſtens, habitu interrogantis, plane prout eandem conſpicere licet in *Monumento Naſoniano*, & in inciſa Gemma in Collectione *Gorlæana Tomo* II. *Num.* DXXVI. Deſcribit autem *Sphingem* ſuam prorſus *Thebanæ* ſimilem, id eſt, alatam, ad differentiam *Ægyptiacæ*, quæ ſine alis, capite velato recubans in antiquis Monumentis effigiari ſolet, prout docemur ex *Tab.* II. *Num.* VII. quæ quidem ex Marmore rubro ſeu Porphyrite facta, deſumta eſt ex *Begero Theſ. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCCLXIX. *Thebanam* vero ex eodem lapide ibidem *Pag. ſequenti*, apud *Begerum* ſimilem *Pignorianæ* conſpicere licet, prout in *Tabulam* II. retulimus *Num.* II. Pervulgata autem iſtius ſupereſt paſſim memoria in Veteris Ævi *Græcæque* Antiquitatis reliquiis. Nam & *Chii* cum Homero ſuo *Sphingem* in Nummis percuſſere, ut videre eſt *Num.* V. & ſine illo *Num.* VI. una cum fictilibus ſuis atque vineis, prout docet *Begerus* rurſus in *Theſ. Brand. Tom.* I. *Pag.* CCCCXIX. & CCCCXX. & apud eundem *Tom.* III. *Pag.* XLVI. cum Hercule ſuo coronato, atque nauticæ ſcientiæ gloria, qualis exprimitur *Num.* III. & IV. Sed & tali inſuper figura videre licet in *Cariſii* Numiſmate, atque *Auguſti* apud *Spanhemium Pag.* CCXVI. & CCXVII. Qui idem *Pag.* CCXV. inſcribitur AEGYPTOS, ſed *Romæ* cuſo, non jam antiquam iſtius terræ ſine alis, ſed *Græcorum* alatam agnoſcit. Qualem & Gemmæ oculis ingerunt, prout contemplari licet apud *Gorlæum Tom.* II. *Num.* CXC. DXXVII. DXXVIII. & DCXXVII.

2 *Prout in Tabula* II.] *Numero* ſcilicet I. Sed an cum Auctore Noſtro ad *Cadmum* pictura hæc referenda ſit, multa faciunt ut dubitem. Nuſquam ſane caudam *Sphingis* in anguem, prout hic, deſinere vidi, præterea ſatis violente Chimæra iſta capiti ſenili, quod in ſerpentem deſinit, inſidet. Si parili uterque eſſent facie, neque *Spingis* figura muliebri admiſta eſſet corpori, ſed e regione adjuncta, ſaxum hoc ad *Cadmum* atque *Hermionem* referri poſſet, qui provecta jam ætate in dracones tranſiiſſe dicuntur. Verum ſubeſſe omnino mihi ænigmaticum quid videtur, quale & obſervare licet in mirabili *Nicænſium* Nummo, quem ſub *Gordiano* percuſſerunt, ubi præter manum pedemque hominis, cauda anguina equo tribuitur, prout videre eſt *Num.* VIII. ex *Spanhemio Pag.* CCXLII. Occurrit itaque commodo apud *Gorlæum Tom.* II. *Num.* DXXVII. pictura *Sphingis* infelicem conjectorem aggredientis, ſed ut doctus notat Interpres, Clar. *Gronovius, ex aggrediendi modo ſignificans, quid impura petierit, aut quid eruditus ſculptor, vel is, qui ſculpi curavit, per iſtam fabulam diripiendi viros intellexerit.* Atque adeo forte, cum eadem violentia contortis ſpiris ſerpentinis, capitique ſenili inſideat, vim muliebrem atque impoſturam ſignificare videtur, qua vel ſenilis prudentia, amiſſo vultu, quem ad ſidera tollere Creator juſſit, obbruteſcat, inque ſerpentis morem, terrena ſectans, humi ſerpat, ut nihil niſi ſpecies hominis, ſive facies illi remaneat, dominante in illo illicito appetitu, qui *Sphingis* pictura ſive chimæra nova apte potuit exprimi, cujus facies quidem blanda & pectus virgineum, neſcio quam ſuadent beatitudinem, alæ vero inconſtantiam, ungues rapacitatem crudelitatemque, cauda denique quæ in anguem deſinit, ſubleſtam fidem edocent, atque demonſtrant infelicem tam belluini furoris exitum. Sed ecce tantum non graphicam picturæ hujus explicationem nobis apud *Athenæum Lib.* XIII. *Pag.* 558. præbet *Anaxilas* in *Neottide*, cujus verſus, licet longiores, tamen quoniam mirifice conjecturam noſtram illuſtrant, adſcribere non vereor. Sunt autem hi:

Ὅστις ἀνθρώπων ἑταίραν ἠγάπησε πώποτε
Οὐ γένος τίς ἂν δύναιτο παρανομώτατον φράσαι.
Τὶ γὰρ ἢ δράκαιν᾽ ἄμικτος ἢ χίμαιρα πυρπνόος,
Ἢ Χάρυβδις, ἢ τρίκρανος σκύλλα ποντία κύων
Σφὶγξ, ὕδρα, λέαιν᾽, ἔχιδνα, πτηνά τ᾽ ἁρπυιῶν γένη

Εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπτύστου γένους
Οὐκ ἐνέσθ᾽· αὗται δ᾽ ἁπάντων ὑπερέχουσι τῶν κακῶν.

Id eſt,

Si quis hominum ſcortum unquam amaverit:
Eo nullum genus ſceleſtius poſſit eloqui.
Nam quis ſerpens omnis ſocietatis exſors, quæ ignem ſpirans Chimæra,
Quæ Charybdis, quæ triceps Scylla, marina canis,
Quæ Sphynx, hydra, leæna, vipera, volucris Harpya
Diſpuendum & abominandum genus hoc anteit ſævitia?
Horum quidem nihil: improbitate antecellit omnia meretrix.

Singulis dein monſtris ubi ſingulas famoſiores comparavit meretrices, ita concludit:

Σφίγγα Θηβαίαν δὲ πάσας ἔστι τὰς πόρνας καλεῖν·
Αἳ λαλοῦσ᾽, ἁπλῶς μὲν οὐδὲν, ἀλλ᾽ αἰνίγμασιν τισὶν,
Ὡς ἐρῶσι καὶ φιλοῦσι, καὶ σύνεισιν ἡδέως.
Εἶτα φησὶ παιδίσκη δίπους, τετράπους μοὶ γένοιτο
Σκίμπους ἢ θρόνος, εἶτα δὲ τρίπους τίς, εἶτα παιδίσκη δίπους,
Εἶθ᾽ ὁ μὲν γνοὺς ταῦτ᾽ ἀπῆλθεν εὐθὺς, ὥσπερ γ᾽ οὐδ᾽ ἰδεῖν,
Δόξας ἐκείνην σώζεται δ᾽ ἄκων μόνος,
Οἱ δ᾽ ἐρᾶσθαι προσδοκοῦντες εὐθὺς εἰσὶν ἠρμένοι.
Καὶ φέρονθ᾽ ὑψοῦ πρὸς Αἴθερα, συντεμόντι δ᾽ οὐδὲ ἓν
Ἔστ᾽ ἑταίρας, ὅσαπερ ἔστι θηρί᾽ ἐξωλέστερον.

Id eſt,

Thebanam Sphingem omnes vocare meretrices poſſumus:
Quæ aperte nihil loquuntur: ſed ambagibus quibuſdam,
Amare ſe, diligere, animo libenti congredi:
Deinde ſibi opus eſſe ajunt bipede ancilla: quadrupede lecto vel ſedili,
Poſt aheno tripode. Hæc cui perſpecta ſunt, ſtatim faceſſit,
Perinde ac ſi illas ne quidem aſpexerit,
Et ſolus, ita ſi viſum fuerit, periculum effugit,
Qui vero ſe amari putant, ſuſpenſi confeſtim
In ſublime ad ætherem uſque attolluntur: quid plura?
Uno verbo, ex belluis omnibus meretrice nulla pernicioſior.

L. Pignorius.

Hinc autem concludo, *Venetos*, ſi ex *Illyrico* advenerint, prout ſupra adducti affirmant Auctores, ſecum potuiſſe adduxiſſe & Sphyngis illius, & *Cadmi*, qui *Thebis* profectus in illorum venit terras, memoriam. *Feſtus Avienus*, *Priſcianus*, & *Ovidius*, de illo, ut celebri, & pernota re loquuntur, narrantque, *Cadmum* ibidem in ſerpentem fuiſſe commutatum, licet alii dicant in leonem. 31

Aliter vero de *Venetorum* origine ſentiens *Strabo Libro* IV. *Cap.* V. poſtea opinionem mutavit, adductis pro illorum ex *Paphlagonia* ortu rationibus. *Plinius* vero, ut dicimus, & *Quintus Curtius Libro* III. aliter ſentiunt, illorumque forte humeris inſidens recens Auctor, qui de *Moribus Antiquorum Gallorum* librum ſcripſit, miratur, *Livium* calumnians, prout & *Glareanus* ad *Cæſaris* fecit *Commentarios de Bello Gallico*, quod potius a proditore deducere originem voluerit *Venetorum*, quam ex antiqua *Gallorum Venetorum* nobilitate. *Janus* etiam *Picardus*, qui de *Antiqua Celtopædia* Librum compoſuit, *Venetos* noſtros affirmat originem habere a *Venetis Gallis*. Qui vero primus id prodidit, *Petrus Ramus*, hæreticam in cunctis habuit opinionem, etiam in illis, quæ longe majora ſpectant. Secundus vero, qui id affirmavit, multa in quinque ſuis Libris perſequutus eſt, quæ ſub Criticorum bonorum judicio haud ſtare poſſunt. Quin & ejus opinionis tibicine niti auſi fuere Oratores Regis Chiſtianiſſimi, cum publice ad Sereniſſimos Reipublicæ *Venetæ* Principes verba facerent. Quaſi vero tota iſta notitia ex Gallis quibuſdam nugatoribus ſtaret caderetve, vel cujuſdam *Itali*, qui *Gallorum* antiquam nobilitatem *Trojano* vindicat ſanguine ortam. 32

Sed communis eſt opinio ea, quam protuli, cuique adhæſi, quam & *Vadianus* receptiſſimam vocat, *Venetos* ſcilicet illos, qui ex *Paphlagonia* venere, hiſce oris nomen impoſuiſſe.

Credidit affirmavitque hoc etiam magna doctorum

rum turba, *Justinus Epitomes suæ Libro* XX. *Strabo Libro* XII. *Marcus Antonius Sabellicus*, *Petrus Justinianus*, *Carolus Sigonius*, *Zwingerus*, *Jacobus Mazzonius*, & denique excellens ille civis atque Mathematicus Urbis nostræ *Jo. Antonius Maginus*.

Quomodo vero postea *Veneti* [1] coloniam in *Bœotiam* miserint, quod narrat *Servius* ad *Virgilii Eclogam* VI. super illa verba versu LXIV.

——— Permessi ad flumina Gallum.

id equidem fateor me nescire, atque aliis investigandum relinquo. Docuisset id nos forsitan *Trogus Pompejus Libro* XX. si integer ad nos pervenisset.

Antenor itaque cum uxore & filiis, *Enetis* suis comitatus *Troja* abscessit (prout scribit *Sophocles* apud *Strabonem Libro* XIII.) venitque in *Thraciam*, atque inde partim mari, partim terra, in in patriam nostram. Mari quidem *Illyricos* penetravit sinus, ut de illo scribit *Virgilius*, terra Regna superavit *Liburnorum*, & Fontem *Timavi*, prout canit idem Poëta. Rursus vero mari, ut scribit *Livius*, ad intimum maris *Hadriatici* venit sinum, ubi in terram egressus est, atque *Trojæ* renovans memoriam, nostram Urbem condidit. Nisi potius dicere velimus, ipsum terra venisse, copias vero ejus mari, atque *Patavium* condidisse.

33 Si vero quis scire aveat, quanto ille tempore ante *Æneam* in oras nostras advenerit, longe ante, respondeo, *Ovidio* auctore, qui peregrina, quæ *Italiam* invasere arma cuncta recensens, ita canit *Fastorum Libro* IV.

Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis,
Et generum Oeneidem Apule Daune tuum.
Serus ab Iliacis, & post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.

Ut ita pateat, non una ab *Ilio* fuisse profectos *Antenorem* atque *Æneam*, ut quidem scripsere multi, neque hoc in itinere magis festinavisse *Antenorem*, viamve ingressum fuisse breviorem.

CAPUT VI.

Patavium ab Antenore conditum. Petri Gyllii error in Æliani versione. Leandri item Alberti error. Altinum, Altilia, Antenorida. A Trojanis condita Urbs illorumque sociis. Quare quæ nunc Padua est Patavium vocata fuerit. Patavium in Paphlagonia. Palus Patina.

Patavium ab *Antenore* quod nunc est, sive alia in eodem solo Urbs, fuisse conditum satis jam perspeximus. Scriptor libelli, qui vocatur *Origo Gentis Romanæ*, vult *Antenorem* in *Illyricis* agris condidisse *Patavium*. Id vero *Virgilius* & *Livius* non dicunt, neque apud alium quemquam ex veteribus exstare puto, neque ipse aliam desidero majorem auctoritatem, quam ipsius *Livii* initio *Libri* X. ubi describens quomodo ad *Patavinas* oras cum classe appulerit *Cleonymus* Dux *Lacedæmoniorum*, clarissime ab *Illyrico* distinguit littus *Patavinum*.

Sed nec *Ptolemæus*, neque in *Itinerario* suo *Antoninus*, neque antiquissima *Tabula Pentingeriana*, neque *Iter Hierosolymitanum* temporibus *Constantini Magni* scriptum, usquam in *Illyrico* collocant *Patavium*.

1 *Coloniam in Bœotiam miserint*] Id ex *Servii* verbis non liquet, cum modo dicat, a loco illo, ubi nunc *Venetia* est, *Aones* originem habere, non vero coloniam esse *Venetorum*. Potuere scilicet inde jam migrasse, antequam *Veneti* illuc advenientes, de nomine suo locum illum nuncuparunt. Verba ejus hæc sunt: *Aones originem ab eo loco ducunt, ubi nunc maritima Venetia est.*

A Ut ita non in aliis terris, sed in oris *Venetis* nostram condiderit Urbem, quod & clare affirmat *Servius*, sive quisquis sub nomine ejus ambulet, scribens, *Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit.* Affirmat & *Virgilius* ipse, de illa canens:

——— ——— Urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum.

Pomponius Mela idem sentit *Libro* II. *Cap.* IV. ut & *Julius Solinus Cap.* VII. *Ælianus Hist. Animal. Libro* XIV. *Cap.* VIII. ubi notari debet *Petrus Syllius*, natione *Gallus*, quod perperam istud

B *Caput* verterit *Latinè*. Primo enim inconsiderate 34 *oppidum* appellat (quod ita vocet etiam *Livius*) quum *urbem* dicere debuerat, *Patavium*. *Ælianus* enim *Patavium* & *Vicentinum* πόλεις appellat. Præterea male tribuit *Æliano*, quasi dicat in *Eretino* fluvio *Vicetino*, quem hodie, ut volunt, *il Rerone* vocant, optimas nasci anguillas, *Græcus* enim contextus nos edocet, in fluvio *Eridano* maximas inveniri anguillas. Quæ *Gyllii* incuria errare etiam fecit *Leandrum Albertum*, in *Italiæ* suæ *Descriptione*, ubi de *Vicetino*, agit.

C Sed ad propositum redeamus. Scribit *Martianus Capella* ab *Antenore* conditam fuisse *Paduam*, seu ut olim appellabant *Patavium*. Unde *Silius Italicus*, de *Pediano* agens, stirpis illum facit *Antenoreæ*,

Atque Antenorea sese de stirpe ferebat.

Martialis etiam *Flaccum*, qui *Patavinus* erat, laudans, ita appellat,

Flacce Antenorei spes & alumne laris.

Libro I. *Epigr.* LXXVII. *Claudianus* eandem celebrans Urbem, ubi de balneis *Abani* agit, dicit

Fons Antenoreæ vitam qui porrigis Urbi.

D Ditionem ejus agnoscit *Cassiodorus*, ad *Ludovicum* Architectum, nomine Regis *Theodorici* scribens de reparandis Balneis istis *Libro* II. *Variarum Cap.* XXXIX. scribens *non his tantum beneficiis Antenorea terra fœcunda est.* *Martialis* iterum *Faunum* quendam terræ istius habitatorem nominat *Libro* IV. *Epigr.* XXV.

Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.

Lucanus insuper *Timavum Antinoreum* appellat (si tamen quod non credimus dignus est venia Poëta) *Libro* VII. *versu* CXCVII. quoniam scilicet istum

E superavit fontem *Antenor*, non vero quasi existimasset *Brentam* olim *Timavi* venisse nomine, hisce,

Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

Ut ita ad oculum pateat, recte cecinisse *Virgilium*,


Et Genti nomen dedit. ——— ———

Nonnulli autem existimant, prius ab *Antenore* conditum fuisse *Altinum* sive *Altiliam*, quod ut temere dicitur, tam facile itidem negari potest. Alii rursus *Antenoridam* in *Lagunensi*, quod nec

F plus habet fundamenti. Alii dein, *Poitù* in *Gallia*, & *Pataviam*, in *Bavaria*, prout citat atque refutat *Otto Frisingensis* in *Chronico* suo *Libro* I. *Cap.* XXV.

Qui autem cum isto venere, per omnem istam regionem multas sane dein condidere Urbes. Ita *Plinius Libro* III. *Cap.* XIX. *Venetorum* agnoscit 35 Urbes, prout quidam ibidem legunt MSS. *Ateste*, *Adriam*, *Acelum* (quod quidam *Azolum* esse volunt, alii *Montagnanam*) *Patavium*, *Opitergium*, *Belunum* & *Vicetinum*.

Imperator vero *Justinianus* in *Novellis* suis scribit





I



II. ÆS.



III. ÆS.

Trajani Decii.



V. ÆS.




Valeriani.



VI. ÆS.

Valeriani.



VII. ÆS.





Tranquillinæ.



ÆS.



X




Trajani.



XII

A bit *Nov.* XXIX. *Paphlagones* ædificasse *Aquilejam*. Quod autem adfertur ab *Eustatio* ad *Dionysium Alexandrinum*, quasi a Gallis condita sit *Aquileja*, supra jam satis a nobis explosum est.

Marcianus denique *Heracleota*, qui versibus Jambicis τὴν οἰκουμένην descripsit, atque Opusculum illud Regi *Nicomedi* dedicavit, *Sinum Hadriatum* inhabitatum fuisse scribit a mediæ & infimæ sortis hominibus, agrum autem optimum esse atque fertilem, *Venetos*que ex *Paphlagonia* ortos, quinquaginta ibi condidisse Urbes, ut ita & qui condiderint, & qui habitaverint, a nobis jam sint inventi, qui ipsi dein etiam varia condidere oppida.

Neque etiam aliunde arcessendos puto *Dardanos*, quos in *Illyrico* collocat *Julius Solinus*, appellatque *homines ex Trojana prosapia in mores barbaros efferatos*, qui forte[1] *Dardanici* illi sunt, quorum mentio est in quodam, quod penes me est Numismate. Vicinos etiam *Dardanis Appianus* ponit *Henetos*.

Restat modo jam, ut videamus, quare Urbem hanc *Patavium* nominaverit *Antenor*.

Marcus Antonius Sabellicus (ut ab illo ordiamur) *Suetonii* Commentator, ad Scriptorem illum, in *Vita Tiberii*, *Cap.* XIV. postquam *Servii* opinionam attulit, probabile sibi videri dicit, *Henetos* Urbi *Patavii* imposuisse nomen, ad similitudi-
36 nem Urbis ejus, quam in *Paphlagonia* habitaverant circa *Amastrum* atque *Cromnam*, unde ipsi advenerant.

Et sane inde ab istis fere locis advenisse *Venetos* verum quidem est, prout & *Plinius* affirmat *Libro* VI. *Cap.* II. verum prope *Amastrim* atque *Cromnam* exstitisse unquam *Patavium* quoddam, nullibi legi. Non quidem fugit me, *Ptolemæum Libro* V. *Geographiæ Cap.* I. *Amastrim*, *Cromnam*, atque *Patavium* memorare, verum diversum *Amastri Cromnæ*que a situ *Patavii* assignare locum. Unde & *Mercator* in prima *Asiæ* Tabula *Amastrim* atque *Cromnam* locat in littore maris *Pontici* prope flumen *Parthenium*, at vero *Patavium* magis depressius in Mediterraneis, prope paludem *Ascanium*, prout & fecit *Sophianus* in *Græcia* sua. Eo etiam in tractu a *Solino* enumeratur *Locus Henetus*, & a *Martiano Capella Henetosa*, ita ut & illud *Sabellici* verum esse possit, *Henetos* locis istis nomen
B dedisse. *Servius*, qui sæpius a nobis allegatur, vult denominatam Urbem, vel a *Padi* fluminis vicinitate, vel a palude *Patina*, prope Urbem, vel ἀπὸ τȣ̃ πέτεσθαι, quoniam *augurio captato* Urbs sit condita, vel quod ex mente etiam Oraculi ibi Conditor *avem telo petisse dicitur*. Quod vero ad primam spectat derivationem, notandum venit, non ita in vicinia esse *Padum*, ut nomen dare facile potuerit. Conjectura autem de *Patina* palude non displiceret, si ullo in scriptore quidquam de illa sese offerret. Contra augurium vero illud nihil profero, scio enim id in more Veteribus positum
C fuisse. Ab avis percussione & *Latino* vocabulo nomen derivatum fuisse, nimis durum est, ut credam. Ista tamen opinio invaluit nonnunquam apud *Patavinos*, inde forsan quod arcu peritissimi *Troës* erant, prout non uno in loco illos celebrat *Homerus*. Exemplum etiam protulit *Virgilius Æneidos Libro* V. in Ludis ab *Ænea* institutis, ut & *Libro* IX. in *Ascanii* rudimento militari.

Ego vero in eo *Sabellici* adhæreo opinioni, fuit enim iste Antiquus Gentium mos, præsertim *Trojanorum*, ut sedibus suis pulsi egressive, imposito loco, quem occuparant, Urbis & patriæ suæ nomine, antiquæ mansionis renovarent ita memo-
D riam. Hinc dicit *Æneas* apud *Virg. Lib.* III. *versu* CXXXII.

Ergo avidus muros optatæ molior Urbis,
Pergameamque voco.

Quomodo apud eundem *Libro* III. *versu* CCCIII. *Andromacha*

Ante Urbem, in luco, falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri.

Atque *Helenus Lib. Æneid.* III. *versu* CCCXXXVI. 37

Pergamaque Iliacamque jugis hanc addidit arcem.

E *Virgilius* rursus *Libro* V. *versu* DCCLV.

Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos; hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet.

Virgilii etiam hæc apprime conveniunt cum illo quod scribit *Livius Libro* I. *Trojanos*, & qui apud nos sedes, & qui in *Romæ* arvis, fixere, ubi primum sedibus suis exiissent, memoriam *Trojæ* exstare voluisse.

Nicephorus etiam *Gregoras Libro* V. *Histor. Trallianorum* Urbem, quæ in *Asia* est ad *Meandri*
F fluenta, conditam fuisse narrat ab *Attalo* nobili *Trojano*, qui post patriæ excidium ita memoriam ejus renovarit, & a quo appellata nova Urbs sit Τράλλεις, quasi Τροία ἄλλη, *altera Troja*, neque aliter invenias scriptum apud *Strabonem*.

Ista autem *Troja*, ita appellata, quoniam ad illum locum appulerit *Antenor*, quo accurate in loco sita fuerit, definire nequeo. *Cluverius*, accuratissimus Auctor, in *Tabula* sua *Geographica* in mediterraneo ponit, inter majorem minoremque *Medoacum*, vocans *pagum Trojanum*, prout apud *Livium* nostrum legit *Scardeonius*. *Franciscus* au-

1 *Dardanici illi sunt*] Numisma quod citati *Trajani* Imperatoris est. Conspicitur vero simile inter aurea, quæ Ducis fuere *Arschotani*, verum in illo neque pileus neque arcus apparet, injuria forte temporis attrito Nummo. Interpres vero ibi ex duplici unam solum facit *Dardaniam*. Revera enim duplex fuit, altera Insula alias *Samothracia* dicta, altera in terra continenti prope *Illyricum*. Videatur *Græcia Sophiani*. PIGN. Citat Nummum *Harduinus* in Libro suo de *Nummis Antiquis Populorum & Urbium*, *Pag.* CXXXIV. pariter inscriptum DARDANICI. & ex parte aversa, ROMA. Verum non docet picturam imaginum in illis propositarum. Quod autem ad Aureum Nummum *Arschotanum* pertinet, quem videre in Collectione ista præclara licet *Tab.* XV. *Num.* VI. atque hic *Tab.* III. *Num.* XII. potuit esse non detritus, atque exprimi Pax victoria Augusti *Trajani* parta, devictis *Dardanis*. Nostrum vero *Pignorii*, ex Ære (ut videtur) Numisma *Palladem* repræsentat *Victricem* simul atque *Paciferam*. Idque ad oculum patet, si illud, quod *Tab.* III. *Num.* I. est, conferas cum Numino Argenteo *Clodii Albini*, depicto *Num.* XI. atque perinsigni *Lucerna* Ærea, quæ exstat apud Begerum *Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCCCXLVI. & hic *Tab.* III. *Num.* X. In hac quidem *Pallas* galeata, dextra demissa, plane ut in Numismate nostro conspicitur, victoriæ partæ jam secura, ramum gestans olivæ, unde θαλλοφόρον *Minervam* Veteres appellavere, stans in columnatione, addito *Victricis* titulo. In illo vero *Albini* Nummo, ostentans pacem, quæ armis, quibus innititur, polliceri Cæsari vibebatur, clypeum enim pro more læva tangit, qui & mihi pro arcu in Nummo *Pignoriano* restituendus videtur. Neque enim ut ipse putavit, tensi nervo suo arcus figura, verum clypei, ut passim & in *Albini* Nummo, figura exhibita fuisse videtur. Tali enim positura præterquam in *Albini* Nummo, occurrit Dea ista in *Marci Aurelii* Æreo, apud *Choulium*, & in Sarda Gemma apud *Gorlæum Tom.* I. *Num.* CVI. ad latera annuli argentei, quo complectitur, insculpto utrinque pacis symbolo caduceo; sed & denique rursus apud *Choulium* currens exhibetur, vel palmam sive oleam, dextra clypeum gerens, cum Inscriptione MINERVAE PACIFERAE. Quod si tamen in *Pignoriano* Numismate vere arcus pro clypeo, & pro galea est caputium sive pileus, id ex more gentis devictæ petitum videtur, quod accuratius discernent, quibus ipsum illud Monumentum coram inspicere continget.

tem *Sansovinus* in suis *Venetiis Libro* II. *Cap.* I. putat fuisse *Olivolum*, quod nunc appellatur *l' Isola di Castello.* Unde format urbem, quæ postea *Castelli* nomen obtinuerit. Verum qui *Livium* cum cura legit, videbit facile illum de terra firma non autem de insula verba facere. [1] *Constantinus* etiam *Porphyrogeneta*, ad *Romanum* filium, *Castellum* Βόες, quod corruptum ex *Olivolo* puto, Ecclesiam habuisse *S. Petri* Apostoli (prout & nunc habet, estque *Venetiarum* Cathedralis) dicit, sed & septendecim alia adjungit *Castella*, inter quæ nominat *Malamoco*, *Palestrinam*, *Chioggiam*, *Loreo*, atque alia. Ut ita non solum *Olivolum* fuerit κάστρον, *Castellum* prout appellat *Constantinus*, sed itidem alia similiter, appareatque necesse esse, ut alia quærenda sit ratio, cur *Olivolo* tantum remanserit soli *Castelli* ista appellatio.

38
CAPUT VII.

Patavium ubi conditum. Amphitheatrum Patavinum hodie l' Arena nuncupatur. Anchoræ ingentes sub terra Patavii inventæ, ut & mali navium magni. Canalis Straboni memoratus. Sepulturæ locus apud Veteres extra Urbem erat. Primitivæ Ecclesiæ Patavinæ cœmiterium. Palus Patina ubinam esse potuerit. Quænam situs conditiones observari debeant in Urbe condenda.

An vero *Patavium* in amœno atque fertili isto, in quo nunc jacet, solo, olim ab *Antenore* fuerit conditum, multi addubitavere. Dubitationis vero hanc reddunt rationem, quod edita scilicet occupare loca, inque iis Urbes condere solitos fuisse Veteres testetur *Vegetius*. Verum idem ille Auctor, eodem in loco, *Libro* scilicet IV. *Cap.* I. tollit etiam dubium istud, dum scribit: *Videmus antiquissimas Civitates, ita in campis patentibus constitutas, ut deficiente auxilio locorum, arte tamen & opere redderentur invictæ.* Et certe non convenit prudentiæ *Antenoris*, ut alium condendæ Urbi eligeret locum, quam hunc ipsum: Ἀντήνωρ δὲ (dicit [2] *Dio Chrysostomus* loco citato) Ἐνετῶν ἐκράτυσε, καὶ τῆς ἀρίστης γῆς περὶ τὸν Ἀδρίαν. Id est, *Henetis Antenor, atque optimæ quæ ad Adriam est terræ imperavit.* Quænam autem circa mare *Adriaticum* terra nostræ præstat? Laudat talem Urbem, quæ agrum fertilem, & mare habeat propinquum *Plato Libro* IV. *De Legibus*, in Principio. *Aristoteles Politicorum Lib.* VII *Cap.* V. idem cum magistro suo sentit, putatque in animo, cum id scriberet, nostram habuisse Urbem *Leo Baptista Albertus Libro* IV.

1 *Constantinus etiam Porphyrogeneta*] Exstant Imperatoris hujus verba in extremo *Cap.* XXVII. atque hæc sunt. Κάστρον Βόες, ἐν ᾧ ὑπάρχει ναὸς τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου. Κάστρον Ἡλιτουάλβα. Κάστρον Λιτουμανκέρσες. Κάστρον Βρίνιον. Κάστρον Μαδαύκην. Κάστρον Ἡβόλα. Κάστρον Πελεστῆνα. Κάστρον Βροῦδον. Κάστρον Φοσαῶν. Κάστρον Λαυρεντῶν. Id est, *Boes, ubi Templum S. Petri Apostoli, Elitualba, Litumancerses, Bronium, Madaucum, Hebola, Pristena, Clugia, Brudum, Phosaon, Lauriton.*

2 *Dio Chrysostomus*] Qui & ipse opulentiam terræ nostræ agnoscit duobus hisce verbis ἀρίστης γῆς, & ex quo, parva mutatione facta, *Marcianus Heracleota* vocavit similem regionem χώραν ἀρίστην. Vox enim χώρα *terram* sive *regionem* significat, debetque restitui eadem *Vibio Sequestro* in *Catalogo Fluminum*, in voce *Taurominius*, ubi dicit, *quod oppidum aliter Euseboneora dicitur*, prout enim notat *Janus Rutgersius Lectionum Variarum Libro* IV. *Cap.* X. legi pro eo debet *Eusebon Cora.* Atque ita jam olim legit perspicacissimi vir ingenii, & supra sæculum suum sapiens *Boccacius.* Estque nomen regionis, in qua sepulti fratres *Catanenses* fuere, *Amphinomes* & *Anapus*, qui parentes suos *Ætnæis* flammis, humeris suis ferentes, substraxere. Signatos eosdem penes me habeo in duobus Nummis Argenteis, quos in *Sicilia* cusos existimo. PIGNOR. Tales percussit *Catana.* Confer *Parutam* in Urbis ejus Nummis.

A *Cap.* II. Ager ejus (inquit ille) boni cœli est, amplus, varius, amœnus, fertilis, & frugum copia etiamnum abundans, dives fontium, neque fluminibus aut lacubus carens, prope vero mare.

Jam vero videamus, an in isto, in quo nunc est loco, jam olim ab *Antenore* condita sit Civitas, quod ita esse ego credo, licet in initio tam ampla, ut nunc est, haud fuerit, sed tamen eodem in loco. Et ego crederem vergisse in illam Urbis partem, quæ hodie veterum murorum sive mœnium continet in se ambitum, estque versus pontem, qui a vicina Ecclesia vocatur *di Santa Sophia*, incluso illi, quodcunque versus transmontanam ad novas usque muros pertingit, spatio. B

Si vero quis me interroget, quonam nixus argumento id credam, respondeo illi, id quidem certis documentis præstari non posse in tam densis longinqui ævi tenebris, perditis etiam antiquis nostris Memoriis; Veruntamen conjecturis id assequi licere, a nomine & rebus petitis. 39

Primo quidem verbis id evincimus *Eusebii*, qui in *Chronico* suo scribit: *T. Livius Historiographus Patavii moritur.* Ibi itaque ubi mortuus & sepultus fuit, ejus etiam ossibus fuit locus, quæ quidem quo pacto majorum nostrorum memoria inventa sint, inferius docebimus. C

Idem secundo suadet Amphitheatrum, quod *Latina* voce hodieque *Arena* nuncupatur, nisi forte aliquis velit, olim id extra Urbis fuisse mœnia, prout de illo *Placentiæ* notat *Tacitus Historiarum Libro* II.

Addo insuper, quod narratum mihi fuit, cum fundamenta Monasterii *Beatæ Helenæ* excavarentur, magnam ibidem inventam fuisse anchoram, sicut in aliis ejusdem regionis locis amplæ navis reliquias, ut ita credam, huc usque olim mare pervenisse, vel si non mare ipsum, canalis seu fossa quædam ejus, cujus & mentionem *Strabo* facit. D

Alio item tempore prope *Cornari* munimentum [1] navium ingentes mali reperti sunt.

Flumina etiam alium quam olim tenere cursum scimus, totamque rerum faciem & in agro & in ipsa Civitate mutatam esse.

Ultra vero locum istum, quem Urbi assignavimus, veterum sepulturas observare licet, quæ quidem antiquitus appellabantur *Puticulæ*, *Busticeta*, *Culinæ*. Per totum autem illum Parochiæ *S. Laurentii* tractum, audivi ab aliis, atque ipse vidi, in excitandis atque excavandis domorum fundamentis, magnum urnarum sepulchralium inveniri numerum. E

Extra etiam est Cœmiterium primitivæ Ecclesiæ *Patavinæ*, quod hodieque in visceribus Ecclesiæ S. *Justinæ* integrum cernitur. Notum vero est veteres *Christianos*, neque sepulturæ, neque

1 *Navium ingentes mali*] Detecti hi fuere, quod retulere mihi viri magni & fide dignissimi in ponendis fundamentis cortinæ quæ dicto munimento connectitur. Ut vero cofirmetur quod de mutatis temporis vetustate fluminum cursibus dixi, adferam quæ vidi in Relatione quadam *Marci Cornari*, qui fuit Anno MCCCCXLIX. Camerlingus *Patavinus*. Narrat ille quomodo anno isto cum puteus foderetur quindecim pedes profundus prope domum *Chieco Da Lion*, quæ nunc est *Georgii Da Lion*, præcipui Urbis nostræ nobilissimique viri, non longe a foro quod vocatur *Piazza de i Signori*, navis ibidem oneraria reperta fuit, testemque rei oculatum citat Præfectum Urbi, qui tunc erat *Zacharias Bembus*, aliosque multos. Neque similia deerunt exempla, si quis curiosius ea investigare velit. Ipse enim homo, si ex utilitate ejus id sit, in suo, quod ausim dicere, corpore, venas ducet, ubi naturaliter esse non solent. PIGNOR. F

que orationis, neque cœtus, in Urbe licentiam habuisse.

Si quis vero accurate ex me nosse velit, ubinam locorum olim, secundum opinionem meam fuerit palus *Patina*, cujus *Servius* meminit, dico prati ejus solum, in quo nunc Ecclesia *Sanctæ Justinæ* exstructa est, valde olim paludosum fuisse, prout sæpius narrantem audivi patrem meum *Antonium*, solitum se juvenem ibi frequenter natare. Confirmat idem *Jacobus Cavacius Libro* VI. *Histor.* Sed & locus iste etiamnum, ut depressior olim, *Della Valle* dicitur.

In antiquis insuper Urbis nostræ Memoriis
40 legisse memini, Ecclesiam *S. Augustini* ædificatam fuisse eo Urbis in loco, ubi palus erat, qui vocaretur *la Valle Verde*. Neque tamen adhucdum, quod scio, paludem *Patinam* invenimus, at bonus æquisque lector veniam facile tribuet, si dicamus, plura nescire.

At vero ita constat, *Antenorem* observasse, ut dicitur, ad unguem, quid provido Urbis conditori agendum esset, ut scilicet, juxta *Vitruvium*, locus eligatur salubris admodum, eminens, nec uliginosus, aut malis nebulis pruinæve expositus. Aspicimus autem Urbem nostram, aëris temperie sana gaudentem, longe a paludibus dissitam, fluminibus rigatam, portum habentem non longe a mari dissitum. *Strabo* olim ducenta & quinquaginta numerabat stadia, quæ aliquot plura sunt quam hodie. Quod vero ad situm attinet, divinus ille *Ariostus* hisce egregie descripsit *Carm.* XLI.

„ Fra l' *Adice*, e la *Brenta*, a pie de colli,
„ Ch' al *Trojano Antenor* piacquero tanto,
„ Con le sulfuree vene, e rivi molli,
„ Con lieti solchi e prati ameni a canto,
„ Che con l' alta *Ida* volontier mutolli,
„ Co'l sospirato *Ascanio* e caro *Xanto*.

CAPUT VIII.

Antenor ubinam mortuus. Trojanorum circa sepulturam ritus. Antenor ubi locorum sepultus. Hospitalis domus, Dei quod vocatur, ubi & a quo condita. Antenoris ossa, atque quod ejus extat etiamnum monumentum. Epitaphium ejusdem. Ludi ab illo instituti. Ludi cæstici. Ludi Iselastici. Thrasea Pætus quo pacto Neronis odium incurrerit. Quid cæstus fuerint. Quare Ludos suos instituerit Antenor. Ludi Astici.

CONdito *Patavio* mortuus ibidem est *Antenor*. Id & *Venus* testatur apud *Virgilium Æneid.* I. *versu* CCLIII.

——— —— *Nunc placida compostus pace quiescit.*

Id enim verbum *compostus* significat apud bonos auctores. *Horatius Sat.* IX. *Lib.* I.

Omnes composui felices ——— ——

Petronius Arbiter in hunc sensum: *Aut quod ultimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.*

Mortuus autem *Antenor*, ex ritu Gentis extra Civitatem sine dubio sepultus est, neque enim
41 intra muros quemquam tumulabant *Trojani*. Notat idem de *Hectore Dio Chrysostomus*, prout docet *Isaacus Casaubonus*, cujus tumuli memoriam etiam renovat *Andromache* apud *Virgil. Libro* III. *versu* CCCI.

Sollemnes tum forte dapes, & tristia dona,
Ante Urbem, in luco, falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache.

Locum vero, quo id acciderit, ipsum illum omnes Memoriæ nostræ esse volunt, concordi

A consensu; ubi hodie visitur Hospitalis expositorum infantium domus, quæ vulgo *Domus Dei* vocatur.

Narrant vulgo, idque præsertim legere est apud diligentem atque exactum Antiquitatum nostrarum Scriptorem *Guilhelmum Ongarellum* Anno MCCLXXIV. quoniam infantes, non legitime nati, inhumane prorsus aquis submersi passim invenirentur, motos cives misericordia, pium excitasse ædificium pro expositis, atque isto in loco communi consensu extructum atque dedicatum fuisse. Quum vero excavandis fundamentis
B insudarent operæ, inventa isto in loco sunt *Antenoris* ossa. Verum quo id argumento credi cognoscique meruerit, equidem nescio, cum nusquam legerim. Scio quidem narrare *Ongarellum* ibidem loci æneas inventas fuisse ollas duas antiquissimis Numismatibus aureis plenas, quæ nostræ monetæ libras triginta mille penderent, & unde septendecim mille ad Hospitalem istam domum ejusque usum pervenerint, quod & parvum quoddam testatur *Chronicum Antiquum* Magistratus, qui vocatur *Podesta di Citta*, ab anno MCLXXIV. usque ad MCCCLXIV. his verbis, „ Anno MCCLXXIV. „ D. *Gothofredus de la Turre*, *de Mediolana*, Pote-
C „ stas *Paduæ*. Hoc anno, de mense Februarii, in „ ædificatione laborarii *Domus Dei*, tanta quanti- „ tas cujusdam generis monetarum per Fratrem „ *Rolandum*, & ejus fossores, inventa fuit, quæ „ valuit XVII. mille libras & ultra.

Et sane negligentes valde isti fuere scriptores, non indicantes nobis plura de monetis istis, illarumque figuris & specie. Sed neque aliud quam hoc ipsum majores nostros impulit, ut ibi sepultum crederent *Antenorem*, ejusque esse, quæ pariter inveniebantur, ossa.

Non fugit me citari a *Scardeonio* versus quos-
D dam barbaros, qui ibidem gladio *Antenoris*, una invento, incisi fuisse dicuntur (quod & testatus est *Albertinus Musatus*, verum hæc invalida sunt argumenta, & quæ ibi inventa sunt ad alium videntur pertinuisse.

Ossa autem ista primo quidem collocata fuere e regione domus *Lupati*, qui istis temporibus, Senior (*Anciano*) Urbis fuit, Legum Doctor, Eques, & Poëta. Cernitur ejus hodie monumentum, non longe ab *Antenoreo*, cui & ipse hoc composuit Epitaphium:

INCLYTUS ANTENOR, PATRIAM 42
VOX NISA QUIETEM,
E TRANSTULIT HUC ENETUM,
DARDANIDUMQUE FUGAS.
EXPULIT EUGANEOS, PATAVINAM
CONDIDIT URBEM,
QUEM TENET HIC HUMILI MARMORE CÆSA DOMUS.

Monumentum vero *Antenoris*, prout, & quo in loco hodie est, Scriptores nostri dicunt, fuisse positum Anno MCCLXXXIII. ejusque meminerunt *Brunetus Latinus* in *Dantis Magistro Thesauri Lib.* I. *Cap.* XXXIX. *Jo. Villanus Libro* I. *Cap.* XVII. *Faccius Ubertinus Libro* III. *Cap.* III.
F ut & *Gilbertus Cognatus* in *Galliæ* suæ descriptione, aliique recentiores.

Ita vero rem accidisse narrat *Ongarellus*, inventam scilicet fuisse cistam ex plumbo, cui inclusa erat altera ex cypresso, gladium vero donatum fuisse Principi Urbis *Alberto Della Scala*, qui sibi dari ab Urbe postulaverat.

Ista autem operculi parte, quæ occidentem spectat, hæc in Monumento legitur Memoria:

Potestate nobili viro Domino Fantone de Rubeis de Florentia
Perfectum fuit hoc opus.

Subtus vero duo clypei visuntur, votivus alter, alter cum armis *Rubeorum.* Fuit autem iste *Fanto* ter Urbis nostræ Potestas, sive *Podesta.* Primo, Anno MCCLXXXIV. secundo, Anno sequenti, tertium, Anno MCCXCV. Autumo autem Inscriptionem duobus prioribus annis positam, altera enim hæc ad Septentrionalem legitur partem.

Cum quater alma Dei natalia viderat orbis,
Post decies octo, mille ducenta super.
Extulit hæc Paduæ præses, cui nomen Olive,
Cognomen Circi, patria Floris erat.

Inscriptio hæc pertinet ad *Oliverum Cerchium Florentinum*, qui vixit Anno MCCLXXXIV. eoque tempore Potestas fuit, vir multi pretii, ut narrat *Jo. Villanus Libro* VII. *Cap.* CXXX. ut & *Cap.* CXLVII. Sub istis vero versibus tres sunt clypei, primus arma *Cerchiorum* habens, secundus Crucem Urbis, tertius *Franciæ* arma.

Notare debemus, antequam hanc concludamus Inscriptionem *Antenorei* Monumenti, eum qui paullo ante nos Civitatis nostræ res conscripsit, minus recte descripsisse atque vulgasse hanc antiqui conditoris nostri Memoriam. Primo enim versu, ubi legitur *patriam*, imprimi fecit *patriæ*, & secundo, ubi sine aspiratione est *Enetum*, de suo [1] aspirationem apposuit. Scio quidem minuta
43 hæc quibusdam videri, sed & illud tamen non nescio, Antiquitatis illud esse privilegium, ut religiose tractetur, erroresque, si qui admissi sint ab aliis, fideliter detegantur.

Ex multis vero, quæ necessario instituere in nova Urbe nostra conditor *Antenor* debuit, una sane ad usque nostram fluxit memoriam. Narrat *Cornelius Tacitus Thraseam Pætum*, clarissimum nostræ patriæ civem offendisse *Neronem*, quod in Ludis Cæsticis, ab *Antenore* institutis, habitu tragœdi recitasset. Legitur id *Annalium Libro* XVI.

Semper autem mihi circa *Ludos Cæsticos* illos dubium hæsit. Quid enim illis cum Tragœdiæ recitatione. Cum itaque viderim *Justum Lipsium*, virum sane doctissimum, ad illum *Taciti* locum inter alia scripsisse, *quid cæstibus cum cantu?* adeoque affirmare insuper in MS. *Vaticano* legi *Ludis Cetastis*, consilium inivi adire Bibliothecarium, Illustrissimum Cardinalem di *Santa Susanna*, Patronum meum, eumque precari, ut sineret inspici, quid opis Libri MSS. adferrent. Respondit mihi ex jussu Illustrissimi Cardinalis, mense *Augusto*, Anni MDCXXII. egregius atque doctus vir *Nicolaus Alemannus* in hunc modum: „Quod ad alterum *Taciti* attinet locum, omnis „a me adhibita est diligentia in perquirendis li„bris impressis, qui doctorum fuere virorum, „illorumque manu correcti atque conscribillati, „asservantur; verum nihil in illis opis circa id „quod Dominatio vestra exigit inventum fuit.

A „In MSS. modo, qui *Annalium Taciti* tres in„veniuntur, unus, ut jam advertit *Lipsius*, ha„bet *Cetastis*, alter *cerastis*, in tertio vox ista „deest.

De toto itaque hoc scripsi ad *Curtium Pichenam*, Senatorem *Florentinum*, & primum Magni *Hetruriæ* Ducis a Secretis, virum eruditissimum, & de *Taciti* Historiis multum bene meritum, utpote in quibus, in eruditorum gratiam multum posuit laboris, an etiam simile vel aliud vocabulum in MSS. Serenissimi Ducis exstaret.

Respondit ille mihi Novembris die XII. hoc pacto. „Quod ad illa *Taciti* verba *Ludis Cetastis*, B „semper mihi natæ visæ sunt ex correctione ali„qua, prout infiniti id habent libri antiqui MSS. „verum obstupui, videns etiam in contextu MS. „nostri *Florentini*, quod antiquissimum atque „optimum omnium, qui in orbe sunt, existimo, „etiam lectionem illam *Cetastis*, quæ in *Vaticano* „est, confirmari.

Ut ita cernam reliquum mihi esse aliam, atque a MSS. diversam insistere viam, quia nobilissimi Ludi in hoc loco nihil aliter nos juvant.

Opinio quidem mea est, legi debere, *Ludis* 44
Iselasticis, rationes primo lectionis afferam, dein Ludos ipsos explicabo. Observatum fuit ab il- C lis qui accuratius libros MSS. evolvere, sæpenumero descriptores, quos *Antiquarios* vel *Librarios* appellabant veteres, scripsisse simul, & dictasse, addidisse vel dempsisse de suo etiam, prout placuerat, literas quasdam. Neque enim per exempla me diffundam, id ut probem, quod apud mille passim occurrit Criticos. Erratum autem in *Ludis Iselasticis* inde ortum puto, quod amanuensis quidam literas *is*, quæ pariter in fine vocis *ludis*, & in initio *Iselasticis*, occurrunt, putaverit male (cum non intelligeret vocem usumque) duplicatas fuisse, atque inde primo fe- D cisse *Ludis Selastis.* Quoniam vero litera nostra C eadem fere est cum *Græcorum* illa, quæ *Sigma* appellatur, factum dein fuit *Celastis*, & tandem *Cetastis*, quoniam a Romano T, corrupte nec integre scripto, figura dimidia ꓶ hæc emicat non dissimilis valde *Græcorum* Λ, quæ litera nobis L. est.

In Inscriptione insuper Antiqua apud *Gruterum Pag.* CCLIV. *Num.* II. ubi legitur CERTAMINIS SELASTICI. doctissimus *Petrus Faber* vult complementum posterioris vocis incuria marmorarii vel temporis injuria deesse. Aliter tamen *Salmasius* in *Spartianum*, ita ut in hac E nostra non appareat nec caput, nec cauda antiquæ suæ figuræ, quod sculptori acceptum ferendum est. Et qui tractaverit MSS. antiquos sine dubio mecum sentiet.

Quid vero erant *Ludi Iselastici?* Scribit *Vitruvius Libro* IX. in principio, nobilibus Athletis, qui victores evaserant in *Olympiis*, *Pythiis*, *Isthmiis* atque *Nemæis* Ludis, non solum concessum fuisse apud *Græcos*, ut in festo coronam gestarent capite, manibusque palmam, verum redeuntibus in patriam, dejecta muri parte, per mœnia in Urbem introitum apertum fuisse, quadriga trium- F phali vectis, idque, quoniam εἰσέλασαν, prout videre est in *Plinii* Junioris *Epistolis*, *Libro* X. De quibus quidem quatuor Ludis inspici possunt *Turnebus Adversariorum Libro* I. *Cap.* XIX. & XXVII. *Cap.* V *Petrus Faber Agonisticor. Libro* II. *Cap.* IX. & X. *Claudius* etiam *Minois* ad citatam modo *Plinii Epistolam.*

In istis autem Ludis pompa quædam quasi triumphalis erat, prout fere loquitur *Vitruvius*, notatque citatus modo *Faber*, accensis luminibus applausum victori a præcone publico atque toto populo fuisse.

No-

1 *Aspirationem apposuit*] In Epitaphio insuper *Antenoris* penultima vox CESA scribitur sine Diphtongo; pariterque in versibus *Jo. Val di Taro*, qui *Pag.* LI. producuntur, sine diphtongo scribuntur voces *Secula* & *Antenoride.* Qui quidem usus haud ita barbarus est, ac nonnulli putavere, namque id & ex more istius sæculi amanuensium patet, qui istum scribendi morem approbavere. Videtur huic facto ansam dedisse, quod superfluam judicaverint scripturam literæ, quæ in pronunciatione non audiretur. Neque sane cuncta ea vera sunt, quæ de diphtongo *æ Latino*, & *αι Græco* Doctissimi alias Viri commentati sunt, prout demonstravere in *Cicerone Vindicato Andreas Scottus*, & in *Variis* suis *Lectionibus* politissimus *Rutgersius.* Nos vero præsenti usus nosmet accommodare decet. PIGNOR. Ipsum *Antenoris*, una cum Inscriptionibus & insignibus, quorum in superioribus fit mentio, ævi incidi jussit *Pignorius* in *Antenore Capite ultimo.*


I

Sard. incis.


II







IV


I







Notandum vero venit, quod legitur apud *Diodorum Bibliothecæ Libro* XIII. Narrat is *Exinetum Agrigentinum* in stadio victorem Olympiade
45 XCII. introitum in patriam celebrasse trecentis alborum equorum bigis, præter innumeram, quæ ipsum comitabatur multitudinem.

Narrat etiam *Ælianus*, magnum populi fuisse concursum, cum victor [1] *Dioxippus* intraret *Athenas*, pro more Athletarum, non quidem equo (ut vulgo vertitur) sed quod necesse est, curru vectus. Id vero legere est *Libro Var. Hist.* XII. *Cap.* LVIII. Verisimile autem est, ista occasione fabulas fuisse actas, diversique generis spectacula atque munera in vulgus edita fuisse, prout apud *Appulejum Libro* XI. & *Athenæum Libro* V. in simili fere pompa videre est.

Atque jam non amplius mirum est, quod *Thrasea* in istis Ludis *habitu Tragico cecinerat*, prout scribit *Cornelius Tacitus Annalium Libro* XVI.

Quod eo magis verum putem, quoniam & [2] æreum adhuc superest Numisma tempore Imperatoris *Valeriani*, quod repræsentamus, cusum, figuris literisque, quæ, ad institutum sermonem facientes, consuli possunt. Prout sacrarum urnarum etiam grandior adhuc in *Gallieni* Numismate conspicitur figura.

46 Hinc patet non multum dissimiles *Ludos* hos *Iselasticos* fuisse *Agoni Capitolino*, de quo Auctores Veteres scribunt, solitum fuisse musica illud Gymnica similique lætitia & exercitio celebrari. De quo *Casaubonus* ad Historicos Minores videri debet, & *Torrentius* in Commentario ad *Suetonium*.

Qui vero de solemni tali Introitu plura scire desideret, legat is *Tiridatis*, Regis *Armeniæ*, adventum *Romam* apud *Suetonium*, ut & *Gallieni* apud *Trebellium Pollionem*, & denique *Neronis* illum ex *Græcia* redeuntis *Romam*, quem describit *Dion Cassius Libro* LXIII.

Non equidem nego, potuisse etiam in Ludis *Antenoreis* fuisse *Cæsticos*, ex istius scilicet adhuc temporis consuetudine, nego tamen, absolute Ludos istos *Cæsticos* appellari potuisse, prout reposuit *Lipsius*, & ante *Lipsium* Junior *Beroaldus* in *Tacito* suo *Florentiæ* vulgato Anno MDXXVII. atque jam ante legerat *Cœlius Rhodiginus*, neque enim *Cæstibus* quid cum cantu, & antiquitus corruptum vocabulum *Cetastis* inde etiam longius abit.

Si vero quidam pro *Iselasticis* reponere malint *Selasticis*, prout citavimus ex Antiqua *Inscriptione*, & in *Thesauro Goltzii* legitur, nolo repugnare, licet (ut diximus) *Faber* judicet scalptoris errore omissas esse duas literas I. & S. utpote quæ male duplicarentur.

Verum in *Valeriani* Numismate, parte postica 47
hæc a me legitur Epigraphe: COLONIA IVLIA AVGVSTA FELIX HELVIA, in circuitu. Subtus vero: CERTAMEN SACRVM CAPITOLINVM OECVMENICVM ISEHELASTICVM. Scribitur vero ISEHELASTICVM pro ISELASTICVM, ad exprimendum, ut puto, *Græci* H sonum, quoniam apud Scriptores nonnullos in ista voce solet adhiberi E.

Quis vero scit, annon apud *Suetonium* in *Caligulæ Vita Cap.* XX. his verbis, *Edidit & peregre spectacula; in Sicilia Syracusis hasticos Ludos*, præstet legere, *in Sicilia Syracusis Iselasticos Ludos?* Consulat quis *Gabrielis Faerni* vulgatam editionem cum correctione mea, quæ in *Epistolis Romanis* meis invenitur, & sentiet forsan, recte me conjectasse.

Sed quoniam apud *Tacitum*, occasione Cæstorum, nonnulli de istis commentati sunt, & præsertim, qui nostris ultimum temporibus scripsit, inspicique meretur, doctissimus *Mercurialis de Arte Gymnastica Libro* II. *Cap.* IX. & *Dares* atque *Entellus* ære egregie insculpti a *Santo da Ravenna*, ut & Cardinalis *Bembus Libro* VI. *Epistolar. Famil.* quæ *Latine* editæ sunt, ære repræsentari feci [1] figuras hasce, delineatas ad antiquum naturalis magnitudinis brachium, quod *Romæ* inventum fuit Anno MDCVI. extra portam *S. Sebastiani*, in vinea Domini *Leni*.

Hæc autem armatura manus valde convenit cum nostra *manoplia*, sive *manopole*, prout apud nos appellantur manicæ ferreæ, Græco-Latina voce, quæ armaturam manus indicat.

Patet hinc illorum error, qui compositos cæstus volunt ex lignis, corregiis, atque plumbeo globo, prout videre est in figuris aliquot *Virgilii* quibusdam Editionibus appictis, & prout ad *Taciti Annalium Lib.* XVI. credidit *Vincentius Lupanus*, & Auctor *Vocabularii* cujusdam *Latini* in *Taciti* Editione *Senensi* idiomate & lingua expressa, atque *Romæ* edita Anno MDCXI.

Si vero quis accurate doceri cupiat, quare *Antenor* hanc *Iselasticorum* Ludorum instituerit pompam, illi respondeo, demonstrare illum voluisse, labore & fortitudine difficilem alias capi provinciam hanc a se occupatam fuisse. Dicit enim *Virgilius*, laborem ejus innuens, *Æneid.* I. *versu* CCXLVI.

Antenor potuit mediis elapsus Achivis 48
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna

1 *Dioxippus*] Nobilissimi hujus athletæ palæstricam gloriam etiam incisa Sarda nobiliter servat apud *Begerum Thes. Brand. Tom.* I. *Pag.* CV. quam repræsentavimus *Tab.* IV. *Num.* II. ubi armis gravem atque ense armatum *Corragum* nobilem ex *Macedonibus* pugnatorem, nudus corripit *Dioxippus*, terræ affixurus, prout suse historiam narrat *Curtius*, *Ælianus* & *Diodorus*, ex quibus Gemmam ibidem illustrat Doctissimus Antiquarius Regius *Laurentius Begerus*. *Æliani* vero verba, quæ citat *Pignorius*, pariter ut ille accepit Clar. *Perizonius*, cujus versio una cum *Græcis* sic sese habet: Διώξιππος Ὀλυμπιονίκης ἀθλητὴς ὁ Ἀθηναῖος, εἰσήλαυνεν εἰς τὰς Ἀθήνας κατὰ τὸν νόμον τῶν ἀθλητῶν. Συνέῤῥει τοίνυν τὰ πλήθη, καὶ ἄλλος ἀλλαχόθεν ἐκκρεμαννύμενος ἐθεῶντο αὐτόν. Id est, *Dioxippus Olympionices Athleta Atheniensis, more Athletarum Athenas intrabat quadrigis. Confluebat itaque multitudo, atque alius aliunde suspensi avide spectabant eum.*

2 *Æreum adhuc superest numisma*] Quod videre est *Tab.* III. *Num.* II. sicut & illud etiam *Gallieni* filii ejus in quo grandior urna repræsentatur ibidem *Num.* III. Quare & ad illustrationem illorum, quæ dicit *Pignorius*, ex infinitis talibus Numismatibus selectiora collegimus, ex *Begero Thes. Brand. Pag.* DCCXLI. & *Morello* in *Specimine* suo *Tom.* II. *Pag.* LII. CXVI. & CCLXVII. a *Num.* IV. & deinceps. Inspici autem de priori, qui *Valeriani* est, Nummo meretur Clar. *Vaillantius* in præstantissimo suo opere Numismatico de *Coloniis*, *Tomo* II. *Pag.* CCXXXI. ubi præter hunc simili inscriptione alter, sed cum una urna ejusdem Imperatoris introducitur Nummus, utriusque integra lectio hæc est, COLONIA JULIA AUGUSTA FELIX HELIOPOLIS. CERTAMEN SACRUM, CAPITOLINUM, OECUMENICUM, ISELASTICUM, HELIOPOLITANUM, pro quo ultimo male connectens (neglecta distinctione) in sequentibus *Pignorius* legit ISEHELASTICUM.

1 *Figuras hasce*] *Tabula* IV. *Num.* I. Sed & præter nobile hoc monumentum, ex Marmore vel Saxo, ut videtur, etiam Nummi Antiqui nobis hæc manuum involucra & tegumenta ante oculos ponunt. Clare enim in isto, cui *Hercules* minatur, pugile, manus obvoluta conspicitur, *Tab.* IV. *Num.* IV. de quo Nummo agit *Spanhemius* ad *Juliani Cæsares Pag.* CCLXXXVI. qualis porrecta manus etiam ex *Musæo S. Genovevæ* depingitur *Num.* V. & VI. Et denique ipse *Mercurius Palæstrita* cognoscitur *Num.* III. ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* LII. plane prout *Eryx* in *Segestanorum* apud *Parutam* Nummis, extendens lorum, quo manus involvi ad crudelem istam pugnam debebat.

Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi,
Unde per ora novem, vasto cum murmure montis,
It mare præruptum & pelago premit arva sonanti.

Et sane vel soli *Liburni* sufficerent, quo labor atque gloria ejus celebretur. Videatur modo *Florus Libro* II. *Cap.* V. *Lucanus* vocat *Lib.* IV. *versu* DXXX.

Pugnacesque mari Graja cum classe Liburnos.

Livius adhuc accuratius illos descriptos reliquit *Libro* X. *Dextra Illyrici, Liburnique & Istri, gentes feræ, & magna ex parte latrociniis maritimis infames.* Sufficitque dicere, illos esse, qui *Uscocchi* appellantur apud nos. Sed & natura difficiles admodum a mari aditu terræ nostræ erant olim, ut narrat *Strabo*.

Ludi hi singulis triginta annis, prout notavit *Xiphilinus* in *Epitome Dionis*, celebrabantur, qui itaque apud *Romanos* Certamina *tricennalia* appellabantur.

Et, ne quid in hac materia, quod ad rem facit, indictum relinquam, subit, *Justum Lipsium* loco *Taciti* supra citato, in prima sua Editione reposuisse *Ludis Astycis*, quod postea rejecit. Cui correctioni dein tamen adhæsisse *Gruterum* liquet, qui interpretatur, *Urbanis*. Verum sicut per excellentiam & proprie *Roma* voce *Urbe* indigitabatur, ita etiam eadem gloriatione Ἄστυ a civibus suis *Athenæ* appellabantur, prout plus uno in loco videri potest apud *Donatum* in Commentariis ad *Terentium*, ut & *Æmylium Probum* sive *Cornelium Nepotem*.

Atque ita nostram retinemus correctionem, donec melior abhinc fortuna veram loci lectionem producat.

49

CAPUT IX.

Filii Antenoris Trojam reversi. A quibus inde pulsi. Munsteri error. Hectoris filii. Astyanax. Scamandrius, Oxinius, Laodamas, Laomedon. Antenoridæ Patavium reversi. Prosapia illorum. Fama ejus generis longe propagata. Versus Joannis di Val di Taro.

Antenore mortuo filii ejus atque nepotes *Trojam* repetiisse videntur. *Eusebius* id innuere videtur, scribit enim in *Chronico* suo ad Annum Mundi MMMMXXXVIII. sive MMMMXLVI. ut in suo *Chronico* habet *Ado Viennensis*, hoc pacto: *Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno iis subsidium ferente.* Nisi dicamus vivente patre *Antenore* illuc rediisse. Liquet hinc æquivoca *Munsteri* narratio, qui *Cosmographiæ Libro* X. scribit, *Antenorem* in *Troja* regnasse, sed pulsum ab *Hectoris* fuisse filiis.

At vero quinam illi *Hectoris* fuere filii, si unicus ille *Astyanax* puerulus adhuc, de mœnibus dejectus fuit *Trojanis*? Id enim clare innuit *Ausonius* in ejus Epitaphio:

Flos Asiæ, tantaque unus de gente superstes.

Scribit nihilominus *Dionysius Halicarnassæus Libro* I. alios etiam *Hectori* fuisse filios. *Sed cum Scamandrii*, inquit, *& cæteri Hectoridæ, a Neoptolemo ex Græcia dimissi, ad ipsum venissent, eos in paternum Regnum deducens, Trojam rediit.* Loquitur autem de *Ascanio*, majore *Æneæ* filio.

Et certe notat in *Genealogia* sua *Reineccius*, cognomen *Astyanacti* fuisse *Scamandrio*, imo etiam *Helenum* prius fuisse appellatum *Scamandrium*, dein *Helenum*. Firmat id *Eustathii* auctoritate.

Narrat etiam *Dio Chrysostomus* ex *Casauboni* sententia *Hectorem* bona *Asiæ* parte perdomita, diem suum obiisse, regnique *Scamandrium* filium hæredem reliquisse.

Conon insuper in L. suis *Relationibus* apud *Photium*, scriptum reliquit, *Priamum Trojani* Belli tempore *Hectoris* filios, *Oxinium* atque *Scamandrum* misisse in *Lydiam*, illos vero, *Troja* jam capta, reversos, terræ isti imperasse. Ab isto itaque *Scamandro* necesse est venisse istos *Dionysii Scamandrios*.

Venit insuper animadvertendus *Laodamas* quidam, sive *Laomedon*, quem *Hectoris* fuisse filium *Cedrenus* scribit. 50

Apparet hinc errasse *Josephum Scaligerum*, virum sane clarissimum, qui in Notis ad *Eusebium* quidem citat *Dionysium Halicarnassæum*, verum finxisse id *Daretem* atque *Dyctim*, Scriptores spurios, ex quibus ea hauserit *Eusebius*, putat.

Quoniam autem Scriptores nonnulli nobilissimæ gentis originem ad *Hectoris* referunt filios, acquiescimus in censura *Michaëlis Riccii*, in principio *Libri* sui I. de *Franciæ Regibus*, & qui vult approbare testimonium Archiepiscopi *Consentiæ* in *Chronico* suo, *Andromachen* cum duobus filiis & fratre *Heleno* servatam a *Græcis* fuisse, salutem illis concedentibus, multum operis habebit. Tanto magis quoniam & *Hermannus Contractus* in *Chronico* suo *Eusebii* insuper verba confirmat.

Nequii vero plura de *Antenoridis* invenire, quam quæ jam ex *Eusebio* hoc *Capite*, & superius ex aliis a me allata sunt Scriptoribus; prout neque dicere possum, quo abierint ab *Hectoridis* pulsi.

Verisimile vero valde puto, reversos fuisse *Patavium*, vel saltem non omnes *Trojam* profectos, sed aliquos ibidem cum patre permansisse. *Silius Italicus* enim, de *Pediano*, ut supra diximus, scribens, clare dicit *Punicor. Libro* XII.

——— ——— *Trojanaque semina & ortus,*
Atque Antenorea sese de stirpe ferebat,
Haud levior generis fama, sacroque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.

Atque rursus magis inferius in eodem *Libro*,

——— ——— *Cui turbidus armis*
Obvia Mariellus rapido tulit ora tumultu.
Agnoscensque decus, Macte, o virtutis avitæ,
Macte Antenoride.

Liquet autem longo tempore hanc generis apud nos mansisse famam; in versibus enim, quos composuit *Joannes di Val di Taro*, male a quibusdam citatis, pejus item versis ab aliis, (vocat *Prophetiam Rolandinus Grammaticus* in Historia *Eccelini* Tyranni) qui, Potestate *Jacobo d'Andito Placentino*, lapidi incisi sunt supra *Portam*, quæ *Turrium Parvarum* vocatur, *la Porta delle Torricelle*, hæc leguntur,

Urbe Placentina Jacobus, vir nobilis, ortus, 51
Anditei generis, merito Patavina Potestas,
Mille ducenta decem Christo post sæcula nato,
Muris & porta Paduam decoravit ab Austro.
Vos Antenoridæ, si tuti vultis ab hoste
Esse foris, muro Pax vos liget intus amoris.
Arboreis frustra petitur sub frondibus umbra,
Interius morbus si viscera torret acutus.
Ne pereant igitur labor & impendia muri,
Consilium vatis vestri servate Joannis.

Scio quidem commune totius populi posse esse nomen *Antenoridarum*, prout de appellatione ejus superius jam canentem audivimus *Virgilium*

——— ——— *Et genti nomen dedit.*


Æneas etiam apud eundem de se dicit, urbem in *Thracia* condere cogitans,

Æneadasque meo nomen de nomine fingo.


Verum & *Obelerius* quidam *Antenoreus* vocatus a *Pe-*



TAB. V.



I











VI




VII.



VIII.




IX.

X.




XI.

Petro Marcello in *Ducum Magnorum Vitis*, ut & *Aimoino Willero*, quique aliis est *Obelenzerius*, ansam aliis cogitandi dedit, vere ab *Antenorea* stirpe fuisse se oriundum, quod nos quidem relinquemus accuratiori Memoriarum *Venetarum* Scriptori.

CAPUT X.

52 *Dei Penates. Ara illorum Patavii. Effigies ex Numismate Antiquo. Ganymedis honores, statuæ ejus antiquæ. Aquila dilecta inde Jovi volucris. Vesta ejusque Numisma. Juno Argiva. Diana Ætolia. Diomedis facies, falsa forte. Effigies heroum, qui Bello Trojano adfuerunt, ubinam videri possint. Magna Deum Mater. Inscriptio Antiqua. Janus. Isis. Fortuna. Mars. Campus Martius. Concordiæ Templum. Cœmiterum Antiquum Christianorum. Sepulcra olim extra Urbem erant.*

Religionem secum Deum in *Italiam* portasse *Trojanos* omnes narrant Historici. Tangit etiam breviter *Prudentius* in *Hymno*, quod in *S. Laurentium* Archilevitam fecit,

Confundit error Troicus
Adhuc Catonum Curiam.
Veneratur occultis focis
Phrygum Penates exsules.

Penates Deos autem in *Italiam* transtulit *Æneas*, qui dicit hinc apud *Virg. Lib.* III. *versu* XII.

—— —— Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis.

Colebantur præsertim *Lavinii* isti Dei *Penates*, erantque icunculæ quædam ex ligno aut marmore, prout *Varro* dicit apud *Servium*, habebantur vero colebanturque admodum religiose, viderique de illis potest *Dionysius Halicarnassæus Antiquitatum Romanarum Libro* I.

Visitur hodieque *Patavii* horum Deorum basis sive arula antiquissima, quæ olim fuit in pago, qui appellatur *d' Abano*, literarum forma atque marmoris genere simillima est *Romano Travertino*. Hanc vero vetustissimam, Deorum certe *Penatium*, memoriam, quæ in Urbe nostra, & toto
53 forte *Europa* exstat, existimo. [1] Illorum vero vultus exstant in veteri, qui penes me est, nummo argenteo, a *C. Antio* percusso.

54 Notandum autem est, apud diligentissimum *Antiquarum Inscriptionum* collectorem *Gruterum* bis in grandi isto volumine occurrere illam, quæ in Arulæ nostræ postica parte est, Epigraphen, utrobique male expressam, *Pag.* scilicet DCCLIX. *Num.* IV. & DCCLXVIII. *Num.* VI. Neque dicit quidquam de DIS PENATIBVS, nisi in correctionibus suis, ubi nec ipsum id, quod debuit, conjectura assequitur.

Quod vero ad locutionem istam, atque memoratum Numisma, attinet, multa convenienter scribit *Varro* de *LL. Si Analogia est*, inquit, *cur populus dicit Dii Penates, Dii Consentes? cum sit, ut hic reus, ferus, Deus, sic hi rei, feri, Dei.*

Allatos insuper præter *Deos Penates* ex *Ilio* a *Trojanis* puto illos, quos appellat *Virgilius Æneid.* I. *versu* XXXII.

—— —— rapti Ganymedis honores.

Vidi certe apud *Jo. Baptistam Fichetum*, virum sane Antiquitatum nostrarum probe callentem, [1] icunculam *Ganymedis* istius æneam antiquissimam, satis boni artificis, quæ illum repræsentat unguibus aquilæ circumdatum, utpote jamjam rupturæ atque in sublime elaturæ.

Hinc est, quod juxta pedes *Jovis* passim stare 55 56
videamus hanc volucrem, ut dicit *Prudentius* in *Hymno* in S. *Romanum Martyrem*, quem alias dextra gestare solet, prout, in Numismatibus, quæ apud me sunt, *Alexandri Magni* depingitur. Hoc enim lenocinio meruit in Nummis exstare, in Gemmis & in Sculpturis, fulmen tenens unguibus, ut *Jovis armiger*, prout appellatur a *Virgilio*.

A *Diis Penatibus* abesse longe *Vesta* nequit. Cujus quidem nulla, quod scio, *Patavii* exstat memoria, nisi in Nummis ibidem repertis, & superius allatis.

Junonis, quæ olim fuere, delubra *Trojanorum* sine dubio opus erant. Meminit *Livius Libro* X. ubi narrat *Patavinos* spolia *Lacedæmoniorum*, captarumque navium rostra, *in Æde Junonis Veteri* posuisse.

Ita certe apud *Virgilium* suadet *Helenus* hospiti *Æneæ* ut *Junonem* sibi conciliet, *Æneid. Lib.* III. De *Venetis* vero nostræ terræ incolis *Strabo* scribit, *Diomedi* hunc dedicasse ad *Timavum* Fontem honorem, [2] ut album illi sacrificarent equum, atque ibidem duas dedicasse sylvas, alteram *Junoni Argivæ*, alteram *Dianæ Ætolæ*.

De *Junone* quidem non est, quod miremur. Scribit enim *Servius* ad *Æneid. Lib.* I. ab *Argivis* præcipue fuisse cultam, quorum & tutelare fuisse Numen notat *Luctatius Placidus* ad *Statii Thebaidem* I. Vocabatur a *Græcis* ΗΡΑ, de quo videri potest *Fulgentius Mythologiæ Libro* I. ut & *Gyraldus*.

ΑΡΤΕΜΙΣ vero appellabatur *Diana*, ut docent *Phornutus* & *Julianus Aurelius*. Unde & *Vegetius Mulomedicinæ Libro* III. *Cap.* XXXIII. *Dianariam* appellat radicem herbæ *Artemisiæ*, insula etiam *Dianium* sive *Diana*, ab aliis *Artemisia* vocatur.

Fuit autem celebratissimus apud Veteres omnes *Diomedes*, quem *Guilhelmus Canterus*, qui tabulam ejus contexuit genealogicam, descendere vult a *Calyce Æoli* filia, Hellenis nepotis. Pater ejus *Tydeus* fuit, unde *Tydidem* vocant Poëtæ. Redeuntem hunc *Troja* insidiis uxor excepit, amore aliorum illecta, quare vitam tutari fuga, & finibus excedere est coactus. Venit inde in *Apuliam*, ubi a *Dauno* adjutus expugnata terra, condidit *Arpos*, *Canusiam*, *Venusiam*, *Beneventum* & *Venafrum* secundum *Servium* ad *Æneid. Librum* XI. & VIII. itidem, *versu* IX. Mortuus autem est in Insula, quæ ab illo nomen tulit, eadem, quæ hodie, ut volunt, *Tremiti* appellatur.

Plura qui edoceri cupit de ejus Genealogia, *Guilhelmum Canterum* adeat ad *Lycophronem*, ut & 57

---

1 *Illorum vero vultus*] Ara ista insignis exstat *Tab.* V. *Num.* I. Vultus vero *Penatium* jugati præterquam in Nummo Familiæ *Antiæ Num.* II. eadem *Tabula*, occurrunt insuper in istis Familiæ *Sulpiciæ Num.* III. *Bæbiæ Num.* IV. *Atiliæ Num.* V. Quomodo & *Lares* conjuncti etiam sedere conspiciuntur in Nummis, quos partim ex *Pyrrhi Ligorii* scedis revocavit *Baudelotius* in *Utilitate ex Peregrinationibus capienda Pag.* CLXXIV. & CLXXIX. qui hic exprimuntur *Num.* VI. VII. VIII.

1 *Icunculam Ganymedis istius æneam*] Visitur pulcherrimum hoc Antiquitatis Monumentum *Tab.* VI. *Num.* I. sicut alia ejusdem generis *Tab.* VIII. & inferius. Sicut & hic Num. II. ex *Begeri Thes. Palat. Pag.* X. in Gemma, ut venator, nondum ab aquila sublatus conspicitur.

2 *Ut album illi sacrificarent equum*] Id ipsum forsan innuitur *Arpanorum* insigni Nummo, quem conspicere licet *Tab.* VI. *Num.* VI. in quo ab altera parte taurus, ab altera equus conspicitur, quemque exponit *Begerus Thes. Brand. Tom.* I. *Pag.* CCCXVIII.

& *Italum* nostrum *Apollodorum*, ita enim *Boccacium* appellare licet, *Genealogiæ Libro* IX.

Epitaphium ejus jam olim ab *Aristotele* compositum fuit, ejusque insertum peplo hodieque superest, ut & ab *Ausonio Latine* redditum. Distinguit autem ille inter *Argiripam* & *Arpos*, contrà, quam facit *Servius*, atque in Antiquo, quod servo, est Numismate inscripto, ΑΡΠΑΝΩΝ. quod scilicet ab *Arpinis* in *Diomedis* memoriam percussum est,[1] famosumque illum *Calydonium* exhibet aprum.

Ipsius *Diomedis* imaginem jam *Fulvius Ursinus*, ut in *Tabula* nostra[2] videre est, expressit. Verum, ut quod sentiam, dicam, fraus mihi quædam subolet. *Isaacius* enim *Porphyrogenetus*, cujus jam supra mentionem fecimus, *Diomedem* ὑπόσιμον fuisse scribit, id est *subsimum*, & ξανθοπώγωνα, id est, *Ahenobarbum*, cum *Philostrato* quidem in cunctis non conveniens.

Si vero alicui videatur absurdum, tanto temporis intervallo servata fuisse oris lineamenta il-
58 lorum, qui ad *Trojam* militavere, Heroum, *Diodorum Siculum* adeat, qui *Bibliothecæ Libro* XIII. Templum quoddam describit *Agrigentinorum*, in cujus laqueari, ad alteram partem, *Bellum* cernere erat *Trojanum*, singulosque Heroas propriis oris lineamentis depictos. Sed & arca *Cypseli* similia continebat, ut videre est apud *Pausaniam*.

Nihil itaque mirum, si *Æneidos Lib.* I. Poëtica ista fictio legatur apud *Virgilium* de *Ænea*, qui ibi *versu* CCCCLX.

—— Videt Iliacas ex ordine pugnas
Bellaque, jam fama totum vulgata per orbem

Ubi & *versu* CCCCXCII.

Se quoque Principibus permistum agnovit Achivis.

Ab iisdem vero *Trojanis* invectum *Patavii* puto *Magnæ Deum Matris* cultum, quem *Romam* ab iisdem ex *Ilio* allatam fuisse nemo nescit. *Virgilius Æneid.* III. *versu* CIV. ex *Creta* in *Phrygiam* invectum fuisse vult,

Creta Jovis magni medio jacet Insula Ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.

Et paullum inferius, *versu* CXI.

Hinc Mater cultrix Cybeli, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus.

Et certe in quodam meo Numismate, quod *Domitiani* est, & in Creta, ut puto, signatum, a postica parte aquila est, in circuitu vero hæc Inscriptio ΔΙΟΣ ΙΔΑΙΟΥ. *Magnæ* vero *Matris* apud nos *Patavii* in ædibus *Bassanorum* hoc reperitur marmor.

1 *Famosumque illum Calydonium exhibet aprum.*] Nummum ipsum videre licet *Tab.* VI. *Num.* V. ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* I. *Pag.* CCCXVIII. Aprum vero *Calydonium* horrentem setis ac dente minacem, ex eodem Libro *Tom.* III. *Pag.* CCCLXXII. in *Tabula* item nostra VI. *Num.* IV.

1 *Videre est*] *Tabula* scil. VI. *Num.* III. Ibidem *Num.* VI. & VIII. videre licet *Palladii* ablationem, de quo superius egit *Pignorius*, a *Diomede* factam, ex *Begero de Bello & Excidio Trojano*, *Pag.* LII. Sicut apud eundem in *Tabula Iliaca*, *Num.* LVI. galeatus idem (male enim sculptor pilei *Phrygii* tutulum ei dedit pro cono galeæ) cum *Palladio* prorumpit, subsequente *Ulysse*. Sed & ipse *Pignorius* in *Notis* suis super *Diomede* hæc notavit sequentia. *Strabo Libro* VI. *Pag.* CCLXXXIV. *Heroa* vocat *Diomedem*, tangitque Venerationem, in qua apud *Venetos* nostros fuit. Supra modum etiam illum laudavit *Philostratus*, utque in *Diomedem* eundem nobile Epigramma reliquit *Scaliger*. Hæc PIGNOR. Epigramma vero *Julii Cæsaris Scaligeri* hoc est, inter *Heroes* ejus:

Redde Helenam, prædo infamis, Venus improba Mœchum
Quæ dederat, nostro vulnere læsa fugit.
Cædite vos alii mortalia corpora. Nam sunt
Materies dextræ Numina sola mea.

M D M
N M E M O R
V S I A E L F I L
TERTVLLINAE
SACERD. DIVARVM
MATRIS SVAE
SEX APVLEIVS MARCELL.
D. D.

[1] Marmor hoc summa in parte, injuria temporis, aliquam labem passum est, verum ita, ut facile appareat *Magnæ Deum Matri* dedicatum fuisse. Sed & insuper notari debet, quod apud *Gru-* 59
terum Pag. CCCXXII. *Num.* VI. superius tantum sit scriptum D. M. quasi DIS MANIBVS dedicatum esset Monumentum, quod non ita est; idem linea quarta posuit TERTVLLIANAE, & sexta MATRISVAE, septima vero SEX APPI. omissa quæ in fine est dedicatione; quæ quidem cuncta perperam posita sunt, & contra ipsius Marmoris fidem, id enim non aliam exhibet Inscriptionem, quam quæ a nobis jam ex fide allata est.

Verum *Gruterus*, quem ego *Atlantem* Antiquitatis appellare soleo, tanto operis in pondere multos necesse habuit adjutores *Hercules*, qui quidem in fideli atque accurata lapidum descriptione non omnes fuere Invicti.

Diffiteri tamen nequit, recte & ex fide hanc eandem rursus proferre Inscriptionem, *Pag.* XXIX. *Num.* IV. ex *Jo. Vincentii Pinelli* scilicet, ut fatetur, scedis, qui quidem a me istam habebat, ut & alias infinitas, quæ *Patavii*, atque aliis in locis inveniuntur, quas *Pinellus* ille atque alii ad eundem transmisere *Gruterum*, cui sane viro immortalem gratiam debet posteritas, quod opus tam ingens, præclarum, atque doctum publico non inviderit. Et sane foret optandum, ab elegantioris ingenii (qualis *Petrus Scriverius* est) homine, istam Libro tali impendi operam, qua cum editis Inscriptionibus ipsa conferrentur Marmora, atque etiam infinita præclara, quæ in isto inveniuntur volumine, in clariori ponerentur luce.

Hujus autem Inscriptionis sensus est *Sextum Appulejum* dedicasse *Cybeli*, in memoriam matris suæ *Usiæ*, sive *Lusiæ Tertullinæ*, quæ *Divorum* fuerit Sacerdos, Antiquum hoc Marmor.

At vero quodnam istud fuit DIVARVM Sacerdotium? Ego quidem credo fuisse *Cybeles*, *Cereris* atque *Proserpinæ*, quæ Antiquitus appellabantur ΚΥΡΙΑΙ & ΔΕΣΠΟΙΝΑΙ, ut videre est apud *Servium* ad *Æneid. Lib.* III. versum istum:

Et juncti currum Dominæ subiere leones.

Sed neque aliorum Numinum desunt Marmora, *Jani* scilicet, *Isidis*, *Mercurii*, atque *Fortunæ*, verum illata a *Romanis* puto, non apud ipsos antiquos cives, ut ita dicam, nata, sive Vernacula. Quam in rem bene scribit *Minucius Felix* hoc modo: *Inde adeo per universa Imperia, Provincias, Oppida, videmus singulos Sacrorum ritus*


1 *Marmor hoc summa in parte*] Prout & videre est apud *Gruterum* in opere *Inscriptionum* Magno *Pag.* XXIX. *Num.* IV ubi itidem adducitur. Notat vero *Pignorius* in *Addendis* suis nimis compresse a typothetis lineas collocatas fuisse, cum in oblongo lapide longius excurrere debuisset Inscriptio. En ipsius verba, „La Inscrittione di *Sesto Appuleio* haveva da ricivere forma longa, ma ha bisognato accommodarsi al gusto de' Stampatori. Nos ad Editoris mentem in hac Editione nostra refinximus.

TAB. VI.


Statua Ærea.
I



III


VII

Gemmæ.


VIII


II. Gemma.


IV. Ex Ære.



Æs
Γ
V





Æs
Γ
VI





tus Gentiles habere, *& Deos colere Municipes*, *ut Eleusinios Cererem*, *Phrygas Matrem*, *Epidaurios Æsculapium*, *Chaldæos Belum*, *Astartem Syros*, *Dianam Tauros*, *Gallos Mercarium*, *universa Romanos.*

Martis vero nullum aliud hodie superest vestigium, nisi *Campus Martius*, nunc *il Prato della Valle*, quo in loco olim vel Templum vel aliud Sacrum quid Deo isti fuit dicatum, ea quidem ratione, quam commemorat *Vitruvius Libro* I. *Cap.* VII. jussisse scilicet Aruspices *Hetruscos* extra Urbis portas condi Templa *Veneris*, *Vulca-*
60 *ni* & *Martis*, eoque pacto immunes fore Civitates omnis turpitudinis, incendii, atque dissensionum civilium.

Concordiæ Templum an antiquitus in *Antenorea* exstiterit Civitate, nullus Auctor classicus testatur, quod ego quidem scio. Solus *Jacobus Cavacius*, amicus noster, amœnissimi vir ingenii, in *Historia* sua *Monasterii S. Justinæ*, istud affirmat, & post illum *Valerius Moscetta* in *Vita* sive *Triumpho Justinæ Virginis & Martyris*. Auctoritatem dicti apportat *Cavacius* Inscriptiones aliquot, illam *Titi Livii* præsertim, quæ in Palatio visitur, & in qua legitur vox CONCORDIALIS. In alia item Inscriptione legitur CONCORD. In alia CONC. sive CONC. AVGVST. quas notas sive dimidiatas voces ille interpretatur CONCORDIALIS. Id est, Deæ *Concordiæ* Sacerdos.

Quod si jam concedamus ita integre legendas atque interpretandas voces illas esse, tamen non existimo ibi locorum, ubi ab illo locatur, ejus Deæ fuisse Templum. Neque enim *Concordiæ*, boni ominis Deæ, extra, verum intra Urbem, dedicandum erat Templum, juxta Aruspicum *Hetruscorum* consilium, relationemque *Vitruvii*. Ubi vero jam S. *Justinæ* est Templum, locus extra Urbem olim sine dubio fuit, & quoniam Oratorium ibi *Christiani*, & quoniam cœmiterium habuerunt. Imo id ipsum & *Livii* evincit Epitaphium; si enim isto in loco ossa ejus sepulta sunt, res clara est, extra fuisse Civitatem, neque enim in Urbe sepulturis apud Antiquos locus erat, & multo minus in Templis. Quod si vero *Arnobius* aliique ex *Christianis* istum apud Gentiles ritum incusaverint, ita debent intelligi, ut simul antiquissima respiciant tempora, loquanturque de talibus Templis, quæ ante consecrationem Monumenta tantum fuere Sepulcralia, utpote *Cecropis*, *Acrisii*, *Telmessi*, aliorumque, prout diffuse narrat *Arnobius*. Si vero nostris temporibus, prout narrat Cavacius *Pag.* CCXII. nosque ipsi vidimus, antiqua ibi detecta sint rudera, sane quidvis aliud quam templum indigitare existimo. Conferatur idem *Libro* II. *Pag.* LVI.

61 ## CAPUT XI.

Mos Phrygum in sepeliendis Sacerdotibus suis. Non Jurabant. Jugalium boum interfectores puniebant, ut & qui furabantur agriculturæ instrumenta. Boum apud omnem Antiquitatem privilegium. Aristotelis dictum. Patavinæ terræ incolæ boni agricolæ. Venetorum antiquorum ritus arandi tempore. Quomodo Plinius debeat intelligi, scribens quare in Veneta terra salices plantari soleant. Dardanorum ritus. Venetorum mos in maritandis liberis. Paphlagonum arma, ut & Phrygum. Equorum apud Venetos cura. Color Venetus. Convivia illorum. Lingua illorum.

Restat jam videre, quosnam in novam hanc coloniam ritus intulerint *Trojani* atque *Veneti*; & sane in paucis vestigiis, quæ adhuc supersunt, aliqualis illorum remansit memoria. *Nicolaus Damascenus* in *Catholica* sua (ita enim
A appellare voluit) *Historia*, de qua tamen nihil nobis superest, nisi quæ per alios in compendium redactæ sunt, frusta quædam exigua, narrat, neque solere jurare *Phryges*, neque alios ad juramentum solere adigere, ut & nece punire illos, qui boves aratores occidissent, itemque qui surripuissent quid de agriculturæ instrumentis. Scribit etiam, non solere eosdem in terram defodere Sacerdotes mortuos, verum erectos in pedes superponere columnæ lapideæ decem cubitos altæ.

B Pauca quædam necesse est de hisce, quantum quidem ad Origines nostras pertinent, disserere.

Et quidem de juramento primum, quod narrat, vix fidem meretur. Jurat enim apud *Virgilium Æneas Libro* IV. & *Palinurus Lib.* VI. ut & *Ilioneus Lib.* VII. quod idem apud *Homerum* legitur. *Trojani* certe *Phryges* erant.

De bobus lex verisimilior videtur, in magna enim apud antiquos passim fuere veneratione. Testatur etiam *Varro Libro* II. *de R. R. cap.* V. pœnam item capitalem fuisse in *Attica* & *Peloponneso*. Repetit vero idem *Columella Libro* VI. in
C principio, & *Porphyrius Libro* II. *de Abstinendo ab Animalibus*, ubi narrat *Diomum*, sive *Sopatrum* quendam fuisse primum, qui boves aratores necaverit, eundemque illum fugisse, ne graves sceleris experiretur pœnas. Citat etiam *Servius* ad *Librum* II. *Georg. versu* DXXXVII.

Impia quam cæsis gens est epulata juvencis.

ut id confirmet, *Aratum*. Qui vero de hoc more plura edoceri cupit, *Jo. Ludovicum De La Cerda* adeat ad locum *Georgicor. Virgilii* citatum. 62
Imperator insuper *Constantinus Lege* I. *Codicis Theodosiani*, *Titulo de Pignoribus*, capitalem pœ-
D nam decernit & privatis & magistratui, si bovem aratorem pignus receperint. Addi hisce potest *Vegetius Prologo Libri* III. *Artis Veterinariæ*, ut & *Ælianus* in *Animalium Historia Libro* II. *Cap. ult.* Legis autem istius ratio esse potest, quam dat *Aristoteles Politicor. Libro* I. Ο' γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν, *quoniam scilicet vice servi pauperi bos est.*

Quoniam vero agriculturæ hoc *Capite* mentio incidit, vera laus rusticis nostris denegari nequit, qui admodum in opere suo sunt periti, jumentisque atque instrumentis, quæ ad terram colendam pertinent, admodum scite uti norunt.
E Sed & antiquos nostros *Venetos*, sive ob religionis superstitionem, sive quod per se boni essent agricolæ, laudat isto nomine *Ælianus Hist. Anim. Lib.* XVII. *Cap.* XVI. qui narrat illos arandi tempore, ne male proveniret semen, solitos fuisse offerre Diis in sportulis mistam melle atque oleo farinæ portiunculam, idque ex *Theopompo* se habere dicit. Apparet idem ex *Antigono*, cujus exstat ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΠΑΡΑΔΟΞΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ. *Apostolium* id scribere dicit in *Lectionibus Antiquis Libro* XXIV. *Cap.* IV. *Cœlius Rhodiginus*. Addit *Ælianus*, scribere *Lycum* quendam, quem & citat *Anti-*
F *gonus*, ad eam rem mitti solitos ab Urbe Legatos. Notanda vero venit quædam diversitas inter verba *Æliani* atque *Antigoni*.

Quod vero scribit *Plinius Libro* XVI. *Cap.* XXIII. apud *Venetos* conseri solere salices, sive, ut nostri dicunt *le piantate di Saleio*, idque *propter uliginem soli*, non ab omni parte verum est, cum id tantum soleat fieri in locis uliginosis, prout de parte regionis nostræ idem scribit Auctor *Libro* XIV. *Cap.* XVI. advertitque *Columella Libro* V. *Cap.* VII. ut & *Leo Baptista Albertus Lib.* X. *De Re Ædific.*

Sepulturæ quem dixi ritum arrodere nolo, cum pro-

probe sciam fuisse &, qui vivi adhuc columnæ fastigium domunculam sibi elegerint.

Idem ille *Nicolaus* de *Dardanis*, quæ Gens *Illyrica*, Ἰλλυρικὸν ἔθνος, erat, & origine *Trojana*, ut jam supra notavimus, scribit, tribus tantum vicibus in vita lavari solere, cum nascerentur, cum uxorem caperent, & mortui cum essent. Verum qui mortui jam erant, *in vita* non possunt dici *lavari*.

63 Verum de *Venetis* nostris scribit *Herodotus Libro* I. ad *Assyriorum* morem solitos fuisse hoc pacto filias suas viris locare. Quando jam ad nubilem pervenerant ætatem in unum multæ virgines locum committebantur, magna coëuntium frequentia. Ibi speciosissimam primo vendebat præco, mox secundam forma tertiamque, atque ita deinceps, quæ vero deformes, gibbosæ morbidæque erant plebeis pauperibusque locabantur, una apportantes dotem ex pecunia, quam ditiores dederant pro acquisitione forma excellentium. Fecisse idem *Assyrios* supra citatus testatur *Nicolaus Damascenus*, cujus moris nescio quæ adhuc vestigia apud *Pausaniam* observantur.

Si vero *Veneti* fuere, prout res est, *Paphlagones*, jam illorum tenemus arma ex *Herodoti* relatu *Libro* VII. gestasse enim *Paphlagonas* narrat [1] consertas plectendo cassides, scuta exigua, hastas haud magnas, præterea jacula pugionesque, pedibus vero habuisse inductas caligas populares ad mediam tibiam adscendentes.

Neque multum *Phrygum* inde abfuere arma, prout idem notat *Herodotus*, ubi in exercitu *Xerxis* gentium recenset numerum. *Pugiones* vocat ἐγχειρίδια *Herodotus*, quam etiam vocem retinet *Athenæus Libro* VI. ubi loquitur de pugione votivo *Elicaonis*. Fuisse vero tales credo, quales observare licet in Marmore Antiquo *Estensi*, non valde absimiles illis, quæ apparent in Nummo *M. Junii Bruti*, pileo, libertatis signo, intermedio, symbolumque adeo illorum fuere, quibus *Cæsar Dictator* a Conjuratis occisus fuit. Licet autem *parvos gladios* appellet *Dio*, nihilominus *Suetonius* vocat *pugiones*, scribens *Cap.* LXXXII. *Utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti.* [2] Consecrabantur autem vulgo in Templis, ut supra jam vidimus in isto *Elicaonis*. Hinc intelligi potest illud, quod legimus apud *Cornelium Tacitum Ann.* XV. *Flavium Scevinum*, ex conjuratis in Neronem unum rapuisse ad occidendum illum pugionem ex Templo *Salutis* in *Hetruria*, sive *Fortunæ Ferentinæ*. Pugionem etiam, qua sese occiderat *Otho*, *Coloniam* misit *Vitellius*, *Marti* dedicandam.

Verum inspici debet repræsentatum a nobis ipsum [1] Marmor *Estense*, & in quo omnino similis apparet nostris arcus tensus, in quo insuper 64
Marmore videre licet sagittas cum pharetra, quæ 65
quidem armorum genera antiquorum fuisse *Trojanorum*, qui has incoluere terras, existimo. In pharetra vero, quo claudebatur, [2] operculum observare decet, quæ etiam alio ex genere Antiquitatis similiter clausa a nobis depingitur.

Observavit & morem hunc *Homerus Iliados Lib.* IV. unde bene scribit *Nemesianus*:

—— —— *clausasque pharetras.*

Herculeæ autem pharetræ non memini me invenisse additum operculum, inde forsan, quod Heros iste induerit arma, non ut pœna maleficorum clausa quiesceret pharetra, verum ut illos perderet.

Equorum proxime cura est, quos *Veneti* nostri in usum maxime militiæ aluere. Namque ut *Virgilius*,

Bello

---

1 *Consertas plectendo cassides*] Cassides hæ *Paphlagonum* coriaceæ fuere, quod docet *Xenophon de Expeditione Cyri Libro* V. ubi describit memoratque armaturam *Mosynœcorum* hisce, ἐνθὶ δὲ τῇ κεφαλῇ κράνη σκύτινα, οἷάπερ τὰ Παφλαγονικά, κρώβυλον ἔχοντα κατὰ μέσον ἐγγυτάτω παροειδῆ. Id est, *In capite coriaceas galeas, Paphlagonicis consimiles gestabant, quarum in medio spira erat, quam proxime tiaræ formam referens.* Similes vero cassides gestasse *Alexandri Magni* milites scribit *Dio* Libro LXXVII. PIGNOR.

2 *Consecrabantur autem vulgo in Templis*] Narrat *Dio* ausum fuisse *Antoninum Caracallam* consecrare *Serapidi* pugionem, qua fratrem *Getam* occiderat. *Antonius Le Pois* Consiliarius atque Medicus Ducis *Lotharingiæ*, in *Gallicis* suis *Discursibus de Nummis & Sculpturis Antiquis Pag.* CVII. agens de *Bruti* Nummo, in quo pileus visitur cum pugionibus, scribit, quod licet occultæ sub vestibus a percussoribus portari potuerint pugiones, *Latine* tamen *sicæ* vocari nequeant, prout nonnulli voluere, si *Josepho* credimus, *sica* enim, unde *sicarii*, parvus est gladiolus incurvus, differens itaque figura a pugione, quam depinximus. Neque sane auctoritate id ejus dictum caret, cum ita scribat *Plinius Libro* XVIII. *Cap.* I. *atque cum in arbores exacuant limentque cornua elephanti, & duro saxo rhinocerotes, & utroque apri dentium sicas.* Jam vero scimus quam figuram apri habeant dentes. Consuli insuper potest *Lipsius Saturn. Lib.* II. *Cap.* IX.

1 *Marmor Estense*] Ex hoc Marmore pugionis observare licet picturam *Tab.* VII. *Num.* II. cui similes duas addidi *Num.* III. & IV. ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCCCXIX. & *Musæo S. Genoveveano Pag.* XXII. Quod vero ad arcum tensum sive intensum, de quo *Pignorius*, attinet, qui *Tab.* VII. *Num.* I. occurrit, nisi ex lignea ista theca emitti cuspidatum telum istud intellexerit, existimem potius telum trabale ibi effictum, atque quæ ex catapultis emitti solebat muralem sagittam.

2 *Operculum observare decet*] Eadem *Tabula Num.* V. pariter ut *Num.* VI. in Nummo *L. Lollii*, namque, ut aperte passim *Herculis* robusti est pharetra, sic in Veteribus Monumentis plerumque *Dianæ* clausa tribui solet, prout videre etiam est in insigni ejus Deæ Clypeo *Num.* VII. ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCXXXI. selectisque eandem *Dianam* exhibentibus Nummis *Num.* VII. VIII. IX. quorum explicatio videri potest apud eundem *Begerum Tom.* I. & III. *Pag.* LXXIX. CCCCLXXXI. & CCCCLXXXVII. Neque solum Marmora & Nummi, verum & Poëtæ rem ante oculos sistunt. Ita apud *Homerum* audita Sacerdotis violati oratione *Apollo*, iratus *Græcis*, descendit, *Iliad.* I. *versu* XLV.

Τόξ᾽ ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.

Id est,

Arcum gerens humeris & undique tectam pharetram.

Et clarius adhuc apud eundem *Menelaum* petiturus *Pandarus Iliad.* IV. *versu* CXVI.

Αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης· ἐκ δ᾽ ἕλετ᾽ ἰὸν
Ἀβλῆτα, πτερόεντα.

Id est,

Sed hic detrahebat operculum pharetræ, eximebatque sagittam,
Nondum emissam, pennatam.

Itemque *Bacchum Melaneus* apud *Nonnum Dionysiac. Libro* XXIX. *Pag.* DCCXLV.

Αὐτὰρ ὁ σιγαλέος γυμνώσατο πῶμα φαρέτρης.

Id est,

Verum hic taciturnus nudavit operculum pharetræ.

Unde & *Cupido* apud *Ovidium Metamorph. Libro* V. versu CCCLXXIX.


—— —— *pharetram*
Solvit, & arbitrio matris de mille sagittis
Unam seposuit.

Dianæ vero, prout Monumentis Antiquis a nobis depictis, maxime proprie, ut Virgini nitore gaudenti tribuitur. Quare ita inducit *Arethusam* rursus *Ovidius Lib.* V. *versu.* DCXVIII.

—— —— *Fer opem, deprendimur, inquam,*
Armigeræ Diana tuæ, cui sæpe dedisti
Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetra.


Invidiose denique formosam *Cydippen* suam tutam a *Dianæ* armis precatur *Acontius* apud *Aristænetum Pag.* XLIX. his verbis: Μηδὲ Ἄρτεμις ἐπὶ σοὶ πικραῖον βέλος ἀφῇ καὶ ἀνέλῃ· μενεῖ δὲ τὸ πῶμα προσκείμενον τῇ φαρέτρᾳ. Id est, *Neque te Diana sagitta ultrice tollat: quin tectam operculo teneat pharetram.*


TAB. VII.


































TAB. VIII.



II.



III.


Icunculæ Æneæ.




IV. *Ex Ære.*



I. *Ex Ære.*



VII.



VIII.



IX.

Bullæ.



V.



VI.

Statuæ.


II.
Apophorctum.


Nummi
Hadriani Antonini
Pii, Carac.
I.
Pictura antiqua in Codice M.S. Virgilii.


III. Ex Ære.


Sardon. Excis.
VII.


ΜΙΔΑϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ
Æ.
IV.


Æ.
Γ
V.
ROMANO


Æ.
VI.
ROMA.

Bello armantur equi. —— ——

Strabo curam eorum in antiquis laudans *Venetis* scribit περὶ τὰς ἱπποτροφίας ἐπιμέλειαν, *Paphlagones* maxime equos elegisse. Narrat insuper *Dionysium* Tyrannum *Siciliæ*, illorum sibi, ad Ludorum usum, sobolem atque pullos elegisse.

Hinc forsan & originem appellationis traxit *color Venetus*, maxime in *Romanorum* Ludis Circensibus, prout & *Julio Cæsari Scaligero*, Viro Doctissimo, in *Exercitatione* sua CCCXXV. §. XV. visum fuit.

Sed & ipse *Antenor*, auctor coloniæ, apud *Homerum* ἱππόδαμος appellatur, id est, *equorum domitor*. Sed & *postremo circa equos* (scribit *Vegetius*) *sive ad vehendos locupletes aptos, sive in Circi contentione victores, sive in præliis, ut ita dixe-* 66 *rim, probatissimos bellatores, acerrimum studium amoremque constat esse dominorum.*

Navigandi vero morem, inque eo salicis usum unice docet *Lucanus*, isque solus, ut puto, *Pharsal. Lib.* IV. ubi morem describit evadendi, si forte aquæ terras inundarint. Verba ejus hæc sunt *versu* CXXX.

Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque induta juvenco
Vectoris patiens, tumidum superenatat amnem
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano.

Hanc vero navium fabricam ejusque modum ex professo descripsit atque docte enucleavit *Gyraldus* Libro *De Re Nautica Cap.* VII.

Licet vero boni simul agricolæ, bellicosi equites, atque docti fuerint nautæ majores nostri, laudatæ tamen impense a *Plinio* severitati, vitæ civilis splendorem atque delicias, qua temperarent armorum feritatem, admiscuere. Hinc *Martialis Libro* XIII. *Epigr.* LXXXVIII.

In Venetis sint lauta licet convivia mensis
Principium cœnæ Gobius esse solet.

Dicere enim, secundum *Raderum* Commentatorem, vult, cunctas nationes suum habere gustum.

Notavit insuper *Polybius Libro* II. diversam a *Gallis* linguam habuisse *Venetos* nostros. *Libro* enim XXVI. *Cap.* VII. scribit *Venetos* plantam quandam, quæ apud *Gallos* dicitur *Halo*, vocare *Cotoneam*, affirmatque idem citatus jam sæpius a me in *Italia* sua *Cluverius*.

Ne autem quid transcurram, quod ornatum hisce possit afferre *Originibus*, meminisse me hoc in loco decet [1] Signorum aliquot Antiquissimorum ex ære, quæ præteritis annis, cum in *Veneta* nostra regione *Hadriæ* foderetur terra, inventa sunt, atque in manus *Cæsaris Nichesolæ*, Canonici *Veronensis*, elegantiarum literarum studiosissimi, pervenere, magna quidem mihi familiaritate juncti. Delineari autem curavi accurate, quoniam referre existimo antiquum istum *Venetorum* nostrorum habitum. In illis autem supersunt vestigia Mitræ *Trojanæ*, in mulieribus pariter & viris, ut & [2] bulla, ingenuitatis signum, ad pectus puerorum nobiliorum.

1 *Signorum aliquot Antiquissimorum*] Expressa hæc videre licet *Tab.* VIII. *Num.* I. II. III. IV. grallatores videntur, verum ego pinnas esse puto, quibus icunculæ hæ basibus suis, sive ligneis sive lapideis, infixæ steterunt. Simillimæ vero hisce, quoad capitis tegumentum, sunt statuæ illæ, quas ex *Sponii* Opere *Pag.* CCCXII. hic adjungi jussimus *Num.* V. VI. & item ad antiquos *Venetos*, similemve populum videntur referri debere.

2 *Bulla, ingenuitatis signum*] Et hanc in diversis adhuc Marmoribus videre licet, diversaque nobis superest forma, prout ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCCCXXVII. tres diversimode effictas bullas videre licet *Tab.* VIII. *Num.* VII. VIII. IX.

CAPUT XII.

67 *Vestitus Trojanorum. Redimicula & Mitræ. Quibus attributæ fuerint Mitræ. Statua Ganymedis Serenissimæ Reipublicæ. Attidis statua Tornaci in Flandria reperta. Ganymedis pictura ab Hugone Grotio in lucem emissa. Numisma Antonini Pii, Hadriani & Caracallæ, in quibus Phrygius repræsentatur habitus.*

Depingitur *Trojanorum* habitus inter Figuras appositas *Virgilio* literis capitalibus ubique conscripto, qui verus Antiquitatis Character est, asservaturque in Bibliotheca *Vaticana*. *Virgilius* ipse *Numanum* eundem ipsum populo isti exprobrantem inducit *Æneid. Lib.* IX. *versu* DCXIV.

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi juvat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Ad quem locum scribit *Servius*, etiam suo tempore notasse *Ciceronem* easdem manicas his verbis: *manicatis ac talaribus tunicis*, quæ ejus ex *Catilinaria* verba sunt. Speciatim etiam de hisce egit *Gellius Noct. Atticar. Libro* VII. & XII.

Redimicula vero, quæ memorat *Virgilius*, quædam erant diademata, quibus circumligabantur capiti Mitræ, prout sane videre est [1] in apposita figura ex Antiquo isto, qui in *Vaticana* Bibliotheca est *Virgilio*, in quo & picta croco, quam vituperat *Numanus* in bellatoribus, apparet eadem vestis. Neque alias jactator ille melius depingere *Trojanos* atque convitiari invidiosius illis potuit, quam *crocum* nominando. Talis generis enim vestis fœminea erat apud Antiquos, quæ *crocota* & *crocotula* dicebatur, unde & descendisse videtur *Gallorum* vocabulum *cotta*, nostrumque rusticanum *cottola*. Sensum *Virgiliani* carminis mirifice vertit *Annibal Carus* hoc pacto:

„ Voi con l' ostro e co' fregi, e co' ricami,
„ Con le cotte à divisa, e con le giubbe
„ Immanicate, e co' i fiocchetti in testa,
„ A che valete?

[2] *Redimicula* enim & *Manicæ Phrygum* sunt, ut scri- 68
bit *Plinius Libro* VIII. *Cap.* XLVIII. ut & *Ser-*
vius ad *Æneid.* XI. notatque apud *Romanos* vilis 69
plebeculæ fuisse indumenta. Et recte quidem id *Servius*, secundum id *Juvenalis*, *Satyr.* III. *versu* LXVI.

Ite, quibus picta grata est lupa barbara Mitra.

Virgilius etiam, sive quicumque *Copam* carmen composuit, lepide describit juvenem atque protervam meretriculam, hoc pacto.

Copa Syrisca caput Graja redimita Mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus.

quales & citatus modo *Juvenalis Satyra* III. describit.

—— —— *ad circum jussas prostare puellas.*

Arianæ etiam *Catullus*, atque *Clodio* tribuit *Tullius*

1 *In apposita figura*] Tabula IX. *Numero* I.

2 *Redimicula enim & manicæ*] Neque forsan errabit is, qui *Italum* nostrum *fregio* ab opere *Phrygio*, voce mutuata, deduxerit. In *Annibalis Cari* versibus *le Cotte à divisa* est *Crocota*, vestis tincta & limbo circumdata. Dixit etiam *Hieremias*, *qui nutriebantur in Croceis. Fiocchetti* vero redimicula sive ligamina Mitræ significant. PIGNOR.

lius: quæ ideo dicta velim, quoniam vir magni in hisce studiis nominis, solas vetulas gestasse vult *Mitras*.

Verum an etiam matronarum *Mitræ* similes *Trojanis* fuerint, dubito; neque enim tale quid in statuis observasse memini. Matronarum etiam *Mitras* appellatas fuisse *callanticas* scribit *Servius*, quarum & *Nonius Marcellus* meminit, *Ciceronis* adhibita auctoritate. Nostri vero communiter receperunt pro capitis matronalis ornamento, quod *Græco-Barbare* κουφία sive σκυφία appellatur, prout doctus ille notat *Meursius*. Ab *Hetruscis Cuffia*, a *Venetis* appellatur *Scuffia*. Matronæ itaque gestarunt *reticulam*, prout collegit ad *Athenæum Casaubonus*, atque differens a *Trojanorum Mitra*, ut patet ex *Isidoro Originum Libro* XIX. *Cap.* XXXI. Verum ista alteri, si redeat, relinquamus *Casaubono*. Capitis gestamen *Trojanorum* nostrorum describit *Servius* ad *Librum Æneid.* IV. & IX. habuisse [1] aliquid infra dependens, nominando *baccarum tegmen*, quod nonnulli emendant *buccarum tegmen*, quo & respiciunt illa *Juvenalis*, quæ id confirmant *Satyra* VI. *versu* DXV.

— — Cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygia vestitur bucca tiara.

Ubi *Scoliastes Antiquus* explicat fuisse pileum Sacerdotalem, qui per genas descendens infra mentum colligabatur, ut ita Mitra ista Sacerdotalis plane talis esse potuerit, quale caputium quoddam cernere licet apud *Gruterum Pag.* XVII. *Num.* V.

At vero notum Antiquariis est appellationes hasce passim solere confundi apud Veteres, *Lucianus* enim in [2] *Dearum Judicio tiaram* tribuit *Ganymedi*, quum proprie debuisset *Mitram* vocare, prout hodieque visitur istud tegumenti genus [1] in Antiqua *Ganymedis* Statua, quæ conspicitur *Venetiis* in porticu quadam erecta, ubi Serenissima Respublica multas pretiosas Antiquitatis 70
conservat Reliquias, tam *Græcas* quam *Romanas*, 71
quæ quidem artificio atque integritate pulcherrimis, quæ *Romæ* ostenduntur, rebus nihil concedunt.

Qui vero istius Statuæ accuratissimam videre velit declarationem, is *Lucianum* adeat *loco citato*, ubi narrantem *Veneri* atque *Junoni* inducit *Ganymedis* raptum *Mercurium*, neque enim sculptoris melius scalpro, quam *Luciani* calamo res exprimi potuit.

Appulejus insuper *Libro* X. tiaram pro mitra *Paridi* tribuit, quale caputium etiam *Orientis* typus gestat in Numismate *Trajani* ab *Ænea Vico* publicato. Et tamen diversa caputiorum fuere genera, mitra *Trojanorum*, atque *Dacorum*, pilei, *Parthorum* aliorumque *Orientalium* populorum tiaræ atque cidares, prout & in Nummis passim est videre, & in Figuris, quas in *Arateis Phænomenis* publicavit insigne literarum decus *Hugo Grotius*.

---

1 *Aliquid infra dependens*] Quod ad vivum cerni potest in *Minervæ Trojanæ* galea in pilei *Phrygii* modum efformata, dependent utrinque buccarum tegumento, quod sub mento colligari potuit, *Tabula* IX. *Num.* V. & VI. licet id non observaverit sagacissimus alias *Begerus*, qui hos Nummos explicandos sibi proposuit in *Thesauro Brand. Pag.* CCCLIX. & CCCLX. Sed & Deus *Romanorum*, qui fere ut *Atys* depingi solet, *Noctulius*, tale gerit caputium, ut eadem *Tab. Num.* III. videre est, ac *Begero* itidem *Tom* III. *Pag.* CCXCII. atque ipse *Atys* in *Tabulis* subsequentibus, nec non in Apophoreto pastor *Paris* hac eadem *Tab. Num.* II.

2 *Dearum Judicio*] Id semper a pictoribus atque sculptoribus non fuisse observatum docet Gemma excisa ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* I. *Pag.* XLIII. quæ nobis istud repræsentat judicium, ubi nudum *Paridis* visitur caput, atque hic *Tab.* IX. *Num.* VII. secus ac *Num.* II. in eadem. Notandum vero Phrygium illud capitis tegumentum venit in *Mida Tab.* IX. *Num.* IV. ex *Nicasio Pag.* LXIII.

1 *In antiqua Ganymedis statua*] Statua hæc pulcherrima visitur *Tab.* X. *Num.* I. non alia sane ratione, quam in subjecta mox Notis hisce *Tabula Num.* IV. & V. idem raptus diverso scemate repræsentatur, in qua figuræ quidem II. III. & VI. magis ad illam accedunt, quæ expressa jam est *Tab.* VI. *Num.* I. Repræsentatur vero ut pocillator jam *Jovis Num.* 4. De nummo autem isto Græco ita scribit Ill. *Spanhemius* ad *Juliani Cæsaris Imperatores Pag.* 77. „Et laquelle Medaille, pour le dire „en passant me rapelle le souvenir d' une pareille Statue „de *Ganymede* enlevé par l' Aigle, transportée de la „*Grece* à *Rome* au Temple de la *Paix*, dont parle Dion „Chrysostome, & à laquelle, comme M. *Tristan* l'a „fort bien remarqué sur une Medaille de ce Temple, „le Poëte *Juvenal* fait allusion,


„ *Nuper enim, ut repeto Fanum Isidis & Ganymedem*
„ *Pacis.*

„& non *a l' Autel de Ganyméde*, comme font encore „ses derniers Interprétes, malgre l'ancienne Glose de „ce Poëte, *Statuæ ad quas conveniebant Cinædi.*















V.



VI.

I.
Statua antiqua Venetiis.

Persei hæ atque Aquarii figuræ ex M.S. *Hygino Bibliothecæ Lugd. Bat. sunt desumtæ.*



II.

Vas marmoreum ingens Caietæ.



III
Sarda



IV.

Mercurii Clypeus.

[1] Pallioli genus, quod super humeros cernitur, juventutis insigne & gestamen erat, *ephebicam chlamydem* appellat *Appulejus Libro* x.[2] propriumque *Mercurio*, prout docet *Martianus Capella Libro* I. qui eo in loco illustratur ab Editore suo, quem modo laudavimus, *Hugone Grotio*. Hisce adjungi possunt delineationes, quæ præ manibus sunt, *Amphionis* ut & *Hyacinthi*, apud *Philostratum* in Imaginibus, ut & Annulus Antiquus apud *Abrahamum Gorlæum* in *Dactyliotheca* sua *Num.* CLXV. Statua item *Meleagri*, quæ *Romæ* est; quondam vero fuit Domini *d' Aquino*, neque enim, ut vulgus putat, *Adonidis* est, sed *Meleagri*.

Idem quoque caputium in capite gerit [3] *Atydis* Sigillum æneum, quod una cum ærea item manu quadam, mysteriis *Magnæ Matris* repleta, inventum est præteritis annis *Tornaci* in *Flandria*, ante duos annos a nobis publicatum, atque Commentariolo, prout nuper iterato, illustratum. Visitur quin imo *Romæ* Statua *Attydis*, Sigillo nostro, quod modo memoravimus, in cunctis persimilis. Invenitur vero in Palatio *Cæsiorum*. Sed & æreum itidem *Attydis* Signum longe antiquissimum & undique lævigatum est apud Nobilissimum *Peirescium*, Senatorem Regium Parlamenti Provenciæ [1] Habitu stat saltantis ludentisque ex regionis more. Caput mitra sive tiara, dependentibus buccarum tegumentis, ornatur, In mitra vero conspicitur fibula, quam notat ad *Martialis Lib.* I. *Epigr.* LIII. *Scriverius*. In isto Sigillo oculorum orbes ex argento formati sunt, fibula etiam ad pectus est argentea, ut & quatuor ex illis fibulis, quibus femoralia & tibialia connectuntur, masculini sexus virilisque formæ. Habet quid rusticanum atque satyricum, ad indicandam, ut puto, originem atque educationem, quod nescio quid *hirquinum atque Phrygium*, prout dicit *Arnobius Libro* v. in fine, repræsentat.

[2] Statuam vero sive Signum istud *Tornaci* inventum, ære exprimi hoc loco jussimus, ut & sub signo *Aquarii*, ex *Arati*, ut modo diximus, Antiqua Pictura *Ganymedem*.

Qui vero videre desiderat marmoream istam, 72
quam in *Cæsiorum* Palatio esse dixi Statuam, 73
Mazochium adeat *Pag.* CLXXI. Collectionis suæ *Epitaphiorum Romanorum*. Expressimus etiam ipsi in libro *Chartarii De Imaginibus Deorum Pag.* CLXXXVIII.

1 *Pallioli genus*] Præterquam in Statua ista *Tab.* x. *Num.* I. id etiam in altera raptus figura modo jam expressa, in fragmento isto, accurate videre licet. Proprium vero *Trojanis* fuisse gestamen apparet ex insigni apud *Virgilium* loco *Æneid. Libro* III. *versu* CCCCLXXXIV. ubi

Et Phrygiam Ascanio chlamydem,

inter reliqua portans dona *Andromache*, ita infit *versu* CCCCLXXXVI.

Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromaches testentur amorem,
Conjugis Hectoreæ.

2 *Propriumque Mercurio*] Recte hæc observavit *Pignorius*. Ita enim ornatus ejus occurrit in Statuis *Tab.* v. *Num* IX. x. XI. ex *Begero Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCXXXII; depromptis, & in Gemmis, ut *Tab.* x *Num.* III. ex *Sponio*, *Pag.* CXXII. insigni ejusdem Dei Clypeo *Num.* IV. ex *Begero* iterum ibidem *Pag.* CCXXXVIII. & denique pulcherrimo, quod *Cajetæ* est, vase marmoreo *Num.* v. ex *Sponio* rursus *Pag.* XXV. ubi *Bacchum* infantem Nymphæ nutriendum tradit, juxta *Diodori* descriptionem *Libro* v. atque *Ovidii* hos versus *Metamorph. Lib.* III. *versu* CCCXIV.

——— *Inde datum Nymphæ Nyseides Antris*
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.


Describitur etiam *Apulei Libro* x. *Mercurius* ut *luculentus puer, nudus, nisi quod ephebica chlamide sinistrum tegebat humerum.*


3 *Atydis sigillum æneum*] Huic simile spectare licet ex *Begeri Thes. Brand. Tom.* III. *Pag.* CCCXII. cum cunctis suis ornamentis *Tab.* XI. *Num.* III. Simulacrum vero illud, de quo loquitur *Pignorius*, exprimitur *Tab.* XII.

1 *Habitu stat saltantis*] Qualem cernere est in subjecta tabella *Num.* II. in qua & varius ejusdem pueri, cum pileo suo Phrygio reliquisque ornamentis depingitur habitus, ex variis Antiquitatum Monumentis.

2 *Statuam vero*] Confer *Tabulam* XI.













CLXXXVIII. in qua tabula quædam adjuncta sunt, quæ in ipso Marmore non reperiuntur.

Eundem & habitum superstites quidam Nummi nobis conservarunt, *Hadriani* scilicet, *Antonini Pii*, atque *Caracallæ*. Fuit autem Princeps *Hadrianus* is, qui totum quasi circumiit Orbem *Romanum*, beneficus & liberalis in cunctos, supra modum verum curiosus. Cum itaque esset in *Asia*, etiam *Phrygibus* necessario quid præstare debuit, unde & ex beneficio isto nomen meruit RESTITUTORIS PHRYGIÆ. Quod & ipsum meruit nomen atque decus ex GALLIA, ACHAJA, AFRICA, BITHYNIA, HISPANIA atque ORBE TERRARUM universo. Hinc est, quod in ejus cernantur Numismatibus TELLUS STABILITA, MAURETANIA, AFRICA, ASIA, CAPPADOCIA, GERMANIA, HISPANIA, ÆGYPTUS, ALEXANDRIA, NILUS, HERCULES GADITANUS, atque infiniti ejusdem in Provincias ADVENTUS.

Antoninus Pius etiam in quodam suo Numismate expressit *Æneam*, humeris *Anchisem* patrem ferens, implicato dextræ *Ascanio*, idque, ut originem indicaret *Romanorum*.

Atque hinc est, quod satis sæpe in *Romanis* Antiquitatibus occurrant *Penates*, *Scrofa* & *Palladium*. In Numismate vero *Pii* memorato, quasi cistulam quandam manu tenet *Anchises*, in qua scilicet res quædam sacræ erant reconditæ, quod hisce tangit *Virgilius Æneid.* II. *versu* DCCXVII.

Tu, genitor, cape Sacra manu — ——

In Nummo etiam, argenteo *Julii Cæsaris* videre est *Æneam*, humeris ferentem patrem, dextra vero *Palladium* gerentem, ubi *Anchises* longis, atque ad pedes usque fluctuantibus indutus est vestibus.

Per *Asiam* etiam, ut ex *Dione* constat, peregrinatus est *Caracalla*, unde & *Phrygiam* collustrasse conjicere forsan est ex *Pessinuntiorum*, *Smyrnæorum*, *Amastrianorum*, atque *Tianorum*, quæ vicinæ inter se erant Urbes, Numismatibus. Unde & forsan *Phrygia* in quodam ejus conspicitur Nummo, quæ semper mitrato effigiebatur capite.

Hac denique ratione *Raphaël Urbinas*, excellentissimus Pictor, quique solus inter illos decus geniumque cognovit artis, [1] in quadam tabula depicturus *Æneæ* naufragium, ejusdemque errores, tam mirifice a *Virgilio* decantatas, consilio cum *Bembo* atque *Sadoleto*, viris præstantissimis inito, *Trojanos* mitratos finxit. Sed & *Antonius Augustinus*, in *Dialogis* suis *de Numismatibus*, illarum etiam mitrarum mentionem facit, testatus vidisse se depictas in *Virgilio* MS. Cardinalis *Bembi*, qui idem ille est liber, qui post *Bembi* mortem ad *Bibliothecam Vaticanam* devolutus est, cujusque supra ampliorem fecimus mentionem.

74 Sed neque ipsa, quæ cuncta mutat, temporis
75 vetustas abolere mitræ istius in Patria nostra potuit usum. Istud enim, quod *Corno* apud nos vocatur, capitis tegumentum, in Serenissimi Reipublicæ nostræ Ducis ornatu, nihil aliud est, quam *Trojanorum* mitra. Conferri autem meretur *Carolus Pascalius Libro* x. *De Coronis*, *Cap.* v. qui etiam satis multa egregiaque prorsus observavit ad *Trojanorum* mitram *Libro* v.

1 *In quadam Tabula*] Quam & ipsam, una cum aliquot ex iis, quæ citavit, Numismatibus expressit in ære *Pignorius*, & nos ex illo *Tab.* XI. *Num.* II.

CAPUT XIII.

Aquileja in terra Veneta. Gallorum in istas oras profectio. Contraria Strabonis opinio. Plinii examinatur testimonium. Japides & Carni. Scylax Caryandensis antiquissimus Geographus. Justinianus Imperator. Silius Italicus T. Livii imitator. Notitia Provinciarum, liber ita vocatus. Alarici in Italiam adventus. Venantius Fortunatus natus in oppido Val di Dobbiadene, nostræque Diœceseos. Aquilejæ amplitudo. Veneti Romanorum socii. Venetiæ distinctæ in superiores & inferiores. Earum fines. Sylva cujus meminit Martialis. Servius emendatus. Venetiæ vocata Italia Transpadana & Gallia. Venetiarum amœnitas, lacus. Faunus Antenoreus. Sola, ejus terræ nympha sic appellata. Cimbri deliciis ejus terræ debilitati. Fertilitas atque deliciæ Venetiarum earumque terræ.

SIcut vero *Veneti*, ut vidimus, nomen suum *Venetæ* dedere provinciæ, ita & decet, ut aliquanto de terris istis agamus distinctius, quum vel sola, si nihil aliud restaret, id mereatur ejus Metropolis hodierna, quæ per nobilitatem antiquitatemque, ut & per divitias atque indefessum studium retinendi, tota jam tantum non ad servitutem prolapsa *Italia*, antiquæ libertatis dignitatem, mundi Magis quam Urbis digna est nomine.

Invenio autem *Venetias* a Transmontanis territorium atque ipsam includere Civitatem *Aquilejæ*, neque aliud desidero ejus rei testimonium, quam ipsius *Livii*, qui, veri auctor, terram hanc optime novit. Scribit is *Libro* XXXIX. Anno U. C. DXLIV. *Gallos* quosdam *Transalpinos*, absque bello aut prædatione in *Venetas* excurrisse oras, atque non longe ab isto loco, ubi postea condita fuit *Aquileja*, consedisse oppidumque ibi ædificasse. Scribit, eodem *Libro*, eosdem *Gallos* Anno DLXVIII. exstruxere sibi oppidum incepisse, 76
ubi postea *Aquilejæ* fuit territorium.

Non me fugit, *Strabonem* contra communem, ut dicit *Bernardus Justinianus*, opinionem, *Aquilejam* extra *Venetas* oras locare, quidque isto in loco contra istam opinionem proferat, verum, ut dixi, *Livio* plus credo, qui & *Italus* fuit, & ejus regionis, resque istas præ cunctis aliis Scriptoribus cognitas habuit.

Neque adversatur *Plinius*, si modo recte locus ejus consideretur. Decimam enim *Italiæ* regionem *Venetias* dicit *Libro* III. *Cap.* XVIII. cunctaque, quæ ille in isto *Capitulo* describit, ad *Venetias* pertinent, atque ita etiam intellexit *Sabellicus*. Quod autem mox dicit, ubi *Aquilejæ* mentionem fecit, *Carnorum hæc regio junctaque Japidum*, eo antiquos istius terræ colonos indigitare vult, non vero tollere nomen & dominatum *Venetiarum*, idque clare demonstrabimus.

Japides, quos secundo loco nominat *Plinius*, erant in oris *Venetis*. Docet id *Servius* ad *Æneid.* XI. *versu* CCXLVII.

Victor Garganei condebat Japygis arvis.

licet ibi *Japyges* confundat cum *Japidibus*, sive idem *Servius*, sive alius quidam Grammaticus. Ad *Librum* vero *Georgicor.* III. *versu* CCCCLXXV.

Castella in tumulis & Japidis arva Timavi.

magis solide *Japides* appellat, qui in *Venetis* erant oris. Agnoscit idem *Bernardus Justinianus Historiarum Libro* III. *Japidiam* ditioni *Venetiarum* assignans.

Quod si ita est, quanto magis idem de *Carnis*

nis dicendum, nisi *Plinium* dicamus eos non suo posuisse loco, prout putat *Cluverius*, brevitatem fraudi fuisse existimans. Et sane alibi *Cap.* XX. scilicet ejusdem *Libri*, inter *Alpium* incolas recenset, prout & facit *Cap.* XXIV. Ita & *Strabo* ubi de *Carnis* agit *Libr.* IV. V. & VII. modo dicit incoluisse montana prope *Aquilejam*, modo *Cenomanensibus*, *Medoacis* aut *Symbris* annumerat. *Cenomanenses* scimus ubinam fuerint, de reliquis conjectura opus est. Recte itaque scribit *Baptistæ Mantuani Scoliastes*, *Carni*, *populi Venetiæ*, *quorum Metropolis Aquileja.* Neque, contrarium ut credam unquam inducar, tanto quidem magis, quoniam video antiquissimum Geographum *Scylacem Cariandensem* in *Periplo* suo *Venetias* usque ad *Istriam* extendere, dicitque *Cluverius*, antiquos omnes *Venetorum Venetiæ*que nomen ultra *Timavum* usque amnem protulisse. Secundum illos & *Sigonius*, peritissimus ille observator Antiquitatis, *Carnos* adscriptos fuisse dicit *Venetiis.*

77 Scio contrarium asseverasse alios, verum non opus erat falsam opinionem, inducta altera, item falsa, defendere.

Atque ita, sive primæ originis, sive dilatatæ ditionis jure, sine controversia *Venetorum* fuit *Aquileja.* Id vero tam clare affirmat magnus ille Imperator *Justinianus*, ut contradictioni locus nullus sit, idque *in Novella* sua XXIX. ad *Johannem* Prætorio Præfectum scriptum, ubi Magistratum *Paphlagonum* creat sub Prætoris nomine, Gentemque illam ut antiquam & nobilem describit. Verba ejus sunt, *In tantum quidem, ut & magnas colonias deduxerit, & sedes in Venenetiis Italorum fixerit, in quibus & Aquileja omnium sub Occidente urbium maxima, & quæ multoties cum ipsis etiam Regiis certamen susceperit.* Et sane puto *Justiniano* notiora hæc multo, quam *Straboni*, fuisse. Sed & ipse *Silius Italicus* copias militares quasdam enumerans, ubi dixerat *Libro* VIII. *versu* DCIV.

Tum Trojana manus tellure antiquitus orti
Euganea, profugique sacris Antenoris oris.

mox subjungit *versu* DCVI.
Nec non cum Venetis Aquileja perfurit armis.

Sciendum vero est, magna cura *Livium* nostrum imitasse *Silium*, ut plus uno in loco observavimus, neque verbis, nisi ad *Liviana* respicias, aptus sensus inesse potest.

Episcopus etiam *Jornandes Libro de Rebus Geticis Cap.* XLII. *Venetiæ* appellat Metropolim. *Paulus Diaconus* etiam *de Gestis Longobardorum* scribit: *Hujus Venetiæ Aquileja Civitas exstitit caput.* Collectio etiam Provinciarum Imperii *Romani*, quam *Romæ* jam Anno MDV. publicavit *Jacobus Mazochius*, sub titulo: *Nomina Regionum cum Provinciis suis*, hæc ipsa verba habet: *Venetia cum Istris, in qua est Aquileja*; pariterque qui eundem edidere libellum, eandem agnoscunt lectionem *Antonius Schoonhovius*, & *Andreas Schottus*, quomodo & legitur in MS. Antiquo Bibliothecæ *Vaticanæ.*

Audiamus denique, quæ *Claudianus* canit in VI. Consulatu Imperatoris *Honorii versu* CXCIII.

Sic fatus Ligures, Venetosque erectior amnes
Magna voce ciet, frondentibus humida ripis
Colla levant, pulcher Ticinus, & Addua visu
Cærulus, & velox Athesis, tardusque meatu
Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.
Insultant omnes profugo.

78 Jam vero interrogo, an *Liguriæ* sit flumen *Timavus*, si non, ergo *Venetus* & amnis, si vero *Timavus* est *Venetus*, quanto jam magis longe propior *Aquileja.* Cum enim, *Libro De Bello Getico*, scribat *Claudianus versu* DLXII.

Excusate nefas, deploratumque Timavo
Vulnus, & Alpinum gladiis abolete pudorem.

non alium intellexit *Timavum*, quam illum *Aquilejæ Venetæ*; neque unquam alter ejus nominis fluvius exstitit, prout apud Historicos & Topographos videre est. Ut adeo falsa sint, quæ de duplici *Timavo*, altero *Aquilejæ*, altero *Venetiarum*, somniarunt quidam. Verum hoc commentum inferius explodendi locus erit.

Claudiano, qui hisce oris haud peregrinus fuit, ut in *Apono* suo videre est, adjungemus *Venantium Fortunatum*, qui *Trevisianus* fuit in temporalibus, in spiritualibus *Patavinus*, utpote natus in loco *Val di Dobbiadene*, vir temporibus istis eruditissimus, floruit autem Anno DLXX. extremo S. *Martini* tempore, cujus & vitam Heroico perscripsit Carmine. Hic, ubi de via, quæ in *Italiam* ducebat, agit, ita scribit,

Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur Alpes,
Altius assurgens & mons nubila pergit.
Inde foro Juli, de nomine Principis, exi.

& duobus post versibus, ubi nominavit loca illa, quæ nunc dicuntur *Osaf*, & *Tagliamento*,

Hinc Venetum saltus campestria perge per arva,
Sub montana quidem castella per ardua tendens,
Aut Aquilejensem si forte accesseris urbem.

Nominat dein *Concordiam*, *Trevisium*, *Cenedam*, *Val di Dobbiadene*, *Patavium*, *Brentam*, *Reronem* & *Adicem*, quæ nobiles Urbes atque Fluvii erant in terris *Venetis.*

Quæ quidem cuncta allata a nobis sunt, & quoniam Urbs tam nobilis, atque magnifica, prout ex verbis *Justiniani* Imperatoris pervidimus, & describit *Herodianus Historiar. Libro* VIII. quamque nec *Romæ* cedere dixit *Ausonius*, grande quidem patriæ nostræ decus mihi existimatur; & quoniam maximo jure ad Serenissimam Rempublicam *Venetam* pertinet, ad quam *pleno jure*, ut juris Consulti dicunt pervenere, sive potius translatæ sunt, atque rediere cunctum dominii jus omnisque potestas, quam in illam habuere *Veneti* antiqui, quique & fœdere & jure, prout *Polybius* & *Strabo* scribunt, aliquando socii *Romanorum*, non vero subditi fuere. Quod si illam dein Imperii potentiæque *Romanæ* torrens ad se 79
rapuit, atque bellorum civilium procellæ pessimis istis temporibus, communi servitutis conditioni involverint, ea quidem non ratio atque jus, sed vis fuit.

Qua ratione autem dicemus, quæ propria ejus verba sunt, quod plurali *Venetiarum* nomine *Justinianus* Urbem appellaverit, proprietate sane notabili. Jam scilicet divisæ erant *Venetiæ* in Superiorem atque Inferiorem, prout Dominus meus *Hieronymus Aleander* annotavit, literarum politiorum honos & decus, in Libello suo inscripto *Refutatio Conjecturæ Anonymi Scriptoris de Regionibus Suburbicariis.* &c. *Dissertatione* II. *Cap.* III. Quare & apud *Servium*, & apud *Paulum Diaconum*, plus uno in loco *Venetiarum* in plurali mentio est.

Unde cunctis illis, quæ adduximus, bene perpensis, non extra rationem scripsisse videtur *Jo. Zonaras Annalium Libro* II. hæc verba: *Aquileja ea fuit, quæ nunc Venetia dicitur*, nisi quidem sit error Interpretis. Ex hac autem *Venetiarum* pluralitate derivo nomen Latinum celebratissimæ istius Metropolis.

Confinia autem ejus fuere, ut scribit *Petrus Justinianus*, *Addua*, *Eridanus*, *Timavus*, lacus

di Garda, Mare *Adriaticum*, & *Alpes*. A meridie quidem *Eridano* claudebatur, ut scribit *Sigonius Libro* I. *de Antiquo Jure Italiæ Cap.* XXV. Sed & *Jornandes Libro de Rebus Geticis Cap.* XXIX. scriptum reliquit, *Venetos* etiam *Ravennæ* dominos fuisse.

Fuerit vero antiquis temporibus, necesse est, Sylva quædam, cujus meminit *Martialis Libro* IV. *Epigr.* XXV. loci amænitatem laudans.

[1] *Et Phaëthontæi conscia Sylva rogi.*

Solebant enim istis temporibus fluminum ripas large arboribus conserere & vestire, prout videre est apud *Virgilium Libro* VIII & IX *Æneid.* & *Sidonium Apollinarem Libro* I. *Epist.* V. ut & *Plinium* Juniorem in *Clitumni* fontis descriptione. Neque alia ratione apud *Propertium Libro* I. *Eleg.* XII. *versu* IV. legitur

B

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Ita enim in cunctis bonis atque vetustioribus legitur Editionibus, non vero ut nuper quidam, contra puritatem styli *Propertiani*, legem versus atque orthographiam, publicarunt,

Quantum Hippanis Veneto distat ab Eridano.

C

80 Inspici autem ad locum istum meretur elegantissimus *Muretus*, ut & *Cluverius Libro* I. *Cap.* XXXIV.

Ab Oriente vero mare, ab Occidente flumen *Adduam* terminos ditionis habuere *Veneti*, prout *Paulus Diaconus* & *Jornandes* docent. Hinc est, quod narrat citatus supra *Sidonius*, se *Brixelli* reliquisse *Venetum* remigem succedente *Æmiliano* nauta. Ut autem ibidem ex illo audivimus *Lambrum*, *Adduam* & *Mincium* navigavit. Imo & *Mantua* ipsa quondam ditionis nostræ fuit, quod firmat *Servius* ad *Æneid. Libro* X. *versum* CCI.

D

Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.

ut & lacus *di Garda*. Duo autem verba in *Servii* isto loco corrigi debent, ubi enim scribitur *Celsenam, quæ nunc Bona dicitur*, reponi debet, *Felsinam, quæ nunc Bononia dicitur.*

Omnis vero ista terra, ut & *Scardeonius* observavit, quondam & *Italia Transpadana*, & *Gallia* vocata fuit. *Aulus Gellius*, delicatissimus Scriptor *Noctium Atticarum Libro* XV. *Cap.* XVIII. citans augurium Auguris nostri *C. Cornelii*, narrat accidisse *Patavii* in *Italia Transpadana*. Venit autem hæc denominatio ratione situs terræ versus *Romam*. Allato modo loco *Galliam Cisalpinam* appellat *Servius*, unde & *Vibius Sequester* in Libello suo *De Fluminibus*, *Timavus Aquilejæ*, *Galliæ*; & *De Lacubus*, *Benacus Galliæ*, *Mincius Galliæ Cisalpinæ*, & plura ejus rei signa habent *Livius* & *Pomponius Mela*.

E

Istud forsan ex sola ista, quam supra attigimus, natum est opinione, *Venetos* scilicet fuisse *Gallos*, quod tamen haud fuere. Ita ut & *Vitruvius*, prout annotavimus, agens de paludibus, quæ suo tempore erant circa *Altinum*, *Ravennam*, atque *Aquilejam*, illas appellet *paludes Gallicas*. Longo post tempore *Longobardi* nominarunt *Marcam* & a *Trevisio Trevisianam* regionem. *Carolus Magnus*, ut scribit *Volaterranus*, sive *Ecclesia Romana*, ut

F

1 *Et Phaëthontæi*] Fabula *Phaëthontis* ejusque sororum in nobili Achate collustratur a *Begero Thes. Brand. Tom.* I. *Pag.* CCIX. Videre illam hoc in Libello licet *Tab.* XI. *Num.* IV. De hac fabula ita *Sidonius Libro* I. *Epist.* V. *Ticini cursoriam* (*sic navigio nomen*) *ascendi. Quo in Eridanum brevi delatus, cantatas sæpe commessabiliter nobis risi & Phaëthontiadas, & commentitias arborei metalli lacrymas.*

A

affirmant *Blondus* & *Leander Albertus*, appellarunt [1] *Dalmatiam Supra Mare*. Atque ita etiam legitur in quodam meo *Provinciali* MS. quod inscribitur *Notitia Episcopatuum Orbis Christiani*, pariterque in *Catalogo Urbium*, sive *Episcopatuum Sinphoriani Champerii* Protomedici Ducis *Lotharingiæ*.

Quam vero amænus jam ab antiquis temporibus iste locus fuerit, non alio nisi, qui bene novit, *Martialis* testimonio, ut demonstrem, opus est. Scribit is *Libro* IV. *Epigr.* XXV.

Æmula Bajanis Altini littora villis; 81
Et Phaëthontæi conscia Sylva rogi.
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos Sola puella lacus.
Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas.
Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,
Si juris fuerint otia nostra sui.

Haud sane levis laus *Altini*, littus habere, quod cum *Bajano* certare queat: *Bajano*, quod *Propertius* appellavit *crimen amoris*, & de quo cecinit *Regianus*,

—— —— *quicunque natavit, amavit.*

Vel inde *Cumas* laudat *Juvenalis Sat.* III. *versu* IV. quoniam

Janua Bajarum est, & gratum littus amæni
Secessus.

Notavit etiam ante me vir sapiens atque intelligens multum *Josephus Scaliger* in *Notis* ad *Tibulli Lib.* III. omnes aquas calidas *Bajas* fuisse appellatas, quod & pluribus in locis apud *Sidonium* videre licet. Adjungo id, pari jure delicatos maris sinus gaudere, prout videre est in isto *Martialis* loco, & apud *Cassiodorum Libro* XII. *Cap.* XXII. ubi *Istriæ* describit dotes.

Sylva autem ista *conscia Phaëthontæi rogi*, quam supra, ubi fuerit inquisivimus, nulla alia esse potest, quam illa, cujus meminit *Ovidius Metamorph. Lib.* II. *versu* CCCLXXI.

—— —— *ripas virides amnemque querelis*
Eridanum implerat, sylvamque sororibus auctam.

ut & *Nemesianus* in principio *Cynegetici* sui

—— —— *sunt, ardua mundi*
Qui male tentantem curru Phaëthonta loquantur,
Ex-

1 *Dalmatiam Supra Mare*] Locus *Volaterrani* est *Geographiæ* ejus *Libro* IV. *Pag.* XXXVIII. *Edit. Frobenianæ*, ita se habens: *A Carolo autem Magno Dalmatia Supra Mare hæc pars appellata.* Id quomodo fieri potuit, ego quidem nescio. Legi quidem *Dalmatias*, numero plurali, in *Vita* quadam *Caroli Magni*, scripta a Monacho quodam *Gallo* & apud *Cassiodorum* similiter ad octo usque enumerantur *Libro* IX. In Libello etiam pluries citato *De Provinciis*, prima *Illyrici* Provincia scribitur *Dalmatia Supra Mare*, atque ita in Veteri Editione atque MS. *Vaticano* exstat. Verum istam scripturam antiquiorem tempore *Caroli Magni* existimo. *Blondi* quidem locus Edit. *Frobenianæ Pag.* CCCLXXIV. his invenitur verbis: „Eam regionem quandoque alias *Galliæ Cisalpinæ*, „quandoque *Trans-Padanæ Italiæ* partem, quandoque „*Venetiam* appellatam, *Romanæ* Ecclesiæ Monumenta „esse volunt partem *Dalmatiæ Supra Mare*. Ut nihil ab„surdius potuerit excogitari, cum nulla ex parte *Dal*„*matia* ad hujus regionis fines unquam pertinuerit. „Quamquam par esse videtur absurditas barbaro *Mar*„*chiæ* vocabulo maximas atque amplissimas Urbes, *Ve*„*ronam Patavium*que titulo subjici *Tarvisio*, quam ci„vitatem illæ opulentia, potentatu, & dignitate sem„per antea, sicut & nunc, longissime anteierunt. Po„sterior tamen fuit indita ab Ecclesia appellatio.„ Quæ quidem cuncta in medium prolata sunt a me, donec pleniora & certiora de *Dalmatia Supra Mare* edoceamur. PIGNOR.



III. Ex Ære.

I. Ex Aratæis.

II. Ex Ære.








Nummi
Hadriani et Antonini Pii.


Num. Anton. Pii.



IV. Achates.



Tabula picta a Raphaele Urbinate.











TAB. XII.





Amphitheatri Patavini Ichnographia.



Amphitheatri introitus.

Exstinctasque canant emisso fulmine flammas,
Fumantemque Padum, Cycnum, plumamque senilem,
Et flentes semper germani funere Sylvas.

Concordat *Prudentius* laudans

——— ——— *amæna profundi*
Rura Padi.

Ut &, quem citavimus modo, [1] *Sidonius*, qui scribit ripas ejus, quem navigabat, fluvii plenas fuisse arboribus atque viretis, & ubique resonasse cantu variarum avium ibidem nidulantium. Ut jam de *Padusa* taceamus *Virgilii Libro* XI. cui ibi-
82 dem immoratur *Servius*. Qui idem *Sidonius* cum *Luciano* deridet *Phaëtontis* atque *Electri* fabulam.

De *Fauno Antenoreo*, prout *Martialis* eum nominat, non possum dicere, quis illum memoraverit, sed crediderim, sicut Rex *Latinus* ipse suum habuit, ut *Virgilius* scribit in VII. ita multos credidisse de *Antenore*, scilicet ipsum apud Nostros non fuisse in minore honore, aut fama.

Pulcherrima vero ista inter *Dryades Nympha*, unde *Virgilius Æneid.* VIII. *versu* CCCXIV.

Hæc nemora Fauni Nymphæque tenebant.

& *Horatius*,

Faune Nympharum fugientium amator.

cur a *Martiale* appellatur *Sola Puella*? An quod unam modo eamque solam putaverint majores nostri a *Fauno Antenoreo* olim adamatam, ut *Virgilius* de alio quodam *Fauno* canit *Æneid.* VII. *versu* XLVII.

Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica.

An vero potius quod nomine proprio *Sola* appellata fuerit ista *Nympha*?

Et forsitan ab eadem nomen consecutus est locus in ripa [2] lacus *d' Arqua*, qui in montibus nostris *Euganeis* unicus est, apud amænissimum collem *Monte ricco*. Vocatur autem hodie *Solana*. Neque displicebat hæc mea conjectura ingeniosissimis amicis, *Martino Sandello* & *Marco Antonio Romito*, quum præterito anno una exissemus, ut sacros daremus flores cineri venerando sublimis istius viri, qui prolapsam Linguæ *Latinæ* majestatem erexit, *Italum*que nostrum Sermonem illustriorem reddidit.

1 *Sidonius*] Cujus hæc sunt verba *Libro* I. *Epist.* V. *Quorum ripæ thorique passim quernis acernisque nemoribus vestiebantur. Hic avium resonans dulcis concentus, quibus nunc in concavis arundinibus, nunc quoque in juncis pungentibus, nunc & in scirpis enodibus, nidorum strues imposita nutabat. Quæ cuncta virgulta tumultuatim super amnicos margines soli bibuli succo fota fruticaverant.*

2 *Lacus d' Arqua*] Cujus jam & mentionem injecit *Patavinus* noster *Columella* ad *M. Africum Clementem Lib.* VII. *Cap.* III. *Agriculturæ.* Dignus autem animadversione mihi venit error quidam *Raderi* in exponendo isto *Martialis* Epigrammate. Patet clare ex Commentario ejus, quod totum illud quasi de *Altini* littoribus dictum acceperit, quod secus se habere a capite ad calcem demonstrare pergam, neque aliud pro me adducere, necesse est, nisi ipsam locorum topographiam. Deceptus autem est *Raderus*, vir alias accuratus, titulo Epigrammatis, *de Littoribus Altini.* Verum, ut bene advertit *Scriverius*, non ab ipso *Martiale*, sed a descriptoribus tituli Epigrammatum profecti sunt. Conjici id satis etiam potest ex titulo Epigrammatis istius, quod in Editione *Junii* præfert hanc inscriptionem, *Ad Aquilejam*, cum ego quidem nullam aliam appingerem, quam *de Amænitatibus Venetiæ*. Dicit & *Calderinus*, quod laudet *Martialis* loca quædam *Venetiæ*. In MS. quodam, quod penes *Felicem Osium*, virum doctum, atque amicum nostrum est, hoc modo concipitur, *Ad Loca desiderata.* Recte tamen *Plinii* locum ex *Libro* III. *Cap.* XVIII. adduxit *Raderus* ad illustrationem versus VI. & VII. *Martialis*, prout & fecit *Calderinus*. PIGNOR.

Supersunt quidem adhuc alii quidam in agris nostris lacus, verum iste, qui *d' Arqua* appellatur, maxime animum rapit, atque illud obsusurrat *Virgilii Georg.* II. *versu* CCCCLXIX.

Speluncæ, vivique lacus, & frigida Tempe.

Pergit *Martialis*, nominans *Timavi* aquas prope *Aquilejam.*

Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas.

de quo inspici *Strabo* debet, qui *Libro* V. scribit non longe ab *Aquileja* fuisse *Timavum* cum portu, templo, luco atque fonte.

Ita ut magna cum ratione scribat *Florus Libro* III. *Cap.* III. *Cimbros* atque *Teutonas Venetiis*, ubi maxime amæna est, aëris atque terræ suavitate *Italia*, fuisse debilitatos. *Pulchram Trevisiorum terram* laudat *Petrarcha*. Qui vero gravius atque antiquius desiderat testimonium, *Polybium* adeat, *Li-* 83
bro II. ubi describit triangularem *Italiæ* figuram una cum basi, quæ est littus maris *Adriatici*. Ex cujus descriptione etiam patet incredibilis terræ fertilitas. Quod & *Marcianus Heracleota* & *Stephani* testatur Abbreviator, quos citat *Cluverius Libro* I. *Cap.* XVII. in fine. Unde recte idem *Martialis* [1] Patriæ nostræ campos scribit depictos pampinis varieque exornatos, nostrisque temporibus feracem amænamque planitiem appellavit *Benedictus dell' Uva* in *Martyrio S. Justinæ*.

CAPUT XIV.

Controversia de Timavo a quibus ventilata. Situs ejus ubinam. Livii, Strabonis atque Plinii convenientia in verbis. Oeconomia Virgilii. Martialis sententia nostræ non adversatur, sed favet. Error inexcusabilis Lucani. Hunc secuti tamen Statius & Sidonius. Situs Timavi secundum Geographos, ut & Medoaci. Jo. Ludovici de La Cerda sententia ad examen revocatur. Improbatur opinio recens de duplici Timavo. Medoacus duplex. Brenta a quibus sic appelata. A quibus antiquitus nomen acceperit. Brentesia. Medoacus, nomen Gallicum. Brenta ubi nascatur. Error Dantis ejusque Commentatorum.

NEscio equidem, an non & ipse debeam superare molestiam quam habuit *Antenor* in hac nostra

1 *Patriæ nostræ campos*] Juvat & *Virgilium* encomiastem terræ nostræ adducere, qui divinorum *Georg. Libro* II. *versu* CCXVII. hisce laudat:

Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres:
Et bibit humorem, & quum vult, ex se ipsa remittit;
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie & salsa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ est: Illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.

Eandem post *Virgilium* tali carmine contemplatus est *Jacobus Rufinus*.

Illinc aspectusque Urbis, tam nobilis ævo,
Quam studiis, & Dardanio positore verendæ
Admiranda animo tibi suggerit; & tibi lato
Flumine Medoacus sese circumfluus offert;
Cujus cymbiferis non tantum conspicis undis
Exstantes Nymphas colludere, sed quoque ferri
Munera fluentis Cereris, mitisque Lycei
Collibus Euganeis advecta, & pinguibus arvis;
Vectasque Hadriaco omnigenas e littore merces.
Et quæcunque hominum victus & commoda poscunt.

Denique apud doctissimum *Cælium Rhodiginum Libro* XIII. *Cap.* VI. non colles modo *Euganeos*, sed universam terram *Patavinam* laudat *Constantinus Palæologus*. PIGNOR.

nostra provincia occupanda. Nam forsan haud minor restat difficultas, qua probem flumen *Timavum* non esse nostram *Brentam*. Non quidem, quod veritas a nostris non stet partibus, verum ob auctoritatem illorum, qui contrarium hisce temporibus defendere sunt aggressi. Prolixius vero hanc controversiam persecuti sunt *Jo. Baptista Egnatius* in quadam sua ad *Mattheum Avogarum* Epistola, *Franciscus Luisinus Parergôn Lib.* II. *Paulus* etiam *Pincius* libello peculiari, ut & *Leander Alberti* in sua *Italiæ descriptione*. Qui quidem omnes diversam à *Timavo* censuere *Brentam*. Proferam & ego, quæ adjuvandæ tot Doctorum Virorum sententiæ faciunt. Et quidem primo *Timavi*, dein *Brentæ* examinabo situm, atque hinc insimul cum Historicis, Geographis, atque Poëtis diversitatem utriusque demonstrabo.

84 Quicunque Historias scripsere, ubi de *Timavo* incidit mentio, in *Japidia* collocarunt, erat autem *Venetiarum* ea, ut demonstravimus, pars *Aquilejæ* vicina, nec longe ab *Istria*. Eodem in situ collocat *Livius Libro* XLI. circa medium, & *Polybius* apud *Strabonem*. Prioris autem, ubi de *Antenoris* adventu scribit, consideranda sunt verba *in intimum maris Hadriatici sinum*, atque conferenda cum istis *Strabonis Libro* V. *Pag.* CCXIV. ex *Editione secunda Isaaci Casauboni*. Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου, καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον. Id est, *In ipso autem intimo sinus Adriatici Timavum est, Diomedis templum memorabile.* Neque discrepat *Plinius Libro* XIV. *Cap.* VI. scribens de Vino *Pucino* hæc, *gignitur in sinu Hadriatici maris, non procul a Timavo fonte.* & quidem isto *Timavo*, quem nominavit idem *Libro* III. *Cap.* XVIII. pariter jungens, hoc modo, *Amnis Timavus, Castellum nobile vino Pucinum.* Idem postquam, prout fecit & *Strabo*, nominaverat *Aquilejam*, ejusdem meminit fluvii, scribens *Libro* II. *Cap.* CIII. *Et in Atinate campo fluvius mersus, post viginti mille passuum exit, & in Aquilejensi Timavus.* Meminit denique & *Libro* III. *Cap. ult.* collocans prope *Istriam*. Neque aliter exstat scriptum in *Antonini Itinerario*, prout notavit etiam *Egnatius*. Est autem *Itinerarii* istius auctoritas irrefragabilis, utpote publico nomine edita in usum privatorum, magistratuum & militiæ.

Quid autem dicemus de divina *Virgiliani* Carminis œconomia? Poëta scilicet ille accuratissimus, ubi *Antenorem* per medios duxit elapsum *Achivos*, penetrasse fecit sinus *Illyricos*, Regnaque cum illo superavit *Liburnorum*, subito ad *Brentam* nostram, tam longe dissitam, transvolasset, relicto vicino *Liburnis*, quos modo memoraverat *Timavo*, flumine celeberrimo, & in vera pariter falsaque Historia notissimo? Verum nullum alium cognovit unquam *Virgilius* fluvium *Timavum* nisi *Aquilejensem*. Hinc *Ecloga* VIII. *versu* VI.

Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris.

Ut & citato jam ante loco ex *Georgic. Lib.* III. *versu* CCCCLXXIV.

Tum sciat aërias Alpes, ut Norica si quis
Castella in tumulis, & Japidis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat.

Socium illi demus *Claudianum*, qui Carmine in *Honorii Consulatum* III. *versu* CXIX. recensens *Theodosii* iter in *Italiam*, scribit,

Illyrici legitur plaga littoris, arva teruntur
85 *Dalmatiæ; Phrygii numerantur stagna Timavi.*

Consulatur idem in VI. *Honorii Consulatum* (locum supra citavimus) ut & *de Bello Getico*, respicianturque *Virgilii* Poëtæ *aeriæ Alpes*, legaturque *Alarici* in *Italiam* adventus, neque enim, ut est in proverbio, magis ovo ovum simile est.

Sed neque insuper duo illi versus ullo modo *Brentæ* accommodari possunt,

Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum & pelago premit arva sonanti;

Nascitur enim ex duobus parvis lacubus, vicinis loco, qui *Perzene* vocatur, atque uno solum ramo. *Timavum* vero rustici *mare* nuncupabant ex testimonio *Polybii* & *Varronis*, *Ausonius* vero, idem innuens, *flumen marinum*. Neque sane aliter ex *Strabone* vel *Pomponio Mela* liquet.

Notanda autem venit insignis, quæ in illo inter *Virgilium*, *Melam*, atque *Claudianum* est, convenientia, ut omnes pariter *novem* illi tribuant *ora*. Quod non ita est capiendum, quasi per totidem meatus in mare se exoneraret, *uno* enim *ostio* emitti testatur *Mela*, ut & *Strabo* refert, sed ad scaturigines ejus referendum. Qui autem *Latinæ* Linguæ gnari sunt, sciunt, quid in fluminibus *capita* & *ora*, quid vero *ostium* & *ostia* sint. Quod si cum *Martiale* septem modo, non vero novem ora agnoscat *Strabo*, diversitati id temporum est tribuendum. Scio phalangem mihi Poëtarum posse opponi, verum non soleo facile credere Poëtis, nisi & studiosiores veri id affirment idem Scriptores, solent enim apud illos nomine licentiæ & figuræ venire vitium atque error.

Martialis primo procedat. Is *Libro* XIII. *Epigr.* LXXXIX. scribit

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Quibus verbis *Euganeum* appellans *Timavum*, ripis suis illum videtur expellere, atque commutare in *Medoacum*. Verum haud ita peregrinus in nostris oris fuit, neque de alio verba fecit *Timavo*, quam de *Aquilejensi*, prout & verba ejus intellexit *Paulus Jovius Libro* I. *De Piscibus Cap.* IV. ut & *Matthæus Raderus*, imo id docet satis superque ipse *Martialis*, dum *Aquilejæ* soli *Timavum* assignat. Scribit enim *Libro* IV. *Epigr.* XXV.

Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo.

ut & *Libro* VIII. *Epigr.* XXVIII.

An tua multifidum numeravit lana Timavum, 86
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?

ubi defendens *Merulam* recte *Domitium Calderinum* reprehendit *Raderus*, quasi Poëtæ verba de lana *Patavina* capienda essent, quod tamen neutiquam liquet ex verbis Poëtæ. Verum autem est *Altinum* huc non facere, ita ut *Euganeus* fuerit & futurus erit *Timavus*, quoniam *Euganei*, ut supra diximus, eo processerunt.

Docet id haud difficulter *T. Livius*, qui de *Antenore* agens, cum dicit, *venisse in intimum maris Hadriatici sinum: Euganeisque, qui inter Alpes mareque incolebant, pulsis* &c. Si vero ad *Euganeos* iste terræ tractus non pertinuisset, *Carnisque & Japidibus, qui inter Alpes mareque incolebant*, non vero *Euganeis* scripsisset *Livius*. Hoc etiam verum esse vidit *Cluverius*, diligentissimus Auctor, *Italiæ Antiquæ Libro* I. *Cap.* XV. adeoque cum ratione *Timavum* appellasse *Euganeum* Poëtam *Martialem*.

Quid de *Lucano* autem dicemus? Id scilicet, quod & ipsi Commentatores ejus agnoverunt, ipsum erravisse. Notissimi ejus versus sunt *Pharsalic. Lib.* VII. *versu* CXCII.

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

Ad

Ad quos versus in *Hypercrytico* suo *Scaliger* scribit, Poëtam, falsè admodum, vicinum *Apono* credidisse *Timavum*, cum & *Medoacus* ipse satis longe ab *Apono* distit, *Timavus* vero

—— per ora novem , vasto cum murmure montis,
It mare præruptum.

Quale quid nusquam in *Patavino* conspicitur. Neque sane video, quo se tutari possit *Lucanus*, nisi quod nece præventus inemendatum atque imperfectum Poëma reliquerit.

Ut vero error trahit errorem , ita & *Statius*, deceptus a *Lucano*, similiter errat *Sylvarum Libro* IV. in Carmine Lyrico ad *Junium Maximum* scripto, hisce,

Sed tuas artes puer ante discat,
Omne queis Mundi senium remensus,
Orsa Sallusti brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

Per *Timavi alumnum* ibidem intelligit *Livium*, & vidit forsan in *Martiali* , qui eodem cum illo vixit tempore,

87 *Censetur Apona Livio suo tellus.*

Istaque cum *Lucano* contulit. Sed & *Timavum* istum *Statii* Interpres *Fredericus Morellus* intellexit de *Aquilejensi*.

Sequitur pedem *Lucani* premens *Sidonius*,

Nec quos Euganeum bibens Timavum
Colle Antenoreo videbat Augur
Divos Thessalicam movere pugnam.

Verum isti , ut peregrino , facile condonari potest , non item aliis duobus , qui ipsi fuere *Itali*.

Liquet jam hinc, non eundem cum *Brenta* fecisse *Timavum* Antiquos, prout memoria patrum nostrorum scripsit *Junius Pomponius Sabinus*, & parum judiciose in suis Libris *Gilbertus Cognatus Nucerinus*. Sed nec id verum est, quod ad marginem Libri sui supra citatus posuit *Morellus*, scribens, *Patavii juxta Timavum siti conditor Antenor*.

Geographi ipsi errorem illum non admittunt; neque enim *Gerardus Mercator* in *Ptolemæo* suo, neque *Maginus* noster in suo, apud *Patavium* ullo modo *Timavum* collocant. Dicet vero aliquis, non novit *Ptolemæus*, atqui id ego respondeo incuriam Geographi istius arguere, quem inter alios non uno in loco castigat *Cluverius*. Quid autem opponent Adversarii auctoritati *Abrahami Ortelii* in *Theatro* suo, *Philippi Cluverii* in *Germania* sua & *Italia*, item *Marco Vellero* in *Antiquæ Vindelicæ Tabula*, *Jo. Antonio Magino* in *Ptolemaica Tabula recenti* , aut denique *Pyrrho Ligorio*, in suo *Foro Julii*. Illi omnes in Tabulis suis *Timavum* vicinum *Aquilejæ* posuere , *Medoacum* vero, sive *Brentam*, alio in loco. Quam autem omnibus istis parem pono, antiquissima *Tabula Itineraria*, quæ annorum circiter MCC. est, *Fontem Timavum* vicinum *Aquilejæ* ponit, magisque inferius dein *Patavium*, & majorem minoremque *Medoacum*.

Verum quoniam ad *Virgilii* istos versus *Jo. Ludovicus de La Cerda* nuperrime quædam commentatus est, posito favore atque odio, consideranda nobis veniunt , atque in quantum vera sint examinanda. Primo dicit, diversum a *Brenta* esse *Timavum*, quod & recte improbant *Dalechampius*, *Corradus*, *Candidus*, *Sabellicus*, *Volaterranus* aliique. Pergit dein *Timavum* ad *Carnos*, *Triestinos*, atque *Euganeos* pertinere. Quod ultimo loco dicit rectum est, nobisque favet , de *Trieste* autem illi non concedimus. Quæ autem de septem novemve oris sive capitibus fluminis commentatur , numerum novenarium mysticum esse dicens , & pro numero incerto ad multitudinem exprimendam sumi, non placent, licet & approbet *Pontanus*. Si enim vel maxime *Virgilius* ita accepisset, quo ore idem apud [1] *Pomponium Melam* Geographum defendi posset? Quod autem nomine *fontis*, *lacus*, *fluvii*, *maris* apud Scriptores veniat, id haud sufficere potest argumentum, ut fabulose dictum accipiamus. Habuit sane fontes suos *Timavus* , qui terra intercepti alio in loco rursus ebullivere, prout *Posidonius* & *Plinius* testantur , tangitque, quem mox proferemus, *Andreas Nanagerius*. Vocavere *lacum* , quoniam stagnantibus aquis ripam sæpe superavit. *Flumen* vero grande & *mare*, respectu ad ora atque capita appellari potuit. 88

Quod quidem non exstat in rerum natura, id falsum est, si vero *Vadianus* arentem aquis invenerit, regero & ipsum *Tyberim* similem casum fuisse passum *Romæ* Anno MDCVI. Imo si vel non exstaret amplius

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

agnoscere tamen possemus cum *Heleno*

—— arentem Xanthi cognomine rivum.

Neque majoris momenti est , quod in dubium vocat *Rhesendius Lusitanus*. Id scio, eundem in Carmine suo ad *Damianum a Goes* scriptum (*Patavii* nunc exstat) *Timavum* ponere in littore *Euganeo*.

Littoreque Euganeo pervestigare Timavi
Ostia num maneant, exstent num montibus illis
Fluminis ora novem, Dio celebrata Maroni.

Distinctionem etiam ab illo inter *Timavum* atque *Brentam* factam in præcedentibus agnosco.

Nunc prono Hadriacas Brenta descendere in undas.

Scardeonius insuper & nomine & cognomine male citatus , rivum haud mediocrem facit ; sed & etiamnum antiquum *Timavi* nomen obtinet. Ita ut neque *Timavus* sit unum mirabilium *Olai Magni* neque contra nos *Vadiani* quidquam valeat testimonium, neque probare possit *Resendius* a terra jam absorptum periisse flumen, neque Dictator in hoc negotio a Senatu Literario constitutus sit *Jo. Ludovicus de La Cerda* , qui confudit magis rem quam adjuvit.

Sed neque tam ignobilis *Brenta* est (ut inferius demonstrabimus) *Timavi* nomen ut suffurari opus habeat. Isto etiam labore facile possunt supersedere Antiquitatis studiosi, quo per longas ambages Parnassum ascendant, audituri, quid *Apollo Musarum* in tanta Poëtarum copia probet, cui aliud est negotium , quam ut Geographicas audiat lites.

Antiquum adhuc nomen obtinere *Timavum* diximus, quod sane verum est, & patere potest ex *Facio Ubertino*, qui in *Dictamundo* suo scribit *Lib.* III. *Cap.* II. 89

„ Per lungo al mare era nostro tragetto
„ In ver Ponente, & Timas trovammo
„ Ch'al ber mi fue, & al veder diletto.
„ Così andando nel Friuli entrammo
„ Vidi Aquileia.

Neque *Brenta* suo loco ab illo omittitur. Sed & posterior tempore *Andreas Nanagerius*, Senator gravis-

1 *Pomponium Melam*] Vult *Hebdomad. Libro* III. *Fabius Paulinus* , novenarium ibi pro septenario usurpari numero. At nimis clare dicit Geographus, *novem capitibus exsurgens.*

gravissimus, & Poëta mellifluus, in quodam suo in canem Epigrammate ita loquitur,

Ante canes omnes pastori carus Amyntæ
Nuper ab Illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur,
Nec vigilant socii, cætera turba, canes:
Qua rapidus sese media inter saxa Timavus
Mergit, & inde iterum prosilit amne novo
Ipse quidem &c.

Qui tamen alias *Medoacum* haud ignovisse hisce ostendit,

——— ——— *qua rapax*
Cultos per agros Medoacus fluit.

[1] Cardinalis etiam *Bembus* ligatæ pedibus solutæque *Italæ* linguæ decus,

„ ——— ——— & Gallo che se stesso offese
„ Via con le penne della fama impigre
„ Portar Licori dal Timavo al Tigre.

Ultimo denique loco *Julii Cæsaris Scaligeri* proferemus testimonium, humanæ naturæ portenti admirabilis. Scribit vir iste patriæ nostræ peritissimus *Exercitat.* CCII. V. vix ullibi terrarum copiosiorem aquæ inveniri locum, quam qui ad fauces est *Timavi*, ad *Eridani* quoddam os, non longe a *Ravenna*. Illum vero *Timavum* se dicere assèverat, qui in *Japidia* atque *Carnia* est, non vero *Medoacum Brentam* vocatum, ut male nonnulli opinati sunt Grammatici. Eadem fere habet ad *Martialis Lib.* VIII. *Merula*. Neque iste locus, quem *Herodianus* ἑπτὰ πελάγη nuncupat, qui erat palus *Padi*, pertinet ad *Timavum*, prout existimavit ad *Strabonem Isaacus Casaubonus*; ve-
90 rumque id esse perspici potest ex *Tabula Itineraria*, sub appellatione *Septem Marium*, ut & in *Antonini Itinerario*. Qui denique verum hodierni *Timavi* situm nosse vult, inspiciat is *Tabulam Topographicam*, quam proponit in *Historia ultimi Belli Fori Juliensis*, scriptor nobilis atque miles *Faustinus Moisessus*.

Verum quoniam vir multæ auctoritatis magni-
A que in Urbe nostra nominis, contendit, atque adhuc opinatur, duplicem apud Antiquos fuisse *Timavum*, illumque *Virgilii* nostram esse *Brentam*, annitar, ut probem sententiam meam, & aliter me sentire, quam ille, qui nullo nixus fundamento explicuit sententiam illius heroici viri, qui forte alias res adduxisset ad probandum.

Primo itaque dico, *Martialem* atque *Claudianum* non alium respexisse *Timavum*, quam illum *Aquilejæ*, prout satis clare supra jam demonstratum dedimus, *Lucanum* vero certo certius errare. Neque adeo insipide dixit *Candidus*, in regione *Euganeorum* esse *Timavum* & *Aquilejam*. Id enim sa-
B tis superque superius demonstratum est. Solus *Ammianus Marcellinus* in fine *Libri* XXXI. scribit *Alpes Julias Venetas appellabat antiquitas*. Itaque aliqua cum ratione *Aquilejam* & *Timavum* in *Veneta* posuit regione *Candidus*, sicut alius quidam etiam tenuit *Alpes* fuisse in terra *Veneta*, & loquebatur de veteribus.

Satis vero de *Aquileja* dictum est. At *Lucanum* satis peritum fuisse in apte collocandis fluminibus, montibus, urbibus & reliqua Geographia, non ausim affirmare, graviter enim ob id a multis Viris Doctis ad censuram revocatur. *Virgilium* vero per *Timavum* nihil aliud nisi *Brentam* intellexisse,
C ad id exclamare licet,

Pandite nunc Helicona Deæ.

Concedo itaque, quatuor illustria focinora a Poëta narrari de *Antenore*. Verum *fontem superare Timavi* facile fuisse factu, haud ita dixerim. Sciendum autem est vocem *ora* non *ostia* vel *ostium* fluminis, per quod exit, significare, sed caput, unde incipit; septem scilicet vel novem, ut alii, capitibus inter montana oritur, tanta copia tantoque furore, ut *mare præruptum* vocet *Virgilius*, atque premere arva dicat *pelago sonanti*; atque ita
D etiam *Ti. Donatus* interpretatus est. Vidimus & quomodo antiquitus ante *Virgilium* nominatus fuerit, adeoque diversa ab invicem *ostium* atque *ora* esse apud purioris ævi Scriptores, licet illi sequioris nonnunquam confuderint. Sed neque illud *superare* hic aliter intelligi potest, licet in XI. *Libro*, ubi item dicit *superare*, adjungat *amnem* & *longos flexus Virgilius*, 91
hic vero dicat *fontem*. Quod si verbum *superare* in dicta significatione intelligendum sit, deberemus dicere, *Antenorem* cum exercitu sese in montis visceribus celavisse. Quod non tantum dicere, sed
E etiam cogitare ridiculum est. Si vero nulla ad nos pervenit memoria, quid *Antenori* in ista *Timavi* superatione contigerit, culpa ea temporis est, quod & ipsam rerum memoriam, heu nimis fragilem! abolet. Certe dubitare vix licet, quin *Largus* iste, quem laudat *Ovidius*, de ingenii sui flumine id nos docuisset, si adhuc esset præ manibus. Nam *Messala Corvinus* Auctor fictus est, qui tantum cum nomine suo commune habet, quantum res diversissimæ.

Si vero, ut fecere, usque supra *Aquilejam* venere in vicino *Timavi Euganei*, appellasse eosdem ita fluvium istum credo a τιμάωμαι *Græco*, non
F vero aliunde ex alia lingua petito vocabulo, ut nugatus est *Goropius*. Vel si de illis neges, ad *Diomedis* saltem comites origo nominis referenda est.

Atque ita concludimus, *Virgilii Timavum* non esse alium, quam qui jam *Timaf* sermone vernaculo ab accolis dicitur.

Sed neque illud littorale ostium *Brentæ*, per quod in mare exit, ullo modo ad *Virgilii* verba: *it mare præruptum*, accommodari potest. Primo enim vis Poëtæ ita verbis infertur, quorum sensum male isto in loco expressit, qui eum *Itale* vertit *Carus*,

1 *Cardinalis etiam Bembus*] Suo loco *Petri Bembi* versus collocati sunt, licet enim aliam *Gallo* patriam nonnulli tribuant, *Forojuliensem* tamen fuisse vindicat ex *Eusebii* auctoritate Poëta. Legitur enim apud illum, *Cornelius Gallus Forojuliensis Poëta, a quo primum Ægyptum rectam supra diximus*, XLIII. *ætatis suæ anno, propria se manu interfecit.* Annotare hoc loco licet *Galli* istius periisse carmina. Supersunt quidem, quæ nomen ejus præferunt, Elegiæ quædam, quarum initium hoc est,

Æmula cur cessas finem properare senectus?

finis vero ita concipitur,

Claude precor miseras ætas verbosa querelas.

Parisiis atque alibi impressæ, verum istæ non sunt *Cornelii Galli*, verum *Maximiliani* cujusdam, qui satis diu post illum floruit, ad quem pertinet Inscriptio in basi marmoris piperini, inventa in loco, qui dicitur *Campo Vaccino*, est vero talis:

TARRVTENIO. MAXIMILIANO. V.C
ELOQVENTISSIMOQVE. CONSVLARI-
PICENI. ANNO. AETATIS. NONO. DECIMO.
VICARIO. VRBIS. ROMAE. LEGATO. AMPLIS
SIMO. SENATVS. SECVNDO. SOCERO
EXOPTATISSIMO. ANICIVS. ACILIVS.
GLABRIO FAVSTVS V.C. LOCI. HVIVS.
ORNATOR TOGATAM. STATVAM.
LIBENS. OPTVLI.

Communicatam debeo Reverendo Patri *Jacobo Sirmondo*, e Societate *Jesu*, omnis Antiquitatis, sacræ pariter & profanæ scientissimo. Similis valde conspicitur apud *Gruterum Pag.* CCCLXXI. *Num.* VIII. *Pithœus* autem in Collectione sua Poëmatum Antiquorum *Maximilianum Hetruscum* appellat, licet vero sub nomine *Cornelii Galli* Elegiam quandam publicaverit *Aldus Manutius*, spuria tamen agnoscitur a *Pithœo*, prout videre est in Notis ejusdem ad illud Opusculum. PIGNOR.

rus, perſpicaciſſimi alias ingenii vir. *Mare* dein apud *Virgilium* non ſignificat *Adriaticum* illud, ſed *Timavi* exuberantis maris inſtar aquas. Nec denique littus montis meretur nomen, dicit enim clare Poëta, *vaſto cum murmure montis*. Atque ita etiam intellexere *Merula* ad *Martialis Lib.* VIII. *Epigr.* XXVIII. contra *Calderinum* & *Blondum* explicans, & *Vadianus ad Pomponium Melam Libro* II. *Jacobus Maſſonus Libro* III. *Apologiæ pro Comœdia Dantis Cap.* XI. Et quidem ultro concedimus, multa, quæ inveniuntur apud antiquos Scriptores, loca ſolo æquata eſſe, verum, ut dicitur, in antiquo proverbio, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.

Quod autem pertinet ad vocem *hic*, in qua neceſſitas eſt localis, iſtam *Franciſcus Luiſinus* prorſus egregie eſt interpretatus, docens *Venerem* e cœlo *Jovi* ſubjectam omnem *Euganeorum* terram digito monſtraſſe. Cui vero id inventum diſplicet, contentus ſit *Flaminii* expoſitione, a *Leandro* apportata, & a *Luiſino* confirmata, *hic* ſcilicet eſſe pronomen, non adverbium. Mirum autem eſt, quomodo hanc loquendi rationem ſordidam, inuſitatam, barbaram atque duram appellare quis poſſit; cum & *Luiſinus* apud *Demoſthenem*, & apud *Virgilium* plures ejuſmodi loquendi formulas obſervaverit *Flaminius*, apud *Ciceronem* etiam atque *Terentium* inveniantur.

Quid vero contra *Muſſati* Epitaphium, quod *Blondus* adfert inferemus? Nihil aliud, niſi falſum opinione ab aliiſque deceptum fuiſſe illum, qui id compoſuit, atque ipſum [1] *Muſſatum* in Hi-
92 ſtoria ſua *Brentam* vocare *Brentam*, non vero *Timavum*. Neque etiam *Brenta* noſtra adeo ignobilis eſt, ut adoptare illud *Timavi* neceſſe habeat. Verum veroſimile eſt, una hunc fluvium cum *Bacchilione* fuiſſe [2] *Medoacos duos*, prout illos nominat *Plinius Libro* III. *Cap.* XVI. Atque ita etiam ſenſit *Cluverius Libro* I. *Cap.* XVIII. atque ratio ſitus exigit, prout notat *Hermolaus Barbarus* in *Caſtigationibus Plinianis*.

Nomen vero *Brentæ* vetuſtæ ſatis originis eſt, derivatum forſan a *Græco* βρενθύειν, ut ſcribit *Julius Cæſar Scaliger*, id eſt, *fremere*, *rumorem excitare*, *tonare*, non vero per *antiphraſin*, ut quidam putarunt, ſed quod vere ibi ſcaturigo ſit, atque ideo rumorem cieat atque ſtrepitum, quare *Medocus rapax* dicitur a *Nanagerio*. Cogitavi etiam nonnunquam, an veniret a βρέντη, quod, ut *Scaliger* teſtatur apud *Feſtum*, in antiqua *Cretenſium* lingua *cervam* ſignificat, facta ſcilicet ad hanc feram alluſione. Niſi [1] a *Brento Herculis* filio nomen adeptum eſſe dicere velimus. Mentionem ejus facit *Venantius Fortunatus* in *Præfatione Libri* I. *Carm.* hoc pacto (neque apud antiquiorem Scriptorem hoc nomine occurrit) *Præſertim quod ego imperitus de Ravenna progrediens, Padum, Atheſin, Brintam, Plavem, Liquentiam, Tiliaventumque tranans, per Alpem Juliam pendulus* &c. Ut & *Lib.* IV. in *Vita S. Martini*

Hic tibi Brinta fluens iter eſt Retenone ſecundo.

Neſcio autem, an non veniat nomine *Brenteſiæ* in *Tabula*, quam ſæpius citavimus, *Theodoſiani* & *Valentiani* ævi, locatur enim iſta inſcriptio ibidem in littore maris. Legitur ibi,

Altinum XVI.
Ad Portum III.
Major Medoacus VI.
Minor Medoacus VI.
Hebron XVIII.
Foſſis VI.
VII. *Maria* VI.

In medio autem ſeptem iſtorum Marium, ad flu- 93
vii cujuſdam ortum legitur *Fl. Brenteſia*. Tranſtulit autem ad commenta ſua nomen iſtud *Brenteſiæ* ſive *Brentenſiæ* iſte Pſeudo-*Meſſala*, nominatque etiam, qui patrum noſtrorum memoria vixit, *Junius Pomponius Sabinus* Grammaticus. Ego vero olim ita noſtram appellatam fuiſſe *Brentam* non credo, & quoniam longius a *Patavio* abeſt, & quoniam duo *Medoaci* & *Edron* ita adhuc longius abeſſent. *Pomponium* quidem *Meſſalæ* falſo, a quo iſta hauſit, comitem damus.

Medoaci vero nomen *Gallicum* origine puto, in quam rem *Strabo* ſuperius jam a nobis adductus eſt. Forſan & *Medoaci* noſtri appellatione atque origine ſua veterum *Medoacorum* ſitus nobis indicatur.

Atque ideo, ut probavimus, a *Timavo* diverſus fluvius eſt *Brenta*, prout oculatus teſtis ſcribit *Stephanus Pighius*, extra duos parvos lacus, non non longe a *Perzene*, & prope *Borgo*, quod in confiniis regionis *Tyrolenſis* eſt, ſive extra tres, ut alii ſcribunt cum *Blondo*, prope *Caldonazzo*, qui tamen *Blondus*, ut ſolet, *Timavi* retinet nomen. Atque ita patet, quantum ad originem *Brentæ*, falli *Dantem*, cum *Carm. de Inferno* XV. canit,

„ E quale il Padouan, lungo la Brenta,
„ Per difender lor ville e lor caſtelli,
„ Anzi che Chiarentana il caldo ſenta.

ut & cum ipſo ejus Interpretes, *Danielem*, *Velutellum* & *Landinum*. Neque enim *Chiarentana*, cujus & meminit *Jo. Villanus Libro* IX. *Cap.* I. XVIII. XIX. fuit unquam montanus locus ortu *Brentæ* nobilis, verum *Carinthiæ* Ducatus, prout videre eſt in *Hiſtoria Bohemica Æneæ Sylvii Cap.* XXX. & XXXI. collatione cum *Villano* inſtituta. Neque alias in *Carinthia*, verum, ubi diximus, *Brenta* naſcitur. Pauci vero abhinc anni ſunt, ex quo errorem hunc *Dantis* monſtravit mihi *Philippus Pigafetta*, vir multæ experientiæ, atque variæ doctrinæ. Sed & neſciviſſe ſe verum *Brentæ* ortum

---

1 *Muſſatum in Hiſtoria ſua*] Hiſtoriam *Albertini Muſſati*, ut emendet atque illuſtret, ſub manibus habet, ex mandato Illuſtriſſimi *Dominici Molini*, Senatoris graviſſimi atque literatiſſimi, cui æternum devinctæ ſunt Memoriæ noſtræ, *Felix Oſius*. Is mecum ſequentia hæc loca ex Hiſtoria iſta *Muſſati* communicavit. Scribit itaque *Libro* VI. *de Rebus Geſtis Italicorum poſt Henricum* VII. *Cæſarem, ad Paganum della Turre, Epiſcopum Paduanum*, ubi *de captione ſuburbii S. Petri de Vicentia* agit, Rubrica prima, hoc pacto: *Ponzinus de Ponzonibus Cremonenſis Paduanorum Poteſtas, poſt derivatum ad Urbem Brentæ fluentum, Canem jugiter in armis tenuit, quem armis viriſque ſibi imparem, extenuandum impenſis multo propoſito efflagitabat*, &c. & Libro VII. Rubrica XX, *Quibus omnibus a Brenta flumine, quod ſecus Bovolentam fluit, & a calle quo Vicentiam de Padua iter eſt, uſque in Eſt* &c. Plura vero in eandem ſententiam apud eundem auctorem obſervari poterunt. *Rolandinus* inſuper, *Muſſato* vetuſtior *Libro* X. *Cap.* VI. *Brentæ* mentionem facit, non vero (quantum ſcio) *Timavi*, ut neque *Muſſatus*. PIGNOR. Hiſtoria hæc *Muſſati* prodiit *Venetiis* Anno MDCXXXVI. *in folio*; & noviſſime *Lugduni Batavorum*, in eadem forma.

2 *Medoacos duos*] Verba *Plinii* ipſa hæc quidem ſunt: *Omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia, accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum fecit Brundulum, ſicut Edronem Medoaci duo, ac foſſa Clodia.*

1 *A Brento Herculis filio*] Meminit *Herculis* filii hujus *Stephanus* in voce Βρεντήσιον, atque adjungit *Meſſapios* caput cervi βρέντιον appellare, idque ſe ex *Seleuci Gloſſarum Libro* II. habere dicit. Particulare autem id *Meſſapiorum* comprobavit atque arripuit *Strabo*. Locus *Scaligeri* eſt ad *Feſtum*, in voce *Brunduſium*. PIGNOR.

ortum ostendit idem *Dantes* in *Paradiso Carm.* IX. ubi patriam *Azzolini* Tyranni circumscribit.

„ In quella parte della terra prava
„ Italica, che siede intra Rialto,
„ E le fontane di Brenta e di Piava,
„ Si leva un colle, e non surge molt' alto.

94 Concludimus denique cum *Palladio Fusco Patavino* nostro, multum literato viro, differre invicem *Medoacum*, *Brentam* & *Timavum*, prout asserit in *Geographica* quadam, quæ penes me est, *Notitia* MS.

CAPUT XV.

Aponi balnea a quibus descripta atque celebrata. Illorum nomen. Geryonis Oraculum. Antiquorum tali & tesseræ. Plinius balnea nostra non censet Aponi nomine, ut nec Cœlius Aurelianus. Claudianus examinatus & explicatus. Inscriptiones Fontibus positæ. Vulcani. Herba viridis cum aqua bulliente. Herculis expeditio. Hastarum apud Antiquos honor. Pecunia in fundum fontium jacta. Aquæductus. Sal Aponi. Tholus quid fuerit. Veterum circa aquas calidas opinio. Ennodii de Apono versus, Julii Cæsaris Scaligeri. Comparatio, quam instituit Petrus Bembus. Aponus terræ nomen dedit. Mira ejusdem. Venda. Cinto. Calaon. Mont' Ortone. Mont' Agnone. Cerro. Zovone. Rovolone. Baone. Diana Bendia. Rhua.

NOn invenitur forsan post *Timavum* notabilius Antiquitatis decus, quam Balnea sunt *Aponi*, a Poëtis multum decantata, atque sub Regis *Theodorici* nomine diligenter a *Cassiodoro* descripta. *Græci*, qui terras has incoluere, *Euganei* scilicet, sua lingua Ἄπονον, id est, *sine dolore*, *labore*, *malo*, appellavere, pariterque *Latini* vocavere *Aponum*. Apud *Græcos* enim *ἀπονία id quod dolore & molestia caret*, & apud eorum Medicos *ἄπονα medicamenta*, *quæ dolorem leniunt*.

Oraculum *Geryonis*, quod religiose ibidem habebatur, superius jam attigimus, atque illustravimus latius. Meminit vero ejus *Suetonius*, qui in *Vita Tiberii*, ipsum in *Dalmatiam* iturum, prope *Patavium*, Oraculo *Geryonis* monitum fuisse, ut talos aureos in *Aponi* projiceret fontem &
95 evenisse, ut Venerem jaceret. Narrat vero *Suetonius*, sua ætate adhuc ibidem fuisse conspectos, centum scilicet & pluribus post annis, hisce: *Hodieque sub aqua visuntur hi tali.* Recordor vero, præteritis annis visum a me apud *Ludovicum Corradinum*, dum vixit, decus ingens Civitatis nostræ, talum ex ære antiquum, punctis ut hodie fit, signatum, & prope *Aponi* fontem repertum. Asserebat autem, unum esse ex illis *Tiberii*, atque apud *Suetonium* non debere legi *talos aureos*, sed *talos æreos*. Verum quum & in Divinatione *talis* usi fuerint Veteres, quod & memorat *Pausanias Achaicor.* sive *Libro* VII. conjecturam *Corradini* non possum approbare. Antiquorum enim [1] *tali* distabant forma a *tesseris*, quæ quadratæ vel hexagonæ erant, ut nostræ, atque ille Nobilis etiam *Corradini*, erantque proprie talorum ossiculi bisulcorum atque divisas ungulas habentium animalium pedibus exempti, qualem & ipsum æreum antiquum possideo, & alios plures itidem antiquos videre licuit. Habuit quidem Antiquitas tesseras, & ipse ex crystallo atque gemmis vidi confectas, verum ut diximus, diversa illarum a talis erat figura.

1 *Tali distabant forma a tesseris*] Prout clare animadvertere licet ex ipsis illis adhucdum superstitibus. Utrorumque figuram dedimus *Tab.* XIV. *Num.* VII. VIII. IX. ex *Begeri Thes. Brand. Pag.* CCCCXV. & DXXVIII.

A Atque satis hæc [1] de *Geryonis* Oraculo, ad *Aponum* nostrum redeamus. Appellatur *fumifer* a *Lucano*, propter calidarum ejus aquarum exhalationes & vapores. Valde autem mirum est, a *Plinio*, qui Naturæ Rerum a Secretis quasi fuisse videtur, neglectum in enumeratione aquarum calidarum, quæ circa *Patavium* reperiuntur. Loquitur autem de istis *Libro* II. *Cap.* CIII. & XXXI. *Cap.* VI. *Cœlius Aurelianus*, prout corrigit *Mercurialis Variarum Lectionum Lib.* I. *Cap.* XIII. calidas aquas *Patavinas* vocat *Libro* II. *Morborum Lentorum Cap.* I. *Pag.* 260. *Edit. Aldinæ*.
B Gravis vero [2] Poëta *Claudianus*, & *Virgilianæ* majestati

1 *De Geryonis Oraculo*] Picturam *Geryonis* quidam proponi somniant in Nummo quodam Imperatoris *Hadriani*, prout narrat *Sebastianus Erissus*, verum id esse nequit. Ut enim scribit *Lucianus* in *Toxari*, & ante illum *Palæphatus*, tria capita, non vero tres frontes *Geryoni* afficta fuere. Τελκίφαλον hinc dixere *Græci*. Manus sex erant numero, unde ἑξάχειρα appellat *Lucianus*. PIGNOR.

2 *Poëta Claudianus*] Ista *Claudiani* Elegia seorsim impressa invenitur, una cum Opusculis quibusdam *Joannis & Jacobi de Dondis*, ut eodem hoc monui *Capitulo*. Verum quoniam bene admodum ibi edita, atque
C discrepans a vulgaribus editionibus haud raro est, & nescio cujus Præfatiunculam habet præfixam, viri certe eruditissimi, licet nomen absit, inserere integram operæ pretium duxi, simul ut & plenius de Balnearum nostrarum laudibus constaret.

* * *

Ad hæc non alienum a nostra in *Patavinam* civitatem observantia existimavimus hoc loco ponere quæcunque in laudem harum aquarum a Veteribus, vel Poëtis, vel Scriptoribus memoriæ tradita legimus.

Primum igitur *Suetonius in Tiberio* ita scribit: „*Mox* „*quum Illyricum petens juxta Patavium adiisset Geryonis* „*oraculum sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationi-*
D „*bus in* APONI *fontem talos aureos jaceret; evenit ut* „*summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodieque sub* „*aqua visuntur hi tali.*

Ex quibus Verbis apparet in agro *Patavino* ita fuisse *Geryonis* oraculum, ut in *Græcia Amphiarai & Throphonii*, ac vero simile videri potest conditum fuisse id oraculum ab *Hercule* ac nobilissimis illis *Argivis*, qui cum eo in expeditionem adversus *Geryonem* profecti mox eodem ipso duce in patriam revertentes ad hæc loca pervenerunt, ubi tam longæ peregrinationis labore defessi, ac vix tandem salubribus illis calentium aquarum miraculis recreati, in *Græciam* sibi redeundum non putarunt: allexit homines jucunda collium amænitas, & subjectorum collibus arvorum fertilitas cepit; itaque mansuram
E sibi sedem *Hercule* concedente delegerunt. Ipsi a generis nobilitate *Euganei* nuncupati nomen genti dederunt, fontem vero ipsum in quo & morborum sine ullo dolore Medicinam & jucundam laborum requiem invenerant, sua lingua AΠONON a doloris & laboris privatione nuncuparunt. *Hercules*, vel conscientia facti sui commotus, vel cælestibus prodigiis actus, ut *Geryonis*, quem abductis armentis interemerat manes, placaret, monumentum illi & oraculi adytum instituit, ubi & augur esset & sortes ducerentur. Cujus rei fidem vel unus *Lucanus* potest facere, qui prælium *Pompeji* & *Cæsaris* eo ipso die, quo in *Tessalia* commissum est, ab augure in *Euganeo* colle ad APONVM sedente prædictum canit. Ejus versus ex *Septimo Pharsaliæ* hi sunt: vers. 192.

F *Euganeo (si vera fides memorantibus) augur*
Colle sedens, APONVS terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit,
Impia concurrunt Pompeji & Cæsaris arma.

Sed illud quoque non mediocriter adjuvat conjecturam, quod usque ad *Honorii* Imperatoris tempora in ipso APONI fonte regiæ quædam hastæ visebantur, quas illuc jactas ab *Hercule* credebant, ac sulcus ejusdem aratro factus ostendebatur ab incolis, quem imitati illi, & ad ædificandum & ad calcem faciendam lapides fodere didicerunt, & sane nunc quoque toto illo tractu ad millia passuum 12. & amplius lapides ad utramque rem idonei

jestati proxime accedens, nomen atque laudes ejus plus centum celebravit versibus. Quædam itaque magis particularia atque animadversione digna delibabimus. Dicit primo multos in ejus sese laudibus exercuisse, illique scriptis suis testimonium dedisse,

Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem;
Cum tibi plebejus carmina dictet honos;
Et sit nulla manus, cujus non pollice ductæ
Testentur memores prospera vota notæ.

Sciendum vero est, sacros honores tempore Gentilium Fontibus attributos, quod & duplici loco notavit *Servius.* Illi autem, qui istos salutatum vi- 96
sumque ibant, notam sui carmine scripto, vel alio quopiam signo relinquebant. *Plinius Secundus Libro Epist.* VIII. *Epist.* VIII. de *Clitumno* fonte agens, ita scribit: *Nam studebis quoque & leges*

---

idonei fodiuntur, quales in reliquo *Patavino* agro nusquam invenies. Ut appareat, locis illis subesse ignes, quibus excocti lapides in calcem gypseum nescio quid in se habentem facile transeant, & nutrimentum perpetuis caloribus præbeant. Unde Physicis ansa disputandi novo modo de thermarum caloribus offertur, siquidem *Claudianus* quoque colles illos coctam silicem nominat, cum ait *Carm.* 29. *vers.* 20.

Luxuriat viridi gramine cocta silex.

Et rursus silicem dicit liquido fervore liquescere, quod nihil aliud est quam in calcem converti: de sulco autem *Herculeo* versus illius hi sunt: *vers.* 23.

Præterea grandes effosso marmore sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.
Herculei (sic fama refert) monstratur aratri
Semita, nec casus vomeris egit opus.

Claudianus autem Vates egregius, cui *Arcadius*, & *Honorius* Imperatores Senatu petente statuam testimonii gratia in foro *Trajani* erigi, collocarique jusserunt, fontem APONI pulcherrimis Versibus ita alloquitur: *Epigramm.* XLIX.

FOns Antenoreæ vitam qui porrigis urbi:
Fataque vicinis noxia pellis aquis.
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi Phœbeus *carmina dictet honos,*
Et sit nulla manus, cujus non pollice ducta
Testentur memores prospera vota notæ:
Nonne reus Musis pariter, Nymphisque tenebor,
Si tacitus soli prætereare mihi.
Indictum quid enim fas est a Vate relinqui,
Hunc qui tot populi pervolat ora locum?
Alto colle minor, parvis erectior arvis
Conspicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fœcundus aquæ, quacunque cavernas
Perforat, offensus truditur igne latex.
Spirat putre solum, conclusaque subter, anhelo
Pumice rimosas perforat unda vias.
Humida flammarum regio, Vulcania terræ
Ubera: sulfureæ fervida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant
Pascua: luxuriat gramine cocta silex.
Et cum sic liquido *cautes fervore liquescant;*
Contemptis *audax ignibus herba viret.*
Præterea grandes effosso *marmore sulci*
Saucia longinquo limite saxa secant,
Herculei (sic fama refert) monstratur aratri
Semita, nec *casus vomeris egit opus.*
In medio pelagi late flagrantis imago
Cærulus immenso panditur ore lacus,
Ingenti fusus spatio: sed major in altum
Intrat: & arcana rupis inane subit,
Densus nube sua: tactuque immitis, & haustu,
Sed vitreis idem lucidus usque vadis.
Consuluit natura sibi: ne mersa lateret,
Admisitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulsu Venti cum spargitur aër,
Glaucaque fumiferæ terga serenat aquæ:
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastæ regia dona micant.
Quas inter nigra tenebris *obscurus arenæ*
Discolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent intus *latebræ: quas gurges opacus*
Implet: & abstrusos ducit in antra sinus.
Tum montis secreta patent: qui flexus in arcum
Æquora pendenti margine summa ligat.
Viva coronatos adstringit scæna *Vapores*
Et levis exili cortice terra natat.
Calcantumque *oneri nunquam cessura Virorum*
Sustentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas: sic levis *circuit oras*
Ambitus: & tenuis, perpetuusque riget.
Hærent stagna loco plenas æquantia ripas,
Præscriptumque timent exsiluisse Modum.

Quod superat, fluvius devexa rupe volutus
Egerit: & campi dorsa recurva petit.
Devehit exceptum nativo spira *meatu:*
In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum strepitu, madidisque infecta favillis
Despumat niveum fistula cana salem.
Multifidas dispergit opes: artemque secutus
Qua jussere manus, mobile torquet iter:
Et junctos rapido pontes subtermeat æstu,
Afflatisque vago temperat igne tholos,
Acrior interius rauci cum murmure saxi
Spumeus eliso pellitur amne vapor,
Hinc nigras *repetunt fessi sudore lacunas;*
Frigora queis longè blanda *dedere moræ.*

* * *

Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ.
Dardanii salve gloria magna soli
Publica morborum requies: commune medentum
Auxilium: præsens numen: inempta salus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro phlegeton devius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus seu decidit amnis:
Accensusque fluit, quod manifestat odor.
Sive pares flammis undas in lance *rependens,*
Arbiter in fœdus mons elementa vocat.
Ne cedant superata sibi: sed legibus æquis,
Alterius vires possit utrumque pati.
Quicquid erit causæ: quocunque emitteris *ortu,*
Non sine consilio currere certa fides.
Quis casum meritis adscribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc statuisse Deos?
Ille Pater rerum, qui secula dividit astris,
Inter prima poli te quoque sacra dedit.
Et fragilem nostri miseratus corporis usum
Tellurem *medicas fundere jussit aquas*
Parcarumque colos exoratura severas
Flumina laxatis emicuere jugis,
Felices proprium qui te meruere coloni,
Fas quibus est APONON juris habere sui
Non illis terrena lues corrupta nec Austri
Flamina, nec sævo Sirius igne nocet.
Sed quamvis Lachesis fatalia stamina *damnet,*
Inde sibi fato *prosperiora petunt.*
Quod si forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viscera felle rubent,
Non venas resecant: *nec vulnere vulnera sanant:*
Pocula nec tristi gramine mixta bibunt.
Amissum lymphis reparant impune vigorem
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

*

Sed longe maximam his thermis auctoritatem vel una illa *Theodorici* Regis Epistola potest afferre: qui deposita *Ostroghoticæ* gentis, unde oriundus erat, feritate, *Germaniæ*, *Ungariæ*, *Illyrico*, & maximæ *Galliarum* parti atque *Italiæ* magna aliquamdiu per Imperii sui initia cum clementiæ tum æquitatis laude imperavit. Is quum *Ravennam* Imperii sui sedem constituisset, atque ibi totos propemodum quadraginta annos consedisset, *Patavium* urbem bellicis Incursionibus prope deletam restauravit, & ad regiam Majestatem pertinere existimavit, ut ædificia ad thermas APONI vetustate collapsa, regiis impensis instaurarentur; & fons ipse ac vicina fonti loca in pristinam faciem redigerentur. Ejus ad *Aloysium* Architectum ea de re Epistolam hic apponendam curavimus; propterea quod digna visa est, quæ non inter varias solum *Cassiodori*, sed hic quoque in gratiam studiosorum legeretur: & hinc omnes intelligerent, ad scribendum de his aquis erudita hominum ingenia, vel hac una Epistola potuisse excitari; quam qui curiose inspexerit, facile intelliget, *Cassiodorum* eam, quam præmisimus, *Claudiani* Elegiam non incuriose legisse, ac longe maximam hujus ipsius Epistolæ partem ex sententiis inde ductis texuisse: & non inepta, quamvis paulo difficiliore paraphrasi transtulisse.

L. Pignorius.

leges multa multorum; omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus Fons ille Deusque celebratur. Rutilius etiam *Numantinus* testatur idem de Balneis.

Hæc quoque Pïeriis spiracula comparat antris
Carmine Messalæ nobilitatus ager;
Intrantemque capit discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poëma sacris.

Pergit *Claudianus*,

Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe tumet.

Non poterat locum exquisitius describere. Dein,

[1] *Humida flammarum regio Volcania.*

Ejus igitur jam tempore a *Vulcano* cuncta illa loca denominata fuere, quæ intus sulphurem ignemque habent, cujus moris etiam testimonium jam olim exstitit, atque adhuc legitur apud *Plinium Libro* III. *Cap.* VIII. & IX. ut & in *Solino.* Adhuc:

Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant
Pascua. ——— ———

Plinius idem miratur *Libro* II. *Cap.* CIII. *Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innascuntur.* Rursus:

Contentis audax ignibus herba viret.

Legi vero debet *contemptis*, vult enim dicere, etiam contempto foco, audacem virere herbam. Atque posteriorem lectionem expressam quoque videre est in Libris *Jo.* & *Jacobi De Dondis*, qui inscribuntur: *De fontibus calidis agri Patavini*, qui-

THEODORICUS
OSTROGOTHORUM
REX
Aloysio Architecto S.

SI audita Veterum miracula ad laudem nostræ clementiæ volumus continere (quoniam augmenta regalis gloriæ sunt, quum sub nobis nulla decrescunt) quo studio convenit reparari, quod etiam *nostris oculis frequenter constat offerri? delectat enim salutiferi APONI meminisse potentiam, ut intelligas quo desiderio cupiamus reficere, quod de memoria nostra nescit exire. Cæruleum fontem vidimus in formam dolii concavis hiatibus æstuantem, & fornaces anhelantium aquarum circumducto* tereti labio, *naturæ probabili dispositione coronatas, quæ licet more* calidarum *nebulosos vapores exhalent, hanc tamen jucundam perspicuitatem adspectibus humanis aperiunt, ut quivis hominum illam gratiam desideret contigere, etiam quum ignoret ardere. Ore plenissimo, in Sphæræ* similitudinem, *supra terminos suos aquarum dorsa turgescunt, unde latex tanta quiete defluit, tanta quasi stabilitate decurrit, ut eum non putes crescere, nisi quia inde aliquid rauco murmure sentis exire. Veniunt aquæ per algentes meatus tali fervore succensæ, ut post recurva spatia, quæ arte facta sunt longiora, in* tepores *sint maxime rediture. O magistri mirandum semper ingenium, qui naturæ furentis ardores ita ad utilitatem humani corporis* temperarit, *ut quod in origine dare poterat mortem, doctissime moderatum & delectationem tribueret, & salutem. Juvat videre secretum, latices vapores igneos exhalantes, amicum undis indesinenter ardorem & calorem venire decursu rivi, unde* naturaliter *solebat extingui. Merito dicunt Philosophi elementa sibi mutuis complexibus illigari, & mirabili confœderatione conjungi, quæ inter se contraria intelliguntur varietate pugnare. Ecce madentem substantiam vapores producere constat ignitos, quæ mox ut ad thermarum ædificia decora* pervenerit, *illis a cautibus unda descendens, & aëra sua qualitate succendit, & tactu fit habilis, quum recepta fuerit in lavacris, unde non tantum deliciosa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur, scilicet sine tormento cura, sine horrore remedia, sanitas* inempta, *balnea contra diversos* dolores *corporis attributa, quæ ideo* ΑΠΟΝΟΝ *græca lingua,* benefica *nominavit Antiquitas, ut causam tanti remedii æger cognosceret, cum de tali nomine dubium non haberet. Sed inter alia loci ipsius bona illud quoque stupendum esse didicimus, quod una fluentorum natura diversis ministeriis videtur accommoda. Nam protinus saxo suscipiente collisa inhalat primæ cellulæ sudatoriam qualitatem, deinde in* solium *mitigata descendens, minaci ardore deposito suavi temperatione mollescit; mox in vicinum producta, cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepescit, postremo ipso quoque tepore derelicto, in piscinam Neronianam frigida tantum efficitur, quantum prius ferbuisse sentitur. Non immerito auctoris sui participans nomen collega est cum viriditate gemmarum, ut ipso quoque vitrei elementi colore perspicua quasdam* trementes *undas quieta commoveat; sed ut ipsum quoque lavacrum mundius redderetur, stupenda quadam continentiæ disciplina in undam, qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur; propterea quod ipsis altera exhibitio decora collata est, scilicet ne ardentium aquarum* fœcundissimus locus crederetur non habuisse, *unde plurima largiretur, si uterque sexus uno munere communiter uteretur. Hæc perennitas aquarum intelligendi præstat indicium per igneas terræ venas occultis meatibus* influentem interius *in auras erumpere excocti fontis, irriguam puritatem: nam si naturæ fuisset illud incendium, sine interitu substantiæ non fuisset amissum, sed aquæ materia sensibilis sicut peregrinum contraxit ignem, sic iterum nativum facile* repetit *algorem. Præstat & aliud adjutorii genus vis illa medicabilis: nam juxta caput fontis scintillosi quendam sibi meatum provida natura formavit, hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros* suscipit *interno humore defluentes; ubi dum fessi nimio languore consederint, vaporis illius delectatione recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxia infusione laxatos vitali ariditate constringunt, ut quasi aliquo desiderabili cibo refecti valentiores protinus queant inveniri; sic medicabili substantiæ venit a sulfure quod calet, a salsedine* quod *desiccat. Talia posteris non tradere, hoc est graviter in* longam ætatem *peccare, quapropter antiqua illic ædificiorum soliditas innovetur, ut sive in thermis, sive in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente* reconstrui. *Virgulta quoque noxia importunitate nascentia evulsis cespitibus auferantur, ne radicum quidam capilli paulatim turgentes fabricarum visceribus inserantur, &* parietes *more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria* nutriant, *unde se compago casura disrumpat. Palatium quoque longa senectute quassatum reparatione assidua corrobora. Spatium, quod inter ædem publicam, & caput igniti fontis interjacet sylvestri, asperitate depurga. Rideat florenti germine facies decora* camporum, *quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur, miroque modo dum proxime salem generat sterilem, nutriat pariter & virores: sed non his tantum beneficiis Antenorea terra fœcunda est; infert & alia, quæ multo grandius obstupescas: corda illa (ut ita dixerim) montium in vicem secretarii negotia contentiosa distinguunt: nam si quis forte pecus furatum pilis nativis solito more spoliare præsumpserit, undis ardentibus frequenter immersum, necesse est, ut antea decoquat, quam emundare prævaleat. O vere secretarium jure reverendum, quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse judicium, & quod humana nequit altercatione dissolvi, fontium datum est æquitate definire. Loquitur illic tacita natura, dum judicat, & sententiam quodammodo dicit, quæ perfidiam negantis excludit; sed quis ista conservare negligat, quamvis plurima tenacitate sordescat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit singulariter toto orbe nominatum, & ideo pecunia, quæ tibi* data *est, si opus non poterit implere susceptum, quantum adhuc expendendum esse credideris, missis nobis, brevibus indicabis, quia non gravamur expendere, ut tanta videamur ruris amœna custodire. Vale.*

Diverso literarum charactere expressi variantes a vulgatis in Elegia lectiones, examinandas observandasque Criticis proponens. In Epistola vero Regis *Theodorici*, quæ *Variarum* ejus XXXIX est *Libro* II. in principio Editionis *Dondinorum* correctum est vocabulum, seu vocabuli monstrum potius quoddam, quod occurrit in Editionibus & *Fornerii* & *Brossæi*, ita *Cæruleum fontem vidimus in formam dolii concavis hiatibus æstuantem, & fornaces anhelantium aquarum circumducto tereti labio naturæ probabili dispositione coronatas.* Legitur in vulgatis istis *tentilabio.* PIGNOR.

1 *Humida flammarum*] Legi & distingui hoc pacto debet distichon,

Humida flammarum regio, Volcania terræ
Ubera.

Conspicitur ita in *Dondina* Editione, atque eo pacto *Volcani ubera* dicit *Claudianus*, quo *Marcianus Capella Libro* I. *Nuptiarum Mercurii & Philologiæ* scribit, *hanc Junonis ubera memorabant.*

quibusque hæc *Claudiani* Elegia præfixa legitur. Ita etiam bene emendavit *Raphelengius*, atque speciosa admodum est oppositio. Viror autem iste stuporem in multis excitavit, qui videre, prout & apparere potest ex *Epistola* quadam *Frederici Nauseæ*, qui postea Episcopus *Viennensis* fuit, scripta Anno MDXXI. ad *Georgium Sunnesteiner*, qui sententiam ejus de hoc miraculo perquisiverat.

Similem Naturæ lusum adnotavit *Ælianus Libro* XIII. *Cap.* XVI. narrans in *Apolloniæ* ditione esse collem, neque altitudinis, neque magnitudinis, nec circuitus adeo ampli, in cujus vertice perpetuus ardeat ignis, circum autem esse multa arbusta viridesque plantas, ab igne permanentes illæsas. *Nymphæum* forsan hoc erat, quod describunt *Aristoteles*, *Strabo* atque *Plinius*.

97 Pergit *Claudianus:*

Præterea grandes effosso marmore sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.
Herculei, sic fama refert, monstratur aratri
Semita, vel casus vomeris egit opus.

Nusquam quidem [1] *Herculeum* hoc legi, ut dicere debeam cum *Tacito*, *sive adiit Hercules*, *seu quidquid ubique magnificum est*, *in claritatem ejus referre consensimus.* Legit quidem hoc loco *Cacus* excellentissimus Vir *Casparus Barthius*, verum non memini, hic locorum unquam *Cacum* istum fuisse. Verba dein Poëtæ:

Consuluit Natura sibi, ne tota niteret,

melius in *Dondorum* editione leguntur ita:

——— ——— *ne mersa lateret.*

ita enim melius cum præcedentibus cohærent. Sequitur aliquanto inferius Pentameter hic:

Tunc veteres hastæ, Regia dona micant.

Hastæ enim antiquitus Regibus imperii insigne erant, quas *Sceptra* vocabant *Græci.* Ab initio itaque rerum in veneratione fuere apud Veteres, ut divina res, proque Numine cultæ, quare & hodie Deorum apponuntur simulacris, prout fere loquitur *Justinus Libro* XLIII. ubi Notæ *Bongarsii* possunt inspici. Sceptrum vero describitur a *Virgilio Libro* XII. ubi egregia ad rem notat *Servius.* Narrat item *Plutarchus* in *Vita Marcelli*, fuisse in Templo quodam *Siciliæ* hastas atque galeas cum Inscriptionibus partim *Merionis*, partim *Ulyssis.* Hæ autem vere erant *veteres hastæ*, *Regia dona*, ut a *Claudiano* appellantur.

Consueverant insuper Veteres Gentiles in fontis fundum projicere denarios, quos *stipes* appellabant. Hinc citatus supra *Plinius Secundus* scribit, tam claras atque pellucidas *Clitumni* fuisse aquas, ut in fundo fontis, quæ projecta erat moneta, conspici posset. Atque id ipsum forsan, sub titulo [2] *adorandi ad Fontes*, prohibitum voluit Rex

1 *Herculeum hoc*] Adduxi quædam *Originum Cap.* I. quibus probarem, *Herculem* nostram adiisse regionem. Idem innuunt *Claudiani* versus. Confirmat forsan hoc Numisma antiquissimum, quod nuper ex terræ nostræ visceribus est erutum, in quo expressum videre est *Herculem* capite coronato, ita ut altera item corona totum ipsum circumambiat. Ab altera parte idem exprimitur *Hercules* stans, clavam tanquam percussurus aliquem manu vibrans. Impressa ibidem cernitur nota *S. C.* PIGNOR.

2 *Adorandi ad Fontes*] Ritus iste adorandi expleri etiam potuit accendendis luminibus, ut docte notavit *Carolus Annibal Fabrottus* supra Legem XII. *Cod. Theod. de Paganis*, *Sacrificiis & Templis*; ex auctoritate *S. Cyrilli I. Catech. Mystagog.* aliorumque. Ut jam mittamus & Templa ad Fontium excitari solita scaturigines, ut legitur apud *Vitruvium Libro* I. *Cap.* II. & in Antiquo Epigrammate, quod publicavere *Pithæus* atque

A *Luitprandus* in *Legibus Longobard. Libro* II. *Titulo* XXXVII. *Lege prima.* Sequitur:

Devehit exceptum nativo spuma meatu;
In patulas plumbi labitur inde vias.

Per *plumbum* canales aquæductuum intelligit, qui plerumque ex plumbo erant, *fistulæ* appellabantur; si vero ex terra cocta *tubuli*, quod patet ex *Frontino* atque *Vitruvio:*

Nullo cum strepitu madidis infecta favillis 98
Despumat niveum fistula cana salem.

B *Salem* quem Claudianus nominat, nonnulli de *sale artificiali* capiunt, qui nonnunquam ex fontis istius extrahitur aquis, memineruntque pater & filius, *Jacobus* & *Joannis de Dondis* in quodam exiguo libello *de Causa Salsedinis Aquarum.* Verum ego credo, nihil aliud dicere voluisse Poëtam, quam *salum*, id est aquarum copiam, prout lectio ista firmatur ex sequenti:

Multifidas dispergit opes &c.

innuens istis regales fabricas, quibus antiqua nobilitabantur balnea, quarumque etiam facit mentionem *Theodoricus*, Rex.

C *Tholus* vero appellabatur clypeolus, quod erat in medio Templi tecto interioris, cui primitiæ & dicata spolia appendi solebant. Testantur id *Servius* & *Lutatius Placidus.* Vocatur a *Bernardino Baldo*, Abbate *Guastullæ*, *tribuna*, *cuba* vel *cuppola*, quæ *concavum convexum* significant *orbem.*

Balnearum porro viscera describit hisce:

Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro Phlegeton devius orbe calet.

Quæ quidem opinio non solum apud *Gentiles*, sed & apud quosdam viguit *Christianos*, prout D patere potest ex *S. Gregorio Dialogorum Libro* IV. *Capite* XXX.

Sequentium vero

Sulphuris in venas gelidus seu decidit amnis,
Accensusque fluit, quod manifestat odor.

relinquimus considerationem *Georgio Agricolæ*, *Dondo* utrique, *Gregorio Morello*, *Andreæ Bacco*, ut & Medicis atque Philosophis.

Non illis terrena lues, corrupta nec Austri
Flamina, nec sævo Sirius igne nocet.

E Hisce patet luem atque morbos a Poëta referri ad terræ vaporem, atque Austri flamina, ut & nimium caniculæ tempore æstum solis, cujus opinionis passim apud alios item Poëtas exempla obvia sunt.

Quod si forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viscera felle rubent.

Pituitam similesque corporis morbos tangit.

Non venas resecant, nec vulnere vulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mista bibunt.

Chirurgiam & Pharmaceutriam ante oculos ha- 99
F bet, antiquissimas Medicinæ partes, quasque *Homerus* jam agnovit in *Podalirio* & *Machaone*, filiis

Gruterus, apud quorum posteriorem magis correcte legitur *Pag.* XCIII. hoc pacto:

SEX. POMPEIUS I. COGNOMINE PANDUS
QUOIUS ET HOC ABAVIS CONTIGIT
ESSE SOLUM
ÆDICULAM HANC NYMPHIS POSUIT
QUIA SÆPIUS USSUS
HOC SUM FONTE SENEX TAM BENE
QUAM IUVENIS.

PIGNOR.

filiis *Æsculapii*, de quibusque egit *Cornelius Celsus.*

Amissum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

Et hinc nomen nostro *Apono*, quod superius enucleavimus.

Sed neque soli *Claudiano* cuncta laudis *Aponus* debet, qui & [1] *Ennodium* Episcopum *Patavinum*, ætate sua non indoctum agnovit dotum suarum præconem. Versus ejus hi sunt:

Tollitur adclivi tellus subnixa tumore,
Leviter elato fulta supercilio.
Verticibus nullis caput admovet illa superbum,
Nec similis pressis vallibus ima petit.
Fumiger hic patulis Aponus fluit undique venis,
Pacificus mixtus ignis anhelat aquis.
Unda focos servat, non sorbet flamma liquorem,
Infuso crepitat fons sacer inde rogo.
Ebrius hic cunctis medicinam suggerit ardor
Corpora desiccans rore vaporifero.
Hic pyra gurgitibus, scintillis fluctuat humor,
Vivitur alternæ mortis amicitia.

Neque adhuc tot lusibus in ejus celebratione contentus, adjungit:

Ne pereat Nymphis Vulcanus mergitur illis,
Fœdera naturæ rupit concordia pugnax.

Miraculum hoc naturæ non omisit etiam *Julius Cæsar Scaliger*, qui inter recentiores nobilissimo celebravit *Epigrammate*, quod incipit:

Jam quater auratis remeans Dea lutea bigis
Piscosos Nerei quinta colorat agros.
Sulphureas Acorin cum suspiramus ad undas,
Lymphaque crudeli sub face victa fugit.
Scilicet antiquo mons ipse incoctus ab æstu
Fervidior nostra se negat ire face.
Euganei latices, quæque arida saxa tenetis,
Quæque leves leni colle sedetis aquæ:
Tuque pater princeps, qui pumice tectus obusto
Clara triumphatæ nomina pestis habes:
Cede meis lacrymis: lacrymæ tamen, heu tamen ipsæ
Debuerant pestem vincere posse meam.

100 *Petrus Bembus* vero non dubitat comparare, forsitan & anteponens, *Ætnæ*, celebrans multis Naturæ dotibus præ aliis instructam, atque ope humana divinaque potentia inclytam. Videantur verba ejus, que conspicua sunt Opusculo *de Ætna Pag.* CXXXII. *Edit. Lugdunensis.*

Ab istis autem balneis a *Martiale* usurpatur *Tellus Apona* pro *Patavio*, & apud *Silium*, ubi de *Pediano* agit, *Punicor. Libro* XII.

—— *Apono gaudens populus*

dicuntur *Patavini.* Narrantur autem miracula quædam Fontis istius apud Antiquos, quæ veri speciem habere non videntur. Certe

Nec fontes Aponi rudes puellis.

a *Martiale* enumerati *Libro* VI. *Epigr.* XLII. atque prout *Cassiodorus* intellexit, explicati, absolute falsi censeri debent. *Joannes* enim *de Dondis Libri* sui *Cap.* VII. scribit solitas in istis balneis lavare mulieres & solas, & una aliquando cum viris, suo quidem tempore, prout & nostro fit.

1 *Ennodium*] Floruit is tempore Regis *Theodorici*, in cujus laudem composuit *Panegyricum*, qui & ad nos pervenit. Ideo vero ex Editione *Dondorum* sæpius citata expressimus modo in Notis nostris *Theodorici* Epistolam, ut appareat, quantum invicem ad imitationem sese *Ennodius* atque *Cassiodorus* composuerint, & ne laterent tot in eadem emendationes, quæ licet tot hodie experta Criticos, nondum tamen persanata est. PIGNOR.

A *Rudes puellis* itaque secundum *Dondum* istum atque *Raderum* etiam, significat, præ honestate puellas nostras in illis lavari solitas non fuisse. Hanc certe pudicitiæ opinionem de nostris puellis firmat ipse *Martialis*, scribens *Libro* XI. *Epigr.* XVII.

Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.

Plinius etiam, *Secundus Epist. Lib.* I. *Epist.* XIV. *Serranam Proculam*, matronam *Patavinam*, quæ & adhuc apud posteritatem ut exemplar nominatur severitatis, laudens, addit, *nosti loci mores.*

B Quod porro *Aurelius Cassiodorus* dicit de rebus furtivis, animalia surrepta ibi etiam fuisse cocta & mundata, neque *Dondus* id affirmare audet, neque ego credo. Usum autem istius aquæ *Claudianus* & *Ausonius* non tantum balneis sed & potui addicunt, prout utrique etiam hodie inservit, ut testatur *Gregorius Morellus*, qui ante quinquaginta & amplius annos diligentem in Commentario super illam operam posuit.

Divinam vero suam Elegiam hisce claudit *Claudianus:*

Amissum lymphis reparant impune vigorem,
C *Pacaturque ægro luxuriante dolor.*

Ausonius in Patriæ suæ descriptione, de quodam seu flumine seu fonte verba faciens, nostri *potum* laudat:

Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus,
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.

Intelligit autem *Timavum* illum *Fori Julii*, cui, non item alteri, competit epitheton *æquorei.*

Sicut autem ostendimus *Græcæ* plane originis 101 esse *Aponi* nomen, non inutile erit investigare similem appellationis originem in multis aliis fertilium & amænorum nostrorum collium. Quales D videlicet sunt loci, qui nominantur *Venda*, *Rhua*, *Cinto*, *Calaone*, *Mont' Ortone*, *Mont' Agnone*, *Cerro*, *Zovone*, *Rovolone*, *Baone*, *Bocone.*

Et quidem *Palæphati* meminisse me *Venda* facit, ὥσπερ τὴν Ἄρτεμιν Θρᾷκες βένδειαν, *Dianam* enim, ut ille scribit, *Thraces Bendiam* appellabant; Templa autem ejus, ut apud *Synesium* videre est, βενδείδια vocabant. Visitur autem adhuc unum in Portu *Alexandriæ.* Verosimile autem est literam *b.* in *v.* transmigrasse, prout in plerisque fit linguis. *Dianæ* vero ibi Templum [1] in summo monte fuisse existimo, consecratum dein a *Christia*E*nis S. Jo. Baptistæ*, prout fecit Patriarcha Monachorum *S. Benedicti* in summitate Montis *Casini*, in loco, ubi quondam Ara erat *Apollinis*, ut narrat *S. Gregorius Dialogorum Libro* II. Notum vero cuique est, quanta inter *Thraces* atque *Trojanos* fuerit communio.

Rhua, prout existimo, ita dicta est a ῥοάς, quod *fluxum aquarum* dicit, ut adeo olim locus ille multis aquis videatur, ibi scatentibus, irriguus fuisse, *Nymphis* forsan, quæ *Dianæ* passim junguntur, dedicatus.

Cinto plane idem ac *Cyntho* est, isto in Insula *De*F*lo* monte, *Apollini* atque *Dianæ* sacro, quem ab antiquis jam temporibus multum celebravere Poëtæ.

Calaone fluminis refert nomen, qui a *Pausania* memoratur, atque in *Asia* non longe a *Calophone* inveniebatur. Extat autem ejus mentio in *Pausaniæ Achaicis.* Orthon

1 *In summo monte*] Ex more scilicet Gentilium, qui soliti erant Diis vertices montium consecrare, quod & tetigi in Secunda Parte ad *Chartarii Deorum Imagines*, docuitque *Fabrottus* modo citatus, multorum reconditæ eruditionis Scriptorum testimonio. PIGNOR.

A *Orthon*, qui monti nomen dedit, sibi cognominem quendam in *Sicilia* habuit, cui *Theocritus* Epitaphio hoc parentavit; quod Latine ita a politissimo *Heinsio* effertur:

Præcipit hoc Orthon Siculus; ne forte viator
Ebrius hybernæ tempore noctis eas.
Namque ego sic jaceo: pro pulvere nempe paterno,
Externa peregre contumulatus humo.

Agnon sive *Annon* est nomen *Punicum*, quod *Euganei* ex *Hispania*, ubi diu commorati sunt *Afri*, forsan sunt mutuati. *Annonis* cujusdam
B *Bœoti*, magni venatoris meminit *Gratius*.

Cerro, prout amicus quidam meus opinatur, Deo *Cero*, qui temporis designabat opportunitatem, fuit consecratus locus. Qui vero ejus imaginem aliudve quid videre cupit, inter vetustiores *Posidippum*, *Ausonium*, atque *Callistratum* adeat;
102 inter Recentiores vero *Chartarium* nostrum, qui de illo recta protulit. Audivi autem *Lovanii* in sarcophago *Gabrielis Mudæi* JurisConsulti exstare ejus Dei effigiem, adscriptis, quæ ex *Lucano* puto desumta, verbis: NOCUIT DIFFERRE.

Zovone olim Ζυγὸν, id est *jugum*, dictum arbi-
C tror, nostri lingua sua *zovo* appellant. Atque ibi colebatur forsan Ἥρα ζύγια, prout vocatur ab *Auctore Excerptorum Latino-barbarorum Eusebii*, quem *Scaliger* edidit. Erat autem ea *Juno*, cui, ut *Virgilius* canit,

—— —— *vincla jugalia curæ.*

Nisi *Jovis montem* dicamus, *zobia* enim apud nos *Jovi* dicatur dies, & *zovare* pro *juvare* dicitur.

Rovolone vero ita appellatum censeo a ῥοϐλῶ, quod dicit *spirare cum strepitu & rumore*, prout usurpatur passim de impetuosis ventis ex suis latebris erumpentibus.

D *Baone* a βοάω deductum nomen puto, forsan quod ibi *Bacchica* magno bombo & strepitu, ut solebant, celebrabantur olim orgia. Describit illa *Virgilius Æneid. Libro* IV.

Boccone derivatum existimo a βαυκὸς, quod delicatum, prout iste revera est, locum dicit.

Idem de *Arqua*, de *Teolo* dicere possemus, [1] ut & de aliis locis, verum ut conjecturæ istæ sæpe veri habent speciem, ita sæpissime etiam a vero longe abesse possunt, namque ut opportune dicit *Varro de L. L.* in initio: *Non mediocres tenebræ in sylva, ubi hæc captanda; neque eo, quo pervenire volumus, semitæ tritæ; neque non in tramitibus, quædam objecta, quæ euntem retinere possint.* Ita ut certa sit regula & verus aphorismus hoc ejusdem effatum, *Vetustas non pauca depravat, multa tollit.*

CAPUT XVI.

Magnitudo Patavii celebrata a Scriptoribus antiquis. Dedita Urbs armorum studio, ut & mercaturæ. Lana Patavina in pretio. Error Scoliastis Juvenalis, ut & forsan ipsius Martialis. Altinum non bene a Radero collocatum. Altini res celebres apud antiquos. Pons Altini. Antiquum Patavii regimen. Municipium quid fuerit. Senatus atque ordo Equestris. Quatuorviri. Duumviri. Censores. Ædiles. Quæstores. Religio Municipalis. Viri præteritis seculis illustres. Civitas Romana qua introducta occasione. Patavium Romano Magistratui subjectum, & quando. Laus Bernardini Scardeonii. Cajus Cornelius Augur. Coronæ Sacerdotum. T. Livius. Volusius Patavinus fuit. Nomen Paduæ, prout hodie Urbs vocatur, unde natum. Q. Asconius Pedianus. Duo Asconii a Scaligero introducti. L. Pedianus fuit potius L. Pedanius. Familia Pedania. Dubitatur de L. Cassio Centurione. Boriscus Pontani figmentum. P. Fabius Saturnalius Patavinus. Cæcina Pætus. Thrasea clarissimum patriæ nostræ lumen. Arria Thraseæ uxor, Faunia filia. Popilio Pæto nihil cum Thrasea Pæto, ut nec Avilliæ Pætæ. Serrana Procula. Clemens, Sabina, Corellius Este oriundi. Arruntius Stella civis noster. M. Arruntius. C. Valerius Flaccus Patavinus fuit. Maximus Olybius an fuerit, dubitatur. Ita & de Julio Paullo Juris Consulto pronunciatur. Arena nostra. Zairo. Naumachia. Patavii lapicidinæ, viæ, viæ constratæ. Via Patavina. 103

TAntæ olim magnitudinis fuit *Patavium*, ut πασῶν ἀρίστην πολεῶν non dubitaverit appellare *Strabo*, *Pomponius Mela* vero *opulentissimam* dixerit. Ita quidem, ut prior ille in ejus atque *Ravennæ* comparatione, *Oderzo*, *Concordiam atque Hadriam* πολισμάτια, id est *oppidula* seu *castella*, vocet. Quod & ipsum forsan indicare voluit *Cicero*, qui ubi *Philippica* XII. *Galliam* nominat, solos per excellentiam adducit *Patavinos*. Splendor autem

---

1 *Ut & de aliis locis*] Nam non solum in montanis nostræ regionis, verum etiam in patenti planitie multa vestigia antiquitatis sunt, appellatione sua id probantia, quæ ex *Latina* Lingua in nostram deflexere ver-
E naculam. Hujus generis sequentia mihi observata sunt.

VILLA TORA.	*Villa Thoria.* Celebris enim inter *Romanos* familia fuit *Thoria.*
FIESSO.	*Flexus*, in *Itinerario Antonini.*
FRASSENEDO.	*Fraxinctum* dicitur *Luitprando.*
VIGO NOVO.	*Vicus novus.*
STRA.	*Strata.*
TORRE.	*Ad Turrem*, in *Itinerario.*
COREZOLA.	*Cohors Regiola.*
LUPIA.	*Lupias*, in *Itinerario.*
CAL DE VIGO.	*Callem vicum*, in *Itinerario.*
ALL' OLMO.	*Ulmos*, in *Itinerario.*
VIGO D'ARGERE.	*Vicus Aggeris.*
F LIMENA.	*Ad Limina.*
CAMINO.	*Caminos*, in *Itinerario.*
CORNEGIANA.	*Corneliana.*
MEIANIGA.	*Æmilianica.*
S. MARIA DE NON.	*Nonianum*, apud *Bembum.*
BAGNOLI.	*Balneoli*, apud *Juvenalem.*
STIANO.	*Hostilianum.*
PEIANIGA.	*Opelianica.*
GARZIGNAN.	*Carcinianum.*
TRE VILLE.	*Tres Villæ*, apud *Sidonium.*
GRANZE.	*Grangiæ*, apud *Cæsarium Heisterb.*
CARPANEO.	*Carpinetum.*
MASERA.	*Maceria.*
BIGNASEGO.	*Albiniascus.*
SARMAZZA.	*Sarmatia.*
TEGI.	*Tegilia.*
SELVAZZAN.	*Silvatianum.*
RONCAIA.	*Roncalia*, apud *Sigonium.*
RONCAIETTE.	*Roncalitria.*
CORTELA.	*Cultellata*, apud *Frontinum de Limit. Agr.*
LAUVIGIAN.	*Livianum.*
PENDISE.	*Pendix.*
MERENDOLE.	*Merendulæ.*

Et quæ plura supersunt, non dico curiosiori, sed otiosiori investiganda. Appellatio *Terra Negra*, quæ apud nos est, sine dubio ex Vetustate mutuata est, mixto enim vocabulo *Græco-Latino Terra-nera* dicta fuit, quoniam passim ibi mortui sepeliebantur. Similiter locus in *Ægypto* appellatus fuit *Necropolis*, ut videre est apud *Strabonem Libro* XVII. Vel tota voce *Latina* dicta fuit *Terra Nigra*, cuncta enim tristia & lugubria *atra* & *nigra* vocabant, prout evincit doctissimus *Chifletius* in *Vesontii Antiquitatibus*, *Parte* I. *Cap.* XVI. sepulcra vero *terram* dicebant, quod si non alibi, discere saltem est ex Nota hac sepulcrali communi S. T. T. L. qua levem precabantur terram, seu sepulcrum. In summa, prout apud *Horatium* legitur,

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.

autem Urbis ex quingentis istis Equestris ordinis, qui *Strabonis* tempore in censu publico numerati sunt, percipi potest, ita enim *Strabonis* locus est intelligendus, non ut dicat, *adscriptos* aut *creatos fuisse*, ut quidam putavere. Miranda res, prout idem scribit *Libro* III. agens de *Calete*. Armato-
104 rum vero centum viginti quandoque in bellum produxisse millia, haud inverisimile est. *Gallorum* enim, [1] ut scribit *Livius*, vicinitas, semper armatos fecit, cum & aliquando *Græci* illorum littora infestaverint. Potuisset autem melius silere *Pigna*, scribens *Historiar.* suarum in principio, *Este* caput fuisse *Venetiarum*, *Atestem* autem, non *Antenorem* nomen illi imposuisse, marmor enim, quod citat, suppositum est.

Mercatura autem maxime olim *Patavii* floruit, utpote, quæ usque *Romam* misit pannos suos atque alia, quæ, ut scribit *Strabo*, generositatem, potentiam, industriam atque divitias incolentium indicabant. Tunicarum istius Urbis meminit *Martialis Libro* XIV. & *gausapen quadratam Epigr.* CXLII. & CLII. memorat. Erat autem panni genus, ut *Valentiæ* istud, quod a nobis *Felzate* appellatur. Superius vero jam ex *Juvenale* notavimus agnarum *Euganearum* mollitiem atque pulchritudinem. Apud quem quidem Interpres recte *Euganeam* de *Veneta*, non vero de *Tarentina* vel *Calabra* exponit. Nihil enim *Euganeis* vel cum *Calabris*, vel cum *Tarentinis* rei fuit. Scribit adhuc *Strabo Libro* V. pretiosas tapetes ex lana *Patavina* solere confici, gausapas, ut & alia itidem pannorum genera, vel partem ex pilis, vel in tantum confecta. *Juvenalis* etiam, ubi habitum *Italum*, haud ambitiosum, tangit, *cucullum Venetum* nominat *Satyra* II. cujus quidem ad propositum idoneum magis testimonium adducere nequeo, quam servi rustici effigiem productam a nobis *Libro de Servis Pag.* CCLXI. *Columella* etiam de lanæ genere scribens *Libro* VII. *Cap.* II. illam quæ ex *Apulia* venit, antiquitus quidem maximo in pretio fuisse, verum suo tempore prævaluisse *Gallicam*, id est *Venetam*, maxime vero illam *Altini*, dein *Parmensem* & *Modenensem*. *Martialis* vero, ubi *Libro* XIV. *Appulæ* primum tribuit locum, secundum *Parmensi*, tertium *Altinæ*, meliorem sine dubio se Poëtam ostendit, quam pastorem. Notandum vero *Altinum* ibi a *Radero* in *Æmylia* poni, cum dicere debuisset in *Venetia*, prout videre est in enumeratione *Cornelii Taciti Historiar. Libro* III. Vaccas vero *Altinates* laudat rursus *Columella Libro* VI. *Cap.* XXIV. ut & genistas *Gratius*, ad tela & lanceas aptas, in Libro *de Venatione*:

Taxique, pinusque, Altinatesque genistas.

ut & pisces pectines *Plinius Libro* XXXII. *Cap.* XC. Quod omne quidem dictum sit in gratiam pontis antiqui, & nobilis admodum structuræ in
Urbe nostra, quæ adhucdum appellatur [1] *Ponte,* 105
Altina, forsan quoniam illuc *Altinum* iter erat.

Quoniam vero *Strabo* Urbem nostram laudans εὐανδρίαν καὶ εὐτυχίαν ejus præ aliis nominat & agnoscit, *generositatem* scilicet, atque *bonam civium fortunam*, paucis illis immorabimur, ornamenta quondam Urbis illustraturi, primo quidem Regiminis specie, dein respectu civium, magnificentia denique structurarum, quæ superba olim fuere.

Gubernationis quidem speciem exacte demonstrare, difficile judico, vixque aliud afferre possum, nisi querelas de longinqui ævi vetustate, cujus adamantini dentes tam pulchram Memoriarum nostrarum contrivere partem. Referam tamen fideliter, quæ hanc in rem a me sunt observata, palmam illi concedens, qui meliora stabiliore subnixa fundamento attulerit, neque enim ipse didici jurare in magistri alicujus verba, veritatem & quærens, & amans.

Primo itaque observatum mihi esse, Coloniis annumerari posse *Patavium*, quod *Asconii* nostri in *Pisonianam* evincunt verba: *Neque illud dici potest, sic eam Coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji Magni, transpadanas Colonias deduxerit. Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ Coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur.* Atque hæc quidem ipsa *Asconii* ex Editione *Paulli Manutii* verba sunt, quæ ita se habere ex MSS. etiam confirmare possim, depravate vero citantur ab aliis. Quæ autem opponuntur ab *Joanne Annio Viterbiensi*, sola ejus nituntur auctoritate, *Catonem* & *Sempronium* ea loqui facientis, quæ nonnulli istis *Asconii* verbis elici posse existimavere. Et sane *Jacobus Cavacius* multæ doctrinæ vir, auctoritate *Asconii* subnixus pro Colonia etiam habuit *Patavium*, in *Italia* sciens *Transpadana* esse. Favet opinioni ejus *Aulus Gellius*, politissimus Scriptor, multæque, & propter sermonis & propter Historiarum exquisitam curam, auctoritatis. Scribit hic *Libro* XV. *Cap.* XVIII. *Quo C. Cæsar & Cn. Pompejus die per civile bellum, signis collatis, in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavii, in Transpadana Italia, memorari digna.* Unde liquet satis incaute scripsisse *Sigonium*, solos *Gallos Cænomanenses* atque *Insubres Transpadanos* vocatos a *Romanis*, non vero *Venetos*. Licet notet *Servius* ad *Virgilii Eclo-*
gam IX. *versu* XXVII. 106

Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublime ferent ad sydera cycni.

Poëtam *blandiri Alfeno Varo, qui Pollione fugato, Legatus Transpadanis præpositus est ab Augusto.* Patet

---

1 *Ut scribit Livius*] Cujus hæc sunt verba in initio *Libri* X. *Hæc* (populationes *Græcorum*) *ubi Patavium sunt nunciata (semper autem eos in armis accolæ Galli habebant) in duas partes juventutem dividunt. Altera in regionem, qua effusa populatio nunciabatur: altera, ne cui prædonum obvia fieret, altero itinere ad stationem navium (millia autem* XIV. *ab oppido aberat) ducta. In naves parvas custodibus interemptis impetus factus: territique nautæ coguntur naves in alteram ripam amnis trajicere: & in terra prosperum æque in palatos prædatores prælium fuerat: refugientibusque ad stationem Græcis Veneti obsistunt. Ita in medium circumventi hostes, cæsique, pars capti classem indicant, Regemque Cleonymum tria inde millia abesse. Ibi captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte planis alveis fabricatas, pars captiva navigia armatis complent, profectique ad classem, immobiles naves & loca ignota plus quam hostem timentes circumvadunt: fugientesque in altum, ac nusquam repugnantes, usque ad ostium amnis persecuti, captis quibusdam, incensisque navibus hostium, quas trepidatio in vada intulerat, victores revertuntur.* Addit dein *Rostra navium, spoliaque Laconum, in Æde Junonis Veteris fixa, multi supersunt, qui viderunt.*

1 *Ponte Altina*] Qui Anno MDLVII. Potestas Urbis nostræ fuit *Bernardus Georgius*, & (quod rarum est exemplum) studia humanitatis cum Reipublicæ junxit gubernatione, diversam a nobis opinionem hoc suo Hexasticho testatus est.

INSCRIPTIO PONTIS ALTINATIS.

Hic Altinates Laribus Patriaque relictis
Dum metuunt prædas, dum metuuntque necem.
Attila namque igni vastabat & omnia ferro
Exstruxere sibi pignoribusque domos.
Indita sunt ex hoc igitur sua nomina ponti,
Altinas ripam hanc incola quod coleret.
PIGNOR.

tet autem ex relatu *Velleji Paterculi* in *Venetiis* cum imperio fuisse *Asinium Pollionem*, qui & *Patavii* juxta *Macrobium* summa auctoritate jus dixit. Quæ autem afferuntur ab adversariis contra horum auctoritatem, effugia non vero argumenta sunt. Hinc scribit Antiquus quidam Grammaticus, qui *Virgilii* composuit *Vitam*, quod transierit ad *Bucolica, maxime, ut Asinium Pollionem, Alfenum Varum, & Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis Triumvirorum jussu trans Padum dividebantur, indemnem se præstitissent.* Liquet ita hinc ordinem Præfectorum nostrorum ab *Augusto* fuisse institutum, unde & notat *Servius* ad *Eclogam Virgilii* VI. *versu* LXIV.

——— *Permessi ad flumina Gallum.*

Qui, scilicet *Gallus*, *Elegos scripsit*, *qui & a Triumviris præpositus fuit ad exigendas pecunias ab his municipiis, quorum agri in Transpadana regione non dividebantur.* Scimus autem & *Mantuam* etiam divisioni isti subjectam fuisse, quæ quidem *Venetorum* ditionis fuit, prout superius *Cap.* XIII. demonstravimus. Cuncta vero hæc directe contrariantur illorum opinioni, qui exstimant, usque ad *Augusti* Principatum liberam Urbem nostram cum provincia *Veneta* permansisse. Sed de hisce inferius dicendi locus erit, nunc quidem ad *Italiam* redeamus *Transpadanam*.

Adversatur quidem iis, quæ hactenus prolata sunt, *Plinii* auctoritas, *Venetos* in nona *Italiæ* regione, quæ *Transpadana* est, non enumerantis. Verum ego *Plinio* oppono *Strabonem*, qui *Libro* V. *Pag.* CCXII. *Editionis Casaub. Italiæ* nostræ partem dividit in *Cispadanam* & *Transpadanam*, illi *Ligures*, huic assignans *Venetos*. Locus ejus clarissimus est, atque a cunctis potest inspici. Quantum autem ad difficultatem, quæ videtur sequi ex deteriore conditione nostræ Civitatis, nihil habeo, quod respondeam; quoniam locus *Strabonis* mutari non potest, ita ut exspectandus sit aliquis, qui nodum hunc una cum illo *Dionis* nobis solvat, & illud quod supra attulimus, probantes *Venetos* esse *Transpadanos*, cum hisce novis opinionibus in concordiam redigat.
107 Quibus *Lipsii*, Scriptoris accuratissimi adjungemus auctoritatem, qui ad *Corn. Taciti Annal. Libr.* X. verba hæc: *Veneti & Insubres* ita exponit: *qui populi Transpadani.*

Atque ea quidem sufficiunt, ut probemus, *Patavium* Coloniam fuisse. Municipium autem fuisse ex *Plinii Secundi* demonstro auctoritate, qui *Serranam Proculam* nominans maternam *Minucii Aciliani* aviam, Municipio *Patavino* oriundam facit, & conspiciebatur, prout testatur *Scardeonius* *Pag.* LXXXIV. in domo *Rhamnusiorum* de hac re inscriptio mutila. *Gellii* autem verba *Libro* XVI. *Cap.* XIII. anxium me haud faciunt, dico enim *Patavium*, si non Municipium, Coloniam fuisse ex *Gellii* conclusione. Multo minus *Ulpiani* curo dicta, qui longe post *Plinum* vixit, & cum jam Linguæ *Latinæ* puritas barbariem receperat. Si vero *Livius* & *Cicero Municipio* pro Colonia & Urbe fœderata usi sunt, jam necesse est, ut sub alterutro eorum *Patavium* cadat. Nisi enim Municipium fuerit, inconveniens judico, quod aliquo modo *Romæ* subjectum fuerit, prout inferius dicemus. *Cæsar* enim, ut alii de eo scriptum reliquerunt, Municipia *Transpadana* Quatuorviros creare jussit, ut ex *Cicerone* ejusque Commentatore *Manutio* liquet, ut adeo negari non possit, aliquo saltem modo *Patavinos* vel pecuniæ vel militiæ onere gravatos a *Romanis* fuisse. Videri enim apud *Macrobium* potest *Asinii Pollionis* casus. Ita ut, si Municipium fuerit *Patavium*, etiam

A ut tale debuerit designari a *Sigonio* atque *Panvinio*. Verum non omnia vidisse doctissimos atque diligentissimos istos viros facile cuivis patere potest ex *Gruteri Indice Chorographico*. Atque hæc quidem sunt; quæ adducere potui, ut quantum in me est, probem, Municipium fuisse *Patavium*, quod reliquum est per me in medio positum manet.

Tertium restat, in quo quidem *Academicos* sequi necesse habeo, *Patavium* scilicet Urbem fuisse fœderatam, verum eo pacto, quo omnis erat Provincia, ut *Polybius* & *Strabo* narrant. Poterat enim prærogativam istam, ubi & cui vel-
B let, dare Urbs *Roma*, quomodo & *Saguntinis* quondam & *Judæis*, *Lacedæmoniis* aliisque concessa est. Habuere vero semper hæ Civitates aliquod cum *Republica Romana* obligationis vinculum, prout saltem patere potest ex conditionibus fœderis inter illos atque *Judæos*, *Libro Ma-* 108
chabæorum I. *Cap.* VIII. enumeratis. Ut adeo haud necesse sit semper, ut quidam fecere, bellum fingere, quod præcesserit, antequam Regio vel Urbs quædam amica vel fœderata facta fuerit. Procurare enim id, ut ostendimus, sola voluntas & electio poterat, notatque in casu non
C valde dissimili *Servius* ad *Virgilii Æneid.* III. *versu* DCC.

Cognatasque Urbes olim, populosque propinquos,
Epiro, Hesperia quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Trojam animis.

Augustum, postquam in *Albania Prevesam* condidisset, quæ olim *Nicopolis* appellata fuit, cavisse in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur a *Romanis*. Quod & in Urbem nostram quadrare potest. Apparet autem valde convenire, quod videre est in *Saguntinorum* facto, quod nar-
D rat *Polybius Histor. Libro* III. atque id, quod de nostris scribit *Livius* in fine *Libri* XLI. Sed *Patavinis* id forte, imo vere accidit, quod *Festus Rufus* narrat de *Rhodiis*, qui, ut ille dicit, *primum libere agebant*, *postea in consuetudinem parendi*, *Romanis clementer provocantibus pervenerunt.*

Atque hæc quidem de Urbis nostræ regimine publico observare licuit, quæ nostræ conjecturæ si placuerint, gratum id nobis erit, sin minus, bono sciant animo adjuvandi Rempublicam Literariam scriptas esse. Si quis vero meliora in medium protulerit, me sibi addictum valde inveniet,
E ut Veritatis Sacerdotem, quales omnes existimo esse habendos, tam veteris, quam recentioris Historiæ Scriptores.

Cunctos quidem Magistratus Coloniarum, Municipiorum, atque Urbium Fœderatarum, exquisita diligentia accuratissimus collegit *Sigonius*, qui in Coloniis atque Municipiis notavit Duumviros, Triumviros, Quatuorviros, Censores, Ædiles & Quæstores; in Urbibus vero Fœderatis Dictatores, Consules, Prætores, Ædiles & Quæstores, cum etiam plurima Municipia Equestrem ordinem atque peculiaria habuerint Sacerdotia: verum omnia hæc *Patavii* in usu fuisse, proba-
F ri nequit, cunctis vetusti ævi memoriis & monumentis publicis Urbis nostræ incendiis atque dirutionibus sub ruinis sepultis. Habemus autem superstitia quædam Marmora Antiqua, & in iis priscarum rerum vestigia.

Ex hisce Quatuorvir fuit quidam *Manius Allenius*, cujus exstat mentio ad Chori Ecclesiæ Cathedralis partem Occidentalem, fabulæque de quatuor Ecclesiæ restauratoribus originem dedit.
Cajus Antonius Sardus Quatuorvir Rationalis fuit. 109
Sexvir fuit *Cajus Vennonius Primus*, prout in *Oderzo Lucius Arrius*. Ædilis & Duumvir fuit

Quin-

A *Quintus Octavius*, ut & *Cajus Octavius Rufus*. Præfectus Rationalis fuit *Sextus Pompejus*, ut & Fabrorum Præfectus, & bis Augur, quod quidem ultimum docet, verum esse id, quod de Municipali affirmavimus religione. Atque ideo quoque *Julius Obsequens* & *Lucanus Cajum Cornelium* nostrum vocant augurem, *Libro* VII. *versu* CXCII.

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens.

& *Gellius Libro* XV. *Cap.* XVIII. dicit, fuisse illum *sacerdotii religionibus venerandum, & castitate vitæ sanctum.*

B Viros vero Civitas nostra Illustres haud paucos habuit, magna vero laus manet *Bernardinum Scardeonium*, qui omnes nostras Memorias diligentissime collegit atque illustravit, scriptis, ut de illo bene dixit insignis Poëta *Jacobus Rufinus*, mandans

Res, homines, ritus, Divos, juga, flumina, campos.

Quædam autem, quæ pro veris certisque ab illo censentur, dubia satis mihi videntur, de quibus veritatis gratia, breviter agere accuratius non inutile existimo, cum etiam sciam, laudari seculo hoc tam erudito non vanam dubitationem, C cum insuper haud egeat incertis laudibus aut aliunde emendicatis, quæ suis, iisque veris & indubitatis satis superbire potest, Patria mea.

In primis a *Scardeonio* nominatur *Cajus Cornelius* Augur, de quo quidem nullum est dubium, quin fuerit *Patavinus*. Ex *Livii* enim testimonio id in *Cæsaris Vita* affirmat *Plutarchus*. Notandus autem venit *Lucani* stupor, quod cum *Livius* apud *Plutarchum* (plane ut sequuntur *Obsequens* & *Dio*) dicat, vatem fuisse, qui angurii viam in divinatione sequeretur, tot alia nova proferat & perscrutetur. Scribit enim *Libro* VII. *versu* CXCVII.

D *Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:*
Aera seu totum &c.

Quantum autem ad coronæ projectionem attinet, sciendum est, Sacerdotes Provinciales (prout scribit *Tertullianus*) coronatos auro solitos fuisse incedere. Qui vero ad satietatem illud videre cupit *Marcum Vellerum* adeat in *Commentario* suo *supra Controversiam de S. Afra*, & *Carolum Pascalium* in Libro *de Coronis*.

Secundus illi *Livius* venit, cui quidem, honoris gratia, peculiare *Caput*, quod hujus Opusculi penultimum est, a nobis dicatur.

E *Volusius* vero Annalium ille Scriptor, quantum
110 scio, haud *Patavinus* fuit, nihil enim tale ex *Catullo* liquet, apud quem *Padua* non quidem Urbis nomen est, quæ tunc temporis *Patavium* appellabatur, verum os quoddam *Padi*, quod ita, ut testatur *Polybius Histor. Libro* II. vocabatur.

Innuit itaque *Catullus*, [1] scripta *Volusi*, quæ *cacatam chartam* appellaverat, tunicas scombris dare in Padua, ubi multa erat piscium captura.

Ab isto vero nomine *Paduæ* multi volunt nomen *Paduæ*, quo jam vocatur, barbaro ævo natum esse. F Alii vero pro *Patavio* primo quidem corrupte *Patavi* dictum, cum & apud *Virgilium* legere sit *Urbem Patavi*, unde postea barbaries præcedentium seculorum adjectivum formarit *Patavus, a, um*. Et sane in *Itinerario Hierosolymitano* legitur *Patavi*, & in *Tabula Pentingeriana*

1 *Scripta Volusi*] Familia *Volusia* fuit *Romana*. *Cicero in Libro* V. *ad Atticum Epist. ultima* meminit *Q. Volusii*, qui gener *Tiberii* cujusdam fuit, *Pomponio Attico* amicitia juncti. *Valerius* etiam *Maximus Libro* VII. *Cap.* III. *M. Volusii* Ædilis meminit. Notus autem est *Volusius Bithynicus* ex *Juvenalis Satyra* XV. ut & ex Libello suo de *Asse & Partibus ejus Volusius Metianus*. PIGNOR.

Patavis, ex quo denique factum sit *Patava* & *Padoa*. Neque *Gallicam* originationem, ut nonnulli, denominationis admittam unquam. Habuere namque *Veneti* peculiarem sibi sermonem, quo usi sunt, prout docet *Polybius*. Quod si *Martialis* agnoscat *Sylvam* in istis oris, *Euganeos* quoque lacus quominus & nos agnoscamus, nihil ipse alii-ve impedient, cum in *Patavino* æque lacus ac sylvæ esse potuerint. Exculta enim valde ista regio fuit, secundum ipsum istum *Martialem*, qui canit,

Si prius Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis.

Quid denique, si vox *Pades* corrupta sit apud *Plinium*, prout affirmat *Glareanus* ad *Commentarios Julii Cæsaris*. Verum nomen hoc recens est, cui nihil cum antiquitate rei est, vetustissimam vero nominis istius memoriam exstare puto in Moneta quadam Argentea, quæ percussa fuit tempore, quo Reipublicæ formam Urbs habuit, legitur vero in illa: PADVA REGIA CIVITAS. Atque hæc quidem sufficiant.


De *Quinto Asconio Pediano* Grammatico, nullum quidem est dubium, ipse enim id de se testatur, Virique Docti jam animadverterunt. Imo & *Silius Italicus* id innuere voluit *Libro* XII. prout acute etiam observavit *Lipsius Libro* I. *Elector. Cap.* XVII. cujus tamen sententiæ subscribere non possum. Et attendendum est prænomen *Asconii* esse *Quintum*, ut certe excudit *Paulus Manutius*; non *Quirinium*, ut habent quædam depravata *Eusebii* exemplaria. Est etiam apud me MS. quoddam, in quo in fine hæc leguntur: *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in Monasterio Sancti Galli, prope Constantiam* XX. *millibus passuum, una cum parte Q. Asconii Pedia-*
ni. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat 111
perfectum, nos quod potuimus egimus. Poggius Florentinus. Semper autem Q. significat *Quintum*, quod vel, qui levem antiquitatis habent gustum, sciunt. Erat vero familiare isti genti prænomen istud, ut adeo cum Grammatico nihil isti rei sit, idque patere potest ex Marmore, quod adducit *Scardeonius*. Placet vero mihi *Scaligeri* super *Eusebium* conjectura, qui duos existimat fuisse *Asconios Pedianos*, Grammaticum alterum, alterum Historicum. Utrumque vero ad nos pertinuisse censeo. Historicum credo admiratum fuisse *Silium Italicum*, qui *Virgiliano* carmine, *Libro* XII. plus quadraginta versus in honorem ejus panxit. Basis opinionis meæ in eo est, quod eodem vixerint tempore. Verba vero *Eusebii*, qui de Historico scribit, *in summo omnium honore consenescit*, hisce versibus illustravit *Silius*:

Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine Gentes,
Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret,
Seu Musas placidus, doctæque silentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,
Non ullum dixere parem, nec notior alter.

Quare vero *Evandri* dicatur filius, rationem afferre nullam possum.

Lucius Pedianus Consul, in libris correctioribus, ut *Dalechampii* aliorumque *L. Pedanius* vocatur, fuitque inter alias insignes familias *Romanas* quoque ista *Pedania*, enumerata etiam a *Fulvio Ursino*. Qui itaque *Lucius Pedanius* nostris annumerari nequit.

Lucius Cassius quomodo Centurio fuerit atque nactus Prænomen *Lucii*, nescire me fateor. *Suetonius* neutrum satis clare dicit, recenset modo nomen ejus ita, *Junium Novatum, & Cassium Patavinum, e plebe homines.*




PAETVS & ARRIA.

[1] *Boriscum* fictum a *Pontano* nomen ut & personam puto, pro illo vero substituo *P. Fabium Saturnalium*, qui cum aliis sumptus contulit ad Tribunalitiam sedem, *Lucio Sergio Paullo* secundum Consule.

Cæcina Pætus vir vere illustris fuit, sed *Patavinus* undenam colligetur? an quod generum sibi adscivit *Thraseam Pætum*? At istud non sufficit, idem enim *Thrasea* generum sibi elegit *Helvidium*, qui non fuit *Patavinus*, sed *Tarraconensis*. Neque ejus, quod scio, meminit *Cornelius Tacitus*, sed quidem *Cesennii* cujusdam sive *Cesonii Pæti*, qui *Armeniæ* ante *Corbulonem* præfuit, *Neronis* tempore, quum e vivis jam excessit *Cæcina Pætus*. Fuit *Vespasiani* temporibus item alter *Cæcina Pætus* Consulatum una cum *L. Annio Basso* adeptus, ut scribit *Fulvius Ursinus* in Familia *Cæci-*
112 *na*, retulit vero *Panvinius* in *Fastis* suis ad Annum DCCCXXIII. Sed nec de *Arria* plenius testimonium superest. De *Thrasea* vero, & merito gloriamur, fuit enim (ut scribit *Justus Lipsius* ad *Annalium Taciti Lib.* XVI.) magnum *Gallicæ* gentis decus, ornamentum *Romanæ* Curiæ, aureum sidus tenebrosi illius ævi. Inspiciantur *Lipsii* verba, atque apparebit, tanto *Thraseæ* flagrasse desiderio, ut etiam Librum composuerit de Contemtu Mortis, *Thraseæ* imposito nomine, suppressit autem postea, non ex omnium gustu fore ratus. Adnotat id in *Vita* ejus *Aubertus Miræus*. Familiam *Thraseæ* Gentilitium (de quo dubitat *Lipsius*) nomen hoc habuisse existimo, prout familia *Cæcina* atque *Perperna* apud *Romanos*. Elogia ejus apud Scriptores ævi sui passim videri possunt. Illud modo dicam, *Neronem* in nece *Bareæ*, *Sorani*, atque *Thraseæ*, ipsam quæsivisse a terris tollere virtutem, prout videre est *Annal. Libro* XVI. qui idem *Thrasea Historiar. Libro* II. appellatur *exemplar veræ gloriæ*.

[2] Uxor vero ejus *Arria* gravis matrona fuit, nec minorem filiam *Fanniam* habuit. Videatur autem de illis *Scardeonius*, qui cunctas circumstantias magna conquisivit atque in medium protulit diligentia. Sufficiat nobis paucula ex *Plinio*, *Lib.* VII. *Epist.* XIX. hæc de illa dixisse: *Quæ castitas illius? Quæ sanctitas? Quanta gravitas? Quanta constantia?*

Popilii Pæti Monumentum vidi, nihil autem commune habere arbitror cum *Thraseæ* familia, ut nec *Pæta* illa, de qua mox dicam. Fuit enim cognomen *Pæti* multis olim Familiis commune. Fuit enim *Popiliæ*, fuit *Æliæ*, *Autroniæ*, atque *Avilliæ*. In domo etiam *Guilhelmi Schieri*, nobilis *Vlamingi*, reperta nuper fuit Inscriptio in terra fictili, exstantibus in cavitate quadam (prout passim in antiquis fictilibus solet) literis hisce:

AVILLIAE
PAETAE.

Denotat autem Epigraphe mulierem, quæ figulinam artem exercuit, prout notavit *Guilhelmus Philander* ad *Vitruvii Librum* II. nosque plus semel observavimus. Cognomen etiam sic erat Familiæ *Cæsenniæ* sive *Cæsoniæ*, qui omnes ad *Pætum Thraseam* nostrum pertinebant plane nihil, multo autem minus, ut quidam existimavere, *Avillia* ista *Pæta*.

De *Serrana Procula* superius diximus, satis in *Clementem* atque *Sabinam* jus suum *Estensibus* re- 113
linquimus, ut & in *Corellium*.

Grande vero Urbis nostræ ornamentum fuit *Arruntius Stella*, nobilis, dives, eloquens. Fuit Decemvir sacris faciundis, fuit Prætor, fuit Consul. Clarorum etiam suo tempore Poëtarum, *Statii* atque *Martialis* amicus fuit. Videtur ex Familia ejusdem *Stellæ* fuisse *Marcus Arruntius Aquila*, cujus in antiquo lapide exstat memoria, quique de Tribu *Terentiana* fuit, non vero *ter signifer*, prout nuper quidam scripsere, & ipsi ab eodem decepti, quod errare fecit *Scardeonium*.

Cajus Valerius Flaccus, qui *Argonautica* scripsit, an nostras fuerit, dubito. Antiqui Libri *Setinum* nuncupant. Erat autem *Setia* in agro *Romano*, ferax boni vini, quod *Setinum* dicebatur, nunc vero est *Sezza*. Judicat id & *Raderus* ad *Martialis Librum* I. *Epigr.* LXXVII. Fuit quidam *Flaccus* Poëta, *Patavinus* natione, verum nihil præterea de isto scimus.

Maximum Olybium relinquo illorum curæ, qui melius norunt. Auctorem vero Antiquum nullum inveni, qui *Julium Paullum* Jurisconsultum, *Patavinum* dixit. Non fugit me, a *Theodoro Marcilio* appellari *hominem Græcum*, Consulem vero fuisse non credo. Agnosco tamen multarum rerum fundamentum esse traditionem, quæ & passim credantur, Patriæ vero meæ destruere nolo ornamenta, quibus accumulandis operam potius commodarem, tanto magis, quoniam, ut ita dicam, nubem testium habemus, qui affirment idem hoc, atque inter illos quosdam, loci gratia, ubi nati sunt, Patriæ nostræ iniquiores.

Antiquorum Urbis nostræ Operum vestigia remansere [1] *Amphitheatri*, cujus adhuc pauci supersunt murorum ambitus. Ejus vero Ichnographiam subjunximus. Habuit introitum parte Meridionali, atque ovalis fuit formæ, neque *Lipsius* ejus mentionem fecit, licet diligens istarum rerum perscrutator. Quod quidem haud miror, neque enim omnes tales fabricas scire vel nominare potuit, cum repletum talibus fuerit Imperium *Romanum*. Conspiciuntur vero intra Urbes, atque etiam extra easdem, ut *Placentiæ* Amphitheatrum, quod *Cornelius Tacitus* nominat, ut illud *Polæ* ex *Leandri Alberti* relatione.

1 *Boriscum*] Doctus æque quam comis Abbas *Albertinus Barisonus* observationem suam communicavit super *Briscum* quendam, de quo apud *Rolandinum Grammaticum* in *Vita Ezelini* legitur, quod capite fuerit truncatus Anno MCCLII. Forsan per errorem *Boriscum* suum ex hoc formavit *Pontanus*. Eum vero, qui de illo plura scire cupit, ablegamus ad *Rolandinum* istum, quem exquisita cura, dignoque *Italis* ingenio illustravit Abbas iste. Notabimus modo, quæ super hoc apud Auctorem quendam incertum MS. reperiuntur, cujus hæc sunt verba: *Idem dominus Ansedisius de Guidotis, Vicarius pro Imperatore, & Potestas Paduæ Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Indit. decima. Detruncati fuerunt in platea Briscus, Vandus de Vigoncia, Icelinus & Gerardus fratresque Guilielmi de Canturio, & in diebus illis cepit & jussit Potestas excæcare pueros, & secare genitalia, & fiebant pueri spadones. Unde ait Ovidius:*

Qui primum pueris secuit genitalia membra,
Vulnera quæ dederat debuit ipse pati.

PIGNOR.

2 *Uxor vero ejus Arria*] Hæc est illa *Arria*, cujus memorabile exemplum celebrat *Martialis* hoc Epigrammate:

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, Vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies hoc mihi Pæte dolet.

Facinoris scenam egregie depictam vides ex Antiquo Monumento Thesauri *Gronoviani*.

1 *Amphitheatri*] A quo vel quibus id sit excitatum, nusquam legi, potuit ab Imperatore quodam, a Magistratu, a privato etiam fuisse profectum. Condidere certe talia monumenta Imperatores, condidere Magistratus, sed & privatis id concessum patet ex *Cornelio Tacito Annalium Libro* IV. & *Plinio Libro* XXXVI. *Cap.* XV. qui ubi loquitur de Amphitheatro *C. Curionis* Tribuni, fabricam Regis alicujus, aut Imperatoris, aut divitis admodum viri appellat, id enim innuit, dum scribit, *Nec fuit Rex Curio, aut gentium Imperator, non opibus insignis, uti qui nihil in censu habuerit præter discordiam Principum.* PIGNOR.

Potuit forsan in hoc ipsum vetus istud Epigramma fuisse compositum:

Amphitheatrales mirantur rura triumphos,
Et nemus insignes cernit adesse feras.
Spectat arando novos agrestis turba labores,
Nautaque de pelago gaudia juxta videt.
Fœcundus nil perdit ager, plus germina crescunt,
Dum metuunt omnes hic sua fata feræ.

114 Recte autem ejus mentionem fecit *Jo. Jacobus Chi-*
115 *fletius* in *Vesuntii Antiquitatibus*, *Parte* I. *Cap.* XXXI. nomenque *Arenæ*, quod nunc obtinet, evincit.

Introitus istius fabricæ super veteris portæ ruinas excitatus est, & cum varii adhuc istarum ruinarum, quæ supersunt, sint prospectus, quatuor diversos repræsentari fecimus, in quibus adhuc antiquorum apparent fornices, structuræ genus, lapide scilicet quadrato, atque fabricæ firma soliditas, ut recte dicat *Lipsius*, raro illis caruisse Colonias atque Municipia.

Vastatam atque destructam giganteam hanc, ut ita dicam, machinam credidere quidam, ab antiquis Christianis, zelo religionis accensis. Perpetuæ enim *Græcorum* atque *Latinorum* Patrum, in hæc (ut appellabant) crudelitatis atque abominationis loca, leguntur in Scriptis illorum invectivæ. Verum tantæ potentiæ Vetus Ecclesia haud fuit, quæ neque cœlo neque solo sæpe diu frui sub sævis potuit Imperatoribus, atque crudeli Ma-
116 gistratu. Unde & hominum exclusi consortio, furtim in latibulis suis convenere. Hinc convitio, ut notat *Minucius Felix*, dicta *latebrosa & lucifugax natio*. Introducto autem veri Dei cultu tempore *Constantini* & Principum subsequentium, neque fecere id, neque potuissent etiam, Templis jam, ut operis publicis, abolito Idolorum cultu, præstantiori religioni consecratis. Obvia autem passim sunt exempla. Neque sane ubi sub Magistratu populus fuit, facile id fieri potuit, adhuc enim, quibus id prohibent Imperatores, exstant Rescripta *Arcadii* & *Honorii*, in quibus legitur, *Volumus publicorum operum ornamenta servari.* Et rursus, *Festos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur submoveri.* Atque iterum, *Decernimus ut ædificiorum sit integer status*, ejusque generis plura inveniuntur. Quod si *Theodosius* atque *Valentinianus* jusserint *fana*, *templa*, *delubra*, *si qua etiam nunc restant integra*, *præcepto Magistratuum destrui*, ad istam legem notat *Fabrottus*, meliorem *S. Gregorio* fuisse mentem, qui jussit, ut, quæ in *Britannia* erant, Idolorum Templa potiori dicarentur usui, aspersione aquæ benedictæ, altarium fabricatione, atque Sanctorum collocando reliquias.

Ego itaque destructionem hujus tam notabilis fabricæ potius adscripserim incursioni Barbarorum, qui *Romanum* inundarunt Imperium. Et sane qui ejus temporis miserias circumspiciet, sentiet nobiscum.

Neque sane id sine Divini Numinis contigit ultione, ut desolationi illa traderentur loca, in quibus toties tot innocentium *Christianorum* cruor fuit sparsus. Scribit enim *Tertullianus*, quocunque anni tempore exorbitante, neque ex successu proveniente, statim clamavisse plebem *Romanam*, *Christianos ad leonem.* Sed & *Smyrnæ S. Polycarpum* in Amphitheatro flammis consumtum fuisse tradit *Hieronymus.* Neque alio in loco *S. Ignatius* leonibus fuit objectus. Ibidem, juxta *Eusebium* Martyres *Lugdunenses* injurias & tormenta passi sunt. Sed & *Tyri* in *Phœnicia* contra *Christianos* instigatæ feræ, in ipsos Gentiles, qui eo in loco instigaverant, impetum fecere. Quot vero Martyrum sanguine sordidatum fuisse nostrum dicemus Amphitheatrum? Testantur id affatim, qui videre Catacombas Ecclesiæ *S. Justinæ*, loco isto, qui vulgo appellatur *Puteus Innocentium*, sive *Pozzo de gl' Innocenti*, nomine ex Antiquitate Ecclesiastica derivato. Verum satis longum fecimus jam excursum.

Secunda structuræ figura, quæ in *Tabula* XIII. 117
Numero I. venit, repræsentat nobis, ut existimo, figuram cavearum, in quibus feræ custodiebantur. Loquitur de illis *Lipsius* in Libro suo de *Amphitheatro*, probatque auctoritate *Plauti*, *Varronis*, ut & *Livii* nostri. Innuit idem *Statius Sylvarum Libro* II.

—— —— Stat cardine aperto
Infelix cavea, & clausis circum undique portis
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.

Ubi quidem Editio *Aldina* & *Parisiensis Fr. Lindenbrogii* habent,

—— —— & clausas circum undique portas.

Trebellius Pollio lepidam, quæ accidit ibidem, fabulam narrat in *Vita Gallieni*, pro quo male citat *Lipsius Julium Capitolinum.* Impostor quidam vitreas pro veris gemmis Uxori Imperatoris vendiderat, ad leonem damnatus fuit, verum tota feram exspectante turba, e cavea capo prosiluit, 118
non sine ingenti eorum, qui aderant, risu.

Numero II. videre licet prospectum fabricæ, prout est a parte hortorum, quos ibidem varii habent Domini, & sane notanda venit sententia amici cujusdam mei, qui in hisce ruinis varias atque miserabiles humanæ potentiæ vices agnovit. Considerans enim, quo in statu antiquum *Patavii* solum invenerit olim *Antenor*, quem & illustrat *Propertius* in initio *Libri* IV.

Hoc quodcunque vides hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Ænean collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo.
Evandri profugæ procubuere boves.

ita conclusit,

Copre i Fasti & le Pompe arena ed herba.

nihil aliud humanum fastum pompamque mortalium esse indicans, nisi stercorem, pulverem atque terræ gramen.

Et quoniam hoc nostrum Amphitheatrum tam grande atque magnificum

—— —— nunc ruinarum ager est, 119

ut in non dissimili temporis injuria scribit *Avienus*, liceat mihi temporis atque barbarorum deflere crudelitatem quatuor Civis cujusdam nostri versiculis. Sunt autem hi:

Edita Pyramidum vestigia, Templa Deorum,
Digna vel ætheriis Amphitheatra locis.
Vos ævi tandem attrivit longinqua vetustas?
Vos longa tandem fata tulere die?

Ultimo numero locos exhibet Prospectus, quos *fornices* Amphitheatri appellabant Antiqui. Versabatur autem ibi plerumque vilis turba, ut meretrices & similia excrementa. Hinc ita scribit *Martialis Libro* XII. *Epigr.* LXII.

Quæras censeo si legi laboras
Nigri fornicis ebrium Poëtam,
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quæ legunt cacantes. 120

Optat idem maledico cuidam scurræ *Lib.* X. *Epigr.* V.

Illi December longus, & madens bruma
Claususque fornix triste frigus extendat.

De-







TAB. XIII.

Amphitheatri Prospectus reliqui.







Derivatur vero inde *fornicari*, & *fornicator*, ut & *fornicatio*, tam frequentia apud Scriptores *Christianos* verba. Hinc & *fornicem* locum illum dixit *Petronius Arbiter*, qui alias ab Antiquis *lupanar* dicebatur. Verborum horum quidem aliam etymologiam proferunt *Cœlius Sedulius* & Auctor *Catholici*, verum illa mere allusio est.

Quod autem sub appellatione [1] *il Zairo* venit in quibusdam vetustis Memoriis nostris apud *Jacobum Cavacium Libro* II. *Historiar.* vere Theatrum fuisse existimo, & non longe dissitum a loco, ubi hodie Ecclesia *S. Justinæ* est. Deputabatur autem id scenicis actionibus, sicut Amphitheatrum gladiatoribus atque venatoribus.

Naumachia quidem, ubi confligebant delectationis gratia naves, fuit in flumine, in Urbe media. Docet id *Livius* initio *Libri* X. ex cujus verbis patet, prævaluisse adhuc satis classibus pariter atque militibus isto tempore Urbem nostram, atque ibidem vinctos inclusisse. Ex *Strabone* enim superius jam vidimus militum, qui in ea colligi poterant, numerum.

Si vero quis me interroget, unde lapides tot & tanti (si enim conferas in unum locum ruinas, marmoreus exibit mons) ex quibus tam immanes attolli cœlo potuerint machinæ? respondeo illi, copiam antiquitus Urbi nostræ fuisse lapidum, quibus etiamnum similes sunt in *Traventino Romano*, quorum etiam multa supersunt fragmina cum Antiquis *Inscriptionibus*, per Urbem atque agrum sparsa. Erant vero soliditatis magnæ, quæque resistere possent vi & injuriæ temporum. Excavati fuere forsan ex locis, quæ *Montemerlo* & *Zovon* appellantur, vel aliis antiquis lapicidinis. Inveniebantur ibi, ut & hodie, albi coloris lapides, quorum meminit *Vitruvius Libro* II. *Cap.* VII. Serris dentatis adhucdum dividuntur, atque in locis opertis longam annorum seriem perdurare possunt. Habet & lapicidinas mons vicinus, qui *Monselico* vocatur, id est, ut appellat *Paullus Diaconus*, *Mons Silicis*, *Lib.* II. *de Gestis Longobard. Cap.* XIV. a multitudine silicum. Male autem *Maffæus* in *Vita S. Ignatii Libro* II. *Cap.* IV. appellat *Montem Celsum*, ut & *Tursellinus* in *Vita S. Francisci Xaverii*, *Lib.* I. *Cap.* VI.

121 Consternebantur vero ejusmodi silicibus viæ, ut videre est in *Tibullo* atque *Statio*. Apud *Latinos* hinc *Strata* a *sternendo* dicebantur, unde *la Villa di Strà*, quæ olim *Strata* vocabatur, nomen adhuc retinet, atque curam edocet, quæ

1 *Il Zairo*] Quod adhuc exstat *Polæ* Theatrum, a rusticis *Zadro* appellari audio. In nostro vero accidisse debuit, quod de *Thrasea* narrat *Cornelius Tacitus*, qui *habitu Tragico cecinerat*, exstat vero *Annal. Libro* XV. Verum quomodo credibile est vel verosimile, virum tantæ gravitatis, qualis a cunctis Scriptoribus celebratur *Thrasea*, ad cantandum in scena prodiisse? Ego certe nescio, quomodo id expediam, nisi forte comminisci liceat ex antiqua quadam cærimonia certos quosdam ex honoratioribus Urbis viros atque illustrioribus, publice recitare solitos fuisse. Verum, ut potius existimo, nodum hunc nobis solvit *Ulpianus*, qui *Libro* IV. *de his qui notantur infamia*, scribit, quod neque Athletæ, neque Thymelici, neque Xystici, neque Agitatores, neque qui equos aquis abluendo refrigerant, *cæteraque eorum ministeria, qui Certaminibus Sacris deserviunt, ignominiosi habeantur.* Ubi *Certamina Sacra* notanda veniunt, & simul Iselasticos Ludos Sacra fuisse Certamina cogitari debet, prout docui in *Originibus Pag.* XL. & discere est ex *Grutero Pag.* CCLIV. *Num.* IV. ubi de Imperatore *Antonino* Inscriptio dicit:

CONSTITVTORI. SACRI
CERTAMINIS ISELASTICI.

Ita ut apud Nostros, ex *Græcorum* suorum patrio more, haud inhonestum fuerit, in simili occasione publice recitare, atque adeo inde confirmetur conjectura nostra circa *Taciti* illum locum, quem *Pag.* XLIV. contemplati sumus. PIGNOR.

A Majoribus nostris circa *Strata* fuit.

Et hæc forsan *Via Patavina* fuit, quam nominat *Venantius Fortunatus* in fine *Vitæ S. Martini*, quæ alio forsan nomine *Via Strata* dicebatur, prout similis in Marmore Antiquo apud *Gruterum Pag.* CCCCXI. *Num.* III. POSSESSORES INQUILINI NEGOCIANTES VIÆ STRATE CULTORES HERCULIS &c.

CAPUT XVII.

T. Livius Patavinus, quando natus, ex qua gente, ætas ejus, Augusti amicus. Liberi ejusdem, B *generi. Scripsit alia præter Historias. Historiæ ejus. Ubi inventæ. Vir dives. Ejus laus, mors, ossa. Quando ossa ea inventa sint. Legatio Regis Alphonsi Magni. Publicum Livii Monumentum. Imago ejusdem. Inscriptio forsan non pertinet ad T. Livium. In quo attributa ipsi Patavinitas constiterit.*

Nostratem fuisse *T. Livium*, nemo (ut opinor) dubitat. Id si vel aliunde non constaret, *Symmachi* satis evinceretur testimonio *Libro* IV. *Epist.* XVIII. ut & *Sidonii* in *Anthemii Panegyrico*, ut jam de *Asinio Pollione* taceam, atque de tot *Inscriptionibus Antiquis* [1] familiæ ipsius, quæ *Patavii* C visuntur.

Prosequemur jam quædam tanti viri, non quo lucernam clara accendamus meridie, verum ut accensa laudis studio juventus nostra illum semper studeat habere præ manibus, sparsaque passim, quæ scriptis continentur illius, qui decus ævi sui posterisque cunctis admirationis fuit exemplum, & ad dicendum recte atque agendum colligat.

Natus fuit Anno Mundi MMMMMCXLII. quo & vivere incepit *Messalla Corvinus*. Familia sane honorata, quod Gentis adhucdum superstitia in D Antiquis Inscriptionibus ostendunt nomina. *Augusti* ætate floruit, ista, qua vixere tot illa, quæ stuporem nobis hodie viventibus incutiunt, eruditionis atque famæ miracula. Ipsius etiam *Augusti* fuit amicus, prout probat *Cremutius Cordus* apud *Cornelium Tacitum Annalium Libro* IV. Meminit

1 *Familiæ ipsius*] Familia *Livii* nostri (ut hanc rudioribus Antiquitatis demus notitiam) ex gente *Liviorum* fuit. Gentilitio enim plerumque, sive domus suæ (ut nos diceremus) nomine appellabantur. Respondebat id cognominibus nostris, ut, exempli gratia, *Visconte, Sforza, Transalgaldo*, ita illi appellabantur *Li-* E *vii*, *Tullii*, *Julii*, *Octavii*. Habebant insuper prænomen & cognomen, quod nos nomen & agnomen, *Patavine, sopranome*, diceremus. Prænomen illorum erat *Titus*, *Lucius*, *Marcus*, *Cajus*, *Gneus*, *Sextus* &c. Quibus nostra successere nomina *Laurentius*, *Petrus*, *Paulus*, *Antonius*. Cognomen, *Crassus*, aut *Sardus*, *Pollio*, *Firmus* &c. velut apud nos, *Rubeus*, *Blondus* & similia ad morem antiquum sat numerose. Quum igitur legimus in Memoriis nostris de aliquo *Manio Allenio Crasso*, ibi *Manius* est prænomen, *Allenius* nomen, *Crassus* cognomen. Pariter res se habet in *Cajo Asconio Sardo*, ut & *Lucio Terentio Acuto*, in quibus domus emicat *Allenia*, *Asconia* & *Terentia*, sicut *Arruntia* in *Stella* Poeta, *Cornelia* in Augure *Cajo*, & *Julia* in *Paulo* Jcto.

F Familia autem *Livia* plebeja quidem, sed magna *Romæ* fuit, in nostra vero urbe, ut dixi, honoratam fuisse oportet. Legitur in Inscriptionibus nostris *Titus Livius Optatus*, ut & *Titus Livius Priscus*, & denique *Titus Livius Longus*, ut adeo pateat venerabile prænomen *Titi* in ista fuisse familia, idque forsan in Historici memoriam. Matronæ autem familiæ nomine censebantur, ut *Livia*, *Terentia*, *Octavia*, *Antonia*, & sic de cæteris, aliquo tamen nascendi ordine, ut *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*, in vicem cognominis, quod & alia admittebat vocabula, & in Marmoribus nostris observari potest. Nisi *Livio* unica tantum fuerit filia, in dubio est, utrum *Quarta* illa, quæ in Inscriptione legitur, quæ in Palatio est, ad ipsum, an vero ad alium pertineat. PIGNOR.

minit ejusdem *Livius Libro* IV. ubi *Augustum* appellat *Templorum omnium conditorem*, *aut restitutorem*. Filium filiamque habuisse liquet; meminit enim Epistolæ ad Filium *Quinctilianus Libro* X. *Cap.* I. Meminit *L. Magii*, qui *T. Livii* fuerit Gener, *Seneca* Rhetor, in *Prœmio Libri* V. *Controversiarum*. Eundem fuisse cum *L. Hali*, cujus meminit Inscriptio illa Antiqua, quæ jam in Palatio exstat, credidit *Scardeonius*, ego non puto. Dialogos, atque Philosophicos scripsisse libros, testatur *Seneca Epistola Centesima*, ubi rigidissimus licet Censor, & Opus & Auctorem laudat. Perscripsit autem *Historiam Populi Romani Libris* CXLII, quorum major pars periit. Imo ipsa pars prior *Libri* XXXIII. nostris demum temporibus in lucem protracta est. Eruta autem est ex Bibliotheca Capituli *Bambergensis*. Utinam bona Dei gratia, & quæ supersunt, reperirentur. Belli *Carthaginensis* Primi cuncta illius periere monumenta, neque vel gustus operis superest, nisi quem propinavit grandis, ut plus semel diximus, *Livii* imitator *Silius Italicus*, quod & notavit *M. Antonius Muretus Variarum Libro* XIX. *Cap.* XVII. Omne vero id Historiarum Corpus, non, ut quidam, qui citant, existimavere, divisum fuit in Decades, sed in singulos, secundum antiquos Grammaticos, Libros invicem sequentes. *Claudium* Imperatorem, juvenem adhuc, ad Historias scribendas exhortatus est, prout notavit *Suetonius*. Solebat autem *Neapolim* se recipere, recreationis & studii gratia, prout scribit *Stephanus Pighius* in *Hercule Prodicio*. Vir judiciosus fuit & candidus. Scribit *Seneca*, *denique illud præstabit*, *ut liqueat tibi illum sensisse*, *quæ scripsit*. Fuit idem, ex testimonio *Senecæ* Rhetoris *Suasoriar.* VI. *natura candidissimus*, *omnium magnorum ingeniorum æstimator*. Laudes ejus passim videri possunt apud *Senecam*, *Tacitum*, *Quinctilianum*, atque *S. Hieronymum* inter Antiquos. Seneca illum appellat *disertissimum*, *eloquentem* atque *veracem Tacitus*. *Herodoto* adæquat *Quinctilianus*, in narrationibus enim dulcis est, candidus, perspicuus, eloquens, & magni judicii, super omnes, qui unquam scripsere Historias, animos afficiens. Mirum vero quid narrat *Hieronymus* ad *Paulinam* scribens, venisse *Romam*, miraculum Orbis, ut magis admirabile quid, *T. Livium* nostrum videret, ex *Hispania* quendam. Ut ita mirari satis nequeam, virum aliquem non indoctum potuisse illum ex professo æmulum dicere fuisse *Thucydidis* atque *Sallustii*; negligentem, verbosum, laxum, & nescio quid, tanto
123 sane viro prorsus indignum. Gaudeat vero ille, cum stolido atque insulso suo judicio, sociis *Asinio Pollione* atque *Cajo Caligula*, omnibus melioribus ingeniis despuandis atque execrandis.

Quod si tam egregius Auctor, tacentibus antiquis, prudentiæ atque eloquentiæ testimonium a recentioribus exigeret, ex infinitis duo sufficerent, verum illi prorsus magnifici. Primo quidem loco nominandus mihi esset Dominus *di Argenton*, quem nostri temporis soleo appellare *Polybium*. Narrat iste *Historiarum Libro* VII. Senatores *Venetos*, suo tempore, semper ad manus habuisse *T. Livii Historias*, atque utilissima ex iisdem ad Rempublicam regendam præcepta collegisse. Eruditissimus ille *Casaubonus* secundo erit dicendus loco, qui in *Epistola* quadam sua ad Regem *Henricum Magnum*, de *Livio* verba faciens, illum dulcis eloquentiæ & divinæ facit facundiæ, virtutis amicum, hostem vitiorum, in judicando rectum, pacis res bellique eximie intelligentem, concludit denique digna isto cui tribuitur, atque illo qui tribuit, sententia, solum (inter Historicos scilicet) istud habuisse ingenium *Romanos* par majestati suæ grandique Imperio.

Mortem, secundum *Eusebium*, in Patria obiit, anno ætatis LXXVI. ut quidam habent, vel ut alii, a nato *Christo* XIX. atque prout recentior affirmat quidam, die primo Januarii. Servantur hodieque ossa ejus super portam Palatii, quod dicitur *Palazzo della Ragione*, & ut *Argentonus* scribit, in Occidentali parte.

Ossa vero ejus, quomodo, quando, & a quibus inventa sint, in quadam sua ad amicum Epistola *Latine* scripta, reliquit *Sicco Polentonus*, vir istis temporibus eruditus, atque Urbis nostræ Cancellarius. Quum vero illam sim nactus beneficio amicissimi mihi *Francisci Vedovæ*, qui scientiæ Juris eximiam Humaniorum Literarum atque Patriæ Antiquitatum adjunxit cognitionem, magnum futuri Civitatis nostræ ornamentum, nisi mors nobis præripuisset Anno MDCVIII. die IX. Mensis Maji, operæ pretium duxi hic vulgare, quoniam res exacte valde docet, & ne insigne pereat monumentum, aliquando, ut fit, devolutum, ad tales qui abscondere talia atque sibi servare, quam publico donare malunt. Est autem hæc:

SICCO POLENTONUS CLARISSIMO VETUSTATIS CULTORI NICOLAO FLORENTINO S. D. 124

„ Egregia & singulari tui nominis fama sæpius
„ cogitanti mihi, quem apud te dignum aditum
„ invenirem; occurrit *Alphonsus*, ut de se dicit,
„ *Portugallensis* tuus. Is ad omnem virtutem, &
„ facultate & ingenio exornatus, precatus est re-
„ pertionem *T. Livii* seriose narrarem, qui velit
„ amico hujusmodi rerum maxime studioso dare.
„ Inter loquendum itaque, ut frequenter solet,
„ tandem aperuit litteras unas modo abs te reddi-
„ tas sibi, quibus hoc longis precibus flagitares.
„ Ad te scribendi primum, & jucundæ amicitiæ
„ causa visa est. Etenim quænam honestior offerri
„ poterat, quam viro eloquenti de viri eloquen-
„ tissimi rebus loqui? ejus namque benignitate
„ facile impetravi, ut permiserit scribere hæc tibi,
„ quæ statuerat ipse. Verum retinuisset me, quod
„ hinc videri potuissem audacior, nisi ipse pro hu-
„ manitate sua, nedum libere cessisset, sed instanter
„ suasisset, sed rogasset, auderem. Accipe igitur
„ repertionem hanc, memoria utique non indignam.
„ Cœnobii, scis credo, quod famosum & venera-
„ bile, tum vetustate, tum sanctorum corporum,
„ tum prædiorum copia & ad remotos audiam
„ (*Sic*) *Justinæ* virgini consecratum est, Mona-
„ chi Nigri sub Abbate vitæ modo regulatæ co-
„ lunt, continetque Oratorium, quod *Opilio* qui-
„ dam Patricius fabricavit. Ibi corpus S. *Prosdo-*
„ *cimi* visitamus, qui Antistes primus ab Apo-
„ stolo *Petro* missus, *Transpadanam* hanc *Italiæ*
„ partem, quæ tunc *Venetia* dicebatur, ad Reli-
„ gionem duxit. Prope adjacent parietes, quos 125
„ *Gentilitati* fuisse *Concordiæ* Templum fama re-
„ fert. Abbatis frater spatio, quod intercedit
„ (nam parum distant, lapidem pede jaceres) seu
„ casu, seu numine, cellulam ut commodiorem
„ haberet, in Olitorio, quod secus dormitorium
„ Orientem versus ibi conterminat, fossam pro
„ cloaca fecit. Quæ quum quinque pateret pe-
„ des, detexit veluti fundamentum lateribus ma-
„ ximis & calce omni parte compositum. Eo ali-
„ quantulum fracto, inclusa capsa reperitur,
„ plumbea quidem, longa pedes sex, alta vero &
„ lata æque, ultra pedem. *Livii* mox clamatur,
„ quod relatu Fratrum sepultus ibi *Livius* habe-
„ retur. Scripsit ad me *Rolandus* Monachus, &
„ Patriæ quidem & literarum amator, *Livium* re-
„ pertum. Postpositis quibusque, ilicet eo. Dissol-
„ ve-

„ verant jam id murale clauſtrum, in caveam de-
„ ſcendo. Oſtio ſublato, proportionate jacen-
„ tia oſſa quæque video. Ponderoſam denique
„ capſam fune contrahimus. Commendo illis.
„ Exoro, quod interim ſalva ſint. Ad Palatium
„ redeo, litigatore, quod jam veſperaſceret, ple-
„ num erat. Peritiores Optimates adeo, viſa nar-
„ ro. Quid denique, Omen bonum ſuſpicari
„ omnes, congaudere omnes, confluentibus re-
„ plicatum ſæpius. Rem inauditam puta, non ſa-
„ tis poterat audientibus explicari. Mauſoleum
„ decens fabricandum univoce dicunt. Contri-
„ buere pollicetur quiſque. Curem iſta demum
„ omnes & jubent, & rogant. Officium ego id,
„ quod video & Civitati honoris eſſe, & Civi-
„ bus gratum, accipio. Hæc 11. *Kal. Sept.* an-
„ nus jam exactus eſt. Tum enim annus MCCCCXIII.
„ a Nativitate *Chriſti* currebat. Commigrare illo
„ vidiſſes omnes; atque ipſi demum lanii, ſuto-
„ reſque, porro incuria eorum ipſorum, quibus
„ ſervare datum erat, nonnulli ſtudioſi alienige-
„ næ, tum memoria, tum reverentia, dentes
„ unatim furantur. Quam ob rem, ſero licet,
„ ſub clave ſecretiore clauduntur. Is, qui abſen-
126 „ tis Abbatis tenebat vices, concurſu hominum
„ terrefactus, fortaſſe futurum ratus, his iſtis oſ-
„ ſibus, ſi diutius ſupereſſent, ad Gentilitia po-
„ pulum revocari; cum neque ab re *Gregorius*
„ Pontifex ſcripta ſua delere curaverit (puro ho-
„ mini videbatur hunc quaſi Deum pæne coli)
„ conſuluit ipſe ſibi oſſa comburere & in pulve-
„ rem ventis dare. Cranium itaque, id quod fue-
„ rat tot ſæculis terræ viſceribus conſervatum,
„ is homo trivit. Patefecit conſilium Monachus
„ ille mihi. Ego *Zachariæ Triviſano* (cujuſmodi,
„ quantuſve fuerit noſti) accitis extemplo No-
„ bilibus coitur. Non deerat ordo furari, ſi tra-
„ dere ultro nollent. Tanto in conventu difficile
„ cuſtodiſſent. Verum aberat ille nimium atque
„ nimium acutus, gerebat tunc vices fautor no-
„ ſter: aſſenſit libens ipſe, portaremus quocun-
„ que. Nec mora, ne licentiam pœnitentia revo-
„ caret. *Andræas Dandulus*, *Veneto* ex Senatu
„ clarus capite uno, ego ipſe altero capſam lig-
„ neam pro commoditate præmiſſam, quod pon-
„ dere plumbea tractari non poſſet, extulimus.
„ Succurrerunt ilico Cives ornatiſſimi, qui juva-
„ rent, *Peraghinus de Peragia*, *Palaminus de Vi-
„ talianis*, milites egregii. Succurrerunt item Ju-
„ ris ſcientia decorati viri *Alexander de Doctori-
„ bus*, *Joannes Franciſcus Caputliſtæ*, *Nicolaus
„ Porcellinus*. Partitis namque locis hinc atque in-
„ de, & ramuſculis lauri ſuperfixis, per fora ad
„ Aulam uſque contulimus. Sequebatur *Zacha-
„ rias* cum reliquis, comitiva grandis quidem,
„ quam augebant continuo vicatim ſupervenien-
„ tes viri, puerique, & plebs omnis, ut pedes
„ vel portantium impedirentur. Ut vero con-
„ fluentium multitudinem refrænaret, furibuſque
„ occaſionem obſtrueret, voluit *Zacharias* pro-
„ prio in penetrali poni. Hæc fodiendi cauſa,
„ hæc transferendi ſeries. Mauſolæi autem for-
„ mam cape. Demum itaque Primoribus convo-
„ catis, & his, qui collegiatis artibus præſunt,
„ quos alii *Decanos*, alii *Priores*, *Patavii Guaſtal-
127 „ diones* vocant, Senatus habitus eſt. Interfuit
„ pro dignitate *Leonardus Mozzenigus*, inclyti
„ modo *Venetiarum* Ducis frater. Interfuit & *Za-
„ charias* ipſe, cujus diligentia operam non par-
„ vam dedit. Civitati ad Juſtitiam præeſt ille,
„ militiæ ad præſidium iſte. Sententiam *Zacha-
„ rias* dixit. Rem, velut oblatam divinitus effe-
„ runt quique. Contigiſſe hac ætate maxime col-
„ lætantur. Mauſolæum denique & Urbe & Vi-
„ ro dignum faciendum conſulitur. Nec fuit in

A „ tanta concione quiſquam, vel illiteratorum ho-
„ minum, cujus Imperitia a communi ſententia
„ diſcreparet: quin imo ad ſumptum libere ſuo
„ pro collegio portionem ſinguli obtulerunt. Ve-
„ rum enimvero ut pro quaque re quotidie Se-
„ natus habendi occaſio levaretur, & quod per-
„ fectum videre omnes optarent, citius comple-
„ retur, deligere omni ex ordine, ne invidiam
„ prælatio generaret, Sex Viratum placuit. De-
„ lecti itaque ſunt ex militibus, *Paulus de Leone*,
„ ex Togatis *Proſdocimus* Comes I.V.C. ex Ho-
„ neſtis *Joannes Zabarella*, ex Opificibus *Fran-
B „ ciſcus Laricus*, *Franciſcus Aromatiſta*, *Gottifre-
„ dus Aurifex*. His confertur auctoritas, omnis
„ modi, formæ, temporis, impenſæ, [1] loci dan-
„ di. Opus namque forma pleriſque conſiliis præ-
„ librata, nunc faciendum cælator habet. Utpo-
„ te ſub onere terræ ſuppetens ſundamentum, ad
„ faciem terræ gradus tres in rotundum, pro
„ eminentia pedem unum, ſinguli ſtellarum in
„ modum, alti fient. Exinde baſis columnaque
„ teres, non ſolida tamen, ſed vario ex lapide,
„ albo & rubeo, coloribus quadratim diſtinctis,
„ ac frondoſa ſuperficies pedes bis ſenos erigun-
„ tur. Circum gyrat columnæ groſſities pedes de-
C „ nos. Ibi petra rubens dimidium pedis groſſa,
„ latitudine octo angulis laborata, columnæ faſti-
„ gium omne complectitur. Ei ſuperponuntur
„ columellæ quatuor, altæ pedes tres, quæ pon-
„ dus marmoris albentis urnæ ſuſtineant. Titulus
„ literis priſcis inſcriptus T. LIVIUS PATA-
„ VUS RERUM ROMANARUM HISTO- 128
„ RICUS ILLUSTRIS. Rubens denique ſa-
„ xum vetuſto de more [2] auriculatis angulis &
„ culmo eminens urnam teget. Demum imago *Livii*,
„ pedum quinque, cathedram inſidebit; eaque ru-
„ bentis quidem petræ, præter faciem, manus,
„ pedes, librum, hæc marmoris candentis, reli-
D „ quum opus quadratis lapidibus albis rubeiſque,
„ rubei *Veronenſes*, albi *Hiſtri*. Hæc Mauſolæi
„ forma. Locum vero dignum, Forum Aulicum,
„ apud *S. Clementis* Baſilicam decretum habent,
„ quod accolis atque transeuntibus advenis in
„ proſpectu ſit. Non minuet operis majeſtatem
„ forum illud pavimentari laterculis. Non defue-
„ runt Ampliſſimi Viri, Cives optimi. *Henricus*
„ Miles & *Petrus*, fratres *Scroſſegni*, qui pro li-
„ beralitate ſua offerrent ſe omnem impenſam fa-
„ cturos, ſi ad domum ſuam opus hoc fabricari
„ daretur. Non illiberalius obtulit *Ludovicus*
E „ *Buzzacarinus*, Vir utique Clariſſimus, littera-
„ tiſſimus, diſertiſſimus. At nemo impetrare id
„ potuit. Placuit enim, quod publici ornamenti
„ eſſet, de publico & in publicum fieri. Hacte-
„ nus rem omnem habes, ſi qualiter *Livius* cre-
„ ditus ſit ſubjunxerim, quod tibi, ſi potero,
„ breviter exponam. Non crediderit prudentia
„ tua, *Patavinos* Cives, peritos maxime, quibus
„ hæc Civitas, vigente hic omni liberali ſtudio
„ haud vacua eſt, argumentis vanis motos. Non
„ enim defuerunt, qui inficiari magnopere niteren-
„ tur, quique & non maris illa oſſa fore, ſed fœmi-
„ næ ſeminarent. Calumniatoribus nuſquam res
F „ ullæ,

---

1 *Loci dandi*] Phraſis hæc ex Antiquitate deſumpta eſt. Nihil in Inſcriptionibus eſt frequentius, quam L. D. D. D. quod ſignificat *locum datum decreto Decurionum*, qui Coloniarum Senatus erant, ut & Municipiorum. Id quoque Marmora noſtra plus ſemel teſtantur. PIGNOR.

2 *Auriculatis angulis & culmo eminens*] Harum forma ad oculum conſpici poteſt in Monumento *Antenoreo*, apud nos *arca*, non longe a *Latina* voce antiqua, appellatur, prout illam obſervare licet apud *Petronium Arbitrum*, & *Caſſiodorum Variarum Libro* III. PIGNOR. Depictam formam hanc videre licet *Tab.* XV. in *Antenore*.

„ ullæ, quamvis apertiſſimæ, caruerunt. Porro
„ maris eſſe non fœminæ adverſantibus Phyſici
„ demonſtrarunt [1] ex ſciſſuris integerrimi cranii,
„ quibus ſexum liquida ratione diſcriminant. Quod
„ autem *Livii* ſint, non ſupervivunt teſtes omni,
„ ut exigunt, qui forenſi in contentione verſan-
„ tur, exceptione majores, qui mori eum, qui
„ humari, de viſu perhibeant. Non adeſt chiro-
„ graphum manu authentica, ut iidem quærunt.
129 „ Abolevit ætas iſta. Clari hujus rei teſtes, qui-
„ bus fidem immortalis auctoritas vindicavit.
„ Prætereo famam, quæ *Livium Patavii* & na-
„ tum & ſepultum ferat. Adeſt *Quinctilianus*. Is,
„ *Oratoriæ Inſtitutionis Libro*, *Livium Patavii* na-
„ tum ſcribit. Adeſt *Euſebius* de temporibus Hi-
„ ſtoricus fide dignus. *Livius Patavii moritur* in-
„ quit. Adeſt *Hieronymus*, quem vitæ ſanctitas haud
„ minus dignum facit. *Libro* enim *de Temporibus*,
„ *Livium Patavii* & natum & mortuum profitetur.
„ Creditu enim facile, quod mortuo *Auguſto* re-
„ patriaverit, ſeu gratia uberioris otii, [2] ſeu quod
„ *Tiberius* non tanti faceret divos homines prius
„ *Octaviani* humanitate congeſtos. Commune vi-
„ tium experimur, etiam filios patrum fautori-
„ bus æmulari. Monumentum autem dixerim,
„ aut pro humilitate ſummiſſum, aut, ſi quod
„ illuſtre fuit, vel obrutum ruina rerum, vel
„ abſconſum [3] dirutumque ab his, qui primum
„ *Chriſti* fidem acceperunt. Ne fortaſſe illo pri-
„ mordio naſcenti Eccleſiæ veſtigium Gentili-
„ tatis obeſſet. His non fuerit adverſatus, qui
„ longævum tempus, rerumque mutationes in-
„ tellexerit. Adſunt item Carmina, quibus ſtare,
„ & papyri vetuſtas, & ſcriptoris auctoritas etiam
„ reluctantes prope compellit, quæ tibi haudqua-
„ quam pro elegantia, ſed ut nihil tuæ diligentiæ
„ deficiat, mitto. Hæc ſunt, lege:

„ *Invenies ſub Urna poſita quæ tegitur umbra.*
„ *Non multum per latum te fodiendo dilates.*
„ *Exemplo luſtri paſſibus te metas ſervare decet.*


„ Scripſit hæc dudum ſacer Abbas, quæ marmo-
„ re ſculpſiſſet, niſi mors, bonarum ſæpe men-
A „ tium occupatrix, ſententiam irritaſſet. Sic Mo-
„ nachi ex patribus acceperunt, acceperuntque
„ *Livium* ibi ſepultum eſſe. Non parvi facien-
„ dam capſam plumbi fore: ſane Clari Viri in-
„ dicium habet. Verum enimvero Epigrammate
„ ſuo apud Ædem *Concordiæ Patavii* ſepultum
„ conſtat. At vero, quod fuerit ſepultus eodem
„ ipſo loco, quo hæc iſta oſſa reperta ſunt, fa-
„ ma auget fidem, quod lapis, quo inſculptum 130
„ hoc Epigramma videtur (necdum exceſſit octua-
„ geſimus annus) inde levatus fuerit; nam &
„ modo calcis fragmenta erant, & apparebant ve-
B „ ſtigia, unde evulſus foret. Hunc autem iſtum
„ lapidem hi, qui repertores ejus fuerunt, ad or-
„ namentum Civitatis, ad dignitatem Viri, ad
„ memoriam rei, ad ſolatium ſtudentium, in eo
„ ipſo, quo nunc viſitur veſtibulo Eccleſiæ *San-*
„ *ctæ Juſtinæ* fixerint. Neque aliam rem puto
„ magis obfuiſſe, quod illi homines, qui harum
„ rerum maxime ſtudioſi illa ætate vigebant, non
„ amplius effoderint, monumentum non rupe-
„ rint, oſſa non invenerint, niſi quod ea mura-
„ lis ſtrues ſimilior fundamento, quam monumen-
„ to eſſet, neque illis effodiendi profundius ne-
„ ceſſitas incubuiſſet. Voluerunt etiam fortaſſe
C „ Numina, quod nemine ab inde perquirente,
„ illa oſſa ad ætatem uſque noſtram laterent.
„ Quis enim dubitaverit, eos homines haud lon-
„ ge avidius, longeque majori ſtudio & delecta-
„ tione, tanti viri humana oſſa, quam lapideum
„ Epigramma extuliſſe, ſi eodem in loco jacere
„ illius oſſa putaſſent, in quo ſuum Epigramma
„ inveniſſent? Sed ipſi, qui tunc aderant, ſive
„ fama ducti ſtudio inveniendi corporis, ſive caſu
„ effoderent (arbitrati reor) lapidem illum caſu
„ aliquo, non induſtria (uti ſæpe fit) ab his, qui
„ hæc iſta minus fortaſſe intelligerent vel amarent,
D „ aliquo tempore velut alioquin inutile ſaxum il-
„ luc injectum fuiſſe, non diligentius exquiſie-
„ runt. Nam fundamentis muralibus, ſive priva-
„ tarum ædium, ſive publicorum palatiorum,
„ ſive divinorum Templorum, antiquiſſime obru-
„ torum omnis ille Urbis angulus refertus eſt,
„ adeo, ut necubi a quoquam uſquam illinc effodi
„ poſſit, quod fundamenta, pavimenta, columnæ
„ non reperiantur. Ita ut maxima atque illuſtria
„ ædificia in eum locum fuiſſe nemini non certum
„ eſſe poſſit.
„ Hæc teſtimonia noſtra ſunt, quæ (cum nos
„ annorum centena fere quatuordecim clarioribus
E „ ſpoliarint) quicunque non admiſerit, ſeveri- 131
„ tate proculdubio nimia peccabit, & in ſcirpo,
„ ut inquit *Terentius*, nodum quæret. Nam, ſi
„ me computo non erraſſe contingit, is Anno
„ *Chriſti* XVIII. Imperii vero *Tiberii* IV. anno,
„ vel, ut alii volunt III. cum annum jam ſeptua-
„ geſimum ſeptimum tetigiſſet, necdum hæc no-
„ ſtra Religio apud *Latios* pullulaſſet, diem ſu-
„ premum obiit.
„ Abſolvi reor, quæ ad hanc rem pro officio
„ tua diligentia poſtularet. Si longiuſculus for-
„ taſſe, quam optares fuerim, dabis veniam, quod
„ non poſſint multa paucis dari. Brevius atque
F „ ornatius quiſquam forte, ſed verius (nam ipſe
„ ego rebus interfui) nemo dicet. Hoc enim,
„ quod ſapientia tua dignum munus cenſui, velut
„ maſſam quandam auri rudem, non modo pur-
„ gandam, ſed digniorem ad formam recoquen-
„ dam, refingendamque mitto. Mihi enim ſer-
„ vit, non ut tibi illud lepidum, quod apud no-
„ ſtros coætaneos reſurrexit, ſed quoddam com-
„ mune dicendi genus. Satis actum putavi, rem
„ ad ſeriem, ad veritatem darem. Gratum opus
„ agerem tibi, cui non minus, quam vires ſup-
„ petant, debeo. Gratulabor equidem. Non eo
„ pacto

---

1 *Ex ſciſſuris integerrimi cranii*] Neſcio equidem, quomodo Medici illi ex cranii ſciſſura evincere potuerint, maris non vero fœminæ eſſe, ſi jam ante contritum idem fuerit cranium, dixit enim *Pag.* CXXVI. *Cranium itaque id, quod fuerat tot ſæculis terræ viſceribus conſervatum, is homo trivit.* Niſi forte innuat Auctor is, ita a Monacho iſto ſuperſtitioſo diffractum fuiſſe, ut non adeo magnam receperit noxam. PIGNOR. Vel dicendum eſt, Medicos, qui adfuerint in turba, id jam ante caſum contritionis pervidiſſe. Verum in Indice ſuperadjunxerat *Pignorius*, a peritiſſimis ſe accepiſſe Medicis, cranii ſciſſuras in mare atque fœmina omnino ſimiles eſſe, & numero, & loco, & forma.

2 *Seu quod Tiberius*] Potuiſſet & inter cauſas reditus *Titi Livii* in patriam adjungere *Polentonus*, crudelitatem *Tiberii* atque libidinem, plenamque periculi converſationem, atque adeo ſtudium quoddam ſeu potius æmulationem ſtudiorum atque doctrinæ, prout obſervare licet apud *Suetonium*. Ne dicam annoſum jam tum fuiſſe *Livium*, & ſenectutis quæſiviſſe requiem. PIGNOR.

3 *Dirutamque ab his*] Nunquam id a *Chriſtianis* vel ſimile quid tentatum fuit, quum jam Lex *Julia* ab *Auguſti* tempore circa id providiſſet, appareatque veritas ex *Lege* VIII. *de Sepulcro Violato Digeſto*, quod *Novum* appellatur. In hanc rem invigilarunt etiam, qui ſecuti ſunt Imperatores, pro virili. Eſt vero calumnia hæc ſimilis illi, quæ *Gregorio Magno* affingitur a nonnullis, quod ſcilicet *T. Livii* ſcripta abolere ſtuduerit, licet & *Caſaubonus* a partibus illis ſtet. Ego neutrum credo, ſed cum *Scardeonio* noſtro ſentio, incertum eſſe, a quo id monſtro ſeu Imperatore factum fuerit. Quomodo enim hæc ſibi conſtare poſſunt, ut Templis quidem Idolorum ignoverit *S. Gregorius*, tantum vero lumen patriæ ſuæ exſtinxerit. Sed potius imputemus totum hoc Epitomatoribus iſtis, qui *Livium* nobis atque *Dionem* crudeliter truncarunt, *Trogum* vero totum abſtulerunt. PIGNOR.



T. LIVIVS PATAVINVS

Historicus Celeberrimus.

Patavii in T. Livii Mausolee.



„ pacto amicitiam tuam quæro, quod velim aurum tuum. Hoc unum plurimi facio, quod inter tuos, si non mereor amicos, saltem inter notos scribar. Vale. *Patavii* v. *Kal. Novemb.* MCCCCXIV.

Atque hæc quidem *Polentonus*. Ducit autem hodie porta ista Palatii ad *Cancellariam* Deputatorum Valetudinariorum, restituta autem est de novo. Et intus & extra Inscriptionem habet, quam utramque *Scardeonius* protulit. Ex ea, quæ interius est, patet *Alphonsum Arragonensem* magnum illum Literarum *Mæcenatem*, qui primus in *Italia* Antiqua conquisivit Numismata, a Senatu nostro brachium *T. Livii* impetrasse, rogare id jusso Legato ejus *Antonio Panormita*. Brachium vero istud *Neapolim* transtulit *Panormita*, ibi enim erat *Alphonsus*. Verum egregius hic Princeps, morte præventus, non potuit pro dignitate lo-
132 cum assignare. Permansit itaque in *Panormitæ* potestate, dein *Pontani* fuit, qui ipsi a Secretis Regni successit. Ille vero marmoreæ capsulæ inclusum extra unam ex Capellis suis sepeliit, hoc elogio: T. LIVII HISTORICI BRACHIUM, QUOD OLIM ANTONIUS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT, JO. JOVIANUS PONTANUS MULTOS POST ANNOS CONDIDIT. Verum multi anni sunt, ex quo lapis iste amplius non comparuit, forsan, quia loco isto ædificaverint Monachi quidam.

Habeo autem omnia hæc ex relatu *Jo. Vincentii Della Porta*, qui perscripsit ad Dominum *di Calasso*, nunc Dominum *di Peiresc*, Senatorem Regium Christianissimi Regis in Parlamento *Aquarum Sextiarum* in *Provencia*, doctissimum mihique amicissimum virum. Servatur etiam, inclusus æreo pomo deaurato, dens molaris *Titi Livii*, dependens ex contignatione cameræ cujusdam in Cancellaria Urbis.

Anno autem MDXLVII. ad honoratiorem locum ossa ista translata sunt, ubi hodie marmoreum est *Livii* caput, & sub illo Antiqua hæc *Inscriptio:*

V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

Ad dextram autem ejus Inscriptionis signum *Æternitatis* est æneum, *Minervæ* vero ad lævam. Sub priori *Tyberis*, sub posteriori visitur *Medoacus*. In medio lupa, quæ *Romulo* & *Remo* ubera præbuit. Inferius adhuc versus quidam *Lazari Bonamici* Literatoris insignis, atque emortualis, secundum *Eusebium*, *T. Livii* annus.

133 Notandum vero est, *Laurentium Schraderum*, qui *Italiæ* collegit Monumenta Illustria, totum hoc *Titi Livii* insulsissime delineasse, prout fere cuncta ejus hominis sunt. Item satis incuriose Monumentum, quod in Palatio est, Antiquum, contemplatus est *Blondus*.

At vero quum proposuerim mihi semper libere, prout res est, loqui, dissimulare non possum, [1] caput illud marmoreum, quod ut *Livii* proponitur, passim, prout turba judicat Antiquariorum, haberi pro illo *Lentuli Marcellini*, ut sciunt, qui aliquam Antiquitatis habent notitiam; vel pro capite magni istius *Claudii Marcelli*, quod videri & conferri potest apud *Fulvium Ursinum* in *Familiis* & *Imaginibus Illustrium Virorum*.

1 *Caput illud marmoreum*] Quod ut unicuique pateat ad examinandum, ipsam illius capitis accuratam delineationem, prout ad antiquum illud Monumentum a Viris doctis factum est, æri incisam inseruimus.

Inscriptio vero illa mihi quidem ut antiqua recensenda venit, verum non credo, pertinere ad nostrum *T. Livium*. Pro argumento mihi est, quod solitus fuerit scribere *T. Livius* non quidem SIBI & QVASI, sed SIBE & QVASE, ut & *Asconius Pedianus*, prout docet *Quintilianus Instit. Orat. Libro* I. *Cap.* VII. Et ista ipsa vel similis peregrinitas Orthographiæ, sive vocum, & forsan etiam elocutionis, *Patavinitas*, quam carpebat in *Livio*, non vero, ut alii crediderе, *Pompejanarum* partium studium, *Asinius Pollio*.

Patet ejus, quod dixi, veritas ex Antiqua Inscriptione, quæ eleganti literarum ductu observatur in ædibus *Mussati* ad *S. Jacobum*, est autem hæc:

C. GAVIO. C. L.
IVCVNDO.
CONTVBERNAL.
SVO. ET. SIBE.
OCTAVIA METHE.
V. S. F.
IN. F. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

Vitiose vero apud *Gruterum Pag.* CMLXXVII. 134
Num. IV. pro SIBE legitur SIBI. Sed & ibidem ultimus versus est neglectus. Memini insuper [1] eandem hanc vocem *Vicentiæ* in Antiquo Lapide vidisse.

Neque quis objiciat, errorem esse sculptoris, nam illa V. F. demonstrant *vivum fecisse*, qui *Titi Livii* istius filiæ superfuit, *Livium*. Alium vero a patre fuisse patet ex scribendi ratione. Si enim hoc filiæ suæ monumentum ipse fecisset pater, in hæc concepisset, ex more Antiquorum, quem Inscriptiones passim docent verba, LIVIAE FILIAE.

Atque ob hæc non credo ipsiusmet *T. Livii* Historici memoriam continere Inscriptionem illam, quæ est in domo *Capidilistarum* apud *S. Danielem*, neque enim in illa SIBE illud observare licet. Monumentum vero ipsum Uxori, cui *Primæ* cognomen fuit, atque propinquis erectum fuit.

Atque hæc quidem unice a me dicta sint veritatis gratia, non ut suo Patriam meam ornatu spoliarem, cum ipse tempus meum impenderim, atque totum hoc meum composuerim opusculum, ut, quantum per me quidem liceret, in unum colligem corpus vindicatas a præteritorum sæculorum barbarie ejusdem veras ORIGINES.

C A-

1 *Eandem hanc vocem Vicentiæ*] *Vicentina* Inscriptio jam publicata in *Trinagio* est hoc pacto:

V. F.
TI. ALLENIVS
FLORVS. SIBE. ET
ALLENIAE. MVRRAE
&c.

Hanc qui postea edidere male mulctarunt. Apparet autem *Allenium* hunc ejusdem cum nostro, cui prænomen *Marius* est, fuisse familiæ, qui Tribunus militum, Præfectus fabrorum, & unus fuit de Quatuorviris a Rationibus. PIGNOR.

CAPUT XVIII.

Sigonii sententia, subditas Romanis fuisse Venetias. Lucii Flori locus. Item Festi Rufi. Alpes quomodo apud Florum intelligi debeant. Asinius Pollio quo in loco Magistratum gesserit. Ciceronis in Philippicis locus. Decimi Bruti mors. Marii contra Cimbros profectio. Campus Raudius ubi. Italiæ divisio ab Augusto facta. Via Æmylia. Galli in terram Venetam profecti. Gallia appellata eadem. Vicentini sub Senatu Romano. Bellum inter Imperatores. Ravenna multis Barbaris ad habitandum a quo concessa. Imperii Romani apud Venetos Magistratus.

REcte jam olim scripsit *Lucianus*, historiam ab Encomio non esse discretam per angustum aliquem tramitem, sed per maximum parietem, & facilius esse in aspera arteria manere aliquid cibi, quam in historia paululum falsi. Quæ quidem pro introductione in præsens hoc *Capitulum* dicta sint, in quo quidem rationem afferam eorum, quæ superius a me dicta sunt, *Romanæ* scilicet potentiæ æstum secum libertatem harum terrarum antiquam rapuisse. Quod quidem nemo dictum accipiat detrahendis benemeritis Patriæ, cui & vitam impenderem lubens, laudibus. Id enim satis esse puto, *Urbem Patavi*, quæ mendicatis haud eget honoribus, illam probare, quæ suis atque veris possit superbire, iisque, quibus nihil contra possit opponi. Nullum vero præjudicium veritati mea auctoritate accidere volo, cessurus lubens illi, qui melioribus instructus, rationes, quas protuli, possit infringere. Haud certe exiguam ego Patriæ laudem existimo, tanto tempore membrum non ignobile insignis istius fuisse corporis, a quo victos se & domitos in magna gloriæ parte posuerunt Reges magni, atque integræ Provinciæ; quodque nomen suum, ad unam in primordiis suis modo adstrictam civitatem, toti Mundo commune esse fecit, exclusis modo servis atque Barbaris. In cujus quidem Dominatus comparatione, quæ præcessere, Monarchiæ omnes, nihil nisi somnium atque umbra fuerunt, & ad cujus constitutionem universa divinæ Providentiæ concurrere decreta.

135

Et tanto quidem minus pudere Urbem nostram *Romanæ* potentiæ potuit, quod, ut puto, non vi coacta, sed sponte sua sub præsidium atque tutelam ejus confugerit. Ut adeo illi possit applicari, quod de *Rhodiis* scribit *Rufus Festus*, qui *in consuetudinem parendi, Romanis clementer provocantibus, pervenerunt*. Neque sane mihi ullibi apud Scriptores observare est, quod vi ditioni *Romanorum* adjuncta sit. Ita ut, quod *Carolus Sigonius* scriptum reliquit, *nostros sponte se fidei atque potestati Romanorum permisisse*, etiam putem in laudem cedere Patriæ nostræ, quæ, in tempore, parendi nobilem eligere sciverit conditionem, quæ longe illi fuisset, ubi impetum armorum, quæ resisti non poterant, in sese irritasset.

Fides itaque in eo *L. Floro* est habenda, quum dicit in juventute sua perdomuisse Populum *Romanum Italiam*, quæ inter *Alpes* atque Mare est, sed Imperii juventus constituenda Anno V. C. CCCCLXXXIX. secundum justum *Panvinii* & *Sigonii* calculum, non vero Anno CCCCL. prout erronee *Florum* statuere evidenter demonstrat Mathematicus *Stadius*. Isto enim tempore, aut non multo post, prout *Festus Rufus* dicit, a *Romanis Italia usque trans Padum occupata est*, id est ultra *Appenninum*. Neque usquam aliud quid *Alpes* apud *Florum* significant, nisi revera *Alpes*, id est *claustra*, ut ita dicam, & *mœnia Italiæ*. *Appenninum* enim & scivit, & nominare potuit. Verum id pecu-

136

liare in *Floro* est observandum, quod in voce ista [1] *Livium* nostrum voluerit imitari, ponentem etiam plus semel eo in loco, ubi *Appennini* proprie mentio fieri non debebat. In istis autem, quæ *Florus* declamatorie magis quam historice dicit, *Italiam armis subegit*, fidem illi denegamus, nihil enim *Venetis* cum *Romanis* fuisse armis legitur, atque adeo magis considerate *Rufi*, quæ citavimus, verba usurpasset.

Suppositis hisce, quid miri, si cum Imperio in terris nostris fuerit *Asinius Pollio*. Id enim jam superius attigimus *Cap.* XVI. adductis *Virgilii* Commentatoribus, scribuntque *Vellejus Paterculus Histor. Libro* II. & [2] *Macrobius Saturnal. Lib.* I. *Cap.* XI. quorum testimonium quidem nulla ætas labefactare potuit. Non vero dicit *Vellejus* cum septem legionibus *Venetias* ivisse *Pollionem*, verum eundem sub fide *Antonii* easdem cum septem retinuisse legionibus. Et sane *Cordubæ*, si illi credimus, tres habuit, imo si *Dioni* credimus, ne quidem integras, fuga dilapsis multis. *Appianus* duas *Venetiis* habuisse memorat. *Decimum Brutum* etiam habuisse memorat, sed numerum non exprimit. Verum ista parerga historica sunt, nata ex diversis, quæ Scriptoribus factæ sunt, narrationibus, quæ sicut in se exigua sunt, ita rem ipsam mihi parum perturbare posse videntur. Quod vero de ista *Pollionis* expeditione nihil nobis superest, temporis est injuria, quod partim cum *Livii* atque *Appiani Alexandrini* multis, partim cum cunctis [3] *Cremutii*

---

1 *Livium nostrum*] Alter *Livii* locus ex Libro ejus I. ita est: *Quamquam tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras solum, sed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad Fretum Siculum, fama nominis sui implesset.* Alter de *Annibale* agens *Libro* XXX. *Qui senex vincendo factus, Hispanias, Gallias, Italiam, ab Alpibus ad Fretum Monumentis ingentium rerum complesset.* Sed & *Pomponius Mela* de *Italia* agens *Libro* II. *Cap.* IV. caput illi *Alpes* tribuit, medium corpus *Appenninum*, latera *Adriaticum* atque *Thuscum* mare, pedum vero basim Mare *Siculum* atque *Ionium*, illaque adeo descriptio periphrasis est locutionis *Livianæ*. PIGNOR.

2 *Macrobius*] Cujus hæc sunt verba: *Asinio etiam Pollione acerbe cogente Patavinos, ut pecuniam & arma conferrent, dominisque ob hoc latentibus, præmio servis cum libertate proposito, qui dominos suos proderent; constat servorum nullum victum præmio dominum prodidisse.*

3 *Cremutii Cordi*] Celebris valde *Cremutius Cordus* hic est ex *Taciti Annal.* IV. atque *Senecæ* encomio. Ipse quoque narratur *Annales*, quibus Civilia Bella complexus erat, scripsisse. Prænomen illi fuit *Aulo*. Cognomine autem ejus inducor, ut *Codrum* istum, cujus meminit *Lucanus Libro* IX. *versu* DCCXV. Quæstoris quondam, & qui truncos *Pompeji* artus rogo commisit, *Cordum* ibi potius debere appellari putem, quod nomen & reponi fas esse judico in illo, qui *Vitas Virorum Illustrium* conscripsit. *Juvenalis* certe *Sat.* I. scripsit *Cordum*, quomodo & agnoscit & appellat eum *Vetus Scoliastes*, ut & *Satyra* rursus III. Differentiam nominis non agnovere descriptores, qui *Codrum* illum *Atheniensem* magis norant. Historiarum Libros XVI. nisi fallor, scripserat *Asinius Pollio*, quorum fragmenta quædam apud *Suetonium* atque *Priscianum* supersunt. Celebravit illum *Horatius Ode*, quæ incipit:

Motum ex Metello Consule civicum,
Bellique causas, & vitia, & modos,
Ludumque Fortunæ &c.

Encomium autem est Historiarum ejus. Fuit vir austerus, &, ut ita dicam, imperiosus. Hinc narrat *Cornelius Tacitus*, filium ejus *Asinium Gallum* odiosum fuisse *Tiberio*, quod intractabile, ut pater, ingenium haberet. Nihil itaque mirum, si *Asinius* ille inciviliter & aspere erga majores nostros imperio abusus sit. Neque sane ego alii causæ adscribo *Atrium Libertatis*, quod ille tempore *Augusti* exstruxit, & cujus meminit *Suetonius Cap.* XXIX. qua judico voluisse objicere atque exprobrare *Augusto*, oppressa libertate, publicam ab illo introductam esse servitutem. Scio quidem, alio id prætextu velari potuisse, artium videlicet liberalium studio, quod in illo ingens fuit: quum & *Casaubonus* notaverit, foli-

tos

mutii Cordi, atque *Asinii Pollionis*, omnia nostra penitus abolevit monumenta. Prodest autem hoc in casu Historicorum numerus, sæpe enim quod silet unus, alius fuse docet. *Ciceronem* advocemus, ut quid dicat, audiamus. Is *Philipp.* XII. reprehendens pacis cum *Antonio* conditiones, hæc scribit: *Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis?* (Per *Galliam* autem *Venetias* intelligit.) *Illa enim* (quæ magna sane laus est) *hujus belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium secuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit: eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus objecit: exhauritur, vastatur, uritur: omnes æquo animo bello patitur injurias, dummodo repellat periculum servitutis. Et ut omittam reliquas partes Galliæ (nam sunt omnes pares) Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt missos ab Antonio: pecunia, militibus, & quod maxime deerat, armis nostros Duces adjuverunt.*
137 *Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, & propter multorum annorum injurias alienati a Senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his Republica fideles esse, qui etiam expertes ejus fidem suam semper præstiterunt.* Hæc *Cicero*. Amicus autem *Pollioni* haud ita fuit *Augustus*, ut quidam arbitrantur. Patet id ex *Seneca Libro* III. *de Ira*, ubi narrat indignationem *Augusti* super *Pollionis* crudelitatem in *Timagenem*. Neque *Tacitus* siluit, *Annal. Libro* I. causas recensens, ob quas minus gratus *Pollionis* filius *Asinius Gallus* fuerit Imperatori *Tiberio*. Non dicit *Macrobius* recusasse arma atque pecuniam *Patavinos*, verum servorum fidem laudat, qui dominos suos non prodiderint. *Appianus* etiam, ubi in fine *Libri* III. *Bellorum Civilium*, mortem *Decimi Bruti*, qui prope *Aquilejam* occisus est, narravit, in egregio isto *Libri* IV. initio adnotat, duos ex *Cæsaris* percussoribus in suis fuisse Provinciis occisos, *Trebonium* in *Asia*, *Decimum* in *Gallia*. *Marium* ut socium, non vero ut Imperium habentem, *Venetas* oras ingressum fuisse haud unquam credam, sed ipsum *Florum* scripsisse contendo, jam diu ante sub *Romanorum* Dominatu fuisse *Italiam*, ut jam superius vidimus. Neque ulli narrant Historici, suppetias *Romæ* rogasse *Venetos*, sed omnes ita loquuntur, ut ostendant, hosce illi plane subditos fuisse. Videre id est apud *Eutropium Libro* III. *Cap.* V. *Historiæ Miscellæ Auctorem Libri* V. initio, clarissime vero omnium apud *Sallustium*, qui in fine *Belli Jugurthini* scribit, *Marius Consul absens factus est, & ei decreta Provincia Gallia.* Sub *Galliæ* jam nomine superius *Venetias* comprehensas esse diximus, atque mox latius demonstrabimus. Omnes vero, quas *Marius* reportavit de *Cimbris* & *Teutonibus*, variis in locis, victoriæ, in *Veronensi* acciderunt agro. Idque *Livii Abbreviator*, *Florus*, *Plutarchus*, alii ostendunt. Patet hinc frustra *Campum* quæri *Raudium*, nisi in *Veronensi*, ubi collocant *Florus* & *Plinius*. Porro alia autoritas quam *Ptolomæi* & *F. Leandri Alberti* requiritur ad probandum, *Augustum Italiam* divisisse ex suo arbitrio non jure dominii, quod habebat. *Panvinius* dicit, quod divisionem istam fecerit *rerum potitus*, quod & confirmat *Dio*. Fuit autem, ut opinor, divisio ista appendix ejus descripti-

---

ros ibidem conventum habere eruditionis amantes. Sed manum de tabula, ne mihi quis

Scriptus & in tergo necdum finitus Orestes.

sive illud, DIMIDIUM PLUS TOTO.

Ne autem hæ vacarent pagellæ, non ineptum esse duxi finem facere in Carmine quodam *Andreæ Navagerii*, Poëtæ incomparabilis versuum dulcedine pariter atque majestate. Composuit idem in amœnissimum Urbis nostræ conspectum, qui jam a sexcentis inde annis *Vanzo* a nostris appellatur. Non puto editum hactenus, sed & cum hiatu quodam, prout editur a me, legitur in MS. quod penes me est, neque ego immutare volui.

Blanda o Najadum cohors Sororum,
Quæ Vanci nitido latetis amne,
Fusæ colla decentibus capillis,
Quod large ambrosii rigant liquores,
Comptæ & carbaseo sinus amictu;
Exite e liquidis simul latebris,
In vestros simul hic adeste lusus,
Quos large Zephyro favente tellus
Vernos florida suggerit per agros.
Et scandentibus hinc & hinc flagellis
Per flavas salicum comas pererrans
Vitis pampineas ministrat umbras,
Per quas sibila murmurantis auræ
Jucundum tenero strepunt susurro.
Hinc gemmantibus hinc & hinc rosetis
Cultas texere vos licet coronas
Et passim simul omnium colorum
Lectos in calathis referre flores.
Queis comptas pariter comas revinctæ,
Queis sparsæ teretes simul papillas,
Ductetis pariter choros licentes,
Ductetis hilares simul choreas.
Sed quid splendidius nitescit aër?
Quid fragrantius huc feruntur auræ?
Rident omnia & aëre in sereno
Spirarunt Cyprii Syrique odores.
Agnosco, resonis strepunt querelis
Olores Paphii, Cupidinumque
Concussæ ex humero sonant pharetræ.
Ad flores properat suos Dione.
Nunc vos Vanciades simul Sorores
Instaurate choros licentiores,
Et novæ Venerem . . . . . . choreæ,
Et chori Venerem licentiores.
Huc mitis Dea, mitiorque semper
Adsis muneribus benigna nostris,
Quæ versis tibi fundimus quasillis,
Quæ pictis tibi teximus coronis.
Incultis face Vancium rosetis
Pestum vincere, floridumque Tybur.
Hæc non bruma rigens calorque lædat,
Hæc non flamina pestilentis Austri.
Sed semper tibi cultius nitescant,
Sed semper genitalibus Favoni
In tua munera mulceantur auris.

Atque hæc quidem sunt, quæ ad Operis sui illustrationem ipse notavit *Pignorius*, cujus semper nomen adjunximus in fine, quæ ejus sunt, Notarum. Præfixerat idem hanc iisdem Præfatiunculam,

ILLI, QUI LEGERE NON DEDIGNETUR.

Majorum Virorum exemplo paucas hasce Annotationes mihi illique, qui studiosior, non dicam, curiosior nostrarum fuerit Memoriarum conscripsi. Mihi quidem ipsi, quoniam in materia tam diffusa, quæ sinu suo complectitur spatiosum Antiquitatis campum, nemo est, qui jure gloriari possit, cuncta illa, quæ objecta visui fuere, pervidisse sese atque observasse. Avidus oculus plerumque noster est, qui discurrit sæpe tam in legendo quam in scribendo. Obliviosa quandoque est memoria. Solet etiam sermo rerum, quæ oculis præsentes incidunt, sæpenumero viam aperire censuræ hominum malevolorum, qui spinas ex aliorum laboribus literariis colligentes, quæ in iis reperiuntur, rosas conculcant. Studiosis pariter tenuem hanc meam navavi operam,

——— *Si quis tamen hæc quoque, si quis*
Captus amore leget.

contentus

,,Fra magnanimi pochi à chi'l ben piace.

paucis, modo bonis, placuisse. Hoc certe omnibus modis carissimæ meæ debere videbar Patriæ, in cujus quidem Memorias non una vice cum Temporum injuria conjurata malignitas hominum insurrexit. Si quis vero studium hocce meum improbet, sciat, illi elaboratum non esse, hasque meas Notas hunc in angulum conjectas, ut qui videre concupiscat, inveniat, transeat vero sine præjudicio sententiæ suæ, qui nolit. In summa, jam superius inscripsi ILLI, QUI LEGERE NON DEDIGNETUR, quem titulum hisce tribus verbis esse volui. PIGNOR.

scriptionis, quam in toto Orbe *Romano* fieri jussit idem *Augustus*, quamque tangunt *Isidorus E-*
138 *tymol. Lib.* v, & Evangelista *Lucas Cap.* 11. Quid enim aliud credibile est continuisse *Breviarium Imperii* illud, quod nominat *Cornelius Tacitus*? atque *Rationarium Imperii*, prout a *Suetonio* appellatur?

Viam vero *Æmyliam* nec ipse *Livius*, in Patriæ honorem, siluit, cui sane contradici nequit. Eam vero a *Placentia* modo ad *Ariminum* ducere scribit. *Livio* autem præ aliis in singularitatibus hisce fidem habeo. Nisi itaque *Strabonem* atque *Sigonium* mentiri credamus, signum fuit subjectionis sub Imperio *Romano*, prout posterior ratiocinatur. Jam vero & longe ante Consulatum *Flaminii* atque *Æmilii*, ditioni *Romanorum* majores nostri accesserant. Hinc est, quod *Silius Italicus* omnes quasi *Venetos* sub signa revocat *Romana*. Et sane eo usque ista pertinuit terræ hujus subjectio, ut, quum *Galli* quidam oras ejus populabundi invasissent, ipsi *Romani*, non vero *Veneti*, trans *Alpes* legatos miserint, rogatum, an ex nationis venissent consensu, an sponte sua. Nec diu post navem Consules & Prætor conscendere ad ejiciendos eosdem, non vero terræ incolæ. Consul autem *Marcellus* colligendi exercitus curam *L. Porcio Proconsuli* commisit ad novam *Gallorum* arcendam populationem. Hi ubi Proconsul eos deditione facta armis cunctisque rebus spoliasset, Legatos misere, non *Patavium* sed *Romam*. Arma restitui jussit Senatus *Romanus*, increpatis illis, qui occupare regionem, inconsulto Magistratu *Romano*, ausi fuerant. Frustra vero *Galliam* tentant distinguere a *Venetiis*, nam, ut jam sæpius diximus, omnis *Venetorum* regio sub *Galliæ* veniebat nomine isto tempore, quo totius *Italiæ* domini erant *Romani*, aureumque *Latinitatis* vigebat sæculum. Docet id *Dio*. Is enim narrans *Libro* XLI. *Cornelium* illum Augurem nostrum prædixisse conflictus *Pharsalici* diem, *Patavii* rem accidisse narrat, quæ suis temporibus (sub *Alexandro Severo* scilicet) Urbs *Italiæ* erat, olim autem, sub *Cæsare*, *Galliæ*. Quomodo & ex *Romanorum* more locutus est *Livius*, *Libro* XL. narrans, coloniam fuisse deductam *Aquilejam*, dicit enim *deducta est in agro Gallorum*. Loquitur ita & *Sallustius*, cujus superius verba adduximus, *Cicero* in *Philippicis*, ut & *Ovidius* de *Largo* Poëta canens,

Gallica qui Phrygium vexit in arva senem.

Paludes etiam, quem jam superius & citavimus,
139 *Vitruvius* vocat *Gallicas* eas, quæ erant apud *Altinum*. De pecoribus loquens *Columella Libro* VII. *Cap.* 11. scribit, *nunc Gallicæ pretiosiores habentur*, *earumque præcipue Altinates*. Appellabant ita *Galliam Romani*, quam Incolæ *Venetiam* dicebant, cum & communiter *Italia* vocaretur, quo nomine *Livio* non semel venit *Libro* XXXIX. sicut priori *Libro* XL.

Sed neque unquam *Gallia* hæc nostra *Cisalpina* fuit, ut nonnulli, quo subterfugerent ea, quæ protulimus, argumenta, dixerunt. *Polybius* enim scire nequivit, quæ post ejus tempora futura essent, & *Strabo*, ut homo *Græcus*, secundum incolarum loquitur morem, atque eam, quam *Augustus* fecerat, divisionem. *Cornelius Tacitus* autem eam vocem, quæ argumento suo maxime inserviebat, ad invidiam scilicet concitandam, arripuit. At vero qui jam nomine non suo dein appellare voluisset, intelligi noluisset, maxime postquam divisionem istam, quam dissolvere non licebat, instituisset *Augustus*. Quod si ipse *Augustus* non *Galliam* sed *Venetiam* appellare voluerit, id eo est referendum, quoniam patronus ejus erat, atque *Mæcenatis* apud

A *Dionem* verba approbare se ostenderet. Forsitan etiam id intendit, ut efficeret, ut populus *Romanus* antiqua sua jura oblivisceretur.

Atque ita in nostra confirmamur opinione, cum parum referat, qua de causa *Galliam* appellari voluerint *Romani*. Fuit autem cum Imperio in his oris *Decimus Brutus*, ut ex *Appiano* vidimus, &, qui nobiscum sentit, docet *Sigonius*, id & ex ipsius *Bruti* ad *Ciceronem* verbis probans, qualia sunt, *his ne quam patiare in Senatu injuriam fieri* &c. *Causam habent optimam*, *officium in Rempublicam summum*, *genus hominum adversa-*
B *riorum seditiosum & inertissimum.* quæ quidem aliter nisi de Magistratu & subditis intelligi nequeunt.

Extincta post *Augusti* tempora familia *Julia*, in *Venetos Romanorum* permansit imperium. Docet id *Tacitus Histor. Libro* III. scribens *Vespasiani* Duces *Veronæ* fecisse armamentarium atque *Vicentiam* occupasse. *Cæcinam* munitiones inter *Hostiam* atque *Tartari* paludes erexisse. Alios agrum circa *Aquilejam* occupasse, atque receptos fuisse *Opitergo* & *Altino*, suique juris fecisse *Patavium* atque *Ateste*. In *Allieni* foro cæsas fuisse cohortes tres, alam unam. *Altini* præsidium fuis-
C se relictum *adversus Classem Ravennatem*, *nondum defectione ejus audita*. *Veronam* obsidione cinctam fuisse, & multa talia ibidem observare licet, ex quibus clarissime patet, sine ulla fœderis specie, quam quidam sibi imaginantur, omnino subjectos *Romanis* fuisse. Sed & insuper e *Pannonia* advenientes *Vespasiani* Duces, patet via venisse mili- 140
tari, quæ antiqua illa erat jure dominationis strata per *Æmylium*, sive alium quemquam, quaque semper exercitus *Romanus* iter facere consueverat, usque ad *Tiberii* tempus, quando ad bellum *Illyricum* profectus, festinato, ut puto, itinere per
D *Patavum* non transiit. Sub sequentibus etiam Imperatoribus *Romanum* etiam agnovit Imperium. Quique aliud dicunt, indicent, quid in Senatu *Romano* egerint *Vicentinorum* Legati, in causa viri Prætorii, qui petierat, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur. Inspiciantur *Plinii Secundi Epistolæ* IV. & XIV. ex *Libro* V. Accidit vero id sub *Trajano*. Quod si, ut ex *Jornande* vidimus, *Venetorum* fuerit *Ravenna*, satis docuit, an imperium & summum jus in terram illam habuerit, an non, qui illuc ad inhabitandum, sicut *Dio* scribit *Libro* LXXI. barbaros quosdam misit, *Marcus Antoninus Philosophus*. Quid etiam aliud si-
E bi vult apud *Herodianum* & *Ammianum* oppugnatio *Aquilejæ*? Quid item, quam Panegyrista quidam memorat, *Veronæ* pariter & *Aquilejæ* expugnatio? Quid Consulares & Correctores *Venetiæ*, in *Notitia Imperii* & *Sexto Victore*, ut & *Codice Theodosiano*? Consulares & Juridici universæ *Italiæ* ab Imperatoribus assignati? Clarissime patet ex *Notitia Imperii*, sub Præfecto Prætorii *Italiæ* fuisse *Venetiam*, & præpositum habuisse sibi Consularem. Erantque in eadem *Veneta* terra tria armis fabricandis & conservandis loca, *Mantuæ*, *Veronæ*, atque *Concordiæ*, sub Officiorum Magistro. Imo
F & *Aquilejæ* thesauris præerat Thesaurarius, sicut ejusdem Urbis moneta Procuratorem habebat, aliumque item telonium, alium purpuræ tinctura. Hi vero omnes dependebant ab Imperatoribus, antequam fines nostros vastaret *Attila*.

At vero *Alarici*, *Attilæ*, atque *Longobardorum* per has oras introitus, nonne plane ea de causa, ut nobilissimum in nobis affligeretur *Romani* Imperii membrum. Multæ Leges latæ quid aliud demonstrant, nisi seriem *viarum Basilicarum* & *Regiarum*, prout vocabantur, & connexionem visitationum Diœceseos Imperialis? Veritatem hanc ipsi sacri adhuc evincunt Fasti. Nobilissima


&

& fortissima Virgo *Justina* nostra, *Vitaliani*, qui Senatus *Patavini* Princeps fuit, filia, sub *Nerone* passa est, sententiam ferente *Maximino*, qui, ut scribit Cardinalis *Baronius* in *Martyrologio* VII. *Octobris* Præsidis in Senatu *Romano*, non vero
141 Regis munere functus est. *Felix* & *Fortunatus Vicentini*, jussu *Euphemii*, Magistratus *Romani*, *Aquilejæ* capite truncati sunt, multique alii Martyres sub iisdem judicibus eadem passi.

Denique id commune cum reliqua *Italia* Patria nostra habuit, quod simul id, quod cor humano corpori, Imperio fuerit *Romano*, adeoque vere gloriari potest, prudentissimum in Imperii artibus & populorum rectione Populum *Romanum*, haud nescivisse aut sprevisse potentiam nostram, sed judicasse utile atque necessarium, ut unione quadam & vinculo connexa dependeret a capite illo, quod solum tot sæculorum decursu, meliori Orbis parti imperare dignum fuit.

Hanc vero Opellam meam gratam forsan Patriæ præ aliis faciet elogium bonorum, quod prædicat *Vellejus*, scribens, *justus sine mendacio candor apud bonos crimini non est.* Qui idem candor vitio mihi non vertetur, si inter tot antiqui ævi Monumenta recentius quod afferam, sed cui me multum debere confiteor. Neque sane in hoc Opusculo meo de hisce peculiare quid in medium proferre cogitaveram. Verum quoniam in simili materia non ita scrupulosum offendi nobilem Scriptorem, atque insuper apud alios insertam, ne dicam intrusam fœde, indignam quandam de Patriæ nostræ quibusdam narrationem, illius, quæ & in ipsa, & extra *Italiam*, haud exiguum sane obtinet splendorem, recte judicavi huic loco inserere, quæ rudi licet Minerva scripsi, non ut *Titiani* vel *Raphaëlis* picturam exornarem, quod scio me non posse, sed ut Libro meo acquirerem decus, suasque virtuti darem laudes, quæ suis licet contenta dotibus, fructus tamen amat, quos in aliis præfert suo tempore sparsum semen veræ & benemeritæ gloriæ. Is autem, qui mihi dicendus venit, *Antonius* est *Querengus*, quem hisce affari liceat:
142 „At te, *Antoni Querenge*, clarissimum Urbis „nostræ Sidus, an non magno cum flagitio permittemus, inconcinnis quibusdam paginis obrutum verius quam laudatum, ire in plausum posteritatis? Itane vero, te, quem summi viri suspiciunt, quem docti amant, cui contigit, raro exemplo, gloriæ tuæ supervivere, & scripta de te carmina, & gravia eruditorum testimonia audire & lectitare, non indictum sinemus? Minime gentium. Imo hæc nostra verba, ut extollant sese altius, innitentur fastigio isti tuo, quo nunquam per se ipsa, improbis etiam votis, pervasissent. Quod *Antonii* nomine proavum tuum referas, *Antonium Cardelinum Maximiliano* I. *Aug.* a consiliis & *Tridento* Præfectum; quod tu, & sigillatim *Flavio Ursino*, *Inico Arragonio*, *Alexandro Estensi*, sacræ purpuræ luminibus; & generatim veneran-
A „do Amplissimorum Patrum Collegio, post Cardinalem *Antonianum* fueris ab Epistolis; quod quinque Summorum Pontificum *Sixti* V. *Urbani* VII. *Gregorii* XIV. *Innocentii* IX. *Clementis* VII. sacris Comitiis interfueris; quod a *Ranutio Farnesio*, acerrimi judicii Principe accersitus fueris ad perscribendas pro dignitate res in *Belgio* & alibi ab *Alexandro*, ejus Patre, Imperatore fortissimo, gestas; quod ab *Henrico* IV. *Magno*, Cardinalis *Perronii* monitu, *Lutetiam Parisiorum* fueris evocatus, magnis propositis præmiis; quod te *Leo* XI. *Romam* accersiverit; quod itidem *Paulus* V. cui primum ab intimo
B cubiculo fueris, tum utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius Prælatusque domesticus; approbantibus hæc dignitatis tuæ incremen- 143
ta *Gregorio* XV. & *Urbano* VIII. Hæc sane omnia aliis, paratioribus naturæ vel doctrinæ ad dicendum præsidiis, explicanda permittemus. Nos tuam suavitatem morum, cum eximia probitate conjunctam, prædicabimus. Nos, te, Literarum Humaniorum decus; nos, te, carminum non nostri ævi præclarum artificem; nos, te graviorum disciplinarum apprime conscium dicemus. Quodque omnes laudationes excellit, referemus te Maximo Principi *Urbano*
C a similitudine studiorum, & morum candore, usque adeo innotuisse, ut ille tecum non paucas horas ducere, & jam olim, & hodie consueverit. Quod vero & raram prudentiam, & rerum usum multiplicem, & beatam eloquentiam promas, ubi & quoties libuerit, id tenui & jejuna oratione, cujusmodi nostra est, nemo sibi sumat describendum. At quia ornatissimos fratris filios nactus est, quis prohibet eos hic recenseri breviter & strictim, appendices dubio procul solidæ gloriæ tuæ, & laudatæ institutionis fructus eximios audituros? Tu nobis,
D *Flavi*, primus dicere, qui ex aulæ, an scholæ, *Parmensis* sanctissimo contubernio, ad Collegium Canonicorum *Patavinæ* Ecclesiæ translatus, ea clues ingenii vi, ea polles disciplinarum peritia, ut patruum proximo intervallo assequare. Quod perdiu testabuntur præclara illa eruditionis tuæ monumenta, quæ Serenissimus *Urbini* Dux, ingeniorum æstimator acerrimus, recondi imperavit in suam illam copiosam & nobilem Bibliothecam *Castro-Durantinam*. Neque sane Episcopatum *Biglensem*, oblatum tibi a *Gregorio* XV. cui a cubiculo honoris
E titulo eras, quod recusaris, adscribemus angustiis animi tui, sed amori bonarum Litterarum, in quas nunc totus incumbis, factus Ethices Professor in Patrio Gymnasio, sed cultui non vul- 144
gari modestiæ illius, cui jam inde a puero, non ita obvio exemplo, assuevisti. Vos adeste hujusce nostri tumultuarii conatus operam excusaturi, *Marcelle* & *Marce*, & afflate stylo nostro lætos præclaræ vestræ juventæ honores, quos vobis apud principes in *Italia* nostra viros, illustribus præsentis animi, & æquanimi ingenii dotibus, non perfunctorie comparastis.

F I N I S.



INDEX RERUM.

F I N I S.


LAU-

LAURENTII PIGNORII
ANTENOR,
UNA CUM EJUSDEM PIGNORII ANIMADVERSIONIBUS.

LATINE VERTIT

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Editio nova, priori accuratior & auctior.



ILLUSTRISSIMIS MULTUMQUE COLENDIS DOMINIS,

PATAVII, CIVITATIS NOBILISSIMÆ,

DEPUTATIS

S. D.

LAURENTIUS PIGNORIUS.



Oſt famoſum excidium *Trojæ*, illius *Trojæ*, quæ *Aſiæ Europæ*que virium & virtutum omnium acerba cinis fuit, duarum Civitatum, magnarum ſane utrarumque, præcipui conditores, ſecum in *Italiam* noſtram virtutis atque prudentiæ eximiæ attulere ſemina. Alter quidem matris *Veneris* auxilio Patriæ ereptus incendiis, Duce Dea amoris, quæ ipſum amabilem reddidit & gratioſum, favore ejus acquiſito grandi conjugio, auxiliiſque in his terris inſperatis, una cum filiolo, laborum adhuc rudi, & militibus ſuis ruſticanis, multis poſt ſæculis ſurgere fecit Urbem, quæ ſummam majeſtatem in rerum humanarum obtinuit magnitudine. Alter, *Palladis* auſpiciis, quæ ſapientiæ Dea, illum & fortem & prudentem reddidit, cum uxore, gravi Matrona, & filiis duobus bellicoſis, *Trojano* ſimul atque externo milite, qui lubens ex belli *Trojani* reliquiis ad illius ſigna transierat, *Patavium*, Urbis Conditor, & *Athenarum* ſapientia, & *Trojæ* belli ſcientiæque omnis artibus exornavit. Idem, poſtquam nulla adjutrice manu, ampliſſimæ terræ dominus eſt redditus, cujus incolas, reliquias licet validæ *Herculis* diſciplinæ militaris, pepulerat, Urbem excitavit Metropolim, *Romanæ* æmulam, unicum Naturæ miraculum, Artis ſingulare decus, innumerabilium Heroum fœcundam Matrem, atque Aſylum *Italicæ* libertatis inviolatum.

Hæc vero geſta Conditoris Noſtri, quantum ſcilicet ipſe perveſtigare potui, quæ fuere olim quidem contentum magnorum Librorum, præclariſque Auctoribus larga materia, nunc vero lacera miſerabiliter, ſparſa disjectaque, paſſim in communi tot præſtantium Operum ſtrage, haud exiguo labore, nec paucis annis, a me in unum congeſta, quibus Dedicare fas erat, niſi Vobis, ILLUSTRISSIMI DOMINI, qui & ut Patres Patriæ communis, magnanimi & generoſi, vigili ſemper cura illi Magnitudinem atque Majeſtatem ſuam conſervatis, & innata Vobis ipſis indole datis ſpecimina *Trojanæ* virtutis, cujus

ſpar-

ſparſum per terras veſtras ſemen nec ipſa dira barbarorum crudelitas, nec longi ævi quivit extinguere malignitas.

Iſta, quam Virtus Veſtra ingreſſa eſt, via, vera ad Immortalitatis Templum ſemita eſt. Hanc calcantes diem cernetis, quæ meliorem Veſtri partem in ſecuro Æternitatis collocabit gremio. Hæ enim vere actiones iſtæ ſunt, quas contemplatus eſt Vir inſignis in Somnio quodam, quod multorum ſuperat vigilias. Ibi enim omnibus iſtis, qui conſervarunt, adjuverunt ampliaruntque Patriam ſuam, certus in Cœlis addicitur locus, ubi perpetua ſint gaviſuri felicitate. Illa etenim mortalium unio, quæ Civitatem efficit, cara eſt Deo, Rectori Moderatorique hujus Univerſi. Ita enim fere Illuſtris ille loquitur.

Neque ſane Vobis ILL. D. minor laus vel applauſus manet ingratior a ſera poſteritate. Vos enim eſtis, quibus cordi ſunt Antiqui Splendoris gloria & laus, ſive illas ipſi celebretis, ſive adjutrices eaſdem procurantibus manus porrigitis, auctoritate veſtra eos roborantes atque impellentes. Hoc enim & publice & privatim ſemper profeſſi ſunt, inque eum cuncti collimarunt ſcopum, qui Patriæ noſtræ exornandæ omnem vitam impenderunt. Ut enim vulgaria tranſeamus, vel inter ipſos veteres Urbis noſtræ Principes fuere, qui & in graviſſimis Reipublicæ curis haud omiſere Muſarum ſtudium, grande Literatis omnibus præſidium. Quum & inter illos nominare liceat Virum Clariſſimum, *Itali* Carminis ſplendorem, *Franciſcum Petrarcham*, item alium, qui non dedignatus eſt, imo ambivit forſan, adſcribi titulis ſuis & illum *Doctiſſimi.*

Atque ita Vos & exemplo veſtro & hortatu juventutem incenditis patriam, quæ indole hodie tam generoſa vivoque gaudet ingenio, ad amplectenda hæcce Bonarum Literarum Studia, illa Studia, quæ *Livium* olim alioſque multos hiſce præteritiſque temporibus fecere inclytos, venturis etiam ſæculis immortales & tantum non divinos præſtabunt.

Hoc itaque exiguum Opuſculum meum, apud Veſtram Noſtramque Matrem communem, *Patavium*, alicujus videatur eſſe momenti, dignumque affectu quodam, quali unumquemque Civem decet afflari, ut ſcilicet ad veritatis facem, ingenuitatis oculis clariſſimam Patriæ miretur lucem, inque eadem lætetur. In longum Deus conſervet incolumia ILLUSTRISSIMA Veſtra NOMINA.

Servus ILL. V. devotus,

LAURENTIUS PIGNORIUS.

Ex ædibus meis,
Anno MDCXXIV. *Menſe Julio,*
Die XXII.

LECTU-

LECTURO

S. D.

LAURENTIUS PIGNORIUS.



Laboratis modo editisque Patriæ ORIGINIBUS, *postulare res videbatur, ut & adjungerem antiqua, quæ supersunt apud veteres Scriptores,* ANTENORIS *monumenta, quæ scilicet illius Conditoris Nostri reliqua fecit longinqui ævi vetustas. Videmus enim obliterata sepultaque passim grandia virorum factorumque nomina & virtutes, quæ mirata sunt prisca secula, celebrarunt vero Scriptores egregii.*

Atque hujus quidem provinciæ subeundæ duplex mihi causa exstitit. Inciderat enim primo in manus meas fragmentum quoddam, quod de ANTENORE *orsus erat atque persecutus accuratissimus ille, qui, dum vivebat, amicus erat non e multis, mortuus vero acerbum sui reliquit desiderium,* Vincentius Contarenus. *Consecutus illud eram opera præstantissimi Abbatis* Albertini Barisoni, *cui id ipsum communicaverat* Dominicus Molinus, *Senator gravis, atque omnis elegantiæ copiosus atque judiciosus Promuscondus. Adeoque gratiam inire non vulgarem ab Antiquitatum Nostrarum studiosis arbitrabar, si hasce exquisitissimi viri cum ipsis communicarem Observationes, quas quidem ipse summa cum fide semper atque religione passim retuli, Nomine ejus hoc in loco posito, ne gratus nesciret Lector, cui illas deberet.*

Secundo quidem cogitabam, posse quandoque in tenebricosas lucifugarum manus hasce incidere chartas, apud quos diris damnatæ tenebris non splenderent in Bibliothecarum forulis, sed sepelirentur in Bibliotaphiis.

Sed & insuper videbar ita mihi bellam nactus occasionem, ut quæ minus accurate in ORIGINIBUS *mihi effluxissent, majori cum diligentia sub incudem revocarem. Quis enim in Antiquitatum hisce Studiis adeo lynceis est oculis, ut non quandoque talpæ in morem cæcutiat. Cujus quidem me culpæ insontem haud profiteor, ut qui hoc maximum, bene velle, atque ingenue profiteri, a quibus profecerim, in medium attulerim.*

Neque adeo repetere hic necesse est, falsos illos atque suppositos Auctores, quos explosere jam Eruditi, nullo mihi fuisse nomine nec vel in aliquo numero. Satis enim superque violatur ingenua Historiæ Majestas profanis quorundam somniis & deliriis ridiculis, ut non opus sit nescio cujus tenebrionis admittere malas horas, qui specioso titulo atque antiquis nominibus furtivum quæsivit decus.

Quod si ante me ANTENOREM *suum contexuit* CONTARENUS, *nihil tamen eo sum deterritus, cum nec ipse* Cato *atque* Polybius *deterrere, qui eos secuti sunt, potuerint. Scripsit eleganti stylo Vitas excellentium Virorum* Cornelius Nepos, *sed & post illum sudavit magna cum laude* Plutarchus.

Atque utinam simili fortuna incidat in manus meas ejusdem CONTARENI, *quam est molitus,* ANTENOREA EXPEDITIO *cum reliquiis* ITINERIS *ejusdem* FACTORUMQUE. *Publicam, vel ringente invidia, lucem adspicient.*

TESTIMONIA AUCTORUM.

OTHO EPISCOPUS FRISINGENSIS LIB. I. CHRONICOR. CAP. XXV.

Antenor quoque *Patavii* fundator exstitit, unde *Virgilius:*

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem superare Timavi.

& infra:

Hic tamen ille Urbem Patavi, sedesque locavit.

Quarum quidam *Galliæ* Urbem *Pictavim*, nonnulli *Bajoariæ Pataviam*, alii vero *Venetiæ*, *Paduam*que *Patavium* putant, quod & verisimilius est, & sensui *Virgilii* accommodatius.

PETRUS PAULUS VERGERIUS, SENIOR.

Vitis Principum Carrariensium, in Marsilio Majore.

Inde vero per *Villam Turris* iter faciens, in Burg *Euganea* exercitum locavit; quo in loco habitasse *Euganeos* ferunt, cum *Antenor* post *Trojæ* excidium ad *Hesperiam* navigavit. Quos ille in hanc oram delatus propriis sedibus expulit, indeque haud procul cum suis consedit, ubi *Patavium* condidit &c.

Hic Auctor hactenus MS. fuit, verum nunc primum in hoc Thesauro editus.

VIRGILIUS I. ÆNEID.

ANTENOR *potuit, mediis elapsus Achivis,*
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen Ille Urbem PATAVI *sedesque locavit*
Teucrorum, & Genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compostus pace quiescit.

SENECA AD HELVIAM CAP. VI.

Nec omnibus eadem causa relinquendi quærendique Patriam fuit. Alios excidia Urbium suarum, hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt.

PERGE PORRO, MI PIGNORI,
LAMPAS ANTIQUÆ ERUDITIONIS,
PATAVINAMQUE PROVINCIAM, UTI FACIS,
ILLUSTRA,
DOCTIS APPROBANTIBUS, PLAUDENTIBUSQUE,
INVIDIA SUBRINGENTE, ET LIVORE
OBLATRANTE.
EN ANTENOREM NOBIS EXHIBES
POST TOT SÆCULA REDIVIVUM,
NON EX FABULOSIS ET TITULO TENUS AUCTORIBUS,
SED EX PRISCIS MONUMENTIS, TESTIBUSQUE INCORRUPTIS,
QUI MAGNO PATAVII CONDITORI
NEQUE VERAS LAUDES DETRAHUNT
NEQUE AFFINGUNT FALSAS.
TANTUS HEROS
CALORI ET COLORI PER TE SUO RESTITUTUS
HABEBIT GRATIAM INDUSTRIÆ TUÆ,
UT MAGNANIMUM VIRUM DECET.
ET CUM EO OMNES PATAVINI,
QUIBUS PURA PUTA VERITAS
ANTIQUIOR EST IPSA PATRIA.

Veritati quam Tibi amicior

MARTINUS SANDELIUS,
Patavinus.

INDEX

TAB. XV.

MELANTHUS.

ÆTHRON.

AGENOR.

COON.

ARCHILOCHUS.

DEMOLEON.

ANTHEUS.

EYRYMACHUS.

CRINUS.

GLAUCUS.

LAOCOON.

HIPPOLOCHUS.

HELICAON.

LAODOCUS.

MEDON.

POLYBUS.

POLYDAMAS.

IPHIDAMAS.

THERSILOCHUS.

ACAMAS.

ANTENOR.

THEANO.

LAODAMAS.

PEDEUS.



INDEX CAPITUM.



LAURENTII PIGNORII
ANTENOR.

CAPUT I.

4 *Cujus Filius Antenor. Dictis & Messala ficti. Varro de Familiis Trojanis scripsit. Antenor affinis Priami. Multæ apud eundem auctoritatis. Darius Jo. Villani. Ethilla Priami Filia.*

ANtenoris Pater tenebris obrutus latet. *Dictis* enim fictus, ut observat *Contarenus*, auctor, quidquid promittere videatur, delirat, qui neque ipsum nominat. Falsus autem ille *Messala*, appellatione *Latina*, dein *Persica*, egregie extra oleas, *Assuetum* sive *Assuerum* nuncupat. Mater vero ejus, quodnam habuerit nomen, silet. *Messalam* verum id nescivisse, haud verisimile est, qui præ manibus habuerit *Varronis* opera, qui etiam de *Familiis Trojanis* scripsit, prout testatur *Servius* ad *Æneid.* v. Propinquum *Priami* Heroa nostrum fuisse innuere videtur *Ovidius*. Apud illum enim ita loquitur *Ulysses*, *Libro* XIII. *versu* CXCVI.

Mittor & Iliacas audax Orator ad arces,
Visaque & intrata est altæ mihi curia Trojæ.
Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandarat communis Græcia causam,
Accusoque Parin, prædamque Helenamque reposco.
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum.

5 Verum in incerto nos versus isti relinquunt, utrum dicere velit, consanguinitate *Priamo* conjunctum fuisse *Antenorem*, an vero ejusdém oris atque sententiæ utrosque. Notandum enim venit, sæpissime in arduis negotiis *Priami* simul & conjuncti cum illo *Antenoris*, fieri mentionem. Clare id patet ex *Iliad. Libro.* III. ubi jurat *Priamus* conditiones duelli *Paridis* atque *Menelai*. Ibi postquam in currum adscendit *Priamus*, mox sequitur *Antenor*. Primus autem verba facit (quantum mihi observare licuit) *Libro* VII. adsente *Priamo*. Addo, *Homerum* narrare *Libro* III. stetisse in porta *Scea*, una cum *Panthoo*, *Thimete*, *Lampo*, *Clitio*, *Icetaone*, *Ucalegonte*, atque *Antenore*, *Priamum*. Recentiores vero Historiographi nostri, in fraudem, ut puto, inducti per fictos istos *Messalam* & *Daretem*, quem imperite *Darium* appellat *Jo. Villanus*, asseverarunt propinquum. *Jo.* idem *Villanus Libro* I. *Cap.* XVII. dicit inter Principes fuisse *Trojanos*, [1] Regis *Priami* Fratrem, *Laomedontis* vero Regis Filium. Auctor *Supplementi Chronicorum* nobilem atque *Priami* propinquum vocat *Libro* VI. *Ed. in folio. Pag.* LII. *Num.* VI. Abnegare id plane non ausim, & si urgeat quis, nullam hujus parentelæ apud *Homerum* esse mentionem, respondeo illi, & multa
6 similia passim præteriisse Poëtam. Neque enim *Ethillæ* apud illum nomen exstat, quæ tamen *Priami* fuit soror, ut videre est apud *Photium*, ubi de *Cononis Narrationibus* agit. Et sane insignis Matrona fuit, quantum ex *Stephano* liquet, qui licet nomen supprimat, casum tamen notat. Neque *Ovidii* verbis ulla vis fit, in quamvis partem illa accipiantur.

CAPUT II.

Antenoris forma. Dotes corporis. Eustathii error. Aëdon. Fortitudo Antenoris. Ejusdem Filius Antheus.

ANtenorem a forma corporis atque animi dotibus descriptum nobis reliquit *Isaacius Porphyrogenetus* in *Characteribus* suis, quos publicavit *Janus Rutgersius*, vir magnæ & doctrinæ & dignitatis. Quis autem iste *Isaacius* fuerit, non habeo dicere. Domus autem Imperialis *Comnenorum* fuisse existimo, quorum nomen percelebre fuit. Verba autem ejus hæc sunt:

ANTHNΩP.

Ὁ Ἀντήνωρ μακρὸς, λεπ]ὸς, ἴσχυρος, λεύκος, μικρόφθαλμος, γλαύκος, καμπυλόρριν, λευκοχδρακτηρος, εὔλγος, ἀσφαλὴς, πολυίσωρ, ἀλλόγιμος. Hæc ita religiose transscripsi, verum sumam mihi licentiæ nonnihil, ut quædam corrigam, quæ intelligi commode nequeunt. Memini etiam ipsum *Rutgersium*, valde adhuc juvenem dubitasse, an satis accurate ista verba descripta fuerint. Hæc autem ejusdem est Interpretatio: 7

ANTENOR.

Antenor longus, tenuis, validus, albus & rufus, magnis oculis, cæsius, naso adunco, albo corporis filo, dolosus, providus, multarum rerum peritus, eruditus. Verum, ut dixi, censeo, quædam corrigenda esse. Unde ex corrupta voce λευκοχδράκ]ηρος, feci, λευκοχαράκ]ηρος, mutato Δ in simillimæ formæ literam Α. Pro εὔλγο autem lego εὔλογος, sed & mallem εὐγλῶσσος, prout legisse judico *Guilhelmum Sobierum* studiorum atque morum elegantia præstantem virum, juxta *Euripidis* illud, quod in *Originibus* meis exstat *Pag.* XV. ἀλλόγιμος autem muto in ἐλλόγιμος, atque ita verto: ANTENOR. *Antenor longæ fuit staturæ, macilentus, vividus, cano capillo & oculis parvis atque cæruleis, naso adunco, cute candida, eloquens, sapiens, multiscius & fortis.* Ut enim πολυίςωρ, posuerim pro πολυίσωρ, satis est rationis, quod posterius vitium videtur esse typothetæ. *Multiscius* enim, prout talem *Latini* appellabant, fuisse innuitur. Et sane tribus in locis mihi apud *Homerum* observare licuit, illum constanter prudentia ornari, bis *Libro* III. semel vero *Libro* VII. Talemque, ut qui publici hospitii habuerit jus, necesse est fuisse. Credo autem motum corporis longitudine, oculorum atque cutis colore *Tryphiodorum*, ut *Diis æqualem* appellaret. Quæ de capillorum colore dixi in *Originibus* meis inspici possunt. 8

Hic autem, ut prudens, semper *Trojanis* persuadere est conatus, ut *Helenam* redderent, contra *Alexandrum*, qui furoris sui sequebatur instinctum. Innuit id *Horatius:*

Antenor censet belli præcidere causam.

& *Ovidius* eundem appellat

Trojanæ suasorem Antenora pacis.

Neque cuiquam melius quam *Antenori* constantia illa recti convenit, quam in viro justo laudat *Horatius Libro* III. *Ode* III.

Justum & tenacem propositi virum 9
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida.

Quantum ad eloquentiam, notavit in Schedis suis *Contarenus*, ab *Homero Iliados Libro* III. appellatum fuisse Oratorem præstantissimum, assimilatumque aëdoni, quæ ramo insistens arboris suavem modulatur cantum. Epithetum etiam, quod adjungit Poëta, canoram dulcemque vocem ejus fuisse indicat, prout dicit *Cicero de Officiis Libro* I. Neque enim ut barbarum notare voluit *Homerus* in oppositione ad *Nestorem*, *Menelaum* & *Ulyssem*, quod cogitabat *Eustathius*, verum descriptam nobis reliquit senectutem sanguine quidem & calore cassam, verum eloquentiæ atque prudentiæ plenam. Exigui enim caloris & sanguinis est aëdon, verum vocis admodum canoræ. Adnotant vero ut naturæ miraculum *Aristoteles Libro* V. *de Animalibus Cap.* XXX. & *Plinius Libro* XI. *Cap.* XXVI. solos inter illos cantare mares, cum fœminæ mutæ sint. Quod & *Athenæus* & *Libanius* confirmant.

Constantia *Antenoris* eundem semper sibique denotat fuisse similem, quique nunquam a justitiæ via oculos deflexit. *Inconcussum* vocant *Latini*. 10

Hanc

Parerga hæc, pauca numero, necessaria mihi in extremo hujus Libelli videbantur. Neque vereor exordiolum hoc superciliosis dicere *Catonibus*, qui,

—— *ut putentur sapere cœlum, vituperant.*

Contentus autem sum placere humanioribus viris, quibus & ficta perspectiva, & subiti apparatus, & inventa lepida amicorum non displicent. Neque enim tales stomachantur, si vel mensa sit paupertina, vel cibus haud exquisite conditus. Et sane si urbanitatis leges spectes, peccat cui audiendum est, *Non putabam me tibi tam familiarem*, verum apud *Augustum* talis toto animo remittenda erat culpa. PIGNOR.

1 *Regis Priami fratrem*] Civis noster *Marcus Mantua*, magnus suo tempore JCtus, qui ætatis suæ res graves temperavit æstimatione eruditæ & amœnæ Antiquitatis, nobiliumque ingenii artium atque manuum, scriptum reliquit, quod *Padua Regia* dicta sit, quia ab *Antenore* Rege, *Priami* fratre, & *Laumedontis* filio condita fuit, in Vitis *JCtorum Recentiorum*, scriptis ad *Joannem Fichardum*. PIGNOR.

Hanc vero *Contareni* sententiam *Virgilii* ista declarant, quæ quidem magis nobis *Antenorem*, quam *Riphæum* quendam ante oculos ponunt, *Libro* II. *Æneid. versu* CCCCXXVI.

—— —— justissimus unus,
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

Hoc etiam vel simili respectu *gravem* vocat *Oenone* in *Epistola* ad *Paridem*, apud *Ovidium versu* XCVII. ubi de *Helena* loquitur:

Quæ si sit Danais reddenda, vel Hectora fratrem,
Vel cum Deiphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse,
Consule; queis ætas longa magistra fuit.

Audiamus vero gravitatem ejusdem, in alia licet persona, describentem *Virgilium Æneid.* I. *versu* CLV.

Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant:
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Polluit sane, quod & *Ovidius* dicit, consilio *Antenor*, ut talem enim & *Ælianus* celebravit *Var. Histor. Lib.* XII. *Cap.* XXV. unde *magnum* recte recentior quidam Poëta dixit, multæque famæ, Cardinalis scilicet *Franciscus Sfondratus*

Atque Anchisiadem, magnoque Antenore natum.

Est & aliquid, quod tanti viri nomine agnosci non unus voluerit posterioribus temporibus. *Macedonem* enim quendam *Antenorem Livius* & *Po-*
11 *lybius* proferunt; Historicum ejusdem nominis *Ælianus*; Statuarium item *Pausanias*. Pancratio pugilem *Athenæus*, itemque *Elæum* quendam *Antenorem* docet rursus *Polybius*.

Tanto quidem patre indignum facinus commisit, temerarius iste, cujus non indicatur nobis nomen, filius, qui *Delphis* formosum juvenem & *Apollinis* Sacerdotem *Panthum Othryadem* rapuit. Docet id nos *Servius* ad *Æneid.* II. istum versum CCCXIX.

Panthus Othryades Arcis Phœbique Sacerdos.

Neque manu minus quam consilio præstans *Antenor* fuit. Id enim, ut in ORIGINIBUS jam dictum est, indicat titulus ille *equum domitoris*, unde

Picus equum domitor. —— ——

apud *Virgilium.* Eodemque *Libro*

Lausus equum domitor. —— ——

quod imitatur *Torquatus Tassus*,

—— —— Siphante
Domator de cavalli.

Agnovit eandem in filio *Alexandro*, domito *Bucephalo*, bellicositatem *Philippus*, cum ad illum diceret: *Aliud, o Fili, tibi par regnum quære, quando te jam Macedonia non capit. Virgilius* quoque, ubi *Venerem* cum *Jove* colloquentem inducit de *Antenore*, non sine respectu fortitudinis ejusdem *potentiam* describit, neque enim temere loqui consuevit. Dicit autem *Libro* I. *versu* CCXLVI.

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus.

12 Illud enim *potuit* bellicam declarat fortitudinem.

Neque sub alia, quam paterna disciplina militari tantos formatos credimus filios, qui insignes cuncti fuere bellatores.

Multarum quidem in eo rerum peritia studio ejus atque longæ experientiæ est adscribenda.

A Sed peculiare horum omnium nullum nobis apud Antiquos Scriptores exstat exemplum, neque de ejus ante Bellum *Trojanum* gestis quidquam in literas retulit *Contarenus*. Scio quidem *Archiepiscopum Consentinum* in *Chronico* suo reliquisse scriptum, *Antenorem* a *Priamo*, in *Græciam* fuisse missum, ad reducendam sororem suam *Hesionem*, unaque cum *Paride*, *Deiphobo* atque *Ænea* rediisse. Verum quoniam ista ficto *Darete* nituntur, fidem non merentur. Tanto quidem minus, quoniam multæ odii causæ apud *Antenorem* erant contra *Paridem*, ob filii *Anthei*, de quo inferius *Cap.* V. nobis sermo erit, necem.

B Notum est *Franciscum Sfondratum*, non minorem Poëtam, quam Cardinalem, in suo *Helenæ Raptu* hac canere:

Jamque refulgebat radiis lux alma coruscis,
Et properans cœli primam transcenderat oram:
Cum Regem Paris immensa spe lætus adibat,
Cumque illo frater jucunda fronte Cremones,
Atque Acamas Antenorides.

Qui idem vult, *Acamantem* istum *Antenoris* filium, 13
Paridis in *Græciam*, atque patris in *Venetas* terras comitem fuisse, verum & scimus illud:

C *Pictoribus atque Poëtis* &c.

CAPUT III.

Theano Antenoris Uxor. Cissei, sive Dimantis Filia. Pedeus nothus Antenoris. Palladium. Venit una cum Marito Theano. Laodice Trojæ mortua. Senecæ error.

UXor *Antenoris* fuit *Theano*, cujus meminere *Homerus*, *Lucianus* atque *Servius*, aliique. Notavit & *Contarenus* aliam ejusdem nomi-
D nis matronam apud *Virgilum Æneid. Libro* X. *versu* DCCII. ut appareat, frequens *Trojanis* fuisse mulieribus:

—— —— Paridisque Mimanta
Æqualem, comitemque, una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis Regina Parin creat.

In quibus versibus satis mirari nequeo altam atque reconditam *Virgilii* eruditionem, quam & *Macrobius* laudat. Ex hisce enim patet, voluisse in transitu determinare istam apud antiquos litem de patre *Theanus*, an *Cisseus* iste, an *Dimas*
E fuerit appellatus. Ut enim *Vincentius* noster *Contarenus* advertit, haud levis apud Veteres fuit controversia, utrum *Cissei* an *Dimantis* filia *Theano* esset. Hæret *Eustathius*, *Tzetzes* sororem 14
fuisse vult *Hecubæ*. Patrem vero *Hecubæ Dimantem* facit *Homerus*, quem *Apollodorus* sequitur, & forsan etiam *Cedrenus*. Matrona eximiæ fuit pulchritudinis, prout illam describit *Homerus*. Taciturnitate commendabilem fuisse, ex *Theophylacti Simocatæ* testimonio elicit *Contarenus*. Verum ego, Scriptorem istum de *Pythorica* ejus nominis loqui, puto, prout & in ORIGINIBUS
F meis dixi. Magnis in rebus ingentibusque divitiis modesta fuit & continens, &, ut cum *Ausonio* loquar, *fortunam reverenter habuit*. Testatur id adductus a *Contareno* in *Imaginibus Lucianus*, qui marito præstitum obsequium in gravi ista matrona observat, quod & *Homerus* celebravit *Iliados Libro* V. Mariti enim nothum, *Pedeum* nomine, pari cum liberis suis cura educavit, complacens conjugi suo.

Sacerdotio *Palladis* a populo ornata fuit, id quod ejus demonstrat meritum, non sorte ducta, ut *Laocoon*, sed electa. Curæ ejus & commissum

Palladium. [1] De quo jam non repetam, quæ dixi in ORIGINIBUS, dicam modo parvulum *Palladis* fuisse signum, prout ipsum edocet nomen, atque ejusdem mentio apud *Lucretium Libro* VI. ubi amantium refert ingenium in abscondendis amatarum vitiis, velandisque iis gratæ appellationis argutia. Quod vero ad figuram illam attinet,
15 quæ in *Vestæ* conspicitur manu in ORIGINIBUS meis *Pag.* XXV. notandum venit, eandem in Nummo a medio sui pedes versus in metæ seu pyramidis conum & acumen desinere, tali enim modo pedes ejus componi solere notavit *Apollodorus.* Sed & forsan Nummus iste *Hadriani*, quem *Fulvius Ursinus* in prima sua *Imaginum Illustrium Virorum* Editione repræsentavit, ut & *Paulus Manutius* in *Commentario* in *Epistolas Ciceronis ad Atticum*, magis *Palladium* quam *Hermathenam* refert.

Insignis ista fœmina una cum Marito in hujus provinciæ venit possessionem, idque testatur *Servius.* Incensa enim *Troja*, una cum omni familia mansit illæsa. Hanc enim hospitii communisque mensæ reverentiam atque gratiam habuere *Græci.*

Scribit insuper *Tryphiodorus*, ante *Antenoris* uxorisque abscessum mortuam fuisse nurum *Laodicem*, quæ filio *Helicaoni* nupserat, ut ita parum concinne scripserit *Seneca Tragicus*, *Troadis Act.* I. *Sc.* I. de *Hecuba* agens:

Hic Hectoris conjugia despondet sibi,
Hic optat Heleni conjugem, hic Antenoris,
Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.

16

CAPUT IV.

Antenoris Filii. Polignoti & Euphorionis error. Zilia. Flumen Grignum. Homerus ex Pausania illustratus. Polydorus.

Octodecim *Theano* Marito suo masculini sexus liberos, fœminini unum peperit. Ista *Crino* appellata fuit a *liliis*, quæ *Græci* ita vocant. Meminit vero ejus *Pausanias Libro* X. picturam quandam *Polygnoti* describens. Reprehendit vero Pictorem idem *Pausanias*, quod posuerit inter captivas *Laodicen*, judicans illam, si vel maxime inter captivas numerata fuisset, mox tamen isti fuisse conditioni exemptam, idque hospitii jure, quod inter *Græcos* atque *Antenorem* intercesserat. Ad stabiliendam sententiam suam narrat *Pausanias*, scriptum reliquisse *Leschen*, vulneratum nocturna quadam pugna *Helicaonem* ab *Ulysse* fuisse cognitum, atque periculo mortis exemptum. Ut ita non sit verisimile familiam *Antenoris* hostiliter a *Menelao* atque *Agamemnone* fuisse habitam, neque etiam nurum ejusdem *Helicaonis* uxorem *Laodicen.* *Euphorionem Chalcidensem* narrat de *Laodice* quædam finxisse prorsus a vero abhorrentia. Neque sane *Euphorionis* istud commentum aliud quid fuit, quam, quod præter *Parthenium* & *Tzetzem* notavit *Contarenus*, quasi vero perfida marito suo fuerit. Una autem componuntur
17 apud *Suetonium* in *Tiberii Vita Cap.* LXX. ubi videri debet *Casaubonus*, iste *Euphorion* atque *Parthenius.* Nihil autem, refutandæ fabulæ isti, quod *Vincentius* fecit, repetam, cum testimonium sufficiat *Pausaniæ*, Scriptoris veridici atque judiciosi. cum neque *Tryphiodorus* noxam hanc reticuisset, ut de *Plutarcho* nihil addam, in *Vita Thesei*, in fine.

---

1 *De quo jam non repetam*] Si quis plura de *Palladio* edoceri cupit, quam nos in ORIGINIBUS produximus, *Meursium* adeat ad *Lycophronem*, ut & *Herodianum Libro* V. *Dionysium Halicarnassæum Libro* VI. *Pag.* DLXXXVII. *Clementem Alexandrinum* in *Protreptico. Ludovicum Vivem* ad *Augustinum de Civitate Dei.* PIGNOR.

Depicta fuit *Crino* (ad illam ut revertamur) brachio gestans infantem, de quo nihil apud Scriptores invenitur. Forsan autem nomen Matronæ cuidam nostræ dedit, quæ ab Historicis nostris [1] *Zilia* appellatur, ut & forsan fluvio *Grino*, qui in *Bassanensi* est.

Antenoris filiorum natu maximus (prout *Contarenus* putat) *Archilochus*, sive *Archelochus* fuit. Primogenituram autem ex nomenclatione ejus eruit, Ἀρχὴ enim apud *Græcos principium* & λοχεῖα *partum* denotat, idque etiam concludit, necessario sequi ex *Homero Iliade* XIV. ubi, occiso illo, quærit ex *Polydamante Ajax*, an idem fuerit frater, an filius *Antenoris*, quum ex faciei similitudine filius, ex ætate frater credi posset, quamvis optime eum nosset.

Coonem ab *Homero* πρεσβυγένην, id est *magnum natu*, appellari observat. Idque *Iliados Libro* XI. ubi cum ipso depugnans *Agamemnon* vulnus accipit, qui tamen eundem, *Libro* XIX. fratris *Isidamantis* cadaver ad se trahentem, interficit. Inspiciatur autem *Homerus* pugnam narrans, ejusque deplorans exitum, atque simul adnotans *Cisseum*, Regem *Thraciæ*, atque *Theanus* patrem, nepotem suum *Isidamantem* a teneris enutriisse, illique, ubi adoleverat, dedisse in uxorem filiam suam, bello autem *Trojano* in auxilium misisse suis una cum duodecim navibus. Ipsum vero præ festinatione atque ardore defendendi Patriam, uxorem non attigisse, sed virginem, ut acceperat, reliquisse. Dedisse vero eundem, dotis nomine, socero suo centum boves cum amplissimis promissis. Ita enim, nisi fallor *Homeri* istum locum interpretatur *Pausanias* in fine *Libri* IV. 18

Minimum vero ex *Antenoris* filiis *Iphidamantem* statuit *Contarenus*, idque, quoniam scribit *Eustathius*, ipsum a patre in *Thraciam* fuisse missum, ut extra periculi esset aleam, plane ut in minimo ex filiis *Polydoro* fecit *Priamus*, verum utrumque irrito & infelici successu.

CAPUT V.

Filios Antenoris non omnes nominat Homerus. Virgilius Homerum libere secutus. Laodice pulchra. Polygnotus quam pro Laodice pinxerit. Arma dedicata. Helicaonis pugio. Zeleia sive Zelia.

Filios adhuc *Antenoris* enumerat *Vincentius* noster 19
Medonta, *Glaucum*, atque *Thersilochum*, idque ea ratione, quoniam a *Virgilio* nominantur *Æneidos* VI. licet aliter sentiat *Servius.* Neque sane omnia ea, quorum apud *Homerum* silentium est, pro falsis habenda sunt. Namque & *Polygnotus* in Tabula sua, cujus modo meminimus, *Glaucum* atque *Eurymachum* profert, quos tamen præteriit *Homerus.* Nominavit eosdem *Tzetzes.* Meminit & *Glauci* atque *Hippolochi Lysimachus*, in Libro, quem composuit de *Reditu ab Expeditione Trojana.* Et siquis *Pausaniam Libro* X. velit inspicere, ubi quæ penicillo depinxit quondam *Polygnotus*, verbis describit exquisitis, multa ibi præter *Homerum* inveniet.

---

1 *Zilia appellatur*] In Antiquo MS. *Rolandini*, quod apud Abbatem *Jacobum Zabarellum* est, simul additur *Chronologia* hujus Urbis Antiquissima, quæ incipit Anno MCLXXIV. definit vero in Annum MCCCXXXVIII. Ibi in descriptione invasionis, quam tertia mensis *Julii* die, Anno MCCCXX. fecit in Urbem nostram *Canis Scaliger* cum *Patavinis* fugitivis, narratur, magna cum clade illos fuisse repulsos, atque de iis, qui inter oppugnatores ceciderunt, hæc inter alia dicuntur: *Inter quos fuerunt Ruzerius filius Dominæ Ziliæ de Sanguinaccis, Michaël Maronus & plures alii.* Narratur ibidem Anno MCCCXXVI. *Venetiis* exilio mulctatos fuisse *Marcium & Jordanum de Forzate*, *Prosdocimum de Caligini*, *Rogerium de Fabiano*, & *Franciscum de Madonna Zilia.* PIGNOR.

veniet. Nec ipse adeo scrupulosus fuit *Homerus*, A qui & satis libere eundem in aliis quibusdam est secutus.

Ut vero diximus in ORIGINIBUS, clarissimus inter *Antenoridas* fuit *Helicaon*, unaque cum patre has terras occupaturus venit. Uxor ejus *Laodice* filia fuit *Priami*, inter matronas pulcherrima, sicut inter virgines *Cassandra*, ut canit *Homerus Iliad.* XXIV.

20 Notat etiam *Contarenus*, Pictorem *Polygnetum*, cum *Athenis*, in Porticu *Pecile* appellato, seu *Vario*, depingeret inter *Trojanas* matronas *Laodicem*, sororem *Cimonis*, quam amabat, *Elpenicem* pinxisse. B Refert id *Plutarchus*.

De *Helicaonis* pugione diximus in ORIGINIBUS, neque quid jam repetemus, nisi Inscriptionem, ut nobilem sane memoriam, quam scitius ad *Græca* ita *Itale* reddimus. „Mirami; impero-„che io mi ritrovavo da douero nell' ampia tor-„re di *Troia*, quando combattevamo per *Helena* „dalle belle chiome. & mi portava il figliolo di „*Antenore Elicaone* il Rè, & hora mi tiene il suo-„lo divino del figliolo di *Latona*.

Martinus Sandelius, non minus amicitia *Contareni* notus, quam Bonarum Literarum scientia nobilis, in memoriam mihi revocavit *S. Scripturæ* C duos locos, valde Inscriptioni isti, atque iis, quæ diximus in ORIGINIBUS *Pag.* CL. [1] conformes. Primus est de *Goliathi* gladio, quem sibi rapuit *Davidus*, ut legitur *Libro* I. *Regum Cap.* XXI. Secundus *Judithæ* continet facinus, quæ *universa vasa bellica Holophernis, quæ dedit illi populus, & conopœum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Idem *Sandelius* mihi Inscriptionis istius *Italo* metro communicavit contentum, eleganter, ut solet in isto genere, & quocunque fert animus, elaboratum. Est autem tale:

21 „ Mirami. Io fu ne la gran torre d' *Ilio*, D
„ Quando per la bell' *Elena* pugnavamo
„ M'ado pro *Elicaon* figlio d' *Antenore*;
„ Hor son nel Tempio del divino *Apolline*.

Huc etiam *Abântis* clypeus pertinet ab *Ænea* consecratus, fixaque ab eodem de *Danais* victoribus arma, ut notat *Servius* ad *Æneid. Lib.* III.

Ampla vero ista sive *lata turris* erit forsan, cujus meminit *Homerus Iliad.* III. ubi narrat *Helenam* indicasse atque ostendisse *Priamo* atque *Antenori* illustriores inter *Græcos* Duces. Quem locum imitatus est *Tassus Hieros. Carm.* III. in *Arminia* atque *Aladino*.

E Inter *Antenoris* filios observavit eruditus noster Amicus celebratum ab *Homero Acamantem*, ut juvenem needum uxorem habentem, atque eximiæ pulchritudinis, *Iliados Libro* XI. *Laodicum* vero a fortitudine *Libro* III. Dicit eundem *Eustathius* impulisse *Pandarum*, ut duelli inter *Menelaum* atque *Paridem* conditiones legesque violaret, nomenque ab hospitalitate habuisse patris.

Nothus ut diximus, neque legitimi tori, *Pedeus*. *Agenor*, *Demoleon*, *Laodamas* & *Polybus* apud *Homerum* inveniuntur omnes. *Agenorem* quidem, non ut quidam male vocant, *Agenonem*, nominat *Libro Iliad.* XXI. ut egregium fortemque. *Demoleonta* F *Libro* XXI. occisum ab *Achille* narrat. *Laodamas* illi Dux peditatus venit *Libro* XV. *Polybus*,
22 non *Politus Libro* XI. cum *Hectore*, *Polydamante* atque *Ænea* recensetur. *Antheum* vero apud *Lycophronem* inveni *versu* CXXXIV. quem ibi *Guilhelmus Canterus* filium dicit fuisse *Antenoris*, per jocum vero a *Paride*, qui illum diligebat, imprudenter fuisse cæsum, qui iram patris metuens, cum *Menelao* in *Græciam* fugit. *Tzetzes* *Laocoöntem* Sacerdotem *Neptuni*, filium *Antenoris* vult fuisse, quod & annotavit *Contarenus*. Uxor *Laocoöntis* fuit *Antiopa*, juxta *Servium*, ejusque filii vocati sunt *Æthron* & *Melanthus*. Doctus autem *Augusti* libertus *Hyginus*, filios eosdem facit *Acetis*, fratris *Anchisæ*, qui & *Antiphantis* & *Thymbræi* pater fuit. *Servius* una cum *Helicaone* recensuit *Polydamanta*. Plus uno loco mentionem ejus injecit *Homerus*, satisque de illo in ORIGINIBUS est dictum. *Hectori* fuisse a a consiliis vult *Ælianus Var. Hist. Lib.* XII. *Cap.* XXV. Filii vero *Antenoris*, ut scribit, ex Poëtæ auctoritate *Strabo Lib.* XIII. dominium in *Zelejam* habuerunt. *Homerus* tamen, ubi de illis loquitur *Iliad.* II. hujus dominii mentionem non facit.

1 Habentur hæc in *Notis Pag.* 39. *hujus Editionis.*

CAPUT VI. 23

Antenor culpatus. Xenophontis error. Antenor condidit Patavium. Petrarchæ locus. Antenor Rex. Siculus Flaccus. Moneta Patavina. Dardania. Arma ærea.

Satis removimus atque dispulimus culpam, quam affingunt *Antenori* Scriptores parum judiciosi, in ORIGINIBUS, causam ejus veris tutati ratiociniis. Cum itaque ea, quæ diximus ibidem, hic repetere non sit necesse, *Livii* solius utemur testimonio, quod omnem ab illo proditionis noxam longe removet. Neque sane *Livius* futile aliquid & falsum scribere potuit, isto maxime tempore, quo facile fraudis convinci potuisset. Scribit iste in perpulchro *Historiarum* suarum principio hoc pacto: *Jam primum omnium satis constat, Troja capta, in cæteros sævitum esse Trojanos: duobus, Ænea Antenoreque,* [1] *& vetusti jure hospitii, & quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* Sufficit vero nobis argumentum, id usque ad *Livii* tempora *satis constitisse*. *Servii* vero dictis opponimus *Christophorum Landinum*, doctum *Virgilii*, majorum nostrorum temporibus, Commentatorem. Sed neque *Xenophonti* in eo fides haberi potest, quod in *Libro de Venatione* scribit, solum

1 *Et vetusti jure hospitii*] Iis quæ de religione antiquitus hospitii in ORIGINIBUS diximus, adjungi possunt, quæ ex narratione *Euemeri* inveniuntur apud *Lactantium Firmianum* in historia *Jovis*, qui jura hospitalia instituit primus, ut & *Platonis* dictum *Libro* I. *de Legibus*, olim scilicet exstitisse apud *Græcos* destinatas isti officio certas quasdam domus atque familias publice negotium id curantes. Atque ex hoc ritu est, quod apud opulentas atque generosas nationes ad magnatum palatia adjectæ fuerint huic rei destinatæ fabricæ, prout observare est ex *Vitruvio Libro* VI. *Cap.* X. qui illa loca vocat *Hospitalia*, atque in illis triclinia, cameras atque promptuaria enumerat, mensæque admotos primo die hospites narrat, sequentibus dein, pullis, ovis, oleis atque fructibus donatos fuisse, & quæ similia sunt. Quæ cuncta quidem *Xenia* appellabantur, atque apud *Martialem* egregie videri possunt, utpote qui de illis integrum confecerit libellum. Sed & in scenis hospitibus loca quædam destinata fuerunt, quod & *Vitruvius* docet *Libro* V. *Cap.* VI. & VII. Discimus ex eodem auctore, pictores solitos olim inventis istis xeniorum, quæ hospitibus dabantur, uti, quæ & ipsa *xenia* appellabantur. De quo quidem pictores nostros interrogare licet, nos in viam redeamus. Cernitur hodieque apud *Fulvium Ursinum*, in Urbe *Roma*, Mensa hospitalis ærea, posita in domo quondam *T. Pomponii Bassi*, in fidem atque testimonium, integrum aliquando Municipium in clientelam hujus *Bassi* flagitasse recipi. In aliis vero ejusdem generis mentio fit *hospitii & tesseræ hospitalis*. De religione vero, qua ista colebatur, inspici potest *Parthenius Narrationum* III. VIII. XIV. & XVIII. ut ita magna cum ratione scriptum reliquerit *Cicero ad Sulpicium*, *Epist. Famil. Libro* XIII. *Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem Sanctam colendam puto.* PIGNOR.

ſolum *Æneam*, non vero alios ſervatum fuiſſe a *Græcis* illæſum.

24 *Antenor* vero cum uxore atque duobus filiis, *Helicaone* & *Polydamante*, ut & numeroſo milite velut in *Originibus* diximus, *Troja* profectus, in *Thraciam* appulit. [1] Inde vero per varios caſus, ut dicit *Livius*, tangitque *Petrarcha Lib.* I. *Epiſt.* II.

Jam Patavum Antenor flammas emenſus & undas
[2] *Ediderat.*

in intimum Maris *Hadriatici* pervenit ſinum, ubi ejectis *Euganeis*, terras occupavit, *Pataviumque* condidit.

Expeditionem ejus *Largus*, cujus in ORIGINIBUS meminimus, carmine celebravit, inde vero quæ potuimus, diligenter perſcrutati eodem in libello ſumus. Neque ego a *Petrarcha* alium deſignari puto Auctorem, cum canit *Ecl.* X.

Tramite qui Largo Trojanum Antenora colles
Duxit ad Euganeos.

[3] Summum autem, quamdiu vixit, illius terræ apud ipſum Imperium fuiſſe exiſtimo, regiamque ejus fuiſſe poteſtatem, quod & placuit *Scardeonio*. Suadere id videtur, ut credam, *Ariſtoteles*, qui *Politicor. Libro* III. *Cap.* X. Heroicis temporibus morem viguiſſe refert, ut Regium iis deferretur nomen & poteſtas, qui populum juviſſent, adunaſſent, provinciamque occupaſſent. Regem vero iſtum Bellicæ curæ, Sacrificiis, Juri dicundo, atque terminandis controverſiis diſcordiiſque mutuis
25 præfuiſſe. Ut adeo haud ſit mirum, quod de *Antenore* canat *Virgilius Lib.* I. *verſu* CCCLI.

Hic tamen ille Urbem Patavi ſedeſque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja.

quæ cuncta Regis ſunt. Neque eum *Veneti* de-

1 *Inde vero per varios caſus*] Navigatio quidem *Antenoris* per ſe difficilis non fuit, iſto ſcilicet tempore, quo adhuc mari dominabantur *Phryges*, ut notat *Euſebius*, verum ratione *Græcorum*, quorum ubique terras prætervehi neceſſe habuit, quod & *Virgilius* hiſce adnotare voluit:

—— —— *mediis elapſus Achivis.*

Thracia enim profectus, atque *Archipelagum* navigans neceſſe habuit juxta *Peloponneſum* vehi, atque inter *Zacynthum* atque *Cephaloniam* elapſus venit in mare, quod a nobis appellatur *Golfo di Patraſſo*, ut *Delphos* viſeret, conſulturus forte Oraculum, cum & ibidem pugionem ſuum dedicaverit *Elicaon*. Inde vero in mare *Ionium*, prout antiquitus appellatur, venit, ubi locorum *Helenus* conſilium *Æneæ* dedit, ut læva fugeret litora, *Libro Æneid.* III. *verſu* CCCXCVI.

Has autem terras, Italique hanc littoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Grajis.

Ibi enim *Ajacis Locrenſis*, *Idomenei* atque *Philoctetis* milites locum ceperant in litoribus & mediterraneis. Pepulit autem loco, qui a dextra manu in noſtro mari erant, *Illyrios*, *Hiſtros* & *Liburnos*, populos validos & bellicoſos. Egreſſus denique in terram (neſcio qua occaſione) fontem *Timavi* ſuperavit, forte ut terram cognoſceret, vel poſt maris agitationem aliquantum quieſceret. Regreſſus dein in naves, ad ſtabiliendam ſedem, magis interiora penetravit loca, unde ſcribit Cardinalis *Sfondratus Libro* III.

Extremo tandem Hadriaci maris aggere.

PIGNOR.

2 *Ediderat*] Pro quo potius ſcriberem *Condiderat*, illud enim in hac re proprium verbum. *Suetonius* in *Auguſti Vita*, *Cap.* XCVIII. *Sed ex dilectis unum, Masgabam nomine, quaſi Conditorem Inſulæ, κτίστην vocare conſueverat.* Et *Seneca*. *Quid intereſt enumerare Antenorem Patavii Conditorem.* Vide in *Antenore* noſtro *Pag.* XXXVII. PIGNOR.

3 *Summum autem*] De quo dubitare nos non ſinit *Dio Chryſoſtomus*, quem adduxi in ORIGINIBUS *Cap.* VII. in principio, prout verti verba ejus ſolent, *Antenor autem Venetos ſibi ſubjecit.* PIGNOR.

A dignati ſunt Principem, cum Rege enim, ut *Livius* narrat, *Trojam* venerunt, & illum quærebant ut idem dicit.

Neque aliter apud *Virgilium* de ſe, multis in locis, præſertim vero *Æneid. Libro* III. dicit *Æneas*:

Jura domoſque dabam.

prout idem, ſicut dixerat ad *Didonem Libro* I.

Jura dabat legeſque viris.

quæ Regis ſunt, qui a nullo dependet. Si itaque
B haſce terras occupavit *Antenor*, illas neceſſario inter adjutores milites comiteſque diviſit, idque poteſtate Regia, quod illis innuitur *Virgilii*:

—— —— *ſedeſque locavit*
Teucrorum.

Sicut mox & *Æneam* loqui facit eodem ſenſu:

Tendimus in Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt.

Hinc & *Livius* dicit de *Ænea* atque *Trojanis* agens, *ſedem condendæque Urbi locum quærere*, & de noſtris *ſedem* illos & *Ducem* quæſiviſſe. Sed 26
C audiamus *Virgilium*, cujus juxta præſcriptum *Ariſtotelis* hæc ſunt verba *Æneid.* V. *verſu* DCCLV.

Interea Æneas urbem deſignat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Eſſe jubet.
Indicitque forum & patribus dat jura vocatis.
Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

A *ſedibus* autem *inſidere* venit, quod ſignificat apud *Latinos* locum occupare atque vindicare ſibi. Id egregie patet ex *Siculo Flacco*, licet verba ejus multum ſint corrupta, quæ vir doctus admodum
D emendare eſt conatus. Ego autem illa proferam, prout, ſine aliorum præjudicio, legenda eſſe cenſeo. *Accidit autem* (inquit) *inſeſſarum earum gentium populis ſæpe mutantibus id in Italia, & in Provinciis: ut Phryges in Latio, ut Diomedes in Apulia, ut Macedones in Libya, Tirreni, qui dicuntur Etruſci in Gallia; in Aſiæ finibus ſocii Gallorum inſedere: & in aliquibus Phrygis Diomedis finibus. qui etiam ſociis conſtituere civitates atque eas partiti ſunt. Hi cives dicuntur quidem ultro citroque bello repuliſſe, aut indigenas; præmenſumque quod univerſis ſuffecturum videbatur ſolum, territis fugatiſque inde civibus, territoria dixerunt. contra hoc* 27
E *aliud, de quo ſuo loco referemus, ſingulis. deinde terræ nec tantum occupaverunt quod colere potuiſſent, ſed quantum in ſpe colendi reſervavere.* Atque ita illud:

—— —— *ſedeſque locavit*
Teucrorum.

Regium fuiſſe officium judico, prout & apud *Romanos* deductio Coloniarum, quam illorum invenere Reges.

Et ab hac quidem origine deſcendere exiſtimo quandam, quam repræſentari juſſi [1] monetam no-
F ſtræ Civitatis. Legitur in ea: PADUA REGIA CIVITAS, ut & alteram, juxta poſitam, in cujus meditullio obſervatur litera A, quam initialem nominis *Antenoris*, ſicut in *Padua* poſtremam ſignificare puto. Rarus autem iſte illo ſæculo ſignandi modus eſt, neque ſimile exemplum obſervare licuit, licet multas viderim monetas in libro admodum

1 *Monetam noſtræ Civitatis*] Quam videre licet *Tab.* XIV. *Num.* I. & II. In ſecundo vero Nummo non tantum litera A. ſed & T. illi conjuncta obſervari poteſt.



NOVA NVPTA IN GENIALI THALAMO, EX HORTIS QVIRINALIBVS OLYMPIÆ ALDOBRANDINÆ PAMPHYLIÆ ROSSANI PRINCIPIS.

1. Sedet noua nupta in geniali toro, faciei detracto flammeo, corpore tamen toto, præ verecundia, albenti palla undiq; obducta. Demisso vultu moeret, luget, mox pudicitiam amissura. Sedentis de more pedibus aureum Scabellum subijcitur; et fulgent genialibus altis aurea fulcra toris.
2. PRONVBA Sponsam amplectitur, eiq; blanditur, suadetque vt flere desinat, neq; timeat ad virum prodire. Myrto Venereo coronatur.
3. Sponsus redimitus hedera, quæ vsitatum Coniugij Symbolum est, nudus sedet in limine thalami, Sponsam expectans; huc faciunt illa Catulli de Nupt. Aspice unus vt accubat, hoc est, prope humum dimissus maritus sponsam præstolatur.
4. Balnearia ministra, altera manu Strigilem tenet, alteram inijcit in concha seu argentea lauatione, experiturque tepidam aquam.
5. Aquariola è cratere frigidam calidæ miscet, ac teporem inducit; namq; noua nupta antequam decumberet cum Sponso, aqua spargebatur, vt casta puraq; ad Virum accederet.
6. Alia ancilla tabulam forte præfert, in qua dotalia signabantur.
7. Alia Pronuba columellæ, seu mensæ innixa, dextera guttum Sinistra catillum instar conchilii tenet, vt vnguento, vel oleo, Sponsæ ablutæ corpus de more vngat, adhibito Iunonis Vnxiæ numine. Ab eius collo monile, seu segmentum aureum dependet; eademq; armillis brachia circumdat.
8. Balnearia alia pateram tenet, et aquam in concha, seu miscet, seu experitur, longa tunica, ac dupplici breuiori palla induitur. 9. Tripus balnearis aureus pendentibus hinc inde ansis; in quo differens lauatio.
10. Lyristes fides pulsat, choreasq; ducit, tintinnabulis capite redimito; induit manicata stola fascijs ad imos pedes fimbriata. 11. Poetria radiatâ coronâ insignis ad lyram canit epithalamium, hanc alij sacrorum Reginam.






TAB. XIV.





I.



IV.






II





V.




III.




IX.

Pleraque ex Ferro.



VI. *Ex Ære.*



X.


XI.


XII. XIV.


XIII. XV.


VII


VIII

dum curioso *Pauli Petavii*, Regi Christianissimo a Consiliis. Neque vocis REGIÆ simile vidi additamentum in aliarum Urbium monetis, licet & *Veronæ* viderim, & *Bergami* & *Mediolani*, cun-
28 ctis eodem tempore, vel paullum discrepante ab in-
29 vicem percussis. Sed & insuper *Hieronymus Avantius, Veronensis* laudans *Franciscum Aurichaleum*, qui Academiæ nostræ Rector fuit, Anno MCCCCXCIII. scribit, *tu lætare nobiscum* REGIA CIVITAS PATAVINA. Prout & *Fredericus Nausea*, Episcopus *Viennensis* Anno MDXXII. de *Patavio* mentione facta, scribit, ANTENORE *Trojanorum olim* REGE *nobilem*, &c.

Quod si ex *Antenoris* posteritate *Trojam* quidam repetiere, ratio fuit vetus illud:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Tangit, & immemores non sinit esse sui.

Maxime quoniam cum Imperio ibidem fuere, ut ex *Strabone* vidimus, si non in *Zelia*, certe tamen in *Dardania*. Si vero quidam eorum in *Africam* vel alios sese receperint locos, in causa est, quod separati fuerint a patre, qui huc modo cum *Helicaone* & *Polydamante*, illarumque matre *Theano* venit.

Memini vero me ex *Pindari Pythior. Ode* V. mentionem injecisse in ORIGINIBUS armorum, quæ [1] ex ære *Antenoridis* fuere, atque ibi similis materiæ antiqua dixi apud me exstare, quare eadem hoc loco delineari jussi omni diligentia, ut multorum, qui videre ea desiderarent, doctæ satisfacerem curiositati. Quæ simul & Sacrarum Antiquitatum studiosis in mentem revocare possunt galeam, thoracem, tibialia, atque clypeum, ærea *Goliathi* arma *Libro* Regum I. *Cap.* XVII. Ad locum meretur videri *Benedictus Arias Montanus* in
30 suo *Ephrone*.

31 Et quidem [2] ista bipennis nunquam non in memoriam mihi revocat istam *Pisandri* apud *Homerum Iliad.* XIII. ex solido ære, cum manubrio oleagino, longo atque bene elaborato.

CAPUT VII.

Livius illustratus. Quare non nominaverit Patavium. Sabellici consideratio. Iselastici illorumque pompa. Arma ab Antenore posita.

De *Patavio* condito satis a nobis est allatum in *Originibus Cap.* VI. & VII. Id modo jam dicam cum *Livio* nostro, venisse *Antenorem cum multitudine Henetum* (quæ non potuit non fuisse ingens) *qui seditione ex Paphlagonia pulsi* (prout scribit *Eustathius* ad *Dionysium Alexandrinum*) *& sedes & Ducem, Rege Pylemene ad Trojam amisso, quærebant; in intimum maris Hadriatici sinum*, ubi Regna erant *Liburnorum* & *Timavi* fons, *Euganeisque, qui inter mare, Alpesque incolebant, pulsis* (unde: *expulit Euganeos*, est in ejus Epitaphio) *Henetos Trojanosque eas tenuisse terras.* Dicere vult, dominos terræ istius factos fuisse. Paullo post & de *Ænea* dicit, *ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuisse. Et in quem primum egressi sunt locum Troia vocatur.* ut & paullo inferius *Troia*
32 *& huic loco nomen est.* Inspiciantur ORIGINES *Pag.* XXXVII. *Gens universa Veneti appellati.* Si itaque & terræ & Urbi nomen dedere *Veneti*, æquum est *Antenoridis* permansisse jus & potestatem Regiam.

Quid vero in causa est, quod reticeat *Livius*, conditum ab *Antenore* fuisse *Patavium?* Ego ideo id factum puto, quoniam ipse non *Patavinam* sed *Romanam* scripsit Historiam. Neque *Patavium* potuisset nominare, quin de se ipso aliquid debuisset dicere, quale forsan ipsi displicuit Historiarum exordium in *Herodoto* pariter & *Thucydide*, qui conspicuos sese in fronte operis sui reddere voluerunt. Neque etiam decebat de *Patavio* prius, quam de *Roma* loqui. Pariter ut apud *Virgilium Æneid.* I. *Veneri*, quæ *Antenoris* exemplo res *Æneæ* patri commendaverat, respondens *Jupiter*, nihil quidem de *Patavio* dicit, verum largiter sese in *Romæ* & *Romanorum* diffundit laudes.

[1] De Situ Urbis, quæ dixi, retineo. Pauca vero ea, quæ observare potui, de legibus & religione Urbis jam attuli. Morem quærendi conjugii observavit etiam *M. Antonius Sabellicus Libro* VI. *Exempl. Cap.* I. ubi narrat, etiam hodieque infantes expositos de publico alimenta atque matrimonia consequi, dotem etiam sufficientem, si deformitas conjugio obstet. Verum ubi idem de an- 33
tiquo nubendi more agit, quem *Herodotus* & *Nicolaus Damascenus* describunt, dicit *mediocriter pulchras gratis nuptui datas fuisse*, quod unde hauserit ignoro, neque enim apud utrumque ex citatis de illo quidquam. Magis autem legem hanc apud Nostros ruri quam in Urbe viguisse credo, dicit enim *Herodotus*, illud fuisse observatum κατὰ κώμας ἑκάστας. Id est *per singulos pagos*, sive *pagatim.*

Nihil dictis de Ludis *Iselasticis* addam. Verum ut pingatur ante oculos pompa talium ludorum, illud *Suetonii* ex *Neronis Vita* adducendum est, quem narrat intrasse Romam, *disjecta parte muri, ut mos Hieronicarum est*, curru vectum, quo *Augustus* triumphum egerat, veste purpurea, chlamyde distincta stellis aureis, *Olympicam* coronam capite, *Pythicam* manu tenens, prælatis ante illum universis aliis coronis, una cum titulis, ubi, a quibus, & quo genere cantus atque fabularum argumento victoriam reportasset, sequentibus eundem cum plausu lætis, qui ejus erant servi atque in Triumpho socii, militibus; dejecto insuper Circi Maximi arcu, ad Templum vectum *Apollinis Palatini*, in Palatio, per *Velabrum*, atque *Forum.* Ubicunque autem iret, cæsas fuisse passim victimas, crocoque sparsas vias, ipsi oblatas fuisse
aves, cibos delicatiores & condimenta. 34

De donis vero istis *Casaubonus* videri potest, qui docte & copiose super locum istum disserit.

Post celebratos forsan tales Ludos fuit quum *Antenor*

——— ——— *armaque fixit*
Troja.

Eundem enim plane ordinem servat *Virgilius* in *Ænea*, *Libro Æneid.* III. *versu* CCLXXVIII.

Ergo

1 *Ex ære*] Quod præter *Pignorianam* bipennem cuspidemque *Num.* III. & X. culter iste insignis ex *Begero Tom.* III. *Pag.* CCCXCVII. testari potest, *Num.* nobis VI. ex quo item varii generis spicula, sed ferrea pleraque *Num.* XI. & sequentibus adjunximus.

2 *Ista bipennis*] Quæ & in Numismatibus *Hecatomni*, *Hidriei* aliorumque expressa apud *Begerum Pag.* XV. & CCLXVI. testimonium præbet, inter armorum genera & hanc fuisse Veteribus. Consule *Num.* IV. & V. in *Tabula* itidem XIV.

1 *De Situ Urbis*] De antiquo *Patavii* situ, antequam illam *Attila* vastasset, memini aliquid legisse apud *Rolandinum Grammaticum.* Ex illo sequentia hæc descripsi, inveniuntur in *Historia* ejus *Libro* IX. *Cap.* I. *Ita quod his diebus fuit nobilis illa Civitas Paduæ pauperior, quam eo tempore Zenusii de Ruthena, quo ab Athilla destructa canino, translata mutavit lectum ultra flumen, quod erat Paduæ munitio primitus a latere Occidentis, & nunc ibi Ruina dicitur, ubi ante Athillam primo fundata erat & Patavium dicebatur.* Verum ista plenius examinabit in erudito suo Opere Abbas *Barisonus*, quem omnes Antiquitatis studiosi oramus, ne longius nobiles & doctos labores suos premere velit. PIGNOR.

L. Pignorius. I

Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

& dein pergit *versu* CCLXXXVI.

Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis
Postibus adversis figo.

Neque enim aliter isto modo suspendi solebant, nisi secura pace, unde dicit *Servius* ad *Æneid. Librum* II. ubi de *Antenore* loquitur: *Armaque fixit Troja, hoc est, securus est, quia solent missi militia, sive gladiatura, quibuslibet Templis arma suspendere, ut Horatius:*

—— —— —— —— *Vejanius armis*
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

35 CAPUT VIII.

Antenor Patavii moritur. Trojanorum funebria. Terræ nostræ usus. Antenoreum Monumentum. Epitaphium ejus expositum. Inscriptio in ejus arcuatione.

Patavii mortuum esse *Antenorem*, hisce testatur *Virgilius*, *Æn.* I. *versu* CCLIII.

—— *ubi nunc placida compostus pace quiescit.*

Memini vero, vidisse me in pretiosa pulcherrimaque *S. Joannis in Verdara* Bibliotheca *Virgilii* MS. in pergameno, satis antiquum, ubi super vocem *compostus* glossæ vice adscribitur, *id est, situs.* Senex autem valde diem suum obiit, prout ex *Ovidio* observavimus, atque etiam meminit *Scardeonius.*

36 Funebrem ejus pompam sibi ante oculos quis ponere poterit, qui *Hectoris* illam legerit apud *Homerum*, & *Miseni* apud *Virgilium.* Dignum vero observatu mihi videtur convivium illud, quod super *Hectoris* sepulturam in domo suo habuit *Priamus.* Idem enim hodieque apud nos mos viget, ab antiquissimis forsan ductus temporibus.

Operæ pretium duxi & [1] ipsum *Antenoris* hic delineare monumentum, utpote nobile & valde vetustum.

37 Epitaphium ejus, ut & alibi diximus, hoc est:

INCLYTUS ANTENOR PATRIAM
VOX NISA QUIETEM
TRANSTULIT HUC HENETUM
DARDANIDUMQUE FUGAS.
EXPULIT EUGANEOS, PATAVINAM
CONDIDIT URBEM,
QUEM TENET HIC HUMILI MARMORE CÆSA DOMUS.

Singula latius prosequi fas est, INCLYTUS dicere vult gloriosum, origine *Græca*, ut testatur *Servius* ad *Æneid.* VI. ad illa quæ sequuntur,

—— PATRIAM VOX NISA QUIETEM.

Pithæus ut *Collectione Epigrammatum Antiquorum*, asteriscum apposuit, in correctionis signum. Et
A sane durior est constructio, qua innuitur, *vocem ejus semper studuisse quieti patriæ.* Cæterum correctione alias non eget.

TRANSTULIT HUC HENETUM,

hinc apud *Livium* Nostrum legitur venisse *cum multitudine Henetum.*

———— DARDANIDUMQUE FUGAS.

Nonnulli fugandam postremam vocem e Latinitate censuere, verum probavit *Virgilius Æneid.* V. ubi de Ludo *Trojano* dicit

B —— —— *Texuntque fugas & prælia ludo.*

EXPULIT EUGANEOS.

Idem plane dicit *Livius*, scribens, *Euganeisque, qui inter mare Alpesque incolebant, pulsis.*

----- PATAVINAM CONDIDIT URBEM.

Conditum ab *Antenore Patavium* in *Originibus* 38
probavimus, testanturque expressis verbis *Virgilius*, *Seneca* & *Solinus*, verboque usus est significantissimo CONDIDIT Epitaphii auctor, erant enim *Conditores* proprie ii apud Antiquos, qui fundabant Civitates. *Seneca* in *Consolatione* ad Matrem
C suam *Helviam: Quid tam longo te circuitu traho? Quid interest enumerare Antenorem Patavii Conditorem* &c. Maxime etiam proprie dixit URBEM, de quo videndus *Varro Libro* IV. de L. L.

QUEM TENET HIC HUMILI MARMORE CÆSA DOMUS.

Propria etiam vox TENET. *Virgilius* de *Miseni* agens sepultura:

——— *Æternumque tenet per sæcula nomen.*

HUMILI MARMORE. Inveniuntur in Anti-
D quis Epitaphiis *solemnia saxa*, *domus saxea*, *marmoreum sepulcrum*, CÆSA DOMUS. Ita scilicet Veteres domum appellabant sepulcrum. Legitur in *Lesbiæ* cujusdam Epitaphio.

Hanc sibi sola domum corporis instituit.

Ut & alibi. Atque ita multo jure *Lupatus* horum 39
versuum auctorem Poëtæ appellat nomine, qui bonos auctores & legerit & imitari sciverit.

In Arcuatione etiam Monumenti *Antenorei* Memoria superest *Oliverii Circi* & *Fantonis de Rubeis*, Florentinorum, qui isto tempore in Urbe nostra Magistratum gerebant.

E Atque hæc quidem paucula, velut tabulæ in- 40
signis famosique naufragii de Patriæ nostræ Conditore pervenere ad manus nostras. Neque publicationem collectionemve harum fraudi mihi convicioque esse posse, credo. Patriæ enim Patriæque Patri debere hoc videbar officium. Laudantur enim ratione quicunque eruditis hisce felicibusque temporibus Antiquitatis illustrare sibi sumunt tenebras, ab illis (pauci sint licet) qui vel sapiunt, vel amant sapere. Reliquos, qui parum hæc nostra intelligunt, flocci facio. Et nisi ad surdos veniam, Musis (ut quis dicit) canam, atque intelligentibus.

1 *Ipsum Antenoris hic delineare Monumentum*] Quod conspicuum venit *Tabula* XV.

F I N I S.



LAU-

TAB. XVI.

INCLITVS ANTENOR PATRIAM VOX NISA QVIETEM
TRANSTVLIT HVC ENETVM DARDANIDVMQ. FVGAS
EXPVLIT EVGANEOS PATAVINA CONDIDIT VRBEM
QVEM TENET HIC HVMILI MARMORE CESA DOMVS

Monumentum et Epitaphium Antenoris.

LAURENTII PIGNORII,

PATAVINI,

Canonici Tarvisini, Historici & Philologi celeberrimi,

EPISTOLA,

ANTIQUISSIMAM, QUÆ ROMÆ VISITUR,

PICTURAM

DE

RITU NUPTIARUM

EXPLICANS.

Editio Novissima, denuo recognita & priori nitidior.



CASSIANO A PUTEO,

Equiti,

VIRO NOBILISSIMO AC REVERENDISSIMO,

LAURENTIUS PIGNORIUS S.



Esse Deum in nobis, & agitante illo quandoque nos calescere, pronuntiavit Poëta nobilis & ingeniosus. Hoc sanè ego & alias, Vir Nobilissime, & nunc, in re præsente experior non invitus. Typum Picturæ [1] apud vos isthic repertæ, & ex antiquis ruderibus erutæ tu ad me misisti, ea lege, ut significarem, quid illa ipsa perspecta mihi in mentem veniret. Ego sanè licet me ariolum non profitear, abstinere non potui ab iis exarandis, quæ occurrerunt in ipso primo Tabulæ conspectu: num verò scopum attigerim, vix reperietur, qui inquirat, nedum, qui asserat; adeo est argumentum obscurum, & involutum, cui neque ullus Phœbi radius præsto sit, neque aliqua Philologiæ manus accurrat obviam. Tu lege, si libet, jussisque tuis imputa scriptionem somnialem verius, quam prolatam e Cortina mea, quæ tamen non uno responso me fallere consuevit.

Jam primum dico ante omnia, hanc scenam, quæ in medio Picturæ principem stationem occupat, mihi videri schema congressus nuptialis viri cum puella, quam

Lumina demissam, & dulci probitate rubentem,

ut cecinit *Statius*, videtur Pictor expressisse; & Pictura ipsa fortè ornaverit Thalamum Poëtæ cujuspiam, *Stellæ* fortasse *Arruntii* nostratis cum *Violantilla* sua cominus pugnam uxoriam meditantis. Dico deinde, ædificii facie repræsentari Thalamum ipsum, in quo, uti est apud Catullum:

Pulvinar verò divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis Purpura fuco.

Quæ Purpura etiam Augustarum Pulvinaria instravit, ex *Juvenalis* Sat. x.

— Tyriusque palam Genialis in hortis
Sternitur —

At hunc nostrum non Purpura tegit, sed croceum stragulum instratum culcitris duabus, alteri prasinæ, alteri luteæ, ut audio. Genialem porrò Lectum a Genio dictum fuisse, norunt omnes. *Juvenalis* indicat Sat. VI.

An-

1 Hæc Pictura post Pignorium *Romæ* prodiit, cum explicatione, quæ a *Pignorii* mente in quibusdam differt: quamobrem ipsam simul hic exhibemus.

Antiquum & vetus est alienum Postume Lectum
Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.

Spondam hujusce Lecti premunt adolescens & puella. Ille coronatus, cincinnatus, pallio caput obtectus; brachia, pectus, ventrem nudus, cetera ad pedes usque velatus. Blanditur autem puellæ adolescens, manu ad mentum porrecta, eo propemodum gestu, quo apud me in eburnea tabella pervetere adolescentulus virgini delicias facit. Quod autem hic noster albo Pallio caput operuerit, id legitimum fuit migraturis re vel sermone extra Pudicitiæ castra, ut apud *Gellium* facit *Antonius Julianus* Rhetor *Lib.* XIX. *Cap.* IX. Corona florum, qui tempora vinciunt, illustratur ex illis Stat. *in Epithalamio Stellæ* nostratis:

Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis, & dominæ niveis a vultibus obstas.

Puella ipsa stolata est & flammeo obnupta. Matronarum enim fuit Stola. *Tibullus* Lib. I. El. VI.

Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Et *Martialis* Lib. I. 36.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit Meretricibus pudorem?

Flammeum item fuit nuptarum, quo sensu cecinit *Juvenalis* Sat. VI.

— — Sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & Flammea conterit — —

& Sat. X.

— — dudum sedet illa parato
Flammeolo — —

& apud Petronium: *jam Psyche puellæ caput involverat flammeo.* Colorem signat nomen ipsum, uti subindicat Paulus apud Festum: *Flammeo vestimento Flaminica utebatur; id est Dialis uxor, & Jovis Sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.* Luteo nimirum, ut notarunt viri docti. Sub pedibus puellæ suppedaneum extat, de quo multa olim, erudito labore in variis suis congesserat *Hieronymus Aleander* meus.

Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet, Mundusque piorum.

Imago autem, quæ obſidet dextrum latus Adoleſcentis, porrigitque ipſi vultum averſo linteola vel ſudariola, convolutum unum, evolutum alterum, mea quidem ſententia *Venus* GENETRIX eſt: quando hoc fere ſtatu, & columellæ innixa cernitur in veterum Auguſtarum Nummis, cum lemmate *Veneris Victricis*, & ſanè apud Virgilium *in Ecl.* VIII. amator.

Incumbens tereti Damon ſic cœpit Olivæ.

Quod & ipſum hominis delicati eſt, & præ amore languentis. Gerit autem collo monile baccatum, & brachiis Murenulas ea planè figura, qua ego olim vulgavi *in Commentario de Servis*, *pag.* 149. Hujuſce dextri lateris veſtibulum inſiſtunt *Parcæ* tres alia ſanè conformatione & cultu, quam quibus apud *Catullum* inducuntur, in Epithalamio *Pelei* & *Thetydos*; & illo fortè habitu, quo viderat illas *Marcianus Capella*, ſtylos acuentes, ceraſque componentes Senatui & Curiæ Cœlitum præſto futuras. At hic, inquies, nulli ſtyli, nullæ ceræ. Ita prorſus: verum mihi videor ſomniaſſe iſthic Album, vel Membranam deletilem, quam geſtat Fœmina ſemiabdita, ad notanda videlicet Fata prolis, ſi qua parentes ex congreſſu & conceptu aliquando beabit: & fortè huc pertinent ea, quæ habet Servius *Lib.* I. *Æn.* ad illud:

— *Si voluere Parcas.*

Parcarum unam loqui, ſcribere alteram: prior enim illa capite velato meditari neſcio quid videtur, prorſus ſimilis locuturæ; ſecunda Album geſtat, ut diximus, in quo ſcribat: latet autem, ne decreta ſint in propatulo; tertia aquam affundit, argumento prorſus nuptiali, uti habetur apud Juſtinum *Lib.* XLIII. ubi virgo nuptum tradenda aquam porrigit ei, quem virum elegerat. Strigilem ſive Cultrum deſtinabunt ſuo uſui *Mopſus* aliquis, ſive *Chalcas.* Ego me *Davum* eſſe memini. *Parcæ* autem & ipſæ Thalamis præfuerunt, & indicant *Ovidius* in Epiſtola Canaces:

Nubite felices Parca meliore ſorores.

Catullus ad Manlium:

Quod ſcibant Parcæ non longo tempore abeſſe,
Si miles muros iſſet ad Iliacos.

Columella, quæ catinum ſuſtinet, alludit forte ad fixa decreta earumdem, more *Virgiliano*, quo prædicantur:

Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Lateri

Lateri ſiniſtro Pictor applicuit *Liberum* ſubſidentem, ut mihi quidem videtur. Hic autem ſemini humano præerat ex D. Auguſtino *Lib.* VI. *de Civ. Dei Cap.* IX. & *Lib.* VII. *Cap.* II. quo ſpectant illa Plutarchi *in Commentario de Iſide, & Oſiride*, Liberum patrem non vini modo, ſed & naturæ omnis liquidæ præſidem eſſe. Et vero hunc *Liberum* patrem eſſe, nemo inficias iverit, qui viderit Denarios argenteos *L. Caſſii*, in quibus *Liberi*, & *Liberæ* impreſſæ cernuntur Imagines.

Veſtibuli in parte, quæ ad lævam eſt, cernitur mulier, exſerto & nudo brachio dextro, humero tenus, quæ cum aliis duabus ternionem efficit, reſpondentem prorſus illi alteri, qui format dextrum cornu. Et hoc ego Collegium Muſarum interpretor, quas tres ab initio fuiſſe, non nemo ſcriptum reliquit. Quæ Pateram videtur merſura, illa mihi in mentem revocat ſententiam *Varronis* apud Servium *Ecl.* VII. tres tantum eſſe Muſas: *& unam* quidem (ut ipſe ait) *quæ ex aquæ naſcitur motu.* ut reſpexerit vel ad organa hydraulica, vel ad aquas forte fatidicas. Palmæ folia, quæ alteram coronant, Muſam procul dubio indicant. Hujuſmodi enim corona ipſis fuit peculiaris, uti ex *Phurnuto* teſtatur *Gyraldus* proprio *Syntagmate de Muſis.* Quæ Citharam pulſat, mihi *Melpomene* eſt: tum e numero quinque nervorum (quinarius enim *Melpomenem* ſignificavit etiam *Nicomacho Geraſeno* apud *Photium.*) tum ex illis *Horatii* Lib. IV. Ode III.

Quem tu Melpomene, ſemel
Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger &c.

De chordarum autem numero in Cithara, Lyrave plura eaque non omnino obvia tradit Seldenus *in Notis Hiſtoricis ad Græcorum Epochas*, e *Marmoribus Arundellianis pag.* 87. verum ego operæ pretium me facturum arbitror, ſi quædam adjecero mihi olim obſervata. erunt tamen hæc V. Cl. in tua poteſtate, ſive ut legas, ſive ut negligas. *Barbyton Lesbium*, quo uſa eſt *Sappho*, tribus chordis conſtitiſſe ſcribit *Scaliger* pater, *Lib.* I. *Poët. Cap.* XLVIII. At ego memini, me videre apud amicum optime de univerſa Antiquitate meritum, *Petrum Stephanonium*, vetuſtiſſimum idque ſatis grande *Sardæ* fragmentum, abſolutiſſimi artificii, in quod *Sappho* inciſa fuit appoſitaque Lyra ſeptichordis. *Eunomi* Cithara apud me eſt *Sardæ* item inciſa, quatuor chordarum: eamdem e vetere Gemma, quinque fidium edidit idemmet *Stephanonius*, at in vetere Nummo æreo ΘΕΣΠΙΕΩΝ apud me trichordis eſt Cithara. In *Arateis* autem *Phænomenis*, quæ edidit V. Cl. *Hugo Grotius*, Icone Gemino-

minorum, *Apollo* Lyram gestat octo chordarum, quæ in proprio asterismo ibidem est decem nervorum. *Melpomene* vero albata quod sit, quod vitta aurea crinem constrinxerit, quod impellat digitis chordas, quod pede pulset humum, nihil mirum. *Melpomene* aliter exprimi non potuit. Ad illa Vatis *Venusini* fortasse respexit Pictor, qui penicillos sane tractavit non sine dignitate:

Testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum Pieri temperas:
O mutis quoque Piscibus
Donatura Cycni si libeat sonum.

Et hucusque processit somnium meum. Verum dispeream, nisi te, Vir Nobilissime, audire isthinc usque videor ingeminantem cum *Andromache* Virgiliana:

Hector ubi est?

Aleander nimirum vester & meus, cui tota Antiquitas, sive illam dixeris antevortam sive postvortam, ultro patuit, hæc omnia & investigasset certius, & descripsisset politius. Me sane porta emissum eburna, in proclivi sum, ut credam. Tu Vale, & Dominum tuum, qui sacram Purpuram morum candore, & amore Eruditionis evexit ad fastigium, quod suspiciant omnes, pauci assequantur, meo nomine, atque *Aponi* mei salvere jube.

Patavii, Prid. Eid. Maji, M DC XXIX.



LAURENTII PIGNORII,

PATAVINI,

Canonici Tarvisini, Historici & Philologi celeberrimi,

VITA, BIBLIOTHECA,

ET

MUSEUM,

Auctore

JACOBO PHILIPPO TOMASINO.

Editio Novissima, denuo recognita & priori nitidior.

Illustrissimo & Excellentissimo Serenissimæ Reipublicæ Venetæ

SENATORI,

DOMINICO MOLINO,

Domino & Patrono,

S. D.

JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS.

ILLUSTRISSIME SENATOR,



Singulari Dominationis Tuæ munificentia ut Vir Magnus cum lucis usura ad senectutis oblectationem fruebatur LAURENTIUS PIGNORIUS*; ita quoque ad superos elatus Tuæ Pietati nominis æternitatem debet. Debeo & Ego inter cætera ejus Vitam à Me brevibus conscriptam, ut Tuo Patrocinio æternum vivat. Tenue quidem hoc ingenii, magnum tamen mei in TE obsequii argumentum. Quod dum in tuum conspectum admittis, pervetustæ eruditionis decus, & Musarum Patrem cogita* PIGNORIUM*, Meque benigno vultu, meumque in Viros Cl. & meæ Patriæ Cives studium specta, meamque fortunam, qua soles, magnanimitate fove. Bene vale, ut valeamus.*

Patavii, Kal. Aug. M. DC.XXXII.

IN VITAM

LAURENTII PIGNORII,

Nominis Æternitati

DOMINICI MOLINI,

Litteratorum Mecœnatis Amplissimi, nuncupatam.

Pignorii Vitæ in lucem quæ prodit imago, est
Egregium facinus, grande MOLINE tuum.
Sicque tuum vivent, una Te vindice, nomen,
Mecœnatis honos, & pietatis opus.

Lusit obsequentissimus Cliens,
ANTONIUS ALOYSIUS ALDREGHETTUS,
Philosoph. & J. U. D. & Lector Pub.

V. C.

JACOBO PHILIPPO TOMASINO.

Auspiciis Magni spirans hæc umbra MOLINI,
PIGNORII Genio talis, & Ore fuit.
Si leget Elysiis fors ista remissior umbris,
Dimidium Historiæ dixerit esse Tuum.

Observantiæ argumento
S.
JOA. RHODIUS.

Sub imagine Pignorii leguntur sequentia:

Dignus Apollinea Lauro LAURENTIUS hic est
Phœbo digna canens Carmine & Historia.

Bibliothecam, & Museum LAURENTII PIGNORII *ingredimur. Janua illius parva, ut ædes reliquæ: prospectus ipse instar domus* Senecæ*, cuncta vero intro pretiosa, maxima, decora. Sed adhuc ejus in vestibulo sistimus, in quo nobis sese spectandam offert præclarissimi Viri imago, vitæ inculpatæ exemplar. Quamobrem, antequam Museum ejus contemplemur, & abditos in eo Manuscriptorum thesauros evulgemus, Vitam ejus attingemus, & studia: Museum dehinc, & Bibliothecam ipsam aperiemus. Tibi vero,* Illustrissime Vir*, tanti Viri admiratori præcipuo, quicquid id erit operæ, trademus in manus, ut nostræ in Te observantiæ, & amoris erga* Pignorium *sit pignus. Interim laboribus nostris pro Republica literaria susceptis favere perges, ut exteras quoque Nationes in Concivium meorum cultum, &* Patavinarum *Bibliothecarum admirationem trahant.*

LAU-

Pag. 133



LAURENTIUS PIGNORIUS,

Patav. Philologus Insignis.

1 # LAURENTII PIGNORII
IMAGINI PROPOSITÆ
Subdimus Breviarium illius
V I T Æ.



Aurentius Pignorius Presbyter *Patavii*, ortus est Anno M. D. LXXI. die duodecima Mensis Octobris, hora XIX. supra dimidiam, *Antonio* patre. Liberalibus studiis ab ineunte ætate delectatus, præceptores habuit præclaros, & in primis ex Societate Jesu, *Patavii* tum docentes, & humaniores literas quidem hausit ex ore *Benedicti de Benedictis*, quem postea vidimus Episcopum *Caprularum*, & *Candidi Æmiliarii*; Dialecticam, & Philosophiam tradente *Jo. Baptista Scortia Genuense*, cujus extant libri duo *de Natura, & Incremento Nili*, & *Hieronymo Dardino Cesenate*, cujus labor est Liber *de Corpore animato*.

Hinc ad *Franciscum Picolomineum*, ac *Jacobum Zabarellam*, publicos ejusdem facultatis Interpretes in Academia publica *Patavina* audiendos transiit, quos & sedulo auscultavit. Philosophiæ spatia emensum amœna literarum, & antiquitatis studia ad se totum traxerunt: at exhortante patre, ad Juris prudentiam amplexandam non invitus accessit, & Legum illius ætatis maximos Coryphæos sectatus est, *Guidum Pancirolum*, *Angelum Mattheacium*, *Ottonellum Discalcium*, & *Marcum Antonium Ottelium*. Horum ex scholis, quidquid ad Juris cognitionem pertineret, celerrime domum suam transtulit, ex Doctorum quoque Virorum colloquiis Juris prudentiæ, & rerum priscarum notitia sensim in eo succrevit, quarum ita postea dulcedine perfusus est, ut illi se totum addixerit.

2 Cælibatum perpetuo coluit candidissimis moribus ornatus, & cum ecclesiasticæ vitæ normam plurimum adamaret, sacris ordinibus initiatus est anno M. DC. II. *Marci Cornelii* Episcopi *Patavini* manu. Is enim juvenis indole, dotibus, & eruditione captus, cum sibi adesse voluit a secretis. Deductus est ab eodem *Romam* anno M. DC. V. ubi biennio stetit, & otium suum omne, qua in priscorum monumentis, & venerandæ antiquitatis reliquiis perlustrandis, qua in veteribus libris inter se conferendis insumpsit. Hæc illius sola, & unica voluptas erat, tantumque labore isto erudito profecit, quantum ejus libri, *Romana* undequaque eruditione referti docent, & elogia, quibus a viris doctis, cum nostris, tum exteris cumulatur.

Romæ degens hisce præcipue viris omni doctrinæ genere clarissimis innotuit, *Angelo Rocchæ* Episcopo Tagasti, *Scipioni Cobellucio*, qui Cardinalitia purpura decoratus non eum dilexit tantum, sed & inter suos habere cupiit, quamobrem ei libros duos, *de Servis* unum, *de Patavinis Originibus* alterum inscripsit: *Cæsari Baronio* doctissimo S. R. E. Cardinali, cui dicavit *Mensam Isiacam*, & *Josepho Castillionæo* J. C. præclaro, a quo ad Aulam quoque *Pauli* V. Summi Pontificis, summis plerumque conatibus accitus est, aliisque multis nobilitate, & eruditione conspi-

A cuis, qui omnes ejus famæ faventes ingenium simul ejusdem exosculati sunt. *Patavium* inde rediit, ubi primum domesticis rebus implicatus, a sacris demum Virginibus *D. Stephani* datus est Rector Ecclesiæ Parochiali *D. Laurentii*, Abbatissa *Magdalena Vercellesia*.

Hoc in onere tale specimen sedulitatis, & virtutis, dedit, ut non solum Ecclesiæ sibi commissæ provinciam administrarit egregie, sed 3 etiam Episcopi jussu sacrarum earumdem Virginum confessiones exceperit, post eandem operam navatam Virginibus *D. Claræ* magna cum laude. Quidquid inde vero nancisci poterat otii, B id omne literarum studiis, suis amoribus ac deliciis, impendebat. Ferebat & in eo vigiliis assiduis noctes, ut cum omnis Historiæ tum patriæ suæ monumenta, & ornamenta lustraret, & in Commentaria quæque redigeret, suis temporibus evulganda. Pluribus annis hoc illi onus dulce, ac jucundum fuit. Clericatu quoque *S. Clementis* ab eisdem Monialibus, decoratus est. Oblatam sibi Lecturam Humaniorum Literarum, & Eloquentiæ in *Pisano* Gymnasio a Magno *Etruriæ* Duce per *Galileum*, Mathematicum insignem, renuit, quietis, & patriæ suæ studio, cujus ergo animo plane ingenuo talia plura evitavit.


C Proceræ staturæ Vir, coloris albi, oculis quoque albis, sed fulgentibus nitet, gravis incedit, ac fere cogitabundus, ceterum amabilis, placidus, pius, nec assentiri facilis cujuscunque dictis. Varia *Patavinæ* civitatis monumenta e latebris eruit, nec acquievit omnibus a *Scardeonio* allatis. Ea re totius antiquitatis indagator accerrimus, & in veterum Numismatibus interpretandis oculatissimus. Oraculum veluti *Delphicum* semper est habitus. In heroico carmine vera Musarum, & *Apollinis* proles audit, quibus dictantibus plurima cecinit. Elogiographus egregius etiam passim ab omnibus salutatur. D Has ob dotes gratia tum civium tum exterorum floret maxima. Purpuratis quoque Patribus *Venetis*, & *Romanis* carus. Commendat illum in primis ubertas scribendi mira, cui nulla ferè par alibi hac ætate. Quanti porro amicos ille suos faciat, ejusdem docent *Epistolarum Symbolicarum libri*, 4 quibus eosdem immortalitate donare nititur; ac licet iisdem Epistolis amicorum illius census appareat, non pigebit tamen horum aliquos recensere.

Joanni cum primis *Vincentio Pinello* carus, quoad vixit, extitit; fuit & eodem tempore summa necessitudine conjunctus *Marco Velsero*, *Paulo* E *Aicardo*, *Vincentio Contareno*, *Francisco Viduæ*, *Andreæ Mauroceno* Senatori Veneto, *Alnaldo Cebæ*, *Edmundo Brutzio*, *Philippo Rubenio*, *Jano Grutero*, *Hieronymo Aleandro*, *Jacobo Augusto*, *Gasparibus* duobus *Schioppio*, & *Barthio*, & *Antonio Quærengo*, eruditissimis, & amplissimis Viris.

Dilexerunt & illum unice *Jacobus Cavatius* Historiæ *Cassinensis* scriptor, *Bernardus Bruscus*, *Andreas Chiocchus* Medicus, *Curtius Picchenas*, *Jo. Hier. Bronzierius*, *Jacobus Augustus Thuanus* Præses Regii Concilii Parisiensis, *Julius Cæsar Velius*, *Marcus Antonius Bonciarius*, *Petrus Paulus*

Venturinus, *Prosper Alpinus*, *Thomæ* duo *Dempsterus*, & *Segetus Scoti*, & *Joannes Manganus*. Ex iis demum, qui nunc lucis usura fruuntur, & literas meliores amant, eundem in deliciis habent Cl. & omnis penitioris literaturæ Vir *Cassianus a Puteo* Eques, cui nuper inscripsit *Explicationem antiquissimæ picturæ*, *quæ Romæ visitur*, *Joseph Maria Suaresius* Musarum ocellus, Præpositus, & Vicegerens Avenionensis, *Joannes Meursius*, *Gerardus Joannes Vossius*, *Ericius Puteanus* J. Lipsii successor, *Nicolaus Fabricius*, *Peireschius* Regii Consilii Aquis Sextiis Senator, *Nicolaus Rigaltius*, *Petrus Scriverius*, *Annibal Campeggius* J. C. *Daniel Heinsius*, *Christophorus Forstnerus*,
5 *Everardus*, & *Adulphus Vorstius*, *Albertinus Barisonus* Abbas, & Canonicus Patavinus, Pandectarum in publicis scholis interpres, *Felix Osius* inibi eloquentiam docens, & alii, quos omnes tua vicit humanitas Illustrissime, & excellentissime MOLINE, qui licet literatorum omnium Mecœnas habearis, in LAURENTIUM PIGNORIUM, tamen sic effunderis, ut ejus labores inter cæteros studiosissime complectaris, & Orbi toti parere velis. Colitur, & ab aliis summis, & eruditis Viris *Pignorius*, ut indicabunt Elogia, quibus ab illis ex merito decoratur. A variis Academiis exoptatus inter *Ricouratos* Patavii præcipue fulsit tali sibi Epicheremate [1] concinnato.

1



6 Extant & ejusdem alia Epicheremata duo. Unum [2] Apodis cum lemmate: *Tellurem pressisse pudet*.

Alterum [3] Tripodis cum dicto: *Non uno responso animum delusit*.

2



3



7 Dubia sane sententia, sed qua testari voluisse videtur, quod cum plurimum Aulæ inservisset, paululum inde emolumenti hausisset. Sed hæc ingeniorum infelicitas est, ut ipsi vix habeant, quod satis sibi sit, cum otio, & inertia torpentibus affluant omnia. Poterit ille tamen hoc anno M. DC. XXX. Epicherema suum aliter interpretari, *Tarvisinum* Canonicatum liberalitate eminentissimi Cardinalis FRANCISCI BARBARINI fratris filii Summi Pontificis VRBANI VIII. qui patrui sapientissimi vestigiis inhærens, una cum ANTONIO fratre, literarum Ocelli prædicantur ambo, Musarumque deliciæ, & incrementa sapientiæ pariter, ac literariæ rei, viros bonis artibus excultos juvare, & ornare quotidie pergunt. Tali recreatus honore PIGNORIUS felix vivit, & æternum ut vivat, precor, patriæ suæ decori, & ornamento; & hæc mihi sine fuco dicta de amicissimo, & eruditissimo Viro, cui immortalem gloriam peperere, quæ subdam divini illius ingenii monumenta. Ad hanc enim usque diem

Edidit latine Pignorius.

VETUSTISSIMÆ TABULÆ ÆNEÆ sacris Ægyptiorum simulacris cælatæ accuratam explicationem, &c. *Venetiis apud Jo. Antonium Rampazetum, anno M. DC. sumptibus Jacobi Franco cum privil. in* 4.

Quæ prodiit etiam *Francofurti* Typis *Matthiæ Deckeri*, impensis vero *Jo. Theodori de Bry*, & *Jo. Israelis de Bry* viduæ, matris eorumdem, anno M. DC. VIII. hoc titulo.

CHARACTERES ÆGYPTII, hoc est sacrorum, quibus *Ægyptii* utuntur, simulacrorum ac- 8
curata delineatio; &c. in 4.

DE SERVIS, & eorum apud Veteres ministeriis Commentarium, *Augustæ Vindelicorum ad insigne Pinus, anno M. DC. XIII. in* 4.

NOTULAS EXTEMPORARIAS IN EMBLEMATA Andreæ Alciati: *Patavii apud Paulum Tozzum anno M. DC. XIIX.* 8. In eadem COMMENTARIA ampliora, *Patavii apud Petrum Paulum Tozzum anno M. DC. XXIV, in* 4.

PROSOPOPOEIAM ALDINÆ CATELLÆ, *Patavii Typis Laurentii Pasquati, anno M. DC. XXII. in f.*

Tandem sub titulo LACHRIMARUM POETICARUM IN OBITUM ALDINÆ CATELLÆ, *Parisiis apud Nicolaum Buon M. DC. XXI. in* 8.

MAGNÆ DEUM MATRIS IDEAM, ET ATTIDIS INITIA, *Parisiis apud Nicolaum Buon; via Jacobea sub signis SS. Claudii, & hominis silvestris, anno M. DC. XXIII.*

Sed auctiora, 4. *Venetiis anno M. DC. XXIV. sumptibus Petri Pauli Tozzi, Bibliopolæ Patavini.*

CARMEN ad Vrbanum VIII. Pontificem Optimum Maximum, *Patavii ex Typographia Laurentii Pasquati, anno M. DC. XXIII.* 4.

APONUM ad Franciscum Barbarinum Cardinalem, *Patavii ex Typographia Laurentii Pasquati, anno M. DC. XXIII.* 4.

MISCELLAM ELOGIORUM, ADCLAMATIONUM, ADLOCUTIONUM, CONCLAMATIONUM, EPITAPHIORUM, &c. *Patavii apud impressores Camerales, anno M. DC. XXVI.*

SYMBOLARVM EPISTOLICARVM librum, in quo nonnulla ex antiquitatis, Juris Civilis, & Historiæ penu depromuntur, & illustrantur, multaque Auctorum loca emendantur,
& explicantur, *Patavii ex Typographia Jo. Baptistæ Martini, & Livii Pasquati, anno M. DC.* 9
XXIIX. 8.

Et iterum apud Donatum Pasquardum, & socios. M. DC. XXIX.

ANTIQUISSIMÆ PICTURÆ, quæ Romæ visitur, Typum ad V. N. Cassianum à Puteo, Equitem, *Patavii apud Donatum Pasquardum M. DC. XXX.*

Recognovit, & evulgavit ELOGIA ANACHORETARUM *Jacobi Cavatii*, & iisdem Præfationem elegantissimam adjecit.

Italicè.

ANNOTATIONI, & AGGIUNTE al libro delle imagini de gli Dei di Vicenzo Cartari. *In Padoua appresso Pietro Paolo Tozzi nella stamparia*

paria del Pasquati, l'Anno M. DC. XXV. & M. DC. XXVI. in 4.

DELLA CONSECRATIONE DELLE VERGINI. *In Padoua appresso Pietro Paolo Tozzi, M. DC. XXVI. in* 4.

GAREGGIAMENTO VICENDEVOLE in lode dell' Illustrissimo Signor Domenico Molino. *In Venetia, l'Anno M. DC. XXIV. in* 4.

NOTITIE HISTORICHE sopra la Gierusalemme del Tasso. *In Venetia appresso Nicolò Misserini, l'Anno M. DC. XXV. in* 24. *XXIIX. in* 4.

L'ORIGINE DI PADOUA. *In Padoua appresso Pietro Paolo Tozzi, l'Anno M. DC. XXV. in* 4.

L'ANTENORE. *In Padoua appresso Pietro Paolo Tozzi, l'Anno M.DC.XXV.*

L'ATTESTATIONE DI GIULIO PAOLO. *In Padoua nella stamparia di Pietro Paolo Tozzi, l'Anno M. DC. XX. in* 4.

10 LA PRENCIPESSA delle compositioni sfiorata Riotta. *In Venetia appresso Antonio Pinelli Stampator Ducale, l'Anno M.DC.XXV. in*4.

LA VITA DI SANTA GIUSTINA VERGINE ET PROTOMARTIRE PADOUANA. *In Padoua per Giovan Battista Martini, & Livio Pasquati Stampatori Camerali, l'Anno M. DC. XXVI. in* 4.

Habet nondum edita, sed perfecta, & editioni parata.

Variarum carminum Lib. II.

Symbolarum epistolicarum Lib. III.

Sacrorum monumentorum librum Etrusco idiomate.

Risposta all' Apologia del P. Angelo Portenari della liberta de popoli Veneti.

Hæc illius sunt, quibus è re mihi quoque visum ad indicandam ejusdem præstantiam adscribere Clarissimorum Virorum aliquot judicia, sive testimonia, quæ ad nos pervenere, & hæc in primis e literis, in quibus ad Illustrissimum *Dominicum Molinum* datis iidem Viri Clarissimi, *Pignorii* meminere.

ANNIBAL CAMPEGIUS DOMINICO MOLINO SENATORI AMPLISSIMO S. P. D.

Offendunt me in agris spatiantem postremæ literæ tuæ, seu verius Laurentii Pignorii Symbolæ, quæ me in Parnassum legentem transtulerant, usque adeo Musarum amœnitatibus refertæ sunt. Nam quis in eo eruditionem miretur, quin jam eruditionis nomen suum fecerit, ut doctissima ejus monumenta testantur, si duos præterea similes haberet Italia, fasces fortasse ut ingenii ita eruditionis illi Germania submitteret. Sed quid, Te in beatissima Italiæ parte studiorum, & libertatis præside sperare non licet? Te quidem jam unum respiciunt literæ, te assertorem, & vindicem miratur Italia, ad te ex toto terrarum orbe confugiunt dedita Musis ingenia. Sed ut ad Pignorium redeam, non possum non tibi in præsens testari, quantas illi gratias debeam, quod me obscurum hominem in luce Epistolarum suarum collocarit, ut hoc veluti pignus immortalitatis haberem, id, si quando usus venerit, eruditissimo Viro attesteris, oro te per hæc Musarum sacra, ut hoc quoque ipse officio literis meis perfungar, &c.

11

Ticini ter. Id. Sept. M. DC. XXVIII.

DANIEL HEINSIUS DOMINICO MOLINO, &c.

A Laurentio Pignorio Viro vere eximio, & qui priscam illam, propriamque Italorum laudem, sive prosa, sive versu scribit, fortiter it restitutum, literas accepi, ad quas proxime sum responsurus. Quæ Josephus Scaliger ad Triumviros amorum olim scripsit, ante mortem auxit, ante annos aliquot Genevam excudenda misi, sed cum videam, ab iis nihil præter moram expectandam esse, reposcendus nobis erit codex, quæ vel Elzeviro, vel alii hic excudendum tradam, si quæ meditata sunt in eam rem, doctissimo Pignorio, cum videbitur, transmittat. Opera quamprimum dabitur, ut voti fiat compos, &c.

Lugduni Batavorum 13. April. M.DC.XXII.

JO. MEURSIUS DOMINICO MOLINO, &c.

Pignorii libellus est egregius, & profecto est Vir ille summum omnino Italiæ vestræ ornamentum. A. D. XI. Maji Anno M.DC.XXIV. Domino Bonifacio, cujus virtutem, & doctrinam, tum affectum in me istum magni facio, salutem officiosam dico; ut & Domino Pignorio, à quo missa mihi salus per literas ad Heinsium nostrum supra modum grata fuit. Amo benevolentiam Viri in his studiis nostris magni, & repono item affectum. 12

GERARDUS JO. VOSSIUS DOMINICO MOLINO, &c.

In calce Epistolæ: *Item quando occasio erit summo Viro Pignorio, cujus ego omnia & avide lego, & maximi facio, uti rara ejus eruditio meretur.*

Lugd. Batavorum pr. Id. Sept, M. DC.XXV.

BALTHASAR BONIFACIUS DOMINICO MOLINO, &c.

Laurentio Pignorio, qui de Elogiis, atque Inscriptionibus luculentum opus nuper confecit, &c. VIII. Kl. Sext. Anno M.DC.XXVI.

GERARDUS JO. VOSSIUS Lib. III. de Historicis Latinis p. 727.

Cujus rei indicium debeo Viro Clarissimo Laurentio Pignorio.

Paulo post p. 733.

Hæc omnia manuscripta supersunt Patavii apud Clarissimum & diffusæ reconditæque eruditionis Virum Laurentium Pignorium p. 734.

Summus Vir Laurentius Pignorius p. 738.

Ut ex doctissimo Laurentio Pignorio accepi p. 745.

Ut didici ex viro clarissimo Laurentio Pignorio, & infra. p. 746. 747. 818. 819. 820. 822. 823. 824. 827. 828. 830. 838.

CHRISTOPHORUS FORSNERUS in dedicatoria Orationis ad Jo. Cornelium Ducem 13 Venetum p. 4. *docuit enim nos Laurentius Pignorius Vir Clarissimus in Notitiis historicis.*

ANDREAS SCOTUS de bono silentii p. 293. 368. 375. 614. *Erant enim varii tunc, ut hodie servorum gradus, ut observat Jac. Rærardus, Ausonius Popma, & Laurentius Pignorius* ex Lib. XLIX. cap. 3. p. 2285.

Ex Lib. LV. cap. I. & passim Jure Pont. Lib. I. cap. 25.

Item BARTHIUS in Lib. XLVII. cap. 23. de Eruditioribus Servitiis. *Alia apud doctissimos Viros Jo. Popmam, & Laurentium Pignorium.*

Ex Lib. XLIX. cap. 3. De stigmatis Servorum: *Si qua cupis, lege Pignorii Commentarium de Servis.*

Ex Lib. LI. cap. 10. de Tympanis.

Tympana veterum cribris fuisse similia ex conspectu ipso eorum apparet; quem exhibuit nobis in admodum eleganti Commentario de Servis Laurentius Pignorius.

Ex Lib. LV. cap. I. *Titus Popma, & Laurentius Pignorius Commentariis peculiariis de Servis &c.*

Ex Lib. XXXV. cap. 6. *Quem tentare voluit & Laurentius Pignorius Vir eruditissimus in Commentario de Servis,* & infra: *bene correxit Pignorius.* Meminit pariter Lib. XX. p. 972. & Lib. XLIII. cap. 27. & Lib. LVII. cap. I. & alibi.

JACOBUS GUTHERIUS de Vetere Jure

 Pont.

Pont. Lib. I. cap. 25. in fine: *Extat Mensa Isiaca, quæ in Ducis Mantuani Bibliotheca adservatur ex Petri Bembi reliquiis illustrata pridem perdoctis Pignorii Commentariis.*

PETRUS SCRIVERIUS Animadversionum in Epigrammata Martialis Lib. I. p. 9. *Sed quid hodie Scaligero, Lipsio, Casaubono, Velsero (quantis Di boni viris?) defunctis tantæ eruditionis, aut spiritus,*
14 *qui spartam hanc digne exornare possit? Posses tu veterane Schote, posses eruditissime Grutere, posses tu Pignori.*

NICOLAUS CRASSUS in vita Andreæ Mauroceni p. 42. *ut magnos illos Scaligeros, & Lipsios Italia exteris nationibus non invideret, Laurentium quoque Pignorium, & Martinum Sandellium Contareno conjunctissimos.*

ANDREAS MAUROCENUS ex L. Pignorii de Antonio Priolo Venetiarum Principe Elogio Epistol. postrema 246. *Sileant marmora, taceant æra, obmutescant picta, sculpta, cælata monumenta, omni ære, ac marmore firmius, & perennis Pignori doctissime trophæum istud erit abs te sapientissimo, prudentissimo, felicissimo Antonio Priolo Principi erectum,* &c. in calce: *Salve interim Pignori pignore quolibet carior, ac pretiosior, qui dum aliis immortalitatis specimen impertis, tui memoriam in omnem posteritatem longissime propagasti.*

ANTONIUS QUÆRENGUS in carm. ad Hieronymum Aleandrum de Laurentii Pignorii Commentario in Tabulam Ægyptiacam:

Docta inter monumenta, quæ perenni
Sunt dignissima laude jure censes,
Erudite Aleander, hunc libellum
In omnes celebrem dies futurum
Quo Laurentius, inclytum latini
Eloqui decus, abditas vetustis
Sacras Niligenum notas figuris
Pandi mirifica explicatione
Vivet, quis dubitet? suopte cunctas
Per terras genio aureus libellus.
Verum clarior usque, & usque vivet,
Tua quod merito poli ad supremam
15 *Arcem tollitur approbatione.*

In Lib. III. pag. 197.

FORTUNIUS LICETUS in Lib. de Lucernis: *A Laurentio Pignorio spectabilis eruditionis viro, festivissimum hoc etiam habui Lib. II. p. 153.*

Et Lib. III. p. 193. *Post Aldrovandicas, & Coradinas apud Laurentium Pignorium antiquæ rei cultu egregium, duas fictiles vidi Lucernas.*

JO. THUILIUS in Præfatione Emblematum Alciati pag. 9.

Idem præstitit in elegantissimis suis Emblematis Hadrianus Junius, sed in Alciatinis ante me adhuc nullus: nisi quod Pignorius plurimas figuras ex venerandæ Antiquitatis monumentis passim correxit, & feliciter restituit, cui sane hac parte multum debemus.

FELIX OSIUS in Castig. in Augustam Historiam Mussati p. 161. *Censet enim is in Itinerario cujus loci indicium debeo Viro Cl. Laurentio Pignorio rerum antiquarum rariorumque, ut Indici, ita & Vindici excellentissimo, apud quem ejus Itinerarii Codex extat.*

Et pag. 71. F

Laurentius Pignorius sane Vir fidei, & integer veritatis mysta.

Et pag. 14.

Abrahamus Ortelius in Itinerario, quod M. S. extat penes eruditissimum, & amicissimum Laurentium Pignorium.

In Urbe Æterna Lib. I. cap. I.

Adjecit his Antonini Pii numisma Goltius Elencho
A *Historiæ primo Adriani, præterea Commodi,* &c. *& Flavi Prisci Attali, quod aureum mihi recens ostendit Vir amicissimus multarum, atque adeo reconditarum rerum notitia perinsignis, Laurentius Pignorius.* 16

Et in calce ejusdem capitis:

Nec desunt qui pari fine conjecerint impositam fuisse Turrim Capiti Genii Populi Romani in Flavii Valerii Severi Nummo, quorum ego conjecturæ plena cera subscriberem, nisi Vir Cl. Pignorius, a quo monumenta propemodum omnia vetera nunc excussa modo, sed extrita pene sunt, non Turrim,
B *sed Modiolum Serapidis ejus in Genii capite collocaret.*

JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS in Elogiis Illustrium Virorum p. 13.

I. *Numisma, quod à Laurentio Pignorio doctissimo, & amicissimo obtinuimus,* &c.

II. Et infra p. 14. *Quæ in Bibliotheca supra laudati viri eximii Pignorii Antiquitatum omnium studiosissimi cultoris extant.*

III. Pag. 271. *Hujus mihi rei testis est eruditissimus Vir Laurentius Pignorius.*

In Vita Titi Livii Patavini.

C IV. Pag. 36. *Cui ista non satisfecerint legat is Epistolam Laurentii Pignorii 44. Balthassari Bonifacio scriptam.*

V. Pag. 62. *Quod innuit Pignorius noster.*

VI. Pag. 60. *At ea memoria periit Pignorio teste in suis Originibus Patavinis.*

In Francisco Petrarcha redivivo Cap. X.

VII. *Viri Clarissimi Laurentii Pignorii Cononici Tarvisini carmina.*

VIII. Cap. XI. *Quod esse cultissimi, & elegan-* 17
tissimi Laurentii Pignorii Tarvisini. & infra ad domum Arquadianam Francisci Petrarchæ: *Laurentii Pignorii Viri clarissimi, & Canonici Tarvisi-*
D *ni carmen.*

IX. Et paulo post: *In Sellam Francisci Petrarchæ carmina Laurentii Pignorii Viri clarissimi.*

X. Cap. XV. *Vidit illam non raro Laurentius Pignorius Canonicus Tarvisinus.*

XI. In Bibliothecis Patavinis Bibliotheca S. Joannis in Viridario: *ut expresse testatus est Vir omni literarum clarissimus Laurentius Pignorius Lib. symbolicarum Epist. 3.*

XII. Et in Bibliotheca Fratrum Minorum observantiæ D. Francisci, & D. Ursulæ: *Suggessit mihi amicissimus noster, & cultissimus Pignorius.*

E XIII. In elogio Abbatis Albertini Barisoni: *Pro Viro amicissimo, & eruditissimo Laurentio Pignorio contentionis ergo inter utrumque exortæ de patria Julii Pauli.*

XIV. In elogio Antonii Quærengi: *Laurentio Pign. Vc. teste.*

In Athenis nostris Patavinis passim meminimus.

XV. In Annotationibus Poëmatis Torquati Tassi, cujus est titulus Gofredo, Etrusco idiomate conscriptis in ea parte: De chiarationi delle Historie, &c. Leguntur hæc:

F *La divina penna di Monsignor Pignorio ammirata da me in tutti li suoi tratti hà illustrato questa parte del Tasso, che contiene l' Historie, onde le sue NOTITIE come cose sacre le levero, intessendole in queste mie dichiarationi come fiori, ò perle, acciò l' opera ricevi vaghezza, e splendore.*

Nec funeri quæ vivo laus defuit. unam GOLDASTI Viri inter eruditos summi in sua ad Il-
lustrissimum, & Excellentissimum DOMINI- 18
CUM MOLINUM Epistola subdere visum.

PIGNORII *industria immortali vita inter mortales dignissimam nunc jacere quis tam alienus ab humanitate est, ut æquo animo sustineat. Nam &*

eum

eum vixisse, idem mihi Maximilianus noster constanter affirmavit, & tua quidem fide. Sed erramus. non vixit, sed vivit, & cum beatis cælitibus fruitur aura divinæ contemplationis. Neque enim aliter ut sentiamus, dum ad vixit, ingenium, candor, sinceritas, probitas, fides, quæ in scriptis ejus elucescunt, mihique aliunde satis cognita, perspectaque fuerunt, permittunt. Sane ingentem jacturam feci in ejus obitu, sed abitu: quo præivisse cum censeo, ut mox propero pede insequamur. Tam nuper mecum egerat de Opusculis suis tum editis, tum

A *ἀνεκδότοις in unum corpus redigendis, & ut mea comitate, ac ministerio in hisce oris simul imprimantur, ad me transmittendis procurandisve: Quid nunc illis fiet? Quin è postremis literis Illustrissimæ Dominationis tuæ effigiem ære expressam cum aliis nonnullis ad me mittere adstipulatus erat. Utinam sit, cui ambas imagines Molini (inquam) & Pignorii hominum mihi sempiterna memoria colendorum debere agniturus sum? ut quos coram complecti non licet, saltem in vultibus adosculari permittatur, &c.*

19

LAURENTII PIGNORII MUSEUM.



IN *Iconotheca* Laurentii Pignorii laudati spectantur multa, eaque præclara videre est, quæ paucis hic amplectar.

In ipsa fronte ostii Musei occurrunt statim hæc carmina:

SIDERA DOCTRINÆ HIC FULGENT DIGNISSIMA CÆLO
QUÆ PLACIDAM ILLUSTRANT NON LÆVO LUMINE VITAM
SELIGE TU TIBI, QUÆ INSTILLENT VIRTUTIS AMOREM
UT NE OCULOS TANTUM PICTURA OBLECTET AMICOS.

IMAGINES VIRORUM CLARISSIMORUM.

Cæsaris Baronii, S. R. E. Cardinalis, & Historici præclarissimi.

Boberti Bellarmini, S. R. E. Cardinalis, & Ecclesiæ propugnatoris accerrimi.

Scipionis Cobellucii, S. R. E. Cardinalis.

Illustrissimi, & Excellentissimi *Dominici Molini*, Senatoris *Veneti*, & literatorum Mecœnatis, sub qua hæc leguntur:

GENIO POTENTI HUMANITATIS, ET TUTELÆ.
Qui
PHOEBÆAS ARTES ALTO CUM PECTORE JUNXIT.

Aloysii Lollini, Episcopi *Bellunensis*, Philologi eximii.

Guerini Pisonis, J. C. præclarissimi.

Speronis Speronii, Philosophi, ac Oratoris insignis.

Francisci Petrarchæ, Vatis eminentissimi.

Joannis Vincentii Pinelli.

20 *Guidi Panciroli*, J. C. excellentissimi.

Pauli Aicardi, Summi Philosophi.

Torquati Tassi, Etruscorum Poëtarum decoris.

M. Tullii Ciceronis.

Bernardini Scardeonii, Canonici, & Historici accuratissimi.

Aloysii Coradini, J. C. & causarum actoris strenui.

Everardi Vorstii, Medici peritissimi.

Edmundi Brutzii.

Onufrii Panvinii.

Valerii Belli, Sculptoris gemmarum nobilissimi.

Honorii Belli, Medici.

Lauræ, Francisci Petrarchæ Amasiæ.

Isotæ Nogarolæ. }
Angelæ Nogarolæ. } Mulierum eruditissimarum.
Cassandræ Fidelis. }
Lucretiæ Borromeæ. }

Antonii Querenghi, Poëtæ celebratissimi.

Quibus accedunt Phœnix propriis coloribus, & germana figura delineatus ex *Pignorii* observationibus in veteres auctores, & tabulæ pictorum celebrium.

Capita aliquot Virorum insignium e marmore operis antiqui.

STATUÆ.

Romæ, bellatricis Deæ, exerto bracchio.

Harpocratis, quæ spectatur *in Lib. Imag. Deorum* p. 335. & 553.

Mercurii.

Æsculapii, quæ cernitur *in Lib. Symbol. Epistol.* XIII. p. 48. 21

Palladis.

Apollinis inter Deorum Imagines conspicitur p. 592.

Serapidis, sive *Priapi*.

Pocillatorum, e ministerio antiquo, quæ expressa cernuntur *in Lib. de Servis* p. 75. 76. 77. 78.

Equitis armati.

Variorum Virorum, Mulierum, e donariis templi apud *Hadriam*, quos intuemur *in Lib. de Originibus Pat. Cap.* XI. *p.* 61. in quibus elucet habitus incolarum vetustissimorum, sive *Phryges* advenæ illi fuerint, sive e *Tuscia* coloni.

NUMMI, ET NUMISMATA.

Hæc carmina inscripta capsulæ leguntur, in qua disposita sunt veterum Cæsarum numismata:

CÆSAREOS PROCERES IN QUORUM PRÆMIA CESSIT
RES ROMANA OLIM, SPECTANDOS ARCULA PROMET.
TU SAPIENS ANIMO ATQUE OCULIS SPECTATOR ADESTO
ET CUM DE TANTO HÆC FASTU VIX FRUSTULA RESTENT,
ASSUESCE HUMANIS MINIMUM CONFIDERE REBUS,
INVIDA QUAS VOLUCRI RHAMNUSIA TURBINE VERSAT.

Veteres argentei nummi, & ærei gentium *Romanorum* cum Regibus *Romulo*, *Numa*, *Anco Martio*, &c.

Ad hæc totius *Græciæ*, quà continentis, qua Insularum Numismata, & *Africana*, & *Hispanica*, *Hebræa*, & Barbara nonnulla *Græciæ* totius hæc spectantur *in Mensa Isiaca* p. 15. & *Epist.* XII.

Barbara *in Symbol. Epist.* XII. p. 43. & *Epist.* 23. p. 84. & 86.

Cæsarum Imagines non desiderantur ex ære, ex argento, & aliquot ex auro pulcherrimæ. 22

Sigilla ærea quam plurima, & eorum pariter ejus-

ejusdem seculi non minima congeries, in quibus nominum propriorum, familiarum, stemmatum, civilium munerum, multa obliterata in lucem revocantur.

Numismata Cæsarum posteriorum, in quibus præclara aliquot ad res *Christianas* pertinentia.

Nummuli aurei Regum *Gallicorum*, iique rarissimi.

Monetarum nov-antiquarum acervus.

Nummi plumbei, qui spectantur *in Lib. de Servis p.* 129.

Artificii recentioris spectantur Imagines a *Jo: Cavino* clarissimo nostrate cælatore expressæ; tum Augustorum, & Augustarum, tum Illustrium Virorum, qui patrum nostrorum ævo floruerunt, Pontificum aliquot, Cardinalium, & Ducum vultus spectantur.

SUPELLEX ANTIQUARIA.

Aëris graves partes *in Symbol.* spectantur *Epistol.* 11. p. 13.

Modulus exactissimi pedis antiqui.

Pondera Unciæ, & Semunciæ legitima *Romana*, & quædam *Constantinopolitana*, & ævi recentioris.

Stylus	quæ expressa	p. 118.
Tessera	cernuntur	p. 162. 164.
Talus	*in Lib.*	p. 82.
Armillæ	*de Servis.*	p. 149.

Murenulæ.

Acus Crinales.

Securis anceps spectatur *in Antenore Cap.* VI.

23 Plumbatæ.

Jaculum, quod intuemur *in Vita Antenoris C.* VI. *p.* 20.

A

Claves	quæ videnda	p. 113.
Lenticula	se	p. 46.
Calculi	offerunt *in Lib. de Serv.*	p. 134.
Fibulæ		p. 82. 83.

Annuli.

Lychni, qui expressi videntur in Lib. Fortunii Licetti *de Lucernis antiquorum.*

Amuletum, ut *in Mensa Isiaca* p. 17.

Papyri vetustissimæ scriptæ notis *Longobardicis* duo grandiora fragmenta.

Segmenta vestium cum oris purpureis antiquis.

Conchyliorum variæ species, in quibus multa

B lapidea naturæ lusu.

Gemmæ annulares insignes non paucæ, sive ex promiscuo signandi usu, sive ex mysteriis *Ægyptiorum*, & veterum hæreticorum.

Lapilli, & Gemmæ.

Alectorius.

Smaragdus è fodina.

Jaspis sanguinem sistens.

Stauros lithos.

Crystallorum nascentium congeries.

Vascula pretiosa, ex *Argilla Melitensi.*

Tabellæ æneæ, quæ typos exhibent pugnarum bacchanalium.

C Tabellarum, & historiarum magnus numerus, inter quæ eminent *Pisani* pictoris, & statuarii maxima toreumata, quæ vocamus Italicè *Medaglioni.*

Alberti Dureri typus plumbeus exhibens Imaginem muliebrem artificii singularis. 24

Exotica non pauca veluti legumina ex *India.*

Chartæ, & Sericum e regione *Sinarum.*

Succinum rude, & similia.

Et ut uno verbo dicam, Amphitheatridium artis, & naturæ unico conclavi concluditur.

---

25 # LAURENTII PIGNORII BIBLIOTHECA.

Pro foribus.

QUISQUIS AMAS MISERÆ DUXISSE OBLIVIA VITÆ
ACCEDE, ET LATEBRIS PROPERA TE TE ABDERE NOSTRIS,
HIC TIBI QUOTQUOT HABET NATURA ARCANA RECLUDET
IMBUET ATQUE AVIDUM MONITIS SAPIENTIA PECTUS.

Extant inibi hi calamo exarati Codices LATINI.

1. *Titi Livii* prima Decas.
2. *Horatii Carmina* scripta characteribus *Longobardicis* ex munere Cl. Viri *Nicolai Grassi* S.C.
3. *Ovidii Metamorphosis* ex munere Cl. Viri *Joannis Bonifacii*, Historiarum scriptoris.
4. *Virgilii Bucolica* cum notis, qui Codex fuit primum *Bernardi Bembi*, deinde *Petri Bembi* Cardinalis.
5. Ejusdem *Libri Æneidos*, item cum glossis; qui fuerunt *Modesti Polentoni*, Sicconis filii, & *Petri Bembi*, Cardinalis.
6. *Vita Virgilii*, auctore *Servio Honorato*, Grammatico.
7. *Ciceronis Topica* cum Commentario *Boëtii.*
8. *Boëtius* de Consolatione Philosophiæ.

D

9. *Vitruvius* de re ædificatoria.
10. *Pomponius Mela.*
11. *Apicii Cœlii* Epimeles.
12. Fragmenta *Asconii Pediani*, & *C. Valerii* 26 *Flacci* ex Editione *Poggii*.
13. *Prudentii* Diptychion.
14. *Sortes Apostolorum*, & *Commodianus*, auctor antiquissimus, a *Jacobo Sirmundo* eruditissimo Theologo manu propria descripta, & dono data.
15. *Notitia Urbium Variarum* incerti auctoris ex *Isidoro*, & aliis.
16. *Joannis de Ravenna* opera.
17. *Epistolæ Petri de Vineis*, & aliorum, e quibus aliquot transtulit in sua vetera monumenta Vir Cl. *Sebastianus Tengnagel* edita *Ingolstadii* anno M. DC. XII.

E

18. *Summa artis vulgaris dictaminis*, auctore *Antonio de Tempo* Judice *Patavino*, exemplaria duo.
19. *Clarorum Virorum Epistolæ* ex munere amicissimi viri *Hieronymi Aleandri.*
20. *Jesuida*, & *Carmina Hieronymi de Vallibus* Patavini.
21. *Capitula de Amore & dilectione Dei, & proximi*, Albertini Judicis Brixiensis.

F

22. Clarissimi viri Guarini Veronensis ad Ludovicum de Gonzaga illustrem Mantuæ Marchionem *de Diphthongis Compendiolum*, cum Valerio Probo *de Notis Antiquorum*, & Aldo Manutio ad Christophorum Fulginatem *de Diphthongis Græcis.*

23. *An-*

23. *Andreæ Navageri* Carmina. A
24. *Capitula Mineralium.*
25. *Vita Senecæ*, autore Francisco Petrarcha.
26. *Historiæ Latinæ Scriptores* cum Censura *Caroli Sigonii.*
27. *Commentaria in Persium, & Juvenalem.*
27 28. *Albertini Mussati* Eccerinis.
29. *Francisci Barbari* de re uxoria.
30. *Joannis Joviani Pontani* de Fortuna ex autographia *P. Bembi.*
31. *Inscriptiones antiquæ* Urbis, & agri Brixiæ.
32. *Francisci Pamphili* Sancto-Severinatis Piceeni Fragmentum.
33. *Pomponii Læti autographum* in Quintilianum, Martialem, & alia ejusdem. B
34. *De Machinis haustoriis* incerti auctoris fragmentum.
35. *Ludovici Lalarelli* de apparatu Hastiludii Patavini fragmentum.
36. *Oratio Jo. Baptistæ de Adrianis* ad Ducem Augustinum Barbadicum.
37. *Statii Thebaides.*
38. *Logica Pauli Pergulensis*, cujus apud *Pignorium* imago ectypa visitur.
39. *Dantis Tertii Aligeri Panegyricus* ad Franciscum Diedum, Veronæ Prætorem. C
40. *Matthæi Palmerii* Chronica.
41. *Tranquilli Molossi* Cremonensis carmina.
42. *Bartholomæi Fusci Leonici* Veneti de Thomeis Carmina.
43. *Publii Augusti Gratiani* Utinensis, Odarum, seu Hymnorum liber, cujus Imaginem in Iconotheca *Pignorius* adservat.
44. *Farrago* Carminum, Orationum, Epistolarum nov-antiquarum.
45. *Capitulare Ecclesiæ S. Marci*, auctore Nicolao Moravio.
28 46. *Vita Beatæ Eustochii.* D
47. *Provinciale Romanum.*
48. *Series Episcoporum Patavinorum.*
49. *Joannis Sancto-Martini*, Medici Vicentini, de Vinorum commixtione.
50. *Jacobi Cujacii Dissertatio* in Titulum de Pactis.

Præterea habet multos Codices impressos, notatos ad marginem manu doctissimorum virorum. Ad hæc

Volumen Epistolarum variarum Autographum.
A. *Matthioli.*
C. *Clusii.*
R. *Dodonei.* E
G. *Bacchini.*
Torquati Tassi, &c.

Item *Opera Ciceronis* duobus Tom. ex Bibliotheca *Caroli Quinti* Imperatoris.

CODICES GRÆCI.

1. *Glossarium.*
2. *Homeri* Batrachomyomachia.
3. *Orphei* Hymni.
4. *Aristotelis* Rhetorica.

LINGUIS VERNACULIS
Scripti.

1. *Le Origine* delli Longobardi.
2. *Croniche* della Città di Parma.
3. *Cronica* di Este.
4. *Cronica* di Frate Martino. 29
5. *Le inventioni antiche, & moderne* di Giulio Panciroło.
6. *Fragmento d' Historia di Papa Alessandro* donato dall' Eccellentissimo Signor *Gio. Bonifatio* con figure antiche.
7. *Compendio delle Navigazioni del Rhamusio*, & altre cose.
8. *Di Leon Battista Alberti* inventioni diverse.
9. *Viaggio di S. Carlo* alla Santa Sindone, & *Inventione del Corpo di S. Stefano* Protomartire.
10. *Varie memorie* della Religione Francescana.
11. *Delle cose auvenute* nella Creatione del Serenissimo Principe Donato.
12. *Tesoretto* de Brunetto Latini.
13. *Theseide* del Boccaccio.
14. *Regola, & Modo* per fare li Horologi da Sole,
15. *Marco Antonio Soranzo* delle Cifre.
16. *Arte del Navigare* in lingua Portughese.
17. *Regole di Monarche.*

At fluxa, & caduca nimis hæc nostra. Adeo verum Tragici illud:

Ubique mors est. Optime hoc cavit Deus,
Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem.

Typographo *Jo. Battistæ Martino* Museum hoc cum Bibliotheca nostra jam excudendum destinaram. Verum serpente *Patavii* contagio, nobis insperatis ille vita excedit. Malo in dies sine delectu in quosvis sæviente, x. Junii in extremos Colles *Euganeos* CORTELLATAM secedo. 30 Loci amœnitatem vix oculis hauseram, en ferales literæ, quæ Clarissimi *D. Pignorii* nostri abitum nunciantes mihi lacrymas extorserunt, simulque affectus extremum Pietatis officium elicuit piis precibus & solemni Parentalium ritu mitigans doloris acerbitatem. Quod ne lateret posteros, Viro amicissimo cum Nepotibus eodem fato abreptis monumentum hocce supra Aulæ ostium erexi, ut suæ conditionis memores Advenæ tanti Viri obitum lugeant.

LAURENTIO PIGNORIO
MUSARUM CORCULO
FRANCISCO, ET ANTONIO
NEPOTIBUS,
EX PESTE PEREMPTIS.
IAC. PHIL. TOMASINUS
HANC GRATI ANIMI MEMORIAM
P. C.

F Tu vero Illustrissime, & Excellentissime MOLINE, literatorum Mecœnas, præclarum adeo PIGNORIO nostro Monumentum statuisti, ut jam non peste sublatus tumulo lateat, sed in suæ domus fastigio sub porticu *D. Laurentii* veluti redivivus ingenii majestate nunquam interiturus digno emineat Encomio inter tuarum Charitum oblectamenta mortalitatis legibus exemptus. Factum vere splendidum, ob quod merito salutaris Serenissimæ Reipublicæ *Venetæ* decus, rei literariæ Alcides, Virtutum Ubertas, Phœbi amor, Musarum delicium, Eruditorum præsidium ac numen.

31 D. O. M.

LAURENTIO PIGNORIO

ALTERI HVIVSCE ECCLESIÆ PRIMVM PAROCHO

DEINDE TARVISII CANONICO

PIETATE AC MORUM SANCTITATE SPECTATISSIMO

VERO CANDORIS ET PVDORIS EXEMPLO

LITERARVM OMNIVM,

CVM GRAVIORVM TVM POLITIORVM PERITISSIMO

PENITIORIS ANTIQVITATIS NON MINUS CERTO QVAM CVRIOSO

INDAGATORI

PATRIÆ AMICORVM ET SVI IPSIVS MEMORIÆ

LVCVLENTISSIMIS SCRIPTIONIBVS PROPAGATORI

MVSARVM DENIQVE ET GRATIARVM CORCVLO, ET OCELLO,

DOMINICVS MOLINVS SEN. VEN.

AMICO, AC HOSPITI CARISSIMO, ET IVCVNDISS. P.

OB. ANN. CIↃ· ↃIC. XXXI. IDIB. IVNII

VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.



OCTAVII FERRARII,

In Gymnasio Patavino Primarii Eloquentiæ Interpretis,

ORATIO
DE
URBIS PATAVII
LAUDIBUS,

Quam ſtudiorum Auſpiciis dixit.

Editio Noviſſima, denuo recognita & priori nitidior.



3 *Illustrissimis atque Excellentissimis Viris,*

VINCENTIO CAPELLO, JOANNI NANNIO, } D. Marci Procuratoribus, ANGELO EQUITI CONTARENO,

Patavini Gymnasii Moderatoribus Amplissimis,

OCTAVIUS FERRARIUS

Felicitatem.



Anc Urbis Patavii *Laudationem Nomini Vestro Amplissimo consecrare ausus sum, quod ea, qualiscunque demum esset, vobis debebatur, Vestris auspiciis concepta, vestrum primo Cælum hauserat, vestra demum humanitate educta, atque ornata, superbæ auris fastidium, lucemque pati posse videbatur. Præterea cum Augustissimæ Reipublicæ verissimas laudes strictim exsequitur, vestrum decus dissimulare non potest, qui, ut omnia uno verbo complectar, in eum Senatum allecti estis, quem jure Regum consessum appellaret ille, ubi nullum tamen est Regnum: ubi mortales Magistratus sunt,* LIBERTAS *æterna, qua Vos*
4 Italiæ *ultimus, verusque sanguis, mortalium felicissimi vivitis, imo propter quam.* Patavini *vero Gymnasii decora non ad vos redeunt universa? Qui constituendæ Reipublicæ Literariæ Triumviri creati, hanc vestram Academiam, non accito modò, quod usquam egregium, ac laudabile est, collustratis: sed immortalibus vestris in Patriam, atque in rem literariam meritis, ac prope divina humanitate admirabilem Orbi redditis. Ita cum vestro consilio, ac virtute domi, forisque Respublica uteretur, Eloquentiam quoque adprobavit, cum voce vestra apud maximos sæpe Reges locuta est. Amant ergo vos Musæ, quod eas in intima Civilis Prudentiæ admittitis, nostraque demum studia sibi placent, cum ad excolendas regnantium artes adsciscuntur. Neque ego vereor, ne hac assentandi libidine a me dici videantur: nam & vos omni laude majores estis; & nos iis locis esse gloriamur, ubi,* rara felicitate, sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere licet. *Valete.*

Patav. III. Non. Febr. M. DC. XXXV.

---

5 # OCTAVII FERRARII ORATIO DE URBIS PATAVII LAUDIBUS.



Uod votis omnibus ab immortali Deo precatus fueram, N. N. ut officium operamque meam aliquando illi Reipublicæ deferrem, cui *Italiæ* pars magna libertatem, scientiæ ac disciplinæ, lucem spiritumque, Universus Orbis unicum fere debet libertatis exemplum: id hodierna die supra spem quoque evenit, cum in hoc sapientiæ, ac literarum Theatrum vocatus sum, ut magna Senatorum, magna Principum incrementa mitioribus studiis ad humanitatem, majorisque fortunæ cultum informarem. Nam quid aut ego majus dextro pede concipere potuissem, quam in eum splendorem adsci$\,$sci, ut in celeberrimo totius *Europæ* Gymnasio immortalitati operarer? aut præstabilius Augustissimæ Reipublicæ ex

A tenuitate mea commodare, quam numerosam ejus spem, subolemque regnaturam iis præceptis imbuere, quibus nominis æternitatem sibi compararet, sicut æternam libertatem majorum beneficio, consilio, ac viribus ab superis impetrasset?

Sed per hanc felicitatis imaginem, velut quadrigis vehentem transversa in me fata irruerunt, gravique ac diutino morbo in mortem fractum, pene ab tanta spe dejecere, ut *Apollinis* Sacra aditurus, non tam studiis, quam ægris corporibus propitium 6
ejus numen experirer: Ipsi enim demum, vel ejus gnato *Æsculapio* litavi. Nunc tarde, imo pæne jam sero, ad has Musarum humanitatisque vestræ
B Aras votorum compos ingentis lætitiæ causas expediam, quod in hanc Urbem, in hanc Academiam, ab sapientissimis ac felicissimis mortalium vo-

vocatus sim: beneficiumque recensendo ita exsolvam, ut magis, quid ego debeam, quam qui solvendo sim, intelligatis.

Non sine causa mihi gratulor N. continuo enim gestienti animo magna hujusce Urbis decora obversantur. Proxima cælestibus cognatio, & ex *Trojæ* Halosi affines *Romanæ* rei conditores, tum sub Republica post homines natos Florentissima ingens felicitas; postremo hujus Academiæ decus, ex qua literæ, ac disciplinæ, non per *Italiam* modo, sed per universum Orbem sunt propagatæ.

Nam ne princeps quidem terrarum Orbis populus, illaque Imperii sedes, ac domicilium *Roma*, augustiora primordia, aut optavit, aut habuit, quam quæ ex *Pergami* excidio, *Asiæ*que pollentis ruente Imperio, pandentibus viam fatis per decantata vatibus maria, vastosque terrarum tractus, sunt constituta, Cum Clarissimi Duces Regio sanguine, alter pietate, alter hospitii fide inclytus, eadem in terra *Ilii* ruinas repararent, atque eodem præsagio uterque summum Imperium genti suæ augura-
7 rentur. Sed diverso prorsus exitu, postquam Orbis domitrix Urbs, primo libertatem, post barbarorum præda, ac ludibrium cum libertate Imperium amisit.

Hæc civitas modestis initiis, nec porrecta ad utrumque solem regnandi libidine, licet non ut illa gentes omnes more fulminis corripuit, ac debellavit, totius tamen Orbis in tantum decus insurgentis, viribus par, ac mox superior, *Venetæ* Reipublicæ auspiciis, ac viribus, ejusdem mitissimo Imperio, ac maximis libertatis bonis est recreata.

Imo antiquiora vobis *Romana* gente primordia fuisse nemo potest ignorare, qui obnoxium licet *Romuli* nepotibus Vatem, audiet non dissimulantem:

Æn. 1.
Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem superare Timavi
Hic tamen ille Urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja, nunc placida compostus pace quiescit.

Hic igitur primo *Danaum* reliquiæ longi erroris finem posuere, quo tempore cæteri cum fatis simul, atque undis luctarentur: & antequam in Orbis Imperium, septemque Colles *Lavinium*, *Alba*que excrescerent, hujus Urbis fundamenta augusto augurio sunt posita, ut volventibus annis Urbs altera in maris non Coloniam, sed Imperium dedu-
8 ceretur, quæ ut olim *Troja* Deorum manu mœnita fixum vestigium in instabili elemento firmaret, solaque non *Italiæ* modo, sed *Europæ* Urbium, concusso perpetuis bellis Orbe, alta pace frueretur, atque intactam ab origine per omne ævum libertatem, in servientis *Italiæ*, vel pudorem, vel solatium, incredibili laude conservaret.

Quid enim divinius *Veneta* Republica, aut superi terris commodare, aut homines optare potuerunt? Ad quam condendam non pastorius grex: non flagitiis onerata colluvies, non facinorum omnium Asylum, sed vetustissimæ nobilitatis, (quod olim de se *Athenienses* jactarunt) eodem solo editæ, cœtus confluxit: in qua exornanda contendisse virtus, ac fortuna videntur. Et ut cæteris pæne partibus cum *Romana* majestate contendat, ita libertate, qua nihil majus in terris esse constat, multo antecellit.

Illa veterum liberarum Urbium vicisse gloriam ferebatur, quæ fato, vel vitiis tandem fatiscentes ita interiere, ut tenuis tantum earum memoria ad nos pervenerit. Quo veteres *Athenæ?* Quo fortis *Lacedæmon?* Quo æmula *Carthago* cessit?

Luc. 1.
O faciles dare summa Deos, eademque tueri
Difficiles?

A Donec ipsa quoque *Romana* Respublica magnitudine laborans sua, senescente cum viribus majestate incubuit sibi, ac pudendo obsequio unius familiæ mancipium facta, prolapsa paulisper, attri- 9
taque, & veluti repetente partes suas Orbe, ac reddente clades, misere hinc inde lacerata, sola jam Numinis sacrorumque majestate tuetur vetustæ dignitatis fugitivam memoriam.

Veneta Respublica victis intestinis discordiis, quæ pulcherrima Imperia labefecerunt, externis bellis toties appetita, non ab barbarorum modo vi, atque impetu, sed pene dixerim, oculis inta-
B ctam pudicitiam suam conservavit, dilapsaque Cælo non Ancylia, sed Æternæ libertatis secreta pignora tam sedulo custodivit, ut libertas eadem omnibus expulsa terris, olimque fugata, hic stabile solium sedemque perpetuo constituerit.

Vetus parens *Troja* armatam *Græciam* decennio sustinuit, ut majori casu fracta collaberetur: hæc exteris gentibus in ejus perniciem conspirantibus, non suis modo sedibus excitam *Germaniam*, quis credat? Sed *Gallos*, sed *Hispanos* (pudet dicere) *Italiam* quoque suam livoris stimulis agitatam, eodem tempore hac in Urbe excepit, & repulit, seque solam inaudita for-
C titudine libertate dignam Diis ostendit, quæ in turpe servitium dejectum Orbem, tracturum se in eandem aleam, libertatis admonuit, atque a male sana cupiditate prodigiosa vi absterruit.

Jactet usque ad fastidium *Græcia* mendax, *Thermopylarum* angustias contra immensos exercitus a paucis militibus servatas; *Romanæ* rei laudatores adstrepant, exigua manu fusas ingentes ho- 10
stium copias, reperient nusquam, unam Urbem irruentis Orbis furore non victam, non territam, amisso Continentis Imperio, ut majori laude illud
D reciperet, augustiorem ex cladibus emersisse.

Cætera enim hujus Reipublicæ decora, ac pene dixerim prodigia, recensere non hujus loci est, non hujus ingenii, consumpta jam, atque exhausta Oratorum facundia, ipsisque hostibus in laudem atque admirationem pulcherrimi Imperii conversis.

Illud unum addam, rem *Venetam* hoc etiam *Romana* Republica præstitisse, quod licet utraque acerrimos libertatis custodes tulerit, *Veneta* tamen, tanquam solum nullius malæ arboris patiens, illas libertatis pestes, illa Reipublicæ venena re-
E spuens, nullos Cæsares tulit, aluitque, qui pessimo exemplo publicam vim sibi, ac postremo barbaris manciparunt.

Factiosorum civium immodica potentia, quorum alter parem, alter superiorem ferre non poterat: atque hinc supergressa civilem modum Magni auctoritas, illinc *Gallico* robore, sexagintaque triumphis inflata ducis ejus virtus, qui Regnandi causas violari posse Jus falso credidit, faces fuere, quibus correpta *Romana* Respublica miserabili incendio conflagravit.

Imbuti cæde *Philippi* cognatæ acies: bellum sine hoste: & nobiliores *Cannis* Pharsalici campi
F cum Republica libertatem pessumdedere. Et de- 11
pulsum foret pulcherrimo facinore crudum adhuc servitium, cum, qui armatos exercitus solo aspectu exterruerat, togatorum victima libertati cecidit; nisi labentis Reipublicæ fato *Augustus* non armis ac viribus, sed annona, sed largitione morientis libertatis extremas reliquias expugnasset.

Ruere inde in servitium Patres, Eques, Plebes, ut in *Tacito* nostro videbimus, & fatigandum fuit servilibus precibus immanitatis, ac perfidiæ monstrum, ut regnare vellet, vivisque ac volentibus turpissimum servitutis jugum imponere.

Quæ ideo ex diverticulo retuli, ut comparatione dissimili Reipublicæ *Venetæ* virtus, ac fortuna enitesceret, quæ viribus suis non succumbens, longa licet felicitate & indulgentia fortunæ, affluente voluptatum copia, luxu tamen ac vitiis expulsis, queis maxima Imperia corruerunt, iras civiles in hostes vertit, cives autem eos tulit, quibus semper libertatis amore vilior vita fuit: ac domi forisque illæsa, plusquam civilia agitantes, vel non habuit, vel e medio opportune sustulit.

Illa enim proprio hujus Reipublicæ nec cum aliis communia habita sunt, prudentiæ, ac consiliorum præstantia, quibus magis, quam viribus æternitas libertati conciliata est. Non Areopagus: non Ephori: non Curia Quirinalis, quid sibi hujus laudis possunt vindicare.

12 Hæc a me leniter perstricta, ac delibata minima pars laudum est *Venetæ* Reipublicæ decoris ingeniis nunquam satis memoratæ, licet æquis semper præconiis ab majoribus, vel quæ recens ætas cumulatiora invenit, fuerit exornata.

Eo enim Oratio nostra spectat, tenditque, quod instituti nostri, hujusque loci proprium magis videtur, quamobrem mihi tantopere lætandum sit, quod in hoc Gymnasium ab Musarum Triumviris, studiorumque moderatoribus Amplissimis sim cooptatus. Reliqua enim hujus, ac *Venetæ* Urbis decora, ad exteros quoslibet visuros magna Naturæ, Artisque miracula, spectare possunt; hoc eorum beneficium peculiare est, quicunque in hac Academia animorum cultum accipiunt, feruntque.

Hic igitur Respublica non Imperio modo *Veneto*, sed *Europæ* atque Orbi universo ludum aperuit, propeque intermortuas literas ab barbarorum sepulchris excitavit. Hic, inquam, constituit disciplinarum omnium officinam, in qua præclara ingenia ad æternam famam excuduntur. Instructissimum Armamentarium, ex quo omne telorum genus, debellandis ignorantiæ monstris, ac producendo bonarum artium pomœrio, depromitur. Religiosissimum Delubrum, ad quod Æternitatis monumenta Doctores appendunt: Scientiarum Emporium celeberrimum, in quo ultro, citroque commeantes cives, & advenæ, studiis, ac laboribus 13 immortalitatem negotiantur: Nobilem palæstram, ex cujus Umbratili exercitatione in Cælum ac Solem quotidie clarissima ingenia producuntur; Ærarium Musarum ditissimum, unde immensas ingenii opes, qui illud intrarunt, solent reportare; Fatalem equum fortibus viris semper fœtum non excidio *Trojæ*, sed mortalium saluti divina *Palladis* arte ædificatum. Famæ Theatrum pulcherrimum, in quo spectator Orbis universus, vario Dramate omnium scientiarum Actoribus, multiplici scena applaudit. Sapientiæ Musæum inclytum, quo bonæ literæ convolarunt. *Apollinis* Oraculum certissimum, unde responsa, ac sortes Senatus populusque literatorum petit. Postremo *Minervæ* Sacrarium Sanctissimum, in quo literarii Regni fatale *Palladium* avita religione conservatur.

Nam cum artes omnes, ac disciplinæ *Italia* terra pulsæ, vel oberrarent, vel barbarorum irruptionibus essent exitio proximæ, tutissimum in hac Urbe Asylum invenerunt, ubi se, dum fœda tempestas desæviret, furori subducerent, mox recreatæ reliquis Urbibus hoc præsidio atque Ornamento destitutis distribuerentur. O te beatam Urbem, nullique sæculo silendam, quæ nisi profugas literas hospitio excepisses, totque ærumnis prope exspirantes vitæ, ac luci reddidisses, extrema barbaries cuncta misere defœdasset. Deductæ hinc in alias partes scientiæ: evocati amplissimis præmiis maximi viri: invitatæ exteræ gentes benignitate 14 hospitii: comitate atque Originis gloria terrarum Orbis allectus.

A Sed prope miraculo est sapientissimorum hominum in hac Academia felicissimus omni ætate proventus, ut facilius sit doctum virum quam hominem invenire. Hi Musarum mystæ, arcana Sapientiæ evulgant, Orbemque scientiarum, dum singuli symbolas conferunt, perfecte absolvunt. Cum tamen plerique profiteri scientias omnes possint, munusque singulorum adimplere. Quandonam communicatæ facilius per interpretes doctissimos mortalibus res divinæ? An unquam religiosius *Astræa* fuit exculta? Ubinam *Hygia* salusque benignius mortales respexerunt? Nunquam majori B certe apparatu, producta e latebris suis sapientia. Ubi vero lætius flexanima dicendi vis se circumspexit? At quam belle circumducta deterso squalore vetustas! Quam facile reconditæ artes liguarumque cognitio multiplex evulgatæ!

Et veteres quidem Academiæ pari cum Rebus publicis fortuna involutæ solum nomen ac memoriam sui conservant; Hæc vetusta origine perennat, stabitque donec literæ, donec homines erunt. Idem enim sive fatum, sive bellorum rabies, quæ florentissima Imperia, quæ Respublicas Urbesque maximas stravit, Gymnasiis etiam exitio fuit, quæ magnis ruinis sunt contumulata. Alias Urbes poC tentior hostis convellit: hæc intestinis discordiis consumpta est; illas æmulatio mutuis cladibus attrivit: luxus pessundedit: otium tabefecit: squalor, ac barbaries misere deformavit. Quid *Patavinæ* 15 Academiæ timendum est, quæ æternæ libertatis fundamentis est imposita? Florentes quondam, ipsiusque sapientiæ vestigiis Sacratæ *Athenæ Atticæ* in loco, ubi fuere, quæruntur; *Romanum* nomen cum studiis literarum intercidit; Hic mutuo, ad immortalitatem Reipublicæ Sacra literarum peraguntur: & literarum perpetuitati libertatis mysteria operantur.

D Valeant igitur antiqua Gymnasia, atque hoc decus erudiendi humani generis *Patavio* concedant. Huc subolem gentesque Regesque, & *Latium* mittat, ut ex hoc veluti Oceano uberes lymphæ dimanent, queis irrigatus Orbis literarum fœcunditati excolatur.

Huc ferox *Germania*, armorum gloria Orbis Imperio *Romanis*que Aquilis digna. Huc victrix semper ac triumphatrix *Gallia*, huc rigidi Septentrionis tractus juventam *Martio* spiritu plenam mittat, ut initiati bellis animi, felicissimo *Italiæ* Genio, literisque mansuefiant, referantque postmodum ad suos Amorem erga hanc Urbem studioE rum suorum altricem, ac maximæ Reipublicæ conjunctam admirationi memoriam, quæ nullis sumptibus, nullis laboribus parcit, ut hic jure constitutum literis regnum, conservatæ scientiæ, disseminatæ artes, ac disciplinæ dicantur.

Me vero quanto efferri gaudio par est, qui in hujus gloriæ laudem, partemque sim allectus? Nonne si quid Ingenii in me est, aut exercitationis, id omne obsequiis vestris addicere æquum fuit? 16 Nonne vires ac spiritum beneficentissimæ Urbi, & nunquam interituræ gloriæ hujus Gymnasii Moderatoribus consecrare, non labores omnes, ac postremo vitam ipsam impendere?

F Cum præterea ad hujus diei hilaritatem augendam, velut de industria lætitiæ causas cumulante fortuna illud quoque accedat, quod duo clarissima *Veneti* Senatus Lumina, *Zaccharias Sagredus*, & *Joannes Barbadicus*, Gymnasium hoc majestate sua impleverint. Qui autem viri, Deus immortalis! magnæ Fortunæ præsidiis omnibus, atque ornamentis instructissimi, omni regnantium arte exculti, digni prorsus tanto Imperio, & in quorum vultu Augustissimæ Reipublicæ Majestas emineat, ut purpuratorum procerum dignitatem, ac gravitatem comitatis plenissimam in eorundem ore liceat intueri.

Sed

Sed parcam extrema Oratione magnas laudes exordiri, nam quidquid dixero minus erit. Cum præterea omnis Reipublicæ laus a me leniter designata in vos redundet universa, qui illius pars magna estis, quotidieque egregiis factis ejusdem, ac sæculi gloriam exornatis. Sospitet vos præpotens Deus Rei, bonoque publico incolumes, atque non degeneraturos a tanta gloria liberos fortunet. Tam prolixa enim humanitate effecistis, ut quantum vobis debeam animo complectar, verbis atque Oratione exprimere non possim. Dixi.

F I N I S.


I N D E X
NOMINUM, RERUM ET VERBORUM
In Antenorem, & Epistolam de Ritu Nuptiarum; Laurentii Pignorii Vitam, Bibliothecam ac Museum; & Orationem de Laudibus Urbis Patavii.

Caligini

Licetus

F I N I S.











ANTIQ
ITALIÆ